
NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II.
55
8 E
2
ROMA



IACOBI

ZABARELLAE PATAVINI,

DE

REBVS NATVRALIBVS

LIBRI XXX.

Quibus Quæstiones, quæ ab ARISTOTELIS Interpretibus hodie tractari solent, accuratè discutiuntur.

Cum triplici INDICE; vno Librorum, altero Capitum omnium Librorum, tertio Rerum omnium notatu dignarum, quæ toto Volumine continentur.

EDITIO QVARTA.



Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

COLONIÆ,
Sumptibus LAZARI ZETZNERI.
cIↃ IↃCII.

INDEX LIBRORVM, SIVE TITVLORVM CVIQVE LIBRO huius VOLVMINIS præfixorum.



BEATISSIMO DOMINO NOSTRO

SIXTO QVINTO PONT. MAX.



OLEBANT olim veteres illi Romani non priùs fruges degustare, quàm primitias Sacerdotibus liban das præbuissent, & hac ratione, etsi vera religione destituti erant, omnium tamen rerum authorem, & naturæ parentem Deum se modo aliquo agnoscere significabant. Quid igitur Christiani nominis hominibus faciendum est, Beatissime SIXTE PONT. MAX. qui & verum DEVM colunt, & innumerabilia ab eo beneficia in hac vita recipiunt, & multò etiam maiora expectant in futura? Vtique nobis non solùm primitias terrenarum frugum, sed quidquid nostrum appellare consueuimus, diuitias, honores, studia, liberos, vitam denique ipsam, & quicquid ipsi sumus, id omne liberalissimo, ac nostri amantissimo datori DEO acceptum referre, ac deuouere conuenit Hoc ego dies noctesque, vt debeo, cogitans, quum omnem ætatem meam, quæ iam sextum supra quinquagesimum annum superauit, in Philosophiæ studia impenderim, & Aristotelis libris publicè in hac Patauina Aca-

demia interpretandis ſex & viginti annos iugem operam nauauerim, ſi quid in ijs ſtudijs, atq; in eius muneris functione aſſiduis laboribus vigilijsq; profeci, quod quàm ſit exiguum, ſentio, id totum non viribus ingenij mei, ſed diſtributori omnium officiorum Deo attribuendum, meque in eius parui talenti diſpenſatione miniſtrum, non dominum eſſe conſtanter exiſtimaui. Id me mouit, vt hoc naturalium librorum volumen, quod ad vniuerſam fermè Ariſtotelis naturalem Philoſophiam explanandam in Studioſorũ vſum edere conſtitui, primum ad te omnium ſupremum Sacerdotem deferrem, vt quemadmodum omnia mea ſtudia, omnemque in ijs profectum meum iampridem illuminatori mentium Deo accepta retuli, atq; deuoui, ita hos laborum meorum fructus tibi, Christi veri Dei apud nos Vicario reuerenter offerrem, & conſecrarem. Hoc equidem iam tertio ab hinc anno cogitabã, quando libellum de Naturalis ſcientiæ conſtitutione tanquam huius magni voluminis exiguam partẽ in publicum proferre ſtatuebam; ſed veritus, ne Gentilium more primitias tantùm offerre velle viderer, & indignam ratus tua magnitudine paruitatem libri, qui non vt opus integrum, ſed vt magni operis exordium ederetur; tunc ſatis habui illum Illuſtriſſimi, ac ſummę ſpei adoleſcentis Alexandri Peretti Cardinalis, nepotis tui patrocinio commendare, tanquàm deuotionis meæ pignus, donec totum abſolutum opus tuo conſpectu dignius redderetur. Hoc igitur vt fortunatum iudicandum eſt, quòd ei hoc tempore in lucem exire contigerit, quo nactum ſit te Orbi regendo prǽfectum à Deo Pontificem; tum Philoſophum ſapientiſſimum, maximumq; Philoſophorum

losophorum fautorem; tum Christiana pietate, vitæq; integritate, & omni virtutum genere cumulatissimum, à quo nunc Christiana Respubl. expurgatam se omni scelere nõ absque admiratione confitetur, & gloriatur. Fortunatissimum erit, si à te hilariter exceptũ, dignúmque tuo fauore redditum fuerit, impar quidem illud prę sua, authorisque humilitate dignitati tuæ, & cum ea minimè comparabile, sed à tua tamen sanctitate non contemnendum: quum illius vicibus apud nos fungaris, qui se humilia omnia benigno vultu respicere palàm professus, ea se elaturum, & sublimia redditurum pollicitus est. Hac ego opinione, ac spe ductus, Tuæ Beatitudini hos studiorum meorum fructus dedico, atque consecro, aliosque omnes, qui à me fortasse edentur: etenim, vt opto, ita & spero te diu apud nos futurum superstitem, idque DEVM OPT. MAX. ad totius Christianæ Reipubl. salutem, & felicitatem esse iussurum. Quod vt velit, eum toto corde precari, atq; orare nunquam desinam. Vale. Patauij pridie Calend. Octobris,

M. D. XIC.

Humilimus seruus

IACOBVS ZABARELLA.



REVERENDO IN CHRISTO PATRI, CVM PIETATIS TVM VIRTVTIS AC ERVDITIONIS LAVDE PRAESTANTISSIMO,

DOMINO LVDOVICO Cœnobij Gengenbacensis Abbati dignissimo, Domino suo reuerenter ac submissè colendo,

S. P. D.



VOD ad res alias prædicatione dignas adhibetur prouerbium, Reuerende in Christo Pater : Vino vendibili hederâ suspensâ nihil opus esse: *id ego doctissimis* IACOBI ZABARELLAE, *illustris olim Comitis, & in Academiâ Patauinâ Professoris primarij lucubrationibus iure accommodari posse arbitror. Quis enim in omni doctorum inuenitur numero, qui non existimet, diuini huius Viri monumenta, quotquot lucem aspexerunt, non habenda solùm, verùm etiam diurnâ nocturnâque manu esse versanda omnibus, quicunque ad interiores genuinæ Philosophiæ recessus penetrare sese cupiunt. Declarant hoc cùm multa passim in libris doctissimorum hominum præclara de hoc Viro Illustri edita testimonia: tum verò inprimis quædam infinita & insatiabilis cupiditas, quâ plerique Musarum alumni in præcipuis Germaniæ nostræ Academijs erga ipsas eiusdem lucubrationes mirabiliter sunt incensi. Etenim Logicorum eius operum volumen, quum primùm in Italia esset editum, tanto doctorum omnium cum applausu fuit exceptum: vt exemplarium numero emptorum multitudini non respondente, altera statim in Germaniâ editio sit adornata: quæ & ipsa tamen ardentem illam studiosi popelli sitim haud omninò potuit restinguere. Itaque tertiam nunc eiusdem voluminis editionem qui vrgeant, omnibusque votis expetant, non sanè pauci reperiuntur. Hoc idem penè vsu euenit postea diuino illi de Rebus naturalibus operi, quod hic Auctor postremum, & quasi cygnéam quandam ante obi-*

te obitum cantionem emisit. Nam & illud, quum itidem in Italiâ primùm lucem aspexisset, distractis quasi in momento exemplaribus omnibus, Ioannes Baptista Ciottus, Bibliopola Venetus Germanis quibusdam Typographis suo recudendum ære tradidit. Quo sanè facto & magnum ille operæ meritus est pretium: & eximiam à doctis quibusque viris nostræ nationis reportauit gratiam. Quæ, quum ita sese habeant, Reuerende Pater, & istorum scriptorum cùm præstantia tum vtilitas sic manifesta sit, & nota omnibus: vt toties iam repetitæ eorundem editiones studiosæ iuuentutis explere desiderium nequeant: haud me peccaturum in publica commoda ratus sum: si postremum hoc volumen, in quo Rerum naturalium non minus accuratè quàm perspicuè explicatur obscuritas, meo sumptu recusum, cum studiosis Philosophiæ, cæterisque per Germaniam viris doctis communicarem. Quapropter re diligenter ponderatâ, & propositis ob oculos infinitis vtilitatibus, quæ ex hoc labore ad literarum & Philosophiæ studiosos promanare possent, negotium aggressus sum; atque vt esset liber quàm emendatissimus, & pretio à Studiosis æquiore comparari, & formâ satis commodâ tractari posset, quantum quidem in me fuit, procuraui. Proinde, omnibus bonis viris & candidis huiusmodi rerum æstimatoribus hoc meum qualecunque studium gratum & acceptum esse futurum planè confido. Præsertim, quum præter illam meam de multorum studijs, totáque Germania benè merendi voluntatem, nonnullorum quoq; bonorum & veræ Philosophiæ amantium virorum crebræ ac penè quotidianæ voces ad hanc obeundam prouinciam me sint cohortatæ.

Quòd autem inclytam Tuam Dignitatem, Reuerende Pater, hîc compellare, & eidem hunc nobilissimi Philosophi de Rebus naturalibus Tractatum, meis sumptibus toti quasi Germaniæ restitutum, peculiariter ac seorsim inscribere voluerim; nec prorsus nullæ, nec etiam leues, vti arbitror, mihi caussæ fuerunt. Nam, vt multas nunc alias latere patiar, primùm mihi certè hoc meum in adornanda noua huius Auctoris editione consilium, aduersus maleuolorum insultus potenti aliquo muniendum fuit præsidio: quod profectò nec tutius quærere, nec certius apud alium quemquam inuenire me posse sum arbitratus. Satis enim iam est perspicuum, constatque inter omnes, Te non solùm literarum ac literatorum omnium Patronum ac fautorem esse eximium: sed etiam eruditâ doctrina, & eleganti totius Philosophiæ cognitione ita excellere: vt in toto hoc Rheni

tractu, & Diœcesi Argentinensi ex ijs, qui Tecum in pari dignitatis gradu sunt constituti, æqualem habeas neminem. Accedit deinde & illud, quòd, quum Reuerenda Tua Dignitas coëmendis plurimis optimisq; auctoribus pro instruenda vestri Cœnobij Bibliotheca, singularem sæpenumerò erga me declarârit beneuolentiam ac liberalitatem: mihi quoq; tandem de aliqua grati animi & obseruantiæ erga Reuerendam Tuam Dignitatem significatione cogitandum fuerit. Quam sanè clarius me non posse præbere existimaui, quàm tali aliquo munere literario, & boni scriptoris dedicatione. Placido igitur vultu, Reuerende Pater, pro solita Tua erga pias Musas humanitate & amore, Philosophica hæc de Rebus naturalibus Commentaria suscipito: & cùm perpetuæ meæ erga Tuam Reuerendam Dignitatem obseruantiæ, tum grati animi & voluntatis promptæ monumentum ac symbolum esse permittito: meq; quod reuerenter & submissè peto, in illorum hærere numero patere, qui Reuerendæ Tuæ Dignitati sese quàm commendatissimos esse exoptant. DEVM Opt. Max. toto pectore oro, vt Reuerendam Tuam Dignitatem ex molestijs & doloribus diuturni istius morbi liberatam, & omnibus corporis & animi bonis auctam, quàm diutissimè saluam & incolumem conseruet. Benè & feliciter Reuerenda Tua Dignitas valeat. Argentorati die 1. Febr. Anno à CHRISTO nato M. D. XCVII.

R. T. Dign.

submissè ac reuerenter colens

LAZARVS ZETZNERVS
Bibliopola Argentinensis.

INDEX

INDEX CAPITVM OMNIVM, QVAE IN SINGVLO QVOQVE LIBRO EXPLICANTVR.

Libri de Naturalis scientiæ constitutione, Capita 42.

Libri Prioris, de prima rerum materia, Capita 15.

Libri secundi, de prima rerum materia, Capita 21.

Libri de Natura, Capita 9.

Libri de inuentione æterni Motoris, Capita 7.

Libri de Natura cæli, Capita 11.

Libri de Motu ignis in orbem, Capita 10.

Prioris Libri, de Motu grauium & leuium, Capita 17.

Secundi Libri, de Motu grauium & leuium, Capita 10.

Libri de Constitutione indiuidui, Capita 11.

Libri de Communi rerum generatione & interitu, Capita 11.

Libri de Reactione, Capita 8.

Libri de Mistione, Capita 13.

Prioris libri de Qualitatibus elementaribus, Capita 9.

Secundi libri de Elementaribus qualitatibus, Capita 9.

Libri de Regionibus aeris, Capita 9.

Libri de Calore cœlesti, Capita 11.

Primi Libri de misti generatione, & interitu, Cap. 10.

Secundi Libri de misti generatione, & interitu, Cap. 16.

Tertij Libri de misti generatione, & interitu, Cap 10.

Libri de facultatibus animæ, Capita 13.

Libri de Partitione animæ, Capita 15.

Libri de Accretione & nutritione Capita 25.

Libri de Sensu agente, Capita 11.

Librorum duorum de Visu; sed prioris, Capita 13.

Secundi Libri de Visu, Capita 8.


Libri de Mente humana, Capita 15.

Libri de Speciebus intelligibilibus, Capita 9.

Libri de Mente agente, Capita 16.

Libri de ordine intelligendi.
Capita 14.

FINIS.



IACOBI ZABARELLAE PATAVINI,

DE NATVRALIS SCIENTIÆ CONSTITVTIONE.

Consilij ratio. CAP. I.



VISQVIS in naturaliũ
rerũ consideratione fru-
ctuosè versaturus est, de-
bet ante omnia ipsius na-
turalis disciplinæ naturã
& conditionem cogno-
scere; præterea verò & e-
tus diuisionẽ in partes,
& ipsarum partium ordinem, propriosq́; sin-
gularum scopos non ignorare. Nam si arti-
ficiosa eius scientiæ fabrica bene intellecta,
ad ordinatam rerum naturalium contempla-
tionem accedamus, longè meliùs atque faci-
liùs abditas rerum causas, intimaq́; naturæ ar-
cana penetrare apti sumus; vt è contrario ea
ignorata, satis magnum inde fructum perci-
pere nemo potest. Tradidêre quidem eam
scientiam priscis temporibus complures, sed
in eo munere ita excelluisse creditur Aristo-
teles, vt nemo in hac philosophiæ parte non
modò illi præferendus, sed ne comparandus
quidem cum eo esse videatur; quod quidem
omnium & antiquorum, & posteriorum ad
hæc vsque tempora Philosophorum consen-
sio comprobauit. Tot enim viri præclarissimi
& Græci, & Latini, & Arabes in interpretan-
dis naturalibus Aristotelis libris ætatem con-
sumpserunt, vt cognouisse omnis posteritas
videatur, non posse ab humano ingenio ex-
cellentiùs tradi naturalem philosophiam, si-
quidem tantum honoris neq; naturalibus A-
uicennæ, aut Galeni libris, neque magni Pla-
tonis Timæo habitum esse certum est. Quo-
niam igitur iampridem concepta hęc opinio,
postea quasi per manus tradita ad hanc vsque
tempestatem peruenit, & vsque adeò inua-
luit, vt nunc illi, qui naturalem philosophiam
discere cupiunt, nullo nisi Aristotele doctore
vtantur & in omnibus philosophãrium Gym-
nasijs, ad vnius Aristotelis naturales libros de-
clarandos interpretes etiam magnis stipẽdijs
statuantur, nõ paruum operæ precium factu-
A rum me esse existimaui, si Galenum imitatus,
qui de artis medicæ constitutione libellum
conscripsit, ego quoq; vniuersæ ab Aristotelẽ
scriptæ, naturalis philosophiæ structuram &
artificium declauero, & ea, quæ alij singulos
Aristotelis libros interpretaturi, sparsim, &
separatim præfari consueuerũt, in vnum ipse
congessero, eiusque disciplinæ vnitatem, na-
turamq́; & partes, & harum artificiosam di-
spositionem quanta potero breuitate, & cla-
ritate ob oculos omnium posuero, sic verò &
B quam aliàs Logicæ artis studiosis operã præ-
stiti, eandem nunc Philosophis quoque præ-
stitero: vt enim tunc de Logicis rebus scri-
pturus, antè omnia de ipsius Logicæ natura,
& partibus dicendum esse iudicaui; ita nunc
de rebus Naturalibus volumẽ, Deo fauente,
propediẽ editurus, in primis Naturalis scien-
tiæ naturam, & fabricam à me hoc libello ex-
plicatam, tanquam præludij, ac præparationis
loco cunctis Aristotelicæ theorię studiosis ex-
hibebo. Quanquam enim non defuêre, qui
C ante me tale quoddam onus suscepisse vidẽ-
tur: nam scripsêre aliqui de ordine librorum
naturaliũ, aliqui etiam præfationes in omnes
Aristotelis naturales libros composuerunt;
attamen, vt diuersæ sunt hominum senten-
tiæ, spero non defuturos, quibus hic labor
meus non superuacaneus fore videatur; nam
vbi ita ab alijs cognitam rei veritatem repe-
rero, vt nil à me addi posse videatur, ego lubẽs
aliorum sententiæ subscribam, & tanquam
eius relator & interpres nitar saltem eam red-
D dere clariorem; vbi verò nihil, in quo acqui-
escere possim, ab alijs dictum inuenero, non
dubitabo aliquid ipse noui, quod mihi ratio
persuaserit, in medium adducere, & alijs ad
iudicãdum proponere: nec despero mea hæc
scripta aliquid esse vtilitatis habitura, nam si
alijs fortasse non proderunt, auditoribus sal-
tem meis non paruo ea vsui fore, meq́; ipsum
magno labore leuandum per ea esse non du-
bito: quum enim in hac patria Academia na-
turalem philosophiam publicè interpreter,

ob idq; cogar quotannis singulos Aristotelis libros declaraturus non parum temporis conterere in ijs præludijs, quæ προλεγόμενα appellantur, eo posthac labore supersedebo, maiorem in ipso Aristotele declarando progressum facturus: maximum certè tunc faciam, quum cæteri omnes à me erunt editi libri naturales. in ijs enim disputationes omnes, quibus examinandis solemus in quoquo libro seriem dictorum Aristotelis interrumpere, tractandæ à me in studiosorum vsum & excutiendæ sunt. Interea exiguũ hoc magni laboris exordium accipiant: quod quantò eis gratius, atq; vtilius fuerit, tantò me ad totum absoluendum opus promptiorem & animatiorem reddet.

De Subiecto totius Scientiæ Naturalis opinio vera. Cap. II.

QVoniam in primis cognoscendum est quid sit disciplina naturalis, quod quidem ad eius genus attinet, satis apud omnes constat, eam esse scientiam speculatiuam, quum eius scopus non sit operari, sed scire res naturales; propria igitur differentia inquirenda est, quæ ipsam constituat, & ab alijs scientijs seiungat; sumitur autem cuiusq; speculatiuæ scientiæ differẽtia à proprio subiecto, hoc enim vnum propriam cuiusq; scientiæ naturam constituit, separatq; ab alijs omnibus; videndum igitur est, quodnam sit proprium subiectũ totius naturalis philosophiæ: nec subiecti nomine intelligo quamcunque rem consideratam, secundùm quã acceptionem etiã principia & accidentia subiecti possunt appellari subiectum; sed hac nimis lata significatione reiecta, propriè subiectum accipimus, quale in 1. lib. Posteriorum statuit Aristoteles in qualibet scientia contemplatiua, nempe quod à principijs, & affectionibus distinguatur, cuius cõditiones iam sunt à me diffusè in operibus logicis declaratæ: videntur quidem res naturales, quæ sub huius disciplinæ considerationem cadunt, numerari ab Aristotele in initio tum 2. libri Physic. auscult. tum 3 de Cœlo, scilicet cœlum, elementa, mista, animalia, stirpes, & horum species, in horum enim omnium consideratione versatur Philosophus naturalis: sed hoc cognoscere non satis est; quum enim scientia naturalis vna sit, & vnitas scientiæ sumatur ex vnitate subiecti, oportet res omnes naturales prædictas sub vnum aliquod genus reducere, quod eas omnes complectens dicatur subiectum vnum totius naturalis philosophiæ, & ipsi toti adæquatum. Hoc igitur quodnam statuendum sit, interpretes Aristotelis superioribus temporibus non consenserunt, fuitq; inter eos maximè controuersum: sed hac tempestate videntur omnes in hanc sententiam conuenisse, quòd corpus vniuersè sumptum, quod & cœlestia & inferiora omnia comple-

Libri de tribus præcognitis.

Subiectum scientiæ naturalis.

A statur, quatenus naturale, hoc est, quatenus habens in seipso naturam, quæ motus principium esse definitur, sit commune subiectum totius scientiæ naturalis: quam sententiam ego absque dubio veram esse censeo, quum & Aristotelis testimonio satis claro, & efficaci ratione comprobetur. Quum enim subiectum scientiæ duabus partibus cõstet, re considerata, & modo considerandi, vt in operibus logicis dictum est, sitque in hac scientia B res considerata corpus, modus autem considerandi, quatenus habens in se principium motus, iuxta communem, quam veram esse diximus, opinionem, vtramque ab Aristotele apertè pronunciatam legimus: nam in initio, & libro 2. Physic. & 3. de Cœlo, sola corpora nominat vt subiectum philosophiæ naturalis, sed clarissimè in principio libri 1. de Cœlo asserit, scientiam naturalem versari in corporibus, & horum principijs & affectionibus; C nam præterquam quòd apertè nominat corpus vt naturalis sciẽtiæ subiectum, illud idem affirmat, dicens principia & affectiones corporum in hac scientia considerari, siquidem id subiectum est, cuius principia & affectiones quæruntur. Quòd autem modus & ratio considerandi corpus non sit, nisi vt habens in se principium motus, asserit clarè Aristoteles in principio libri 2. Physic. dum inquit res naturales à nõ naturalibus distingui per hoc potissimùm, D quòd quatenus sunt naturales, habent in seipsis principium motus, quod quidem alijs non competit, nisi per accidens: scamnum enim & quodlibet aliud corpus artificiosum, habet quidem in se principiũ motus, non tamen per se, quia non vt artificiosum, sed quatenus materiam habet corpus naturale, vt lignum, vel lapidem: atqui certum est, vnamquamque rem ab alijs distingui per formam, non per materiam; igitur habere E in se principium motus est instar formæ; & est formalis ratio subiecti, qua corpus physiologiæ subiectum ab aliarum scientiarum subiectis separatur; etenim vt artes mittamus, quæ versantur in corporibus, Mathematicus quoque, qui contemplatiuus est, corpora contemplatur, non ea tamen ratione, quatenus habent in se principium motus, quia hoc solius Philosophi naturalis propriũ est. sed alius apud Aristotelem locus est, hoc F mirificè confirmans, isque consideratione dignus est, quoniam à multis perperam intelligitur; locus est contextu 71. libri 2. Physic. vbi Aristoteles inquit: Quæcunque mota mouent, sunt physicæ considerationis; quæcunque verò non mota mouẽt, non amplius: sed ea Aristotel. verba difficultatem faciunt, quoniam primus motor æternus mouet, & est immobilis, tamen est physicæ considerationis, quum de ipso agatur in lib. 8. Auscul. physic. Dubium hoc solent alij ita soluere: primus motor est physicæ cõsiderationis, quoad quæstionem

1. de Natur. Logic. & lib. de Præcogn.

Declaratio tex. 71. secundi Physic.

Communis expositio.

stionem an sit; quòd enim existat, ostenditur à Philosopho naturali ex æterno motu, at nõ est physicæ considerationis, quoad quæstionem quid sit, sic enim ad Metaphysicum pertinet. sed hæc solutio non est consona verbis Aristotelis sequentibus, qui statim rationem afferens, cur non sit physicæ considerationis, ita subiũgit [*non enim in seipsis habentia motum, aut principiũ motus mouent, sed immobilia sunt*] itaq; si hæc communis solutio vera est, oportet æquè in omnibus validam esse rationem Aristotelis, vt quicquid non habet in se principium motus, non sit physicæ considerationis, quoad quid est: licebit ergo ita argumentari: motus, locus, tempus, & alia accidentia naturalia non habẽt in se motum, aut principium motus, ergo non sunt physicæ considerationis quoad quid est; quòd si cauillando dicant Aristotelem de solis mouentibus loqui, verum quidem istud est, attamẽ ratio Aristotelis si in his est efficax, debet pariter in omnibus habere efficacitatem: imò verò neque in mouentibus omnibus locum habet, nam calor & frigus agunt & mouẽt, nec habent in se principium motus, sequitur ergo hæc nõ esse phisicæ considerationis quoad quid est; falsa tamen esse constat hæc omnia consequentia, nam accidentia naturalia cognoscũtur à Philosopho naturali & ꝙ sint, & quid sint; quòd autem non habeant in se principium motus, manifestum est, quia hoc proprium est corporum naturalium, accidentia verò naturalia non dicuntur habere naturam, sed esse à natura, vel secundùm naturam, vt dicitur in lib. 2. Physic. Hac itaq; solutione reiecta, ego puto ita esse respondendum: Physicus considerat & subiectum suum, & principia, & affectiones eius, quorũ trium considerationes in quo discrepent, iam declaratũ à nobis est in operibus logicis: Aristoteles autem in memorato loco non loquitur absolutè de physica consideratione cuiuscunque rei, sic enim ratio, quam adducit, idonea non esset, sed loquitur de solius subiecti consideratione, & de illo, quod à Philosopho naturali consideretur vt subiectum, non vt affectio, neque vt principium; itaque illud tantùm à Physico vt subiectum considerari dicit, quod in seipso habeat motum & principium motus, ita vt quicquid huiusmodi est, in ea scientia consideretur vt subiectum, quod verò tale non est, non possit in ea habere locũ subiecti; per hoc tamen non stat, quin possit in ea vel vt principium naturale, vel vt naturale accidens considerari; tollitur itaq; omnis difficultas, quia primus motor immobilis, quum non habeat in se principium motus, non est considerationis physicæ vt subiectum physicũ, per hoc tamen non stat, quin à Physico possit considerari vt principium: sic motus, locus, calor, frigus, & alia accidentia naturalia, quum non habeant in se principium motus, non possunt esse subiectum physicum propriè acceptum, sunt tamen accidentia physica, & quatenus talia sunt, cognoscuntur à Philosopho naturali & quòd sint & quid sint. Hoc idem confirmant verba Aristotelis in contextu 73. eiusdem libri, vbi ait [*duo sunt principia mouentia physicè, quorum alterum non est physicum, quia non habet principium motus in seipso*] nam quomodo dici alterum esse mouẽs physicè, nec tamen esse physicum? certè nullus alius esse potest sensus verborũ Aristotelis, nisi quòd est principium physicum, & ita à Physico potest vt principium considerari, sicuti reuera cõsideratur, at non est subiectum physicum, quia nõ habet in se principium motus: hæc est huius difficultatis tutissima solutio. Quoniam igitur ratio illa ab Aristotele adducta nil aliud probat, quàm non considerari à Physico vt subiectum, quicquid non habet in se principium motus, manifestum est rationem formalem subiecti scientiæ naturalis apud Aristotelem hanc vnam esse, quatenus habens in se principium motus: per hanc enim vnam separat Aristotel. subiectum physicum ab eo, quod non est subiectum physicum: illud autem, quod habet in se principium motus, nõ est nisi substantia corporea, vt asserit Aristoteles in contextu 4. lib. 2. Physic. nullum igitur aliud statuendũ est subiectum totius scientiæ naturalis, nisi corpus naturam habens. Ipsa quoque naturę definitio hoc idem testatur; nam conueniens erat, vt in ipso huius scientiæ initio subiecti definitio proponeretur, hæc autem facilè intelligitur, si solùm intelligatur nomen naturæ: definitur ergo natura, non vt principium subiecti, sed vt subiectum, hoc est, vt ratio formalis subiecti, ex qua intellecta statim apparet quid sit corpus naturam habens, ideò Aristotel. statim post definitionem naturæ subiungit definitionem habentis naturam, quod totius naturalis philosophiæ subiectum est. Ratione quoq; hoc comprobatur; illud enim statuere oportet scientię subiectum; cui omnes conditiones competunt, quas Aristoteles in Posterior. Analyt. dixit in cuiusque scientiæ subiecto postulari; at hæ competunt omnes corpori naturã habenti quod ita ostẽdimus: Conditiones subiecti, vt ex ijs libris colligimus, & vt in operibus Logicis declarauimus, hæ sunt; subiectum debet esse præcognitum, & quid nomen significet, & quòd sit; debet omnibus, quæ in scientia considerantur, substratum esse, & ipsum nulli inesse; debet habere principia, & accidentia demonstranda; ac denique debet toti scientiæ esse adæquatum, ita vt neque eam excedat, neq; ab ea excedatur, hoc autem est, omnes partes scientiæ in eius consideratione versari, & ipsum in nulla scientia, nisi in illa sola, tractari posse. Corpus autem naturam habens præcognoscitur quid nomen significet, siquidem eius declaratio tanquã totius scien-

Obiectio.
Vera expositio.
Lib. de Præcogn.
Declaratio tex 73. lib. 1. Physic.
Conditiones subiecti.
Lib. de Triplici præcog.

tiæ principium proponitur ab Aristotele in initio totius naturalis philosophiæ; notissimum etiam est quòd sit, & nihil eo notius est in scientia naturali, per quod possit demonstrari, idq; Aristoteles ipse protestatur in contextu 6. eiusdem 2. Physic. quòd habeat principia, & accidentia, quæ de ipso demonstrantur, ita manifestum est, vt nulla declaratione indigeat: nulli etiam inest corpus naturale, quum ipsum per se existat, sed ipsum omnibus in naturali scientia consideratis substratum est: nam si diligenter omnia, quæ in ea scientia tractantur, percurramus, nihil inueniemus, quod non eius principium aut accidens sit, nempe vel ipsius communis generis, vel alicuius speciei. Est etiam toti scientiæ adæquatum, quum enim tractari subiectum nil aliud sit, nisi eius principia, & affectiones inuestigari, nulla certè huius scientiæ pars est, in qua de ipso non agatur; siquidem nulla est, in qua non agatur de principio, aut de accidente aliquo corporis naturalis: nulla est etiam alia scientia, in qua agatur de corpore naturali quatenus naturam habet, & in qua eius principia, & accidentia quatenus talia considerentur: sola igitur, ac tota scientia naturalis est de corpore naturali quatenus naturale est: hoc igitur est totius huius scientiæ subiectum adæquatum.

Hîc plures aliorum sententiæ ad bonum sensum trahuntur. Cap. III.

Sententia hæc ex aliarum consideratione confirmatur; quicunq; enim aliud quidpiam huius scientiæ subiectum statuunt, ij vel idem dicunt, quod corpus naturam habens, vel falsum dicunt; tres hac in re inuenio opiniones probabiliores, quæ ad verum sensum trahi possunt. D. Thomas in principio primi Physicorũ, inquit subiectum esse ens mobile, vetans ne dicamus corpus mobile, ea ductus ratione, quòd Aristoteles in 6. eorum librorum probat omne mobile esse diuiduum, quod est probare omne mobile esse corpus, quare si corpus mobile subiectum esset, probaretur subiectum in scientia sua, quod dicendum non est. Idem tamen in initio primi libri de Cœlo inquit, subiectũ esse corpus mobile, quæ etiam Alberti, & aliorum complurium sententia fuit: vidit enim tandem D. Thomas illius argumenti sui vanitatem, quia licèt in 6. lib. ostendatur omne mobile esse diuiduum, non ob id probatur dari corpus mobile; tum quia non idem est esse diuiduũ, & esse corpus, siquidem linea & superficies diuiduæ sunt, nec tamen sunt corpora; tum maximè quoniam non eadem est propositio, datur corpus mobile, & omne mobile est corpus, quum illa sit omnibus notissima, hęc dubia, & ab aliquibus negata, qui animam per se mobilem esse dicebant; quamobrem siue cōcedatur, siue negetur animam, imò & res omnes per se moueri, non minùs hæc est manifesta, datur corpus mobile; non hanc igitur probat Aristoteles in eo 6. libro, quemadmodum si quis probaret omne album esse hominem, non ob id probaret dari hominem albũ, quum hæc sit manifestè vera, illa manifestè falsa. Scotus verò subiectum statuere videtur substantiam naturalem; ita vt tres extent opiniones, quum alij ens mobile, alij corpus mobile, alij substãtiam naturalem subiectum esse dicant; at si has bene perpendamus, non differunt nisi nominibus; quum enim rem consideratam alij ponant ens, alij substãtiam, alij corpus, modũ verò considerandi alij mobile, alij naturale, tamen si sano modo verba eorum sumantur, eandem dicunt rem consideratam, & eundem considerandi modum, quocirca Aristoteles quoq; varijs in locis subiectum scientiæ naturalis his omnibus nominibus nominauit. Illi igitur, qui dicunt modũ considerandi esse, vt mobile, per mobilitatem vel intelligũt aptitudinem illam ad motum, quæ est accidens, & qualitas quædam; vel intelligunt principium internum, vnde hæc aptitudo, & motus ipse fluit: si qualitatem intelligant, in difficultatem meo quidem iudicio insolubilem incidunt; quum enim huius mobilitatis causa sit ipsa rebus naturalibus insita natura, demonstrari poterit à priori modus considerandi de re considerata per medium naturale in ipsa sciẽtia naturali; corpora namque sunt mobilia, quoniam habent naturam, sic autem subiectũ in scientia per causam demonstraretur, quod omnino absurdum est. Restat igitur vt nomine mobilitatis intelligãt internum motus principium, nempe naturalitatem, siue naturam ipsam, vt eos puto intellexisse, ita vt nil aliud apud eos significet mobile, quàm naturam habens. Qui verò modũ considerandi esse dicunt, quà naturale, clariùs id significasse videntur; tribus enim modis accipi potest naturale: primo sumitur pro essentiali, quemadmodum etiam natura pro essentia sumitur, vt quum dicimus hanc esse rei naturam, & hoc esse illi naturale: secundo modo sumitur naturale pro omni re pertinẽte ad Philosophum naturalem, sic materia prima dicitur principium naturale, & motus dicitur accidens naturale, & res naturalis: tertio sumitur strictiùs pro eo, quod in se habet naturam, hoc est, internam quandam propensionem ad recipiendum motum; huiusmodi autem sunt sola corpora, sic enim nec materia, nec motus est naturalis. Illi igitur, qui vel ens subiectum esse dicunt, vel substantiam, vel corpus, quà naturale, non possunt nisi tertio modo sumere naturale; primum enim omnino absurdum esse manifestum est; secundus verò omni artificio carens, ac puerilis esset: quicquid enim subiectum esse dicamus quatenus

D. Thomas. Albertus. Scotus. Naturale dicitur tripliciter.

quatenus naturale, hoc est, quatenus pertinēs ad Philosophum naturalem, subiecti nomine complectimur omne pertinens ad Philosophum naturalem, quoniam ab eo, quod est quatenus ipsum, ad de omni efficax semper, ac necessaria est illatio; omnia igitur & principia, & accidentia naturalia species subiecti erunt, proinde nulla erunt subiecti principia, nulla accidentia ab ipso subiecto distincta; idque esset accipere subiectum latè pro omni re considerata, quam acceptionē nimis rudem, & à nostro instituto alienā esse iam diximus. In tertia igitur sola significatione sumptum esse ab illis naturale manifestum est; sed clarissima omnium est appellatio modi huius considerandi, si dicamus quatenus naturam habens, seu quatenus habēs principium motus, sic enim omnem vitamus ambiguitatem, & errandi occasionem, quam fortasse præbere potest illa dictio, naturale, ꝓpter varias, quas commemorauimus, huius vocis significationes. Hunc igitur considerandi modum si omnes statuunt, necesse est rem quoque consideratam eandem ab omnibus poni, & substantiam, & ens ab eis accipi pro corpore: etenim omne habens principiū motus in seipso corpus est, idem ergo est ens habens principium motus, & substantia habens principium motus, ac corpus; quemadmodum ens risibile, substantia risibilis, animal risibile idem significant, nempe solum hominem. Rectius est tamen dicere corpus, quàm substantiam, vel ens, propterea quòd in scientijs contemplatinis debet modus considerandi esse æqualis rei consideratæ, alibi declarauimus: ostendimus enim non pugnare inter se hęc duo, modus considerandi est æqualis rei consideratæ, & est angustior, illamque coarctat; æquales enim sunt, quatenus sunt res quædam, quæ extra animam existunt, nullum enim extra animam datur corpus, quod non habeat in se principium motus, & nullum datur habens in se principium motus, quod non sit corpus: attamen si alterum vt res sumatur, alterum verò vt modus, rem modus coarctat, non vt rem, sed vt considerabilem; corpus enim est considerabile non modò vt habens naturam, sed etiam alijs modis: potest enim mente concipi abiunctum ab omni aptitudine ad motum, & considerari tantummodò vt quantum, quæ est consideratio Mathematica: hoc autem est manifestissimum in illis scientijs, in quib⁹ idem esse videtur modus considerandi, ac res considerata, vt in Metaphysica, in ea namque subiectum esse dicimus ens, vt ens est, in quo dicto esset absurditas, & nugatio manifesta, nisi modo aliquo ens restringeret ens, restringit enim non vt res, sed vt modus, siquidem vt res non modò sunt æquales, sed idem; at ens acceptum pro re latiùs patet, quàm ens acceptum pro modo, ens namque pro re acceptum omnia complectitur, & nihil excludit, nam & mobile, & naturale, & magnitudo, & numerus ens est; sed quodlibet tamen horū, si sumatur vt modus considerandi, nullum aliorum continet, & ea omnia excludit, nam considerare vt ens, non est considerare vt mobile, neque vt magnitudinem, & è cōuerso, considerare vt mobile est quidem considerare ens, at non est considerare vt ens: ens igitur, quod omnia continet, restringitur ab hoc modo considerandi, quatenus ens, quum ab hoc cæteri omnes modi excludantur; ratioque huius est, quoniam materiæ est amplitudo, & indeterminatio, formæ verò distinctio, ac determinatio; quoniam igitur res considerata locum obtinet materiæ, modus autem considerandi tenet locum formæ, necesse est vt ens acceptum pro re considerata latiùs pateat, quàm ens acceptum pro modo considerandi, & ab hoc coarctetur. Dico igitur rem consideratam, & modum considerandi debere esse æqualis ambitus, quatenus res quædam sunt, sic enim seruatur essentialis connexus, neque per hoc stat, quin res considerata restringatur à modo considerandi: quocirca melius est, subiectum scientiæ naturalis statuere corpus quatenus naturam habens, quàm substantiam, aut ens quatenus naturam habens, quia habere naturam est accidētale quiddam substantiæ, & entis, nisi dicamus strictè sumi substantiam, & ens pro solo corpore. Quum itaque Aristoteles varijs in locis loquens de subiecto scientiæ naturalis modò ipsum vocet corpus, modò substantiam, modò ens, vel est inconstans, vel per hæc omnia solum corpus intelligit: sic etiam quū modum considerandi modò statuat quatenus mobile, modò quatenus habens principium motus, & quietis, necesse est vt per mobile intelligat idem, quod naturam habens: nam in principio primi libri de Cœlo inquit, scientiam naturalem versari in corporibus, in principio autem tertij libri dicit eam versari circa substantias, intelligit autem corporeas, quia statim eas recensens sola corpora nominat: & in primo contextu libri sexti Metaphysicorum inquit, scientiam naturalem versari circa talem substantiam, in qua est principium motus, & quietis; sumit enim substantiam non omnem, sed talem, nempe illam tantùm, quæ corporea est, hæc enim sola habet in se principium motus: attamen in calce eiusdem contextus inquit, Philosophum naturalem considerare ens mobile, per mobile intelligens idem, quod habens principium motus: & per tale ens illud idem, quod priùs per substantiam corpoream. Sic Auerroes in principio quarti Metaphysicorū inquit, ens mobile esse subiectum scientiæ naturalis, in primo autem libro de Cœlo, commentarijs 2. & 5. inquit subiectum scientiæ naturalis esse corpus; in sua autem Præfatione in primum Physico-

Modus considerandi debet esse æqualis rei consideratæ. vide 1. libr. de Nat. log. cap. 18.

Aristoteles.

Auerroes.

rum inquit subiectum esse res sensiles quatenus transmutabiles, quæ verba significat corpus quatenus mobile, sed statim declarans, quid intelligat per mobiles, subiungit, id est, quatenus in seipsis habent principium motus & quietis; sumit igitur mobile pro habente principium motus. Notare autem possumus, Aristotelem & Auerroem de subiecto naturalis scientiæ loquentes, appellatione corporis vsos esse in libris naturalibus, in Metaphysicis verò appellatione substantiæ, & entis, hæ namque voces pertinent propriè ad Metaphysicum; intellexit tamen solum ens corporeum, & solam substãtiam corpoream, vt prædiximus.

Confutatio sententiæ illorum, qui aliquod naturali corpore communius subiectum statuerunt. Cap. IV.

ILlorum sententias, qui aliquod naturali corpori æquale huius scientiæ subiectum esse dixerunt, ad rectum sensum trahi posse iam ostendimus: nunc de eorum quoque opinionibus, qui nullam defensionem recipiunt, aliqua breuiter dicamus: hi in duas sectas distincti esse videntur; aliqui enim communius aliquod corpore naturali, aliqui etiam eodem strictius subiectum statuerunt: quem vtrumque errorem explodere oportet. Primùm quidem non defuerunt, qui ens mobile subiectum esse dicentes, palàm professi sint, se id sumere vt latius patens, quàm corpus mobile; siquidem non sola corpora, sed materia quoque, & forma mobiles dici varijs modis possunt: corpus quidem dicunt esse subiectum motus, materiam esse primam radicem, ac fundamentum omnis passionis, quia pati est propter materiam, & moueri est pati, formam verò esse terminum motus: itaque corpus dicunt esse mobile subiectiuè, materiam fundamentaliter, formam terminatiuè; proinde materiam, & formam non modò esse principia corporis mobilis, sed etiam esse species entis mobilis, quod est æquatum subiectum totius scientiæ naturalis. Huius sententiæ vanitatem sola nominis significatio declarare potest, mobile enim non dicitur nisi id, quod est subiectum motus; materia per se non mouetur, siquidem id, quod mouetur, actu est, vt inquit Aristoteles in quarto Physicorum; sed mouetur materia per accidens, nempe dum mouetur corpus, cuius pars est, quare soli corpori est attribuendus motus. Multò minùs mouetur forma eo modo, quem isti fingunt, nam terminare motum non est moueri, imò adueniente termino cessat motus. Sed nil certè ineptius esse potest, quàm dicere, quicquid cum motu coniunctũ est, seu quicquid relationem aliquam habet ad motum, mobile esse, sic enim quicquid à naturali Philosopho consideratur, species erit entis mobilis, proinde species subiecti: omnia igitur locum subiecti habebunt, nulla dabitur principia, nulla accidẽtia à subiecto scientiæ distincta. Præterea quemadmodum motus maximè propriè, ac præcipuè dicitur de motu locali, secundariò de alijs; ita locus vt terminus motus localis magis dicetur terminatiuè mobilis quàm forma, quæ generationis, seu alterationis terminus est: attamen nihil ab Aristotele alienius est, quàm locum dicere mobilem, quum apertè asserat esse prorsus immobilem. Tempus quoque tanquam numerus motus mobile erit: sed quid magis erit mobile, quàm motus ipse? Vanissima igitur est hæc sententia, & absona rationi, ac doctrinæ Aristotelis à nobis antea declaratæ. Sed non minus aliena est à verbis Thomæ, quem isti se tueri profitentur; nam in principio primi libri de Cœlo dicit solum corpus esse subiectum scientię naturalis; in initio autem primi Physicorum, vbi dicit ens mobile, declarat etiã se per mobile nil aliud intelligere, quàm habens in se principium motus: quoniam igitur omne habens in se principium motus corpus est, videtur ab ipsa potius nominatione corporis, quàm à re, abhorruisse eo in loco Thomas, eo ductus argumento, cuius postea leuitatem se cognouisse indicat in Præfatione primi libri de Cœlo. Patet igitur nihil latiùs patens corpore mobili statuendum esse subiectum naturalis philosophiæ; nil enim, quod non sit corpus, habet in se principium motus; & nihil, quod principium motus in se non habeat, potest in hac scientia habere locum subiecti iuxta sententiam Aristotelis, sed solùm vt principium, vel vt accidens corporis naturalis locum habere potest in naturali philosophia.

Themistiarũ sententia de ente mobili.

Confutatio.

Confutatio sententiæ illorum, qui aliquod naturali corpore angustius subiectum statuerunt. Cap. V.

ALiqui verò in contrarium errorem incidentes, aliquod naturali corpore strictius subiectum esse dixerunt, nempe corpus generationi & interitui obnoxium, hoc moti argumento: illud est subiectum totius scientiæ naturalis, cuius principia in primo Physicorum libro quæruntur; at quæruntur ibi principia rerum tantùm caducarum, teste Aristotele in contextu 68. eius libri; ergo hæ solæ sunt subiectum; quare cœlũ iuxta horum opinionem non consideratur à naturali vt species subiecti, sed vt subiecti principium. Alij verò nec cœlum, nec elementa sub subiecto scientiæ naturalis contineri existimârunt, sed subiectum statuerunt corpus naturale mistum, cuius & cœlum, & elementa principia sunt: videntur hi eodem fermè argumento moti in hanc sententiam venisse, elementa enim, & cœlum eiusdem ordinis videntur,

Nonnullorum opinio.

Argumentũ illorum.

Alia opinio.

videntur, & vt eiusdem ordinis corpora ab Aristotele considerari, nam in libris de Cælo æquè considerantur vt simplicia corpora, è quibus mūdus constat, deinde in libris de Ortu, & interitu æquè vt principia mistorum, cœlū vt efficiens, elementa verò vt materia; quare si cœlum in scientia naturali vt principiū consideratur, elementa quoque vt principia subiecti considerari dicendū est. Quum autem hi rem cōsideratam dixerint esse alij corpus naturale caducum, alij corpus naturale mistum, in modo tamen considerandi consenserunt, dicentes illud considerari quatenus mobile, hoc est, quatenus habens in se principiū motus. *Confutatio vtriusq; opinionis.* Sed errarunt vtriq; in vtrisq; in re quidē considerata, quoniam si cœlum & elementa non cognoscuntur à naturali Philosopho, nisi vt principia, scientia naturalis māca & imperfecta est: res enim naturales eo modo sunt cognoscendæ, quo sunt, & quem locum habent in natura, eundem habere in nostra cognitione debent; atqui in natura non solùm sunt principia aliorum, sed sunt etiam absolutè naturalia corpora sine vllo aliorum respectu, & per se existunt, nec minùs etiam destructis omnibus mistis existerent: sunt igitur cognoscenda à Philosopho naturali, tum vt aliorum principia, tum secundùm se vt naturalia corpora, proinde vt species subiecti: idq; expressè notatum ab Aueiroë legimus in primo & vltimo Commentario tertij libri de Cœlo, vbi dicit perfectam simplicium corporum notitiam in his duabus tractationibus esse constitutam; *Simplicium corporum tractatio duplex.* vna, qua considerantur, vt naturalia corpora, & vt subiectum, qua ratione tractantur in quatuor libris de Cœlo; altera, qua considerantur vt aliorum principia, qualis est eorum tractatio in libris de Generatione. Sed quis nō videat huius dogmatis absurditatem? tractari enim vt principia, est tractari aliorum gratia, hoc autem de cœlesti saltem corpore absurdissimum est, id enim dicere propter alia existere nefas est, existit enim præcipuè propter se, secundariò autem propter alia; est igitur etiam per se cognoscendum, attamen à nullo per se cognosceretur, nisi dicamus, à Philosopho naturali, nulla namque alia scientia est, in qua cœlum vt naturale corpus consideretur, aut considerari possit. Patet autem ea considerantibus, quæ ab Aristotele in libris de Cœlo dicuntur, competere omnia ijs corporibus per se, & absolutè sine vllo mistorum respectu; & propria ipsorum accidentia ibi de ipsis demonstrantur tanquā de subiecto: quare dubitandum minimè est, illa corpora in libro de Cœlo vt subiectum considerari. Peccarunt etiam hi in modo considerandi, quem talem adiecerunt, vt propriam ipsorum sententiam euerterint: dicentes enim subiectum esse corpus caducum, vel corpus mistum quatenus mobile, dicunt omne mobile esse subiectum, cuicunq; enim competit esse mobile,

A seu habere in se principium motus, illud necesse est, ipsis etiam confitentibus, esse subiectum philosophiæ naturalis: non sola igitur mista corpora, neq; sola caduca, sed etiam elementa, & cœlum in scientia naturali habēt locum subiecti, quum sint per se mobilia corpora, & habeant singula in se ipsis principium proprij motus naturalis. Hunc igitur errorem in adijciendo modo considerandi cōmittunt, quòd ipsum ampliorem ponunt re considerata; B sic enim pugnantia dicunt, & eadem simul affirmant, & negant; nam cœlum, aut etiam elementa negant in scientia naturali habere locum subiecti, idq; postea affirmant, dum dicunt modum considerandi esse quatenus habens in se principium motus, sic enim dicūt, omne habens principium motus esse subiectum scientiæ naturalis. *Ad argumentum responsio aliorum.* Ad argumentum aūt istorum, quod ex tractatione primi libri Physicorum sumebatur, videntur alij ita concorC diter respondere, principia, de quibus in primo libro Physicorum agitur, propriè sumpta non competunt nisi rebus caducis, at impropriè, & proportione quadam cœlo quoq; accommodari possunt ratione motus localis, in quo tria illa notare possumus, subiectum, & duos contrarios terminos, nempe à quo, & ad quem. *Responsionis confutatio.* Sed hæc communis responsio meo quidem iudicio vera non est: nam materia & forma considerantur ab Aristotele tum in priD mo; tum in secundo libro Physicorum, diuersis tamen modis, *Materiæ & formæ consideratio duplex.* in primo vt principia generationis corporis naturalis, in secundo vt principia motus & quietis, secundùm quam considerationem competit eis nomen naturæ. Quòd igitur cœlo aptari eadem principia possint, concedendum est, prout considerantur in secundo libro, sed non prout considerātur in primo; nam sicuti in inferioribus corporibus dicimus formam esse propriam naturam vniE uscuiusq;, & principiū proprij motus naturalis, ita in Cœlo est propria natura, quæ est proprij motus principiū, & proportione respondet formæ, quæ in corporib. caducis est principiū motus, ob id definitio naturæ est communis omnibus naturalibus corporibus, tam caducis, quàm æternis. At in primo libro considerantur eadem principia, respectu ipsiusmet naturalis corporis, nempe vt principia, ex quibus naturale corpus generatur, & constat, quæ F consideratio non potest aptari Cœlo, quia Cœlum apud Aristotelem ex his principijs genitum non est, neque ex ijs constat; ideoq; Aristoteles in contextu 68. eius libri apertè dicit se de principijs loqui rerum tantummodò naturalium, quæ generationi & interitui obnoxiæ sunt. Quòd verò dicunt eadem principia posse Cœlo accommodari respectu motus localis, nihil est, siquidem non ea considerat Aristoteles in primo libro vt principia motus, sed vt principia corporis naturalis; quæ consideratio nullum habet locum in

Cœlo; immò neque concedendum est esse eadem principia accommodari motui locali, prout in primo libro considerantur, siquidem aliud est moueri, aliud est generari, & fieri: est enim motus à positiuo in positiuum, generatio verò à priuatiuo in positiuum; ideò alij motus præter localem possunt diuersis modis & motus, & generationes vocari, vt aquæ calefactio dicitur motus alterationis, quatenus est à frigido in calidum, dicitur etiam generatio, quatenus est calidi ex non calido; sed motus localis non recipit appellationem generationis, nisi admodum impropriè: nec dicere solemus id, quod loco mouetur, generari, vel fieri, nisi maximè impropriè; licèt Aristoteles in contextu 24. libri 8. Physic. hunc loquendi modum disputandi tantùm gratia, & ad conuincendum magis aduersariorum errorem vsurpauerit: ratioque huius est, quoniam generari, ac fieri propriè dicitur, quando acquiritur forma aliqua inhærens illi, quod mutatur, eaque esse non potest nisi in vna trium categoriarum, nempe substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, hę namque solæ sunt res absolutæ, quæ possunt appellari formæ; at locus est res externa, quæ nō potest vocari forma rei motæ, à qua possit motus vocari generatio; id verò, quod vocamus Vbi, respectum habet ad locum externum, nec est verè absolutum, quod possit vocari forma; ob id Latini motum, qui est ad locum, ab alijs omnibus distinguere solent, tanquam à motibus ad formam. Quoniam igitur principia in primo Physicorum ea ratione considerantur, quatenus sunt principia, ex quibus aliquid generatur, & fit, idque manifestum est in definitione primæ materiæ, & in toto ferè eo primo libro, vanissimum est id, quod illi dicunt, ea posse accommodari motui locali; eaque fuit causa, cur videamus Aristotelem aliarum omnium mutationum, tam substantialium, quàm accidentalium exempla tulisse in illo libro, easque omnes considerasse; de motu autem locali ne verbum quidem fecisse, nec vllum vnquam eius exemplum attulisse in declarandis tum principijs contrarijs, tum subiecta materia. Maximè autem attestatur huic veritati in contextu 63. eius libri, vbi perfectam faciens enumerationē omniū, quæ dicantur fieri siue secundùm substantiam, siue secundùm accidentia, vt perfecta inductione colligat hanc vniuersalem; in omnibus, quæ fiunt, necessaria est subiecta materia, omnes mutationes recenset, tum substantiales, tum accidentales, & tum ab arte, tum à natura factas, sola tamen excepta mutatione secundùm locum, cuius nullam facit mentionem, quoniam illi non conuenit verbum, fieri, seu generari. Patet igitur communem hanc solutionem falsam esse, proinde argumentum non esse solutum. Vera huius argumenti solutio postea manifesta erit, quum de ordine librorum, ac primi libri Physicorum cum secundo connexione loquemur, nunc breuiter dicimus id non posse negari, in illo primo libro agi de principijs corruptibilium tantùm, sed negandam esse illam maiorem; illud est subiectum, cuius principia in primo Physicorum libro considerantur: puto enim cum Auerroë verum initium totius naturalis philosophiæ sumendum esse a secundo libro Physicorum; primum verò fuisse antepositum propter nostram faciliorem cognitionem, non quòd re vera ad eos libros pertinuerit. Itaque ad cognoscendum generale subiectum totius scientiæ naturalis spectare debemus, quid in septem libris Physicæ auscultationis agatur, nō quid in primo; in illis autem septem manifestum est agi de communibus, quæ similiter competunt omnibus naturalibus corporibus, tam caducis, quàm æternis, secundùm quandam analogiam, definitio naturæ, & habentis naturam competit etiam cœlesti corpori; tractatio de motu, motum quoq; Cœli complectitur; de loco agens Aristoteles in quarto libro docet etiam, quomodo Cœlum sit in loco; tractatio autem de tempore magis etiam ad Cœlum pertinere videtur, quàm ad alia, siquidem tempus est numerus, & affectio motus solius cœlestis; æternus verò motus, qui in octauo libro declaratus, vel est motus generaliter acceptus, vt multi dicunt, sub quo etiam Cœli motus (quod negare fatuum esset) contineatur; vel est solus cœlestis motus, non quidem vt proprius Cœli, sed vt motus vniuersi, qui omnes mótus continet, vt rectiùs putauit Auerroes. Omnia igitur, quæ in ijs septem libris tractantur, sunt communia cunctis naturalibus corporibus, eo modo, quo communia esse possunt, nam corpus naturale latè acceptum non est vniuocum genus, quod vnius naturæ sit, quò fit, vt quæ in inferioribus corporibus communia cum Cœlo esse videntur, non secundùm eandem rationem eis comperant, sed similitudine quadam, & analogia. Ex illorum igitur septem librorum consideratione efficacius argumentum sumitur, quàm ex primo, ad ostendendum quòd corpus naturale complectens omnia & cœlestia, & inferiora corpora, sit commune subiectum totius scientiæ naturalis.

Alind est moueri, aliud fieri.

Nota quis motus possit vocari generatio.

Responsio propria.

Secundus Physic. est initiū philosophiæ naturalis, infrà cap. 9.

Corpus naturale non est vniuocū, infrà cap. 10.

Definitio ac partitio Scientiæ naturalis. Cap. VI.

Quoniam tota scientiæ naturæ à proprio subiecto pendet, cognito subiecto philosophiæ naturalis, facile est eius definitionem ex ijs, quæ dicta sunt, colligere: dicimus igitur philosophiam naturalem esse scientiam contemplatiuam, quæ naturalium corporum, quatenus principium motus in se habent, perfectam cognitionem tradit; perfectā autē subiecti cognitio, quum sit

In lib. de Tribus præcogn. sit finis cuiusque scientiæ speculatiuę, in duobus consistit, vt alibi declarauimus, in principiorum & accidentium illius subiecti cognitione: quare naturalis scientiæ scopus nullus alius est, quàm cognoscere principia corporum naturalium, & eorundem accidentia per suas causas. Ex hac definitione haurire possumus veram totius scientiæ diuisionem in partes præcipuas, & aliorum errores in ea partienda deprehendere. Multos audiui hac *De diuisione opinio aliorum.* primùm diuisione vtentes: actum Philosophus naturalis de naturalibus corporibus, eorum principia in primis cognoscere debuit; quoniam enim ex principiorum notitia cognitio aliorum pendet, debet quisque alicuius rei cognitionem indagaturus, ante omnia nosse eius principia; scientia igitur naturalis in duas principes partes diuiditur; vnam priorem, quæ est de principijs corporum naturalium, eaque octo Physicæ auscultationis libris continetur; alteram posteriorem, in qua agitur de corporibus ipsis naturalibus, quorum illa principia sunt, eaque continet reliquos omnes libros naturales, quorum pri*Ratio opinionis prædictæ.*mus est liber de Cœlo. Diuisionem hanc ex ipsius Aristotelis verbis desumunt, nam in initio Physicorum inquit, se primo loco actuarum esse de principijs rerum naturalium, in initio autem libri primi de Cœlo asserit, se tunc primùm naturalium corporum tractationem aggressurum; octo igitur libros Physicæ auscultationis nullum aliud dicunt habere subiectum, nisi principia corporis naturalis, cum quibus coniuncta esse debuit tractatio de eiusdem communibus accidentibus; ipsum autem corpus naturale non in illis, sed in alijs sequentibus libris subiectum esse, eiusque tractationem incipere à primo *Confutatio.* libro de Cœlo. Hanc sententiam ego aliàs, quum philosophiam publicè interpretari cœpi, satis inter nostrorum temporum Philosophos vulgatam, ab ijsque receptam, atq; defensam inueni; probare tamē eam nunquam potui, quia puto absonam esse rationi & doctrinæ Aristotelis Posterioristicæ, propterea semper illam efficaciter impugnaui; nunc verò pauca aduersus eam dicere satis erit, tum *Lib. 3. de Method. cap. 16. et lib. de Præcogn. cap. 5. 6. 7.* quòd satis multa à me dicta sunt in operibus logicis, tum etiam quòd audio desertam nūc esse à pluribus, qui quum anteà ipsius defensores extiterint, in veriorem sententiam, de qua mox dicemus, postea venerunt, ita vt pluribus in eam inuehi nullum operæ pretium fore videatur. Itaque nunc paucis agentes *1. Ratio.* dicimus, non posse de subiecto aliquo agi, nisi agendo de principijs, vel de accidentibus eius, nam in his tantùm duobus tota scientia versatur: absonum igitur est rationi, quòd dicatur agi priùs de principijs corporis naturalis, postea verò in alijs libris de ipso naturali corpore, sed ipsamet de principijs tractatio *2. Ratio.* est tractatio de corpore naturali. Sed vt

A hoc etiam eis condonemus, quid de accidentibus dicemus? in his enim vti non possunt ea ratione, qua de principijs vtebantur: non est enim necessarium agere priùs de accidentibus rei, quàm de ipsa re agatur, immò potiùs vanissimum est talem tractationem moliri, siquidem accidentia sunt naturâ posteriora subiecto, nec possumus ad eorum demonstrationem accedere, nisi subiecto iam cognito. absurdum igitur est id, quod illi di-B cunt, agi priùs in libris Physicorum de communibus accidētibus corporum naturalium, postea verò in alijs libris agi de ipsis corporibus naturalibus. Præterea docuit Aristoteles *3. Ratio.* in primo libro Posteriorum, accidentia propria generis non esse speciebus attribuenda, sed ipsimet communi generi, sin minùs, sophisticam tradi cognitionem; atque accidentia, & principia, quæ in libris Physicæ auscultationis tractantur, communia sunt, & com-C petunt omni corpori naturali: in libris autem de Cœlo, & alijs omnibus sequentibus, non agitur de corpore naturali genere, sed separatim de speciebus eius singulis: ergo si illis attribuit Aristoteles accidentia, quæ in libris Physicæ auscultationis tractantur, sophisticè tradit cognitionem accidentium naturalium; tangitur autem ratio hæc ab Auerroë in sua Præfatione in primum librum Physicorum. Hac igitur opinione reiecta, ego puto acci-D piendam esse Auerrois in dicto loco, & Latinorum cōmunem sententiam, qui putārunt tractationem de corpore naturali distingui debuisse in duas partes præcipuas; quum enim corpus naturale cognoscendum proponatur, tum secundùm communem rationem, quatenus genus quoddam est latissimè patens; tum etiam secundùm proprias singulatum specierum rationes; & ordine doctrinæ sit priùs de genere agendum, quàm de speci-E bus; oportuit scientiam naturalem in duas partes diuidi; in partem communem, quæ de ipso genere sit, primumque in scientia locum occupet, & partem propriam, siue particularem, in qua de singulis speciebus tractatio sit; pars igitur communis continetur octo libris Physicæ auscultationis, in qua docet Aristoteles ea, quæ omni corpori naturali communiter competunt: altera verò poste-*Vera diuisio scientiæ naturalis.* rior pars continet reliquos omnes libros na-F turales, qui propter specierum multitudinem, ac diuersitatem plurimi, atque distincti sunt, quorum diuisio & ordo in sequentibus declarabitur. Nulla igitur dissensio est in partibus huius diuisionis, quum omnes consentiant duas esse primas huius scientiæ partes, & vnam contineri octo libris Physicæ auscultationis, alteram verò reliquis omnibus; sed in ratione partitionis tota controuersia posita est, alij namque dicebant, priorem partem esse debuisse de principijs corporis naturalis, posteriorem verò de ipsismet corporibus na-

turalibus. Nos verò cum Auerroë, & Latinis dicimus priorem partem esse debuisse de ipso communi genere corpore naturali, posteriorem verò de ipsius speciebus; cuius partitionis mentionem fecit Auerroes etiam in initio suæ Epitomes primi libri de Cœlo, & in initio primi Meteorologicorum. Talemque etiam artis Logicæ partitionem apud eundem legimus in sua Præfatione in primum librum Posteriorum, eamque nos in Logicis libris nostris declarauimus.

In initio 1. libri de Natur. Logic.

De subiecto librorum Physicæ auscultationis. Cap. VII.

Ex his, quæ modò diximus, patet eandem esse disputationem de prima librorum naturalium partitione, ac de subiecto octo librorum Physicæ auscultationis; illi enim, qui primam huius scientiæ partem dicunt esse de principijs corporum naturalium, dicunt etiam nullum aliud in ea parte subiectum esse statuendum, nisi ipsa principia; cuius opinionis falsitatem iam demonstrauimus. Nos verò cum Latinis dicimus illud idem, quod in tota scientia subiectum esse dicatur, in his quoque octo libris subiectum esse statuendum, ita vt, quum tota scientia subiectum habeat corpus naturale, hoc idem in sua maxima amplitudine consideratum in his octo libris subiectum esse dicatur. Aduersus quam sententiam vanissima est obiectio Vicomercati, qui dicit, idem ergo erit subiectum totius scientiæ & partis, siquidem tota scientia subiectum habet corpus naturam habens, & liber Physicorum similiter habet subiectum corpus naturam habens, quod quidem (inquit) est frustra multiplicare corpus naturam habens. Sed huius obiectionis solutio facilè ex ijs, quæ dicta sunt, colligitur; nam corpus naturam habens tribus modis accipi potest; vno modo pro ipso solo communi genere, absque specierum consideratione; secundo modo pro sola omnium specierum collectione; videntur enim simul sumptæ omnes æquipollere generi; tertio pro ambobus simul, pro communi genere cum tota specierum suarum collectione. Dicimus igitur corpus naturale primo modo acceptum, subiectum esse in solis octo libris Physicæ auscultationis: secundo autem modo in reliquis omnibus libris, præter prædictos; tertio demum in tota scientia, quæ continet & octo Physicos, & alios omnes; non est igitur idem subiectum totius scientiæ & partis, quum non eodem modo consideratum ponatur subiectum in octo Physicis, atque in scientia tota; immò necessarium omnino fuit his modis naturalia corpora considerare, ad scientiæ huius perfectionem & integritatem; nam si secundùm proprias tantùm rationes, quibus dissident, naturalia corpora cognoscerentur,

Aliorum opinio.

Opinio vera.

Obiectio Vicomercati.

Solutio.

Corporis naturalis triplex acceptio.

A imperfecta cognitio esset, quia cognoscenda etiam sunt secundùm communem rationem generis, in quo conueniunt; quæ namque generi comperunt, non sunt de speciebus demonstranda, sed de ipso communi genere: & è conuerso imperfecta fuisset sola generis cognitio sine cognitione specierum; confusa namque & rudis fuisset rerum naturalium cognitio ratione tantùm communi, in qua conueniunt, ignoratis proprijs singularum naturis & proprietatibus. Vtraque autem consi-B deratione disciplina naturalis perfecta, & integra redditur: nec ob id fit, vt totius scientiæ naturalis non vnum sit subiectum: quamuis enim plurimæ sint naturalis corporis species, tamen sat est generis, sub quo omnes colliguntur, vnitas ad subiecti, & scientiæ vnitatem constituendam. Magis autem videntur aduersarij hac difficultate vrgeri, dum dicunt non agi de corpore naturali, nisi in libris C de Cœlo, & alijs sequentibus; quum enim in nullo eorum librorum agatur de communi genere, quod vnum est, sed de speciebus, quæ sunt quàm plurimæ, non satis tueri possunt huius disciplinæ vnitatem; immò & mancam, atque imperfectam eam reddunt, dum eam tractatione communis generis destitutam esse volunt. Eorum autem ratio, quam initiò adduximus, nullius est momenti, & fusiùs soluta à nobis est in operibus Logicis: quum e-D nim subiecto cuiusq; scientiæ constituto statim oriatur duplex authoris consilium, siue intentio, nempe agendi de principijs, ac de affectionibus eiusdem subiecti, quo fit, vt agere de principijs, vel de affectionibus rei sit in illa re versari vt in subiecto; certè sententiam nostram confirmat potiùs, quàm infirmet dictum Aristotelis, quando inquit, agendum primo loco esse de principijs, sic enim oi aliud indicat, quàm scopum & intentio-E nem esse agere primùm de primis principijs: subiectum igitur est illud, cuius ea principia sunt; sunt autem principia corporis naturalis communis: hoc igitur est subiectum, quoniam huius principia quærunrur. Quòd verò in initio primi libri de Cœlo Aristoteles dicat scientiam naturalem versari in corporibus, non ob id afferit, se tunc primùm aggredi tractationem de corpore; sed significat se tunc primùm aggredi tractationem particu-F larem de singulis corporibus naturalibus, idq; dicit, vt occasionem sumat declarandi præstantiam vniuersi, de quo in eo libro locuturus erat.

Ratio vnitatis scientiæ naturalis.

Solutio rationis aduersariorum.

Lib. 2. de Method. cap. 16. et lib. de Praecogn. cap. 5. 6. 7.

Diuisio librorum Physicæ auscultationis. Cap. IIX.

Quoniam dictum est octo libros Physicæ auscultationis subiectũ habere corpus naturale amplissimè sumptum, & adhuc abiunctum à speciebus suppositis; subiecto autem alicuius scientiæ, seu libri constituto,

tuto, oritur duplex authoris intentio in eo libro, nempe agendi de principijs, & de accidentibus illius subiecti; necesse est duplex esse Aristotelis consilium in his octo libris, proinde eos prima diuisione diuidi in duas partes, in quarum vna priore agatur de principijs corporis naturalis; in altera verò posteriore de eiusdem proprijs accidentibus; in his enim duobus cõsistit perfecta tractatio de corpore naturali in genere, eaq; omnia & principia, & accidentia, si ipsius propria sunt, necesse est vt sint communia corporibus omnibus naturalibus. Huic horum librorum diuisioni in duas partes attestatur partitio illa trita & vulgata, quam apud Græcos interpretes legimus; horum enim octo librorum alios dixerunt esse de principijs, alios verò de motu, nominatione motus alia quoque naturalis corporis accidentia complectentes; certum est enim non de solo motu, sed etiam de loco, de tempore, de infinito, de continuo in his libris agi, eaque omnia accidentia in principio tertij libri ab Aristotele consideranda proponi; sed quia principem locum inter accidentia naturalia tenet motus, & plurimum de motu agitur in ijs libris, non absque ratione fit vt à parte & maxima, & præcipua, totam de communibus accidentibus tractationem appellemus de motu, probandaque est Græcorum interpretum appellatio, si modò ea, quam diximus, ratione vsi sunt. Sed quinam libri dicendi sint de principijs, & qui de motu, controuersia inter eosdem fuit, nam Simplicius, & Adrastus dixerunt quinque priores esse de principijs, tres verò posteriores de motu: Porphyrius autem, & Ioannes Grammaticus quatuor priores de principijs, quatuor posteriores de motu. Attamen plures recentiores in hac opinione, quæ verior est, consenserunt, quòd duo tantùm priores sint de principijs, reliqui autem sex de motu, alijsque accidentibus corporis naturalis. Hanc igitur declarantes, aliarum simul falsitatem detegemus; priùs quidem considerabimus, quid in primo libro, & quid in secundo agatur; postea quidem in alijs sex; quum enim hi octo libri sint de rebus communibus, videntur modo quodam totam scientiam naturalem sua virtute complecti, proinde digni sunt, in quorum structura declaranda diutiùs, quàm in plerisq; alijs, immoremur.

Simplicius. Adrastus. Porphyrius. Ioan. Grammat cus. Recentiorum opinio.

De primo libro Physicorum, & eius connexu cum secundo. Cap. IX.

Dubium de 1. lib. Phys.

Difficultatem primo loco facit primus liber, in quo de caducorum tantùm corporum principijs, vt antè diximus, agitur, non de principijs corporis naturalis vniuersè sumpti, de quibus potiùs agendum esse videbatur: siquidem de illius principijs agi oportet, quod libri subiectum est; atqui subiectum est non corpus caducum, sed corpus habens naturam, quod & caduca, & æterna corpora complectatur; adde quòd secundus liber, & alij sequentes sunt de rebus communibus, quæ ad cœlum quoque extenduntur, vt suprà ostendimus; quomodo igitur primum alijs anteponens Aristoteles particularem tractationem antepofuit vniuersali? Res hæc plena est difficultatis, quæ per aliorum responsionem, quam antea refutauimus, non tollitur; ego igitur non verebor propriam hac in re proferre sententiam, ad quam inueniendam excitârunt me Auerrois verba in calce postremi commentarij illius primi libri. Videtur enim Auerroes huiusce rei veritatem non ignorasse, aut saltem sub nube vidisse: ibi namque interpretans vltima illa Aristotelis verba [*rursus aliud principium capientes dicamus*] duas affert expositiones, sed in altera priore non acquiescens, quippe quæ manifestè vana & absurda est, alteram postea adducit, dicens, Aristot. intelligere aliud doctrinæ initium, quoniam reuera initium huius scientiæ sumendum est à secundo libro. Cuius quidem dicti nullam Auerroes rationẽ adducit, quà dignoscamus, num huiusce rei intima penetrauerit, dictum tamen verissimum est, & firmissimis nititur fundamentis, propterea quòd nullum est scientiæ naturalis conuenientius initium, quàm à definitione subiecti, & à declaratione huius nominis, Natura; idque Franciscus Vicomercatus, instar Caiphæ inscius confessus est in principio suorum commentariorum in illum secundum librum, dum inquit ita esse præclarum, & magnificum illud secundi libri initium, vt totius naturalis philosophiæ exordium esse quæat; enumerat enim ibi Aristoteles præcipuas naturalis corporis species, in quibus versaturus est, deinde statim naturæ nomen declarat, in quo tanquam in communi considerandi ratione illæ omnes conueniunt, sitq; vnum totius scientiæ subiectum corpus naturam habens. Quid igitur de primo libro dicemus? éstne ab eo loco alienus, & in eo perperam ab Aristotele positus? absit vt hoc dicamus, quum potiùs miro cum artificio sit ibi ab Aristotele ante secundum librum collocatus, ita vt sit verè primus liber Physicæ auscultationis, qui verò secundus dicitur, sit reuera secundus, & eum statim sequatur. Dicimus igitur duo esse initia scientiæ naturalis, vnum, quod ipsa secundùm se disciplina illa postulauit, alterum verò ob nostram meliorem cognitionem; ipsa quidem secundùm se scientia naturalis requirebat, vt à definitione subiecti exordium sumeretur, quemadmodum diximus; hac igitur ratione secundus liber est initium scientiæ naturalis, incipit enim ab enumeratione rerum naturalium, & à definitione corporis naturalis latissimè sumpti, quod & caduca, & æterna cor-

Solutio dubij.

Verũ initium scientiæ naturalis est 2. Physic.

Duo sunt initia scientiæ naturalis.

turalibus. Nos verò cum Auerroë, & Latinis dicimus priorem partem esse debuisse de ipso communi genere corpore naturali, posteriorem verò de ipsius speciebus; cuius partitionis mentionem fecit Auerroes etiam in initio suæ Epitomes primi libri de Cœlo, & in initio primi Meteorologicorum. Talemque etiam artis Logicæ partitionem apud eundem legimus in sua Præfatione in primum librum Posteriorum, eámque nos in Logicis libris nostris declarauimus.

In initio 1. libri de Natur. Logic.

De subiecto librorum Physicæ auscultationis. Cap. VII.

Ex his, quæ modò diximus, patet eandem esse disputationem de prima librorum naturalium partitione, ac de subiecto octo librorum Physicæ auscultationis; illi enim, qui primam huius scientiæ partem dicunt esse de principijs corporum naturalium, dicunt etiam nullum aliud in ea parte subiectum esse statuendum, nisi ipsa principia; cuius opinionis falsitatem iam demonstrauimus. Nos verò cum Latinis dicimus illud idem, quod in tota scientia subiectum esse dicatur, in his quoque octo libris subiectum esse statuendum, ita vt, quum tota scientia subiectum habeat corpus naturale, hoc idem in sua maxima amplitudine consideratum in his octo libris subiectum esse dicatur. Aduersus quam sententiam validissima est obiectio Vicomercati, qui dicit, idem ergo erit subiectum totius scientiæ & partis, siquidem tota scientia subiectum habet corpus naturam habens, & liber Physicorum similiter habet subiectum corpus naturam habens, quod quidem (inquit) est frustra multiplicare corpus naturam habens. Sed huius obiectionis solutio facilè ex ijs, quæ dicta sunt, colligitur; nam corpus naturam habens tribus modis accipi potest; vno modo pro ipso solo communi genere, absque specierum consideratione; secundo modo pro sola omnium specierum collectione; videntur enim simul sumptæ omnes æquipollere generi; tertio pro ambobus simul, pro communi genere cum tota specierum suarum collectione. Dicimus igitur corpus naturale primo modo acceptum, subiectum esse in solis octo libris Physicæ auscultationis: secundo autem modo in reliquis omnibus libris, præter prædictos; tertio demum in tota scientia, quæ continet & octo Physicos, & alios omnes; non est igitur idem subiectum totius scientiæ & partis, quum non eodem modo consideratum ponatur subiectum in octo Physicis, atque in scientia tota; immò necessarium omnino fuit his modis naturalia corpora considerare, ad scientiæ huius perfectionem & integritatem; nam si secundùm proprias tantùm rationes, quibus diffident, naturalia corpora cognoscerentur, imperfecta cognitio esset, quia cognoscenda etiam sunt secundùm communem rationem generis, in quo conueniunt; quæ namque generi competunt, non sunt de speciebus demonstranda, sed de ipso communi genere: & è conuerso imperfecta fuisset sola generis cognitio sine cognitione specierum; confusa namque & rudis fuisset rerum naturalium cognitio ratione tantùm communi, in qua conueniunt, ignoratis proprijs singularum naturis & proprietatibus. Vtraque autem consideratione disciplina naturalis perfecta, & integra redditur: nec ob id fit, vt totius scientiæ naturalis non vnum sit subiectum: quamuis enim plurimæ sint naturalis corporis species, tamen sat est generis, sub quo omnes colliguntur, vnitas ad subiecti, & scientiæ vnitatem constituendam. Magis autem videntur aduersarij hac difficultate vrgeri, dum dicunt non agi de corpore naturali, nisi in libris de Cœlo, & alijs sequentibus; quum enim in nullo eorum librorum agatur de communi genere, quod vnum est, sed de speciebus, quæ sunt quàm plurimæ, non satis tueri possunt huius disciplinæ vnitatem; imò & mancam, atque imperfectam eam reddunt, dum eam tractatione communis generis destitutam esse volunt. Eorum autem ratio, quam initiò adduximus, nullius est momenti, & fusiùs soluta à nobis est in operibus Logicis: quum enim subiecto cuiusq; scientiæ constituto statim oriatur duplex authoris consilium, siue intentio, nempe agendi de principijs, ac de affectionibus eiusdem subiecti, quo fit, vt agere de principijs, vel de affectionibus rei sit in illa re versari vt in subiecto; certè sententiam nostram confirmat potiùs, quàm infirmet dictum Aristotelis, quando inquit, agendum primo loco esse de principijs, sic enim nil aliud indicat, quàm scopum & intentionem esse agere primùm de primis principijs: subiectum igitur est illud, cuius ea principia sunt; sunt autem principia corporis naturalis communis: hoc igitur est subiectum, quoniam huius principia quæruntur. Quòd verò in initio primi libri de Cœlo Aristoteles dicat scientiam naturalem versari in corporibus, non ob id asserit, se tunc primùm aggredi tractationem de corpore; sed significat se tunc primùm aggredi tractationem particularem de singulis corporibus naturalibus, idq; dicit, vt occasionem sumat declarandi præstantiam vniuersi, de quo in eo libro locuturus erat.

Aliorum opinio.

Opinio vera.

Obiectio Vicomercati.

Solutio.

Corporis naturalis triplex acceptio.

Ratio vnitatis scientiæ naturalis.

Solutio rationis aduersariorum. Lib. 2. de Method. cap. 16. et lib. de Praecogn. cap. 5. 6. 7.

Diuisio librorum Physicæ auscultationis. Cap. IIX.

Quoniam dictum est octo libros Physicæ auscultationis subiectũ habere corpus naturale amplissimè sumptum, & adhuc abiunctum à speciebus suppositis; subiecto autem alicuius scientiæ, seu libri consti-

tuto,

tuto, oritur duplex authoris intentio in eo libro, nempe agendi de principijs, & de accidentibus illius subiecti; necesse est duplex esse Aristotelis consilium in his octo libris, proinde eos prima diuisione diuidi in duas partes, in quarum vna priore agatur de principijs corporis naturalis; in altera verò posteriore de eiusdem proprijs accidentibus; in his enim duobus cõsistit perfecta tractatio de corpore naturali in genere, eaq; omnia & principia, & accidentia, si ipsius propria sunt, necesse est vt sint communia corporibus omnibus naturalibus. Huic horum librorum diuisioni in duas partes attestatur partitio illa trita & vulgata, quam apud Græcos interpretes legimus; horum enim octo librorum alios dixerunt esse de principijs, alios verò de motu, nominatione motus alia quoque naturalis corporis accidentia complectentes; certum est enim non de solo motu, sed etiam de loco, de tempore, de infinito, de continuo in his libris agi, eaque omnia accidentia in principio tertij libri ab Aristotele consideranda proponi; sed quia principem locum inter accidentia naturalia tenet motus, & plurimum de motu agitur in ijs libris, non absque ratione fit vt à parte & maxima, & præcipua, totam de communibus accidentibus tractationem appellemus de motu, probandaque est Græcorum interpretum appellatio, si modò ea, quam diximus, ratione vsi sunt. Sed quinam libri dicendi sint de principijs, & qui de motu, controuersia inter eosdem fuit, nam Simplicius, & Adrastus dixerunt quinque priores esse de principijs, tres verò posteriores de motu: Porphyrius autem, & Ioannes Grammaticus quatuor priores de principijs, quatuor posteriores de motu. Attamen plures recentiores in hac opinione, quæ verior est, consentiunt, quòd duo tantùm priores sint de principijs, reliqui autem sex de motu, alijsque accidentibus corporis naturalis. Hanc igitur declarantes, aliarum simul falsitatem detegemus; priùs quidem considerabimus, quid in primo libro, & quid in secundo agatur; postea quidem in alijs sex; quum enim hi octo libri sint de rebus communibus, videntur modo quodam totam scientiam naturalem sua virtute complecti, proinde digni sunt, in quorum structura declaranda diutiùs, quàm in plerisq; alijs, immoremur.

Simplicius. Adrastus. Porphyrius. Ioan. Grammaticus. Recentiorum opinio.

De primo libro Physicorum, & eius connexu cum secundo. Cap. IX.

Dubium de 1. lib. Phys.

Difficultatem primo loco facit primus liber, in quo de caducorum tantùm corporum principijs, vt antè diximus, agitur, non de principijs corporis naturalis vniuersè sumpti, de quibus potiùs agendum esse videbatur: siquidem de illius principijs agi oportet, quod libri subiectum est; atqui

A subiectum est non corpus caducum, sed corpus habens naturam, quod & caduca, & æterna corpora complectatur; adde quòd secundus liber, & alij sequentes sunt de rebus communibus, quæ ad cœlum quoque extenduntur, vt suprà ostendimus; quomodo igitur primum alijs anteponens Aristoteles particularem tractationem anteposuit vniuersali? Res hæc plena est difficultatis, quæ per aliorum responsionem, quam antea refutauimus, B non tollitur; ego igitur non verebor propriam hac in re proferre sententiam, ad quam inueniendam excitârunt me Auerrois verba in calce postremi commentarij illius primi libri. Videtur enim Auerroes huiusce rei veritatem non ignorasse, aut saltem sub nube vidisse: ibi namque interpretans vltima illa Aristotelis verba [*rursus aliud principium capientes dicamus*] duas affert expositiones, sed in altera priore non acquiescens, C quippe quæ manifestè vana & absurda est, alteram postea adducit, dicens, Aristot. intelligere aliud doctrinæ initium, quoniam reuera initium huius scientiæ sumitur à secundo libro. Cuius quidem dicti nullam Auerroes rationẽ adducit, qua dignoscamus, num huiusce rei intima penetrauerit, dictum tamen verissimum est, & firmissimis nititur fundamentis, propterea quòd nullum est scientiæ naturalis conuenientius initium, quàm à D definitione subiecti, & à declaratione huius nominis, Natura; idque Franciscus Vicomercatus, instar Caiphæ inscius confessus est in principio suorum commentariorum in illum secundum librum, dum inquit ita esse præclarum, & magnificum illud secundi libri initium, vt totius naturalis philosophiæ exordium esse queat; enumerat enim ibi Aristoteles præcipuas naturalis corporis species, in quibus versaturus est, deinde statim naturæ E nomen declarat, in quo tanquam in communi considerandi ratione illæ omnes conueniunt, fitq; vnum totius scientiæ subiectum corpus naturam habens. Quid igitur de primo libro dicemus? éstne ab eo loco alienus, & in eo perperam ab Aristotele positus? absit vt hoc dicamus, quum potiùs miro cum artificio sit ibi ab Aristotele ante secundum librum collocatus, ita vt sit verè primus liber Physicæ auscultationis, qui verò secundus dicitur, F sit reuera secundus, & cum statim sequatur. Dicimus igitur duo esse initia scientiæ naturalis, vnum, quod ipsa secundùm se disciplina illa postulauit, alterum verò ob nostram meliorem cognitionem; ipsa quidem secundùm se scientia naturalis requirebat, vt à definitione subiecti exordium sumeretur, quemadmodum diximus; hac igitur ratione secundus liber est initium scientiæ naturalis, incipit enim ab enumeratione rerum naturalium, & à definitione corporis naturalis latissimè sumpti, quod & caduca, & æterna cor-

Solutio dubij.

Verũ initium scientiæ naturalis est 2. Physic.

Duo sunt initia scientiæ naturalis.

pora complectatur; huius autem ita accepti, nulla erant eſſendi principia, ideò nulla eiuſmodi principia tractari potuerunt, ſed principia tantùm cognitionis, vt mox declarabimus, inter quæ principem locum tenet declaratio nominis Natura. Sed propter noſtram meliorem cognitionem coactus eſt Ariſtoteles primum librum anteponere, & ab eo totam ſcientiam auſpicari, idque duas ob cauſas, vna, eaque præcipua, fuit propter cognoſcendam naturam; ad intelligendum enim quid ſit naturam habens, non modo intelligere oportebat quid ſit natura, ſed etiã quænam ſit, nec ſatis erat cognoſcere naturam eſſe principium motus inſitum ipſi naturali corpori, ſed noſcendum etiam erat, quodnam ſit illud, quod in phyſico corpore inexiſtens, dicatur principium naturalis motus in eo; ob id Ariſtoteles ſtatim poſt declarationem naturæ, & habentis naturam, diſputationem aggreditur, an hoc principium motus ſit materia, vt priſci Philoſophi voluerunt, an forma, vt ipſe Ariſtoteles exiſtimauit; neceſſarium igitur omnino erat nouiſſe priùs naturalia corpora ex materia, & forma conſtare, quod quidem ex primo libro cognouimus, vt poſſemus intelligere naturam, quæ eſt principium motus, formam potius eſſe, quàm materiam; alioqui non opus erat ab illis principijs auſpicari, quum manifeſtum ſit ea non eſſe naturalis corporis principia vniuersè ſumpti, ſed generationis, & generabilis corporis tantummodò, quò ſit vt ad libros potius de generatione, & interitu, eorum conſideratio pertinuerit; idque in illorum librorum exordio Ariſtoteles ipſe teſtatur: proponit enim conſiderandas cauſas generationis, & interitus communiter omnium, quæ naturâ generantur, & intereunt, hæ autem non ſunt niſi illæ eædem cauſæ, quæ furè in primo Phyſicorum conſideratæ fuerant, de quibus iterum loquitur, ſed ſtrictiùs in primo de Generatione; horum igitur generationis principiorum tractationem Ariſtoteles in primo Phyſicæ auſcultationis anticipauit propter noſtram cognitionem. Adde & alteram huius ordinis tractationem, quæ ipſa quidem per ſe fortaſſe Ariſtotelem non mouiſſet; ſed alteri priori adiecta aliquid potuit afferre momenti; nam ſi antiquos Philoſophos ſpectemus, prima generationis principia apud eos omnium naturalium corporum, nullo excepto, principia erant, ſiquidem cœlum ex iiſdem principijs, e quibus cætera corpora conſtare arbitrabantur. Quoniam igitur illud certum, ſtatutumque eſt, ſi naturale corpus vniuersè ſumptum, communia ſuæ conſtitutionis principia habuiſſet, ab ijs omnino auſpicandum fuiſſe, Ariſtoteles qui nondum docuerat cœlum eſſe corpus æternum, nullaque habere generationis principia, nulla vti poterat excuſatione, cur à primis generationis

Prior ratio cur à 1. Phyſ. incipere oporteat.

Poſterior ratio.

A principijs ordiretur; ab his ergo voluit incipere in primo libro Phyſicæ auſcultationis, & ijs quidem vt principijs generabilium, non ita tamen vt conſtitueret aliqua naturalia corpora non eſſe generabilia, quum potius è contrario ſuſpicari deberemus omnia eſſe generabilia, ſiquidem extabant aliorum ſententiæ, qui dicebant, cœlum non minùs, quàm reliqua corpora, generationi & interitui obnoxium eſſe. Ob id ex profeſſo ab horum
B principiorum tractatione auſpicatur Ariſtoteles in primo Phyſicorum, eamque in Proœmio illius libri proponit, eaque vtitur ratione, quòd ex principiorum notitia omnis aliorum cognitio pendet; quæ ratio de omnibus naturalibus corporibus intelligenda eſt, ſi omnia ſunt generabilia, non de omnibus autem, ſi non omnia, hoc autem iam diximus nondum eſſe ab Ariſtotele declaratum. Sed tueri etiam fortaſſis abſolutè poſſumus, ad o-
C mnium proſus rerum naturalium notitiam cõferre illorum principiorum cognitionem, quatenus illorum principiorum cognitio neceſſaria erat ad cognoſcendam naturam, quæ in ſecundo libro declaranda erat, vt communis cœlo, & inferioribus corporibus, vt antea dicebamus.

Quòd corpus naturale non ſit commune vniuocum, ſed analogum.

Cap. X.

D Sed dignum conſideratione hîc eſt id, de quo multi dubitârunt: quum enim corpus naturale latè ſumptum non ſit vniuocum, ſed analogum, id autem vocari ſoleat analogum, quod multa cõtineat ordine quodam, vnum priùs, alterum verò poſteriùs, dubium eſt, de quonam corpore dicatur priùs, & de quo poſteriùs, num priùs de cœlo, poſteriùs de caducis corporibus, an è conuerſo. Vi-
E detur quidem multis, Cœlo priùs competere naturam, & nomen corporis naturalis, deinde verò inferioribus corporibus, quoniam Cœlum & nobiliſſimum omnium corporum eſt, & aliorum cauſa: quare videtur primum inter naturalia corpora locum ſibi vendicare. Hæc tamen ſententia mihi quidem ſemper dubia viſa eſt, nam ſi Cœlum propter ſuam nobilitatem eſſet magis naturale corpus, quàm corpora caduca, oporteret eadem ratione ho-
F minem magis, quàm lapidem, eſſe corpus naturale, & magis, quàm aſinum, eſſe animal, quod tamen dicendum non eſt; quemadmodum enim ſpecies generis vniuoci ſunt aliæ alijs nobiliores, per id tamen non ſtat, quin participatione generis ſint æquales; ſic etiam hîc dicẽdum videtur, Cœlum ſecundùm propriam rationem eſſe alijs corporib. nobilius, nec ob id fieri vt ſit magis, quàm alia, naturale corpus, quum poſſit eſſe nobilius, & æquè naturale, ac illa, aut etiam minùs, quam illa. Si verò quia eſt cauſa aliorum, eſſet magis naturale

Confutatio.

turale corpus, oporteret elementa magis esse naturalia, quàm mista, & magis hominem generantem, quàm hominem genitum, quod tamen dicere non possumus: quamuis enim filius sit à patre genitus, non est tamen homo à patre, sed à sua forma, hæc enim sola est æquara ratio humanitatis: ita etiam elementa sunt causæ mistorum, non tamen hac ratione habent mista naturam, quòd ex elemētis constent, sed quia formam suam habent, quæ verè est natura; nam etiam anima est natura, & principium motus, & est forma addita formis elementorum: sic etiam dicendum est, Cœlum esse causam effectricem inferiorum corporum, hæc tamen singula non ea ratione dici naturalia, quòd à cœlo sint genita, sed per proprias formas; singulum igitur naturale corpus per seipsum habere naturam dicitur, non per aliud, licet vnum alterius causa dici possit. Ego puto ad huiusce rei declarationem necessarium esse intelligere quid sit id, quod solet vocari analogum, nam opinantur multi, analogum esse id, quod ab Aristotele in principio 4. Metaphys. vocatur ab vno, siue ad vnum; decipiuntur tamen, quia in ijs, quæ ab vno, seu ad vnum dicuntur, est pendentia necessaria aliorũ ab vno, quatenus talia sunt: accidentia namq; ea ratione sunt entia, quatenus inhærent substantiæ, quæ primariò dicitur ens; & sana omnia ideò dicuntur sana, quia referuntur ad corporis sanitatem, quæ finis est: at vnum analogia nil aliud est, quàm vnum proportione, etiamsi nulla sit pendentia aliorum ab vno. Huius exempla plura legimus apud Aristotelem in libris de Animalibus; vt membrum illud, quod in animali principium, & fons vitæ est, vnum est analogia, non enim id in omnibus est cor, sed vel cor, vel quid cordi proportione respondens, nam in animalibus sanguineis est cor, in alijs verò, quæ sanguine carent, est quiddam aliud, quod in ijs eo munere fungitur, quo in sanguineis cor; de præcipuo itaque membro loqui possumus, tanquā de vno per analogiam, nulla tamen est pendentia inter illa, quæ sub hoc communi continentur, neque enim proportionali cordi in carentibus sanguine ideò suo munere fungitur, quia pendeat à corde sanguineorum, neque cor ab illo pendet, sed solùm habent quandam conuenientiam virium, seu muneris, qua dicuntur idem esse secundùm analogiam: legimus etiā aliud exemplum manifestum apud Aristotelem in contextu 87. secundi Posteriorum, vbi dicit idem esse officium ossis in animali habēte os, quod spinæ in pisce, & sæpei in sepia, proinde os, spinam & sepeum esse vnũ analogia, nō vnum vniuocè. Sic dicendum puto de corpore naturali habente, quod cœlestia & inferiora complectitur, vnum enim est analogia, quoniam vt hæc inferiora habent in se naturam, quæ est internum principium motus singu-

Opinio propria.

Analogũ non est idem quod ab vno, siue ad vnum.

Corpus naturale non est ab vno, sed analogum.

A lorum naturalis, ita in cœlo quoque principium internum sui motus esse dicimus, non quidem eiusdem rationis, sed illi proportione quadam respondens: habere autem in se principium motus, nec cœlo competit per inferiora corpora, nec his per Cœlum, sed cuilibet naturali corpori competit per seipsum, proinde vanum est quærere cui priùs competat, cui posteriùs, quum minimè necessarium sit in analogis talem ordinem esse; quamob-

B rem corpus naturale nō rectè appellatur commune ab vno, seu ad vnum, sed vocandum est cōmune analogum; quemadmodum è contrario ens non propriè vocatur analogum, sed rectiùs dicitur esse commune ab vno. Illud præterea notare volo, quod hac in re non parui est momenti, tantum abesse vt habena naturam priùs significet Cœlum, posteriùs verò inferiora corpora, quod multi opinantur, vt potiùs meo quidē iudicio inferioribus com-

C petat priùs, Cœlo autem posteriùs, non quidem secundùm rem ipsam, hoc enim iam negauimus, sed secundùm nos, & ratione cognitionis nostræ, quoniam enim familiaria nobis sunt hæc caduca corpora, in quibus versamur, & quorum compositionem ex materia & forma iam in primo libro cognouimus, hæc præcipuè respexisse Aristotelem in definitione naturæ putandum est, vt tale motus principium Cœlo quoque, quod remotius, &

D ignotius nobis est, postea accommodemus. Hoc indicant tum verba posita in definitione naturæ, quæ fortasse alibi opportuniore occasione perpendemus, tum sequens illa Aristotelis disputatio, an materia, an potiùs forma sit ipsa rei natura: loquitur enim ibi Aristoteles de ijs, quæ ex materia & forma constant, nec ob id excluditur Cœlum, quia etsi materiæ & formæ compositionem non habet, tamen & materiæ, & formæ conditio-

E nes redolet; materiæ, quatenus est corpus, formæ verò, quatenus existit actu; habet igitur aliquid proportione respondens formæ, quod est in eo principium motus, vt in caducis corporibus forma, hoc autem quomodo sese habeat, alibi declarabimus. Hinc ortum habuisse puto nonnullorum errorem, qui dixēre, sub naturæ definitione naturam cœlicam non contineri; nam hi id quidem viderunt, quod manifestum est, Aristotelem præ-

F cipuè caducorum corporum naturam respicere; at id, quod profundius erat, consilium, artificiumque Aristotelis non penetrârunt, qui cœlo quoque aptari voluit definitionem naturæ: hoc enim tum ratio, quam tetigimus, persuadet, tum tota septem librorum tractatio declarat: adde verò & Aristotelis verba satis clara in contextu 5. libri 1. de Cœlo, vbi repetens definitionem naturæ in secundo Physicæ auscultationis traditam, inquit omnia naturalia corpora esse loco mobilia, propterea quòd habent naturam, quæ

Ens non est analogum.

Habere naturam competit priùs inferioribus, posteriùs cœlo.

Aliquorum error.

est motus principium: deinde statim motum localem diuidit in rectum, & circularem, & mistum: itaque asserit motum in naturæ definitione iam acceptum cœlesti quoque motui communem fuisse: sed res manifestior est, quàm vt pluribus verbis, aut longiori disputatione indigeat.

Quomodo duo priores libri Physicorum sint de principijs. Cap. XI.

EX ijs, quæ hactenus dicta sunt, cognoscere possumus, quomodo duo priores libri Physicæ auscultationis sint de principijs: vera enim est opinio D. Thomæ, qui dicit agi in primo libro de principijs rerum naturalium, quæ essendi principia vocari solent; in secundo autem de principijs scientiæ naturalis, hoc est, de principijs cognoscendi. Sed huius dicti declarationem D. Thomas nullam adducit, qua intelligamus, ipsum huiusce rei rationem & artificium Aristotelis penetrasse; esset enim ab ipso quærendum, cur tam diuersis exordijs distincta sint ab Aristotele principia rerum naturalium à principijs scientiæ naturalis, quæ dicuntur cognitionis principia, præsertim quum in initio primi libri contrarium asseruisse videatur; dicens enim auspicandum esse à primis principijs rerum naturalium, propterea quòd ex eorum notitia omnis aliorum cognitio pendet, fatetur eadem esse rerum naturalium, & cognitionis principia: cuius quidem dubitationis quam solutionem D. Thomas attulisset, & quam huius suæ distinctionis rationem esse existimauerit, egò quidem nescio: puto autem eam esse rationem, quam antea tetigimus, nam principia essendi, quæ omnium prorsus rerum naturalium principia essent, nulla considerari poterant, quia nulla erant; sed à principijs tantùm cognoscendi auspicari poterat Aristoteles, quod in secundo libro fecit; sed quoniã hæc cognosci non poterant, nisi priùs caducarum saltem rerum principia nouissemus, licèt horum consideratio ad alium potiùs huius scientiæ librum pertinuisset. Aristoteles melioris doctrinæ gratiâ statuit anteponere primum librum, in quo prima generabilium principia declararet, eumque à secundo seiunxit, sumens in secundo alrius exordium, quia primus ad sola generabilia, secundus verò ad omnia penitùs naturalia corpora pertinebat. Quod autem dicebatur, principia essendi esse etiam cognoscendi, verum id quidem est, at non reciprocatur; & longè diuersa sunt principia cognoscendi tantùm, ab ijs, quæ & essendi, & cognoscendi principia sunt; de quibus id possumus notare, quod licèt vt essendi principia nõ sunt nisi rerum caducarum principia, tamen vt principia cognoscendi possunt omnium rerum naturalium principia dici; conferunt enim ad tractationem secundi libri, sicut antea diximus. Cæterùm vt primum librum tandem omittamus, restat vt de secundo doceamus, quænam cognitionis principia in eo considerentur. Primùm quidem dubitare non possumus, maximè omnium præcipuum cognitionis principium esse declarationem nominis naturæ, eamque non esse nisi principium cognitionis; quum sit tradita per effectus posteriores, per motum & quietem, idque notauit expresse Auerroes in commentario 44. libri 2. Posteriorum; non enim definitur ibi natura vt principium corporis naturalis, sed vt ratio formalis ipsius subiecti corporis naturalis, declaraturque per respectum ad accidentia posteriora; patet autem declarationem nominis subiecti inter omnia cognitionis principia primum sibi locum vendicare, ideò in secundo libro prima omnium esse debuit tractatio de natura, qua doceamur quid sit & quæ sit natura, quod ibi præstat Aristoteles ad contextum vsque 15. Quoniam autem sicuti res ab alijs rebus distinguitur per propriam formam, ita quælibet scientia ab alijs per modum considerandi, qui formæ locum obtinet; ideò declarata ipsa ratione formali proprij subiecti, Aristoteles per eam, nempe per internum principium motus, quod vocatur natura, separat naturalem scientiam à Mathematicis: idque similiter est cognitionis principium; siquidem tollit difficultatem de ipso huius scientiæ proprio subiecto, quæ in huius disciplinæ ingressu turbare aliquem poterat. Et quoniam dixerat Aristoteles formam esse rei naturam, ideò declarare etiam voluit, qualis debeat esse tractatio de forma in scientia naturali, & ad quos vsque fines extendatur, idque vt physicam tractationem seiungeret à metaphysica. Hæc igitur omnia in ipso scientiæ initio fuisse declaranda, vt cognitionis principia, saltem vt quæ dirigentia seu præparantia dicuntur, manifestum est. Sed sequens de causis tractatio aliquid videtur habere difficultatis, & digna est aliqua consideratione: nam qualisnam sit, & cur ab Aristotele instituatur, videtur non satis ab alijs fuisse declaratum: sunt qui dicant Aristotelem in principio primi libri professum, se de principijs, de causis, ac de elementis rerum naturalium loquuturum, id postea ita esse exequutum; egit in primo libro de principijs, in secundo autem de elementis, & de causis; de elementis in tractatione de natura, quoniam natura est internũ principium motus, quod propriè dicitur elementum; tandem de causis in hac, de qua loquimur, de causis tractatione. Quæ sententia in eo tantùm est probanda, quod dicit in primo libro agi de principijs, in reliquis omnino reprobanda, de causis namque & de elementis non in secundo libro agitur, sed in eodẽ primo; siquidem in primo libro Aristoteles idem prorsus significauit ijs tribus vocabulis; prima nam-

que

Marginalia: *Opinio D. Thomæ.* — *Dubium.* — *Solutio.* — *Quomodo 2. liber sit de principijs cognitionis.* — *Qualis tractatio de causis.* — *Opinio aliquorum.* — *Confutatio.*

que interna principia rerum naturalium, & A primæ cauſę & maximè propriè elementa vocantur, idque manifeſtè teſtatur tota primi libri tractatio. in qua Ariſtoteles eadem principia indiſtinctè appellat modò principia, modò cauſas modò elemẽta. ſed nihil repugnantius eſt rationi, quàm dicere tractationem de natura eſſe de elementis; nam materia & forma non vocantur elementa reſpectû motus, & quietis, & accidentium conſequentium, ſed ſolùm reſpectu corporis naturalis, cuius B ſunt primæ internæ partes; non ſunt igitur elementa quatenus ſubeunt appellationem naturæ, quæ reſpicit motum & quietem; ſed quatenus ſunt materia, & forma, & partes corporis naturalis, quod ex eis generatur & conſtat. Nec minùs errant in tractatione de cauſis; ea namque non eſt illa, quam Ariſtoteles in initio primi libri propoſuerat, ſiquidem de illa quidem tractatione, quæ in primo libro habetur, dicere poſſumus, nos per C eam cognouiſſe primas cauſas rerum naturalium; ſed de illa quæ habetur in ſecundo libro, nihil tale dicere poſſumus; per eam enim nullas cognoſcimus rerum naturalium cauſas, ex quarum notitia aliorum cognitionem adipiſcamur; patet enim agi eo in loco de generibus tantùm, modiſque cauſarum, non de cauſis vllis effectuum naturalium. Certum autem eſt tractationem de generibus cauſarum non ad naturalem Philoſophum, ſed ad D Metaphyſicum propriè, & modo etiam aliquo ad Logicum pertinere; nam cognoſcere demonſtrator debuit, ſi demõſtrare eſt à cauſa rei procedere, quænam cauſarum genera in demonſtratione locũ habere poſſint: ideò de his aliqua dicuntur ab Ariſtotele in libro 2. Poſter. Analyt.

Opinio propria.

Quomodo igitur de generibus cauſarum agat in ſecundo Phyſicæ auſcultationis Ariſtoteles, conſiderandum eſt, hoc enim ſatis ab alijs explicatum eſſe non video. E Sumitur (vt arbitror) huiuſce rei declaratio ex Auerroe in ſua Præfatione in Poſteriores Analyticos, & in comment. 16. libri 2. Phyſic. & in initio ſuorum comment. in lib. 1. de Partib. animalium, vbi inquit duo eſſe genera regularum logicarum; aliæ namque ſunt vniuerſales, & ad omnes diſciplinas vniuerſè conſentientes; aliæ verò propriæ, & ad vnam aliquam diſciplinam peculiariter attinentes; de illis agere ad Logicum inquit pertinere, de his ve- F rò minimè, ſed cuiuſque diſciplinæ proprium id munus eſſe; nam illa, quæ ad omnis demonſtrationis conſtructionẽ generaliter attinent, in Poſterioribus Analyticis tractari ab Ariſtotele debuerunt; ſed illa, quæ ad ſolas pertinent demonſtrationes naturales, non in Logica, ſed in ipſamet ſcientia naturali declaranda ſunt; non enim debet Logicus ad particulares, ac proprias ſingularum ſcientiarum conditiones deſcendere, nec docere qualis eſſe debeat demonſtratio naturalis, & qualis

Duo genera regularũ logicarum.

Mathematica. Eam igitur cauſarum conſiderationem, quæ in ſecundo Phyſicorum habetur, ego Logicam eſſe puto, eamque reſtrictam ad ſcientiam naturalem; & faciendam in ipſamet diſciplina naturali: quum enim in libro 2. Poſter. docuiſſet Ariſtoteles, ex quibusnam cauſis conſtitui demonſtratio poſſit, docet in libro 2. Phyſic. ex quibusnam cauſis demonſtrare debeat Philoſophus naturalis, & declaratis cauſarum generibus oſtendit demonſtrandum ipſi eſſe ex omnibus, maximè verò ex fine, propterea quòd natura quicquid agit, propter finem agit. Hanc eſſe Auerrois mentem, patet legentibus prædictam eius Præfationem in Poſteriores Analyticos, vbi exempla referens huius Logicæ particularis nominauit exempli gratia librum ſecundum Phyſicorum, & primum de Partibus animalium; putauit enim hæc eſſe principia cognitionis in ſingula diſciplina, per quæ moneamur, qua methodo in ea diſciplina progrediendum ſit: nec dico hanc eſſe Logicam rebus naturalib. applicatam, quæ vtens, ſiue in vſu poſita vocari ſolet; nam huiuſmodi eſſe totam ſcientiam naturalem certum eſt, non ſolùm aliquem vnum eius ſcientię librum; ſed dico eſſe Logicam docentem, ſed propriam ſcientiæ naturalis, ideoque in naturali ſcientia traditam, non in libris Analyticis.

De caſu & fortuna.

Illa verò de caſu & fortuna tractatio, quæ in eo ſecundo libro habetᵉ, annexa eſt tractationi de cauſis; vt autem eius ratio cognoſcatur, ſciendum eſt, tractationem illam de cauſis duas habere partes, vnam, in qua declarantur ſolummodò genera, & modi cauſarum; alteram verò magis præcipuam, quę incipit in eo contextu 70. in qua Ariſtoteles ad id, quod ſibi propoſuerat, applicat ea omnia, quæ dixerat, quippe docet eſſe per omnia cauſarum genera demonſtrandum in ſcientia naturali, maximè verò per finem, tandemq́; in calce libri oſtendit, neceſſitatem in rebus naturalibus tribuendam eſſe materię propter finem, non fini propter materiam, quæ antiquorum ſententia erat, dicentium, effectus naturales fieri ex materiæ neceſſitate. In hac igitur poſtrema parte, in qua docet Ariſtoteles, ex quibus cauſis debeat Philoſophus naturalis quærere ſcientiam rerum naturalium, non loquitur de caſu, & fortuna, ſed potiùs excludit huiuſmodi cauſas, dicens, effectus naturales vel ſemper eodem modo ſe habere, vel ſaltem vt plurimùm, proinde nullum eorum referri poſſe in caſum & fortunam: ſed in altera parte priore, in qua declarat genera, & modos cauſarum, vt quid omnes ſint intelligamus; declarat etiam quid ſint caſus, & fortuna: quum enim in has cauſas referantur ab hominibus multi effectus, eæque locum habere videantur ſolùm in rebus naturæ, debuit Ariſtoteles docere quid ſint. Docuit itaque eas eſſe cauſas per accidens, & reduci ad genus cauſæ ef-

ficientis; & hac ratione expleuit tractationem de causis, quantum ad naturalem Philosophum potuit pertinere, nec ob alium scopũ, nisi vt tandem doceret in quas causas sint referendi effectus naturales, vt perfectam eorum scientiam adipiscamur. Sed nimium fortasse prolixi esse videbimur, vt in magnã molem crescere nostram hanc naturalis scientiæ fabricam oporteat, si in omnibus Aristotelis libris tantam facere moram statueremus: sat igitur fit in ipsis naturæ primordijs scientiæq; B huius vniuersæ principijs diutius institisse, quoniam principiorum consideratio, etsi mole parua est, virtute tamen est maxima, quum totam modo quodam scientiam complectatur, in reliquis libris satis erit artificium & ordinem perscrutari, dimissa singularum rerum consideratione.

De sex posterioribus libris Physicæ auscultationis. Cap. XII.

QVòd autem reliqui sex libri sint de motu, alijsque accidentibus corporis naturalis, tum tractatio ipsa tractar, tum Aristotelis verba restantur in initio tertij libri, vbi asserit se de his tractaturum, tanquam de communibus accidentibus rerum naturalium. Quare falsa est Græcorum sententia, qui tertium, & quartum, aut etiam quintum annumerant libris de principijs, ducti fortasse verbis Aristotelis in principio illius tertij libri, vbi dicere videtur se de motu acturum propter naturam, & vt definitio naturæ intelligatur: is igitur liber est de principijs, quia propter principia scriptus; sic quartus, & quintus ob eandem rationem. Idem confirmare videntur verba Aristotelis in contextu 54. primi libri de Cœlo, vbi citans tertium librum Physicorum, appellat librum de principijs. Friuola tamen vtraque ratio est: ad alteram enim priorem dico, Aristotelem ibi respicere cognitionem motus an sit, quæ confusa dicitur; sed non cognitionem quid sit, quæ dicitur distincta, qualem in eo tertio libro tradit; dicens enim ignorato motu necesse esse ignorare naturam, non id significare vult, qđ plerique existimarunt, tractationem de motu ibi esse instituendam ad intelligendam definitionem naturæ, siquidem si absque illa non posset intelligi definitio naturæ, debuisset omnino Aristoteles prius motus, quàm naturæ definitionem tradere & declarare. sed volens solummodò significare Aristoteles magnum cõnexum, quem motus habet cum natura, quò fit, vt naturali Philosopho necessarium omnino sit agere de motu; sumit ignorationem motus, quæ opponitur cognitioni motus confusæ, quam habent omnes homines, & inquit: Statuas ignotum esse dari motum, videbis naturam cognosci nullo modo posse; & re uera si bene naturæ definitionem expendamus, facilè intelligemus eam satis à

Error Græcorum in statuendis libris de principijs.

Ratio illorum prima.

Ratio secũda.

Solutio primæ rationis.

A nobis intelligi per solam motus cognitionem confusam, nec postulare distinctam illam, quæ in tertio libro traditur; quæ, si bene consideretur, nihil confert ad intelligendam definitionem naturæ; videmus etiam Aristotelem in illo tertio libro tanta cum diligentia indagare, ac declarare definitionem motus, vt dicere cogamur agi ibi de motu propter se, non propter definitionẽ naturæ; nisi enim ibi de motu agitur propter se, vbi summa cum diligentia definitur, non video quo alio in loco dicere possimus de motu agi in philosophia Naturali; hoc idem de loco ac de tempore dicendum est, de quibus agitur in quarto libro; sed in eodem tertij libri initio Aristoteles asserit, se de his omnibus, ac de alijs locuturum, vt de communibus accidentibus corporum naturalium; quare dubitandum non est, tertium librum & alios quinque sequentes esse de accidentibus corporis naturalis latè accepti. C Ad alteram rationem dico, Aristotelem eo in loco non ipsum per se sumtum tertium Physicorum vocare de principijs, tanquam distinctum à libris de motu; sed totum volumẽ de Physica auscultatione à parte eius præcipua nominare de principijs: sic etiam quandoque totam Metaphysicam vocamus diuinam scientiam, & dicimus quartum diuinorum, quintum diuinorum, tamen neuter horum, sed solus duodecimus est de rebus diuinis: sic Aristoteles in contex. 40. 8. Physic. sextum librum vocat de natura, licèt omniũ consensione is in libris de motu numeretur, non in libris de principijs; totam enim præcedentium librorum congeriem appellat de natura, non illum sextum seorsum acceptum. De ipsa autem illorum sex librorum dispositione, ac de ordine eorum communium accidentium multa dici possent, quæ consultò omittimus, ne hæc nostra theoria in magnum nimis opus excrescat: satis in præsentia sit aliqua breuiter tangere, quæ ad consilium institutumque hoc nostrum magis pertinere videntur. Inprimis id volo de quinto libro adnotare, agi quidem in eo de speciebus motus, eas tamen ad libros Physicæ auscultationis non pertinere, vel saltem non omnes; de motu enim latissimè accepto, atque etiam de motu locali vniuersè sumpto, qui omnibus naturalibus corporibus communis est, in ijs tantùm libris agi potuit; sed de alteratione, de accretione & imminutione, ac de generatione, & interitu; quum solis caducis corporibus cõpetant, non ibi agẽdum erat, sed in libris de generatione, vbi etiam manifestam harum omnium mutationum tractationem legimus; quæ igitur de his dicuntur in libris Physicæ auscultationis, non propter se dicuntur, siquidem is non est locus, in quo de his agatur, sed propter cognitionem generis, de quo ibi agitur; cuius rationem declaro hoc exemplo: Si sit cognoscendum animal generis cognitione quantum fieri

Solutio secundæ rationis.

Cur de speciebus motus agatur in 5. libro.

Confusum te cognoscere confusè & indistinctè, quid sit.

Omne genus est duplici ratione confusum.

fieri possit distincta, necesse est vt quum sit totum quoddam confusum, cognoscatur per cognitionem partium (hoc enim est distinctè cognoscere; confusè autem cognoscere, est confusum cognoscere vt confusum, hoc est, sine cognitione partium) quoniam igitur animal duo habet partium genera, oportet ipsum ratione vtrarumq; distinctè cognoscere, primùm quidem habet partes essentiales, hoc est, attributa per se primi modi, quæ eius definitionem constituunt; deinde habet partes subiectas, nempe species à se contentas: per propriam igitur definitionem cognoscetur animal distinctè vno modo, sed manebit confusè cognitum altero modo, nisi aliqua specierum notitia habeatur, non quidem distincta, & perfecta vt specierum, sed rudis saltem atque confusa: necessarium enim est ad perfectam notitiam generis, aliquam specierum distinctionem saltem ruditer, & pingui Minerua cognoscere; proinde rudis & imperfecta specierum cognitio cōfert ad distinctam cognitionem generis, quatenus genus est, & tanquam genus considerandum proponitur. Itaq; per definitionem motus traditam in tertio libro cognoscitur quidem motus distinctè secundùm priorem rationem, sed tamen confusè notus mansisset secundùm alteram, nisi ipsius species modo aliquo nouissemus; ipsæ autem species secūdùm proprias rationes distinctæ cognoscendæ manēt in alio libro; nam in libris de generatione declarabuntur per proprias definitiones, & per proprias causas; motus tamen localis latissimè acceptus non tractatur in alio loco, nisi in libris Physicæ auscultationis; quæ enim in ijs de motu absolutè dicuntur, sunt præcipuè intelligenda de locali, cui propriè, ac primariò competit nomen motus.

Dubium de tractatione motus.

Posset autem alicui difficultatem facere illa, quam in ijs libris cernimus, interruptio tractationis de motu, nam in prima parte tertij libri agit de motu, atq; eius definitionem tradit; deinde verò agit de infinito, doceatque quomodo detur in rebus naturalibus infinitum, & quomodo non detur; postea in quarto agit diligenter de loco, de vacuo, de tempore; in quinto autem reuertitur iterum ad agendum de motu, de eius speciebus, atq; oppositionibus; cur igitur non vna, & continuata tractatione totum de motu sermonem absoluit?

Solutio.

In 1. libr. de Meth. & in Apologia.

Soluitur tota hæc difficultas ex ijs, quæ aliàs de doctrinæ ordine scripsimus; quū enim ratio ordinandi sumatur semper à nostra meliore, vel faciliore cognitione, illa semper sunt anteponenda, quorum cognitio vel necessaria, vel vtilis sit ad reliqua cognoscenda; ex hoc igitur fonte facile est rationē haurire ordinis ab Aristotele seruati in his libris; quod quidem nunc paucis verbis absoluam, aliàs fortasse idē diffusiùs declaraturus. Quoniam igitur cognitio definitionis, & naturæ motus non pēdebat ex aliorum prædictorum accidentium notitia, & motus principem locum tenet inter accidentia corporis naturalis; debuit ante omnia Aristoteles in initio tertij libri declarare naturam motus, & eius definitionem adducere: at agere de speciebus motus, ac de eius oppositionibus, ac de ipsius differentijs non commodè poterat, nisi priùs de infinito, de loco, ac de tempore pertractasset: ea enim species motus, quæ dicitur motus localis, meliùs intelligitur intellecta natura loci, quum præsertim locus respectu motus localis habeat rationem causæ finalis: cum tractatione autem de loco coniuncta esse debuit tractatio de vacuo, siquidem nil aliud significat nomen vacui, quam locum sine corpore. Tractatio etiam de tempore præcedere debuit ea, quæ de motu dicuntur in quinto libro, siquidem in eo quinto fit sæpe mentio temporis, præcipuè verò in declaranda motus vnitate, quā sine temporis notitia cognoscere perfectè non possumus. His omnibus præcedere debuit tractatio de infinito, quę in tertio libro habetur, quia si daretur corpus actu infinitum, de medio tolleretur & motus localis, & locus, & tempus: de his ergo sermo fieri non poterat, nisi priùs ostensum fuisset, non dari in natura infinitum corpus. Adde etiam quòd cum motu coniunctionem & affinitatem quandam habere videntur reliqua prædicta accidentia, ideò Aristoteles, qui de motu plurima in his libris dicturus erat, voluit declarata definitione motus vniuersali statim illorum omnium cōsiderationem absoluere, & postea ad motum reuertens, omnia quæ de ipso dicenda manebant, ordinatim pertractare. In sexto autem libro agitur de continuo, de quo omnino agendū erat, quum sit commune accidens corporis naturalis; & quia simul cum corporis continuitate considerat ibi Aristot. etiam motus ac tēporis continuitatem, ideò non potuit agere de continuo, nisi post cognitionem motus, ac temporis traditam in tertio, quarto & quinto libris; erant etiam in quinto libro traditæ definitiones continui & contigui, quas Arist. in initio sexti libri resumens manifestam facit eorum duorum librorum inter se connexionem. De septimo libro nil videtur dicendum præter id quod à multis dicitur, eum esse veram præparationem ad octauū; maior enim pars theorematum, quæ tractantur in septimo, tractantur iterū in octauo: ideò Eudemus in horum librorum interpretatione dimisit septimum vt supernacaneum, sed tamen Simplicius & Alexander animaduerterunt ostendi quidem in vtroque libro eadem theoremata, at non esse vtrobique easdem demonstrationes; etenim in septimo sunt leuiores ac faciliores, in octauo autem validiores, exquisitiores & essentialiores. Putarunt igitur Aristotelem de rebus altissimis, ac difficillimis in octauo libro scripturum voluisse priùs easdem in septi-

De 6. libr.

De 7. lib.

B

mo leuiter adumbrare, & rationibus faciliori- bus planiorem nobis viam reddere ad aliarum profundiorum intelligentiam; hoc idem de septimo libro sensit Auerroes, vt apud eum legere possumus in initio octaui. Ipse quoq; Aristot. hoc idē testari videtur in vltimis verbis sexti libri, proponens enim considerandū, an detur in rebus naturalibus æternus motus, significare videtur septimum librum esse modo quodam partem octaui, & esse de æterno motu; est enim de æterno motu, si omnia quæ B in eo scribuntur, ad æterni motus cognitionem, quæ in octauo libro traditur, diriguntur; id autem quomodo sit, non est nostrum in præsentia considerare. In ipso autem octauo libro si hoc vnum esse Arist. consilium statuamus, agere de æterno motu, vt ego quidem omnino asserendum esse arbitror, clara est huius consilij ratio, & eius libri cum præcedentibus connexio: quum enim apud Aristot. in corpore naturali perpetuus, & incessabilis exi- C stat motus, de hoc tanquam de accidente Physici corporis vniuersi agendum in his libris fuit, eaq; tractatio in tota de motu tractatione postremum locum habere debuit: quum enim egisset priùs absolutè de motu, deinde etiam de motu, quatenus est continuus, agendum manebat de motu, quatenus est æternus, idque in octauo libro fit, quem si totum legamus, videbimus eum intellectis, quę in alijs præceden- D tibus libris declarata fuerant; supponit enim cognitum iam esse motum, & infinitum & locum & tempus, & continuum, vt non absque aliqua ratione aliqui in hunc errorem inciderint, vt dixerint præcedentes libros fuisse ab Aristotele scriptos propter octauum. Altera quoque est ratio, cur octauus liber postremus omnium esse debuerit, alij namque sunt de rebus vniuersalibus, hic verò est de æterno motu, qui vnus continuus singularis est; idq; E Aristoteles satis clarè pronunciauit in contex tu 40. eius octaui, dum dixit præcedentes libros fuisse vniuersè de natura, hoc est, de rebus naturalibus in vniuersali; hoc enim discrimine separans alios ab octauo, in[d]icat octauū esse de re naturali singulari; neque ob id alienus est hic liber à libris Physicæ auscultationis, siquidē sunt hi omnes libri de rebus communibus, sed alij sunt de rebus communibus prædicatione, octauus verò est de communi- F bus non prædicatione, sed extensione & ambitu; nam motus in orbem, cuius in octauo libro demonstratur æternitas, non consideratur ibi vt Cœli, sed vt omnium rerum naturalium motus. Hoc esse puto Aristotelis consilium in octauo libro, vnde patet eum iure numerare in libris de motu, & ita eum appellat Aristot. in contex. 14. primi libri de generatione, vbi dicit, se de motore immobili egisse in primis sermonibus de motu, & in contex. 71. primi libri de Cœlo hunc librum citans vocat librum de motu. Sed difficultatem facere videtur tractatio de primo motore immobili, quæ in eo libro habetur, quæ multos in hanc sententiam traxit, quòd consilium Arist. præcipuum sit agere de motore æterno; agat autem de æterno motu propter motorem, vt ex eo ducat nos in cognitionem primi æterni motoris. Sed absque dubio decipiuntur, quia motor immobilis non est cōsiderationis Physicæ, vt asserit Arist. in contex. 71. & 73. secundi Physicorum, ideò de illo agit non propter se, sed propter æternum motum: quum enim accidens non cognoscatur, nisi per suam causam demonstretur, causa autem æterni motus æquata sit primus motor immobilis, necessarium fuit agere de æterno motore, vt per eum perfecta haberetur cognitio æterni motus; tota igitur tractatio dicenda est de æterno motu, etiam illa quæ est de æterno motore, quia id dicitur considerari, cuius principia & causæ quæruntur, vt ait Arist. in principio libri 12. Metaphysicorum. Sed tota hac in re difficultas tolletur, si cognouerimus discrimen philosophi naturalis & Metaphysici in consideratione substantiarum à materia abiunctarum; in hoc enim non videntur omnes consentire. Sunt qui dicant discrimen consistere in diuersitate attributorum, alia namq; earundem attributa cognoscere Metaphysici est, alia verò Physici; quòd enim sint substantiæ, & à materia abiunctæ, & actu puri, & moueant vt finis, aliaque eiusmodi, considerat Metaphysicus; quòd autem sint æterni motores immobiles, cognoscitur à philosopho naturali in octauo libro Physicorum. Alij etiam dixerunt hanc esse differentiam, quòd à physico cognoscuntur, quoad quæstionem an sint, à Metaphysico autem quoad quæstionem quid sint. Sed omnem aliorum errorem ipsa veritatis cognitio declarabit. Ego puto veram & præcipuam differentiam, à qua aliæ, si quæ sunt, emanant, eam esse, quæ ex verbis Auerrois colligitur in postremo commentario primi libri, & ex verbis Aristotelis in contextu 73. secundi, motores æterni considerantur à Metaphysico vt subiectum, à Physico autem non vt subiectum, sed vt principia affectionis naturalis; simile discrimen affert Aristoteles in 2. libro inter Physicum & Mathematicum in earundem rerum consideratione, dicens quantitates Mathematicas à Mathematico considerari vt abiunctas mente à materia naturali, proinde vt habentes locum subiecti; à naturali autem vt sunt affectiones corporum naturalium; quum enim tria hæc tantummodò in qualibet scientia considerentur, subiectum, principia & affectiones, sufficientissima est duarum scientiarum distinctio in eiusdem rei consideratione, quum dicimus, eam in hac scientia habere locum subiecti, in illa verò vt affectionem, vel vt principium considerari. Quoniam igitur motor æternus

De 8. lib. | *Aliquorum opinio de primo motore.* | *Confutatio.* | *Discrimen Physici, & Metaphysici in consideratione abstractorum.* | *Aliquorum opinio.* | *Alia opinio.* | *Opinio vera.*

ternus non consideratur à naturali nisi vt principium & causa æterni motus, tota illa consideratio est respectiua, vocandaque est de æterno motu, quia de causa loqui quatenus est causa, est de eo loqui, cuius est causa. Ex his patet prioris opinionis falsitas, nam si æterni motores considerantur à Metaphysico vt subiectum, necesse est omnia eorum attributa, nullo excepto, à Metaphysico cognosci; munus enim cuiusque scientiæ est omnia penitùs sui subiecti propria attributa cognoscere, sin minùs, ea perfecta scientia esse non potest; omnia igitur diuinorum entium attributa, quatenus talium entium attributa sunt, ad Metaphysicum pertinent, nullum ad Physicũ, ideò videmus Aristotelem in 12. Metaphysic. non solùm docere entia illa esse substantias abiunctas à materia, & puros actus, sed etiam esse æternos motores immobiles: philosophus autem naturalis, qui entia illa non considerat vt subiectum, sed vt causas motus, non indiget omnium illorum attributorum consideratione, sed quorundam tantummodò, sine quibus cognoscere non poteramus causam æterni motus: considerat igitur, primum motorem esse abiũctum à materia & penitùs immobilem, non vt ipsius æterni motoris secundùm se cognitionem adipiscatur, sed vt perfectè cognoscat causam cur in corpore naturali æternus est motus; quum enim motor sit à materia abiunctus, non laborat, proinde potest mouere perpetuò. Ex his colligimus veram esse hanc propositionem; Metaphysicus cognoscit entia abstracta esse æternos motores, & hanc; Physicus cognoscit entia abstracta vt æternos motores, quia tota eius consideratio est respectiua, & quatenus sunt principia; sed hanc esse falsam, Metaphysicus considerat entia abstracta, vt æternos motores, sic enim Metaphysico attribuimus solùm considerationem respectiuam, & excludimus omnem aliorum attributorum considerationem. Patet etiam error secundæ opinionis; illud enim quod adducunt, discrimen verum est, sed secundarium adducunt, prætermisso primario; ratio enim cur Metaphysicus cognoscat de æternis motorib. quid sint, est, quia eos considerat vt subiectum; quælibet enim scientia debet proprij subiecti quidditatem cognoscere: Naturalis verò, qui non considerat eos absolutè, sed respectu motus, non potuit illorum essentiam considerare; ea namq; absoluta est, & ad eum pertinere non potuit, satis igitur habuit inuenire quòd sint; quid autem sint, ignorat, ideò nec substantias esse cognoscit, nec actus, nec alia, quæ solus primus philosophus cõtemplatur. Dicere igitur possumus, tractationem de primo motore in 8. lib. tum primariã esse, tum secundariam; quatenus enim sumitur vt para quædã tractationis de æterno motu, primaria est: quoniã primaria est tractatio tota de æterno motu; qua-

Error primæ opinionis.

[...]un- [...]nis

A tenus autem æternus motor sumitur, vt quoddam distinctum ab æterno motu, secundaria dicenda est quia instituitur propter æternum motum. De illius autem octaui libri structura & artificio, quod certè est maximum, plura dici possent, quæ nunc omittimus, satis esse arbitrantes vniuersalem librorum constructionem exponere; illam verò, quæ singulorum librorum propria est, ijs qui libros ipsos interpretandos suscipiunt, relinquendam esse censemus. B Hæc igitur sunt, quæ tractantur in his octo libris Physicæ auscultationis, in quibus cauẽdum est, ne diuersa subiecta quæramus, quod aliqui faciunt; vnum enim & idem ij omnes subiectum habent corpus naturale, latissimè acceptum; eorum autem inter se discrimen non in subiecto consistit, sed in varijs scopis, seu intentionibus circa idem subiectum, vt in præcedentibus declarauimus. Hoc significauit Aristot. per inscriptionem C illam, Physicæ auscultationis, quæ ad eius, quod modò diximus, comprobationem breuiter declaranda est; duo librorum genera ab Aristot. scripta esse constat; vnum exquisitum ac scientiale, in quo ipsæ rerum naturæ penetrantur, & effectus per suas causas declarantur, quod ab ipso ἀκροαματικὸν appellatum est, hoc est, auscultatorium, eò quòd ad philosophos & literatos viros, qui eius auscultatores extiterant; huiuscemodi libri scripti intelliD guntur. Alterum genus, quod illi ab Aristot. contraponitur, est id, quod ab ipso in vltimo cap. primi libri de Moribus vocatur ἐξωτερικὸν id est, extrarium, quasi ad vulgus, & ad populares homines scriptum, in quo res leuiter, & pingui Minerua tractantur; eiusmodi erant ij, quorum ibi mentionem facit, extrarij de anima libri, qui nunc non extãt; nam ij, quos habemus, libri de Anima scientiales potiùs, atq; auscultatorij sunt appellãdi; eos etiam extraE rios libros significasse videtur Arist. in cõtex. 54 primi libri de Anima, vocans τοὺς ἐν κοινῷ λεγομένους λόγους, id est, in communi habitos sermones, quasi ad populum, non ad scientes. Cæterùm si id auscultatorium est, quod modò diximus, manifestum est non distingui hoc nomine hos octo libros ab alijs Arist. libris tũ naturalibus, tum supernaturalibus, qui, quòd scientales sunt, non minùs appellari merentur auscultatorij; restat igitur vt in illa dictioF ne, Physicæ, consistat distinctio horum octo librorum ab alijs, siquidem alij libri naturales sunt quidem & ipsi de natura, non tamen vniuersè de natura, sed particulariter de aliqua huius, vel illius rei natura; hi soli sunt absolutè de natura, & de vniuersa natura, ideò hi soli per excellentiam sunt appellati φυσικῆς ἀκροάσεως, hoc est, de illa auscultatione, quæ vniuersè & absolutè est de natura. Est igitur in his omnibus cõmune subiectum statuendum corpus naturam habens latissimè acceptum, non ad aliquam speciem restringen-

Nota aliquorũ errorem.

De inscriptione.

dum; de speciebus autem sunt cæteri, qui mox sequentur, libri naturales, ad quorum omnium ordinatam considerationem nunc nobis accedendum est: nam de octo libris Physicæ auscultationis ea quæ hactenus dicta sunt, sufficiunt.

De sede librorum de Cœlo, & de eorum subiecto vera sententia.

Cap. XIII.

SEquitur altera scientiæ naturalis posterior pars, in qua species corporis naturalis ordinatim considerandæ sunt: hæc pro specierum varietate in plures libros diuisa est, quorum primus consensu omnium est liber de Cœlo, in quatuor libros diuisus: hic quum in scientia naturali secundũ locum obtineat, & statim sequatur octo libros Physicæ auscultationis, non potest aliud habere subiectum, quàm primam naturalis corporis speciem, cui post generis cognitionem primus debeatur locus: hæc igitur quænam sit, non difficile est videre, si primam generis huius diuisionem nouerimus; hanc autem ipsemet Arist. facit in initio 1. lib. de Cœlo, vbi ex 2. Physic. repetens definitionem corporis naturalis, illud statim diuidit in simplex & mistũ, diuisionemq; hanc declarat ex diuisione motus in simplicem, & mistum. De subiecto igitur librorum de Cœlo clarum est Aristot. testimonium, qui ita videtur hos libros cum libris Physicæ auscult. connectere, quum in illis actũ sit de corpore naturali generaliter accepto, & hoc prima partitione diuidatur in simplex & mistũ, & ordine doctrinæ sit priùs agendum de simplici, quàm de misto, necesse est subiectum librorum de Cœlo esse corpus naturale simplex; quod quidem ipsa quoq; tractatio confirmat; agit enim primo loco Arist. de corpore simplici communiter sumpto in initio 1. lib. vbi de hoc communi analogo pauca quędam dicit, quæ de eo dici poterant; ipsi namq; tanquam subiecto attribuit propriã affectionem motum simplicem, quæ illi competit propter simplicem naturam; quemadmodum enim absolutè accepta natura causa est motus absolutè accepti, ita & natura simplex simplicis motus est causa: nil aliud de hoc communi dici poterat, ideò statim Arist. ad ordinatam specierum considerationem descendit, species autem eius sunt Cœlum & quatuor elementa, quæ, quum in nullo communi vnivoco conueniant, similitudine tamen & proportione quadam dicuntur simplicia corpora, quoniam quodlibet horum eiusmodi est, vt ex alijs prioribus corporibus non constet: inter hæc primus locus cœlesti corpori debebatur; quum enim sit ita notæ existentiæ, vt non egeat ex aliorum corporum declaratione innotescere, & ad eius naturam declarandam satis sit rudis illa aliorum corporum cognitio, quam sensu percepimus, nulla facilioris doctrinæ ratio coëgit Aristotelem de elementis priùs agere, quam de Cœlo; ordinem igitur seruauit naturæ & nobilitatis, Cœlum enim & nobilius est inferioribus corporibus, & natura prius, quia illorum est causa; nisi etiam dicamus ordinem ita seruari facilioris nostræ cognitionis; cognitio enim cœlestis corporis, quod leuia & grauia omnia ambit & continet, non parum conferre videtur ad cognitionem illorum, quum ad ipsum terminetur motus leuium, & ab ipso motus grauium incipere intelligatur; adde quòd motus grauium ad medium esse dicitur, motus autem leuium à medio, at medium intelligi non poterat non intellecto extremo, nec centrum non intellecta peripheria; omnes igitur ob causas videtur de Cœlo priùs agendum fuisse, quàm de elementis. In ipsa autem Cœli tractatione ordinem seruat Arist. conuenientissimum, quia quum in cuiusque subiecti contemplatione duo, nec plura, cognoscẽda proponantur, primùm quidem eius natura, & essentia, deinde verò proprietates, & accidẽtia, quæ ab ea emanant, ante omnia naturam Cœli declarat in primo libro ad contextum vsque 32. postea verò in tota sequente primi libri parte, atque in toto secundo accidentia cœlestis corporis contemplatur; in primo quidem illa, quæ licèt naturam Cœli insequantur, in totum tamen mundum redundant, ita vt Cœlum habeant subiectum præcipuum, mũdum verò subiectum adæquatum; proinde de toto mundo ab Aristotele demonstrantur, eaque tria sunt, finitudo molis, vnitas, sempiternitas: in secundo autem illa, quæ non redundant in vniuersum, sed Cœlum habent subiectum adæquatum, cuiusmodi sunt sex illæ differentiæ positionis in Cœlo, dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, ante, & retrò; necnon varietas motuum, & astrorum, & orbium, eorumque ordo, & figura, & alia, quæ in eodem libro tractantur, non sunt enim hic omnia singillatim recensenda, quum satis sit totius tractationis rationem intellexisse. Id solum non est silentio prætereundum, in postrema secundi libri parte agi de terra, non quidem vt de elemento graui, sic enim de ipsa agitur in 4. libro, sed quatenus respectu Cœli locum centri obtinet, adeo vt illa quoque tractatio modo quodam de Cœlo esse dicatur; quemadmodum enim tractatio de centro quatenus centrũ circuli est, pars quædam est tractationis de circulo, siue de circuli peripheria, ita & ibi tractatio de terra pars quædam tractationis de Cœlo esse intelligenda est. In duobus autem posterioribus libris agit Arist. de reliquis simplicibus corporibus, de grauib. & leuibus, quę sunt ignis, aër, aqua, terra, hæc enim ibi tractantur vt grauia, & leuia, sumitq; ibi Arist. grauitatẽ & leuitatem pro formis elementorum, non quòd reuera sint formę, sunt enim qualitates, sed

Prima diuisio corporis naturalis.

Connexio lib. de Cœlo cum lib. Physic.

Corpus simplex est commune analogum.

Cur de cœlo priùs agatur, quam de elementis.

Ordo tractationis de Cœlo.

Tractat. de Terra in 2. lib.

De 3. & 4. lib.

sed quia latentibus formis sumuntur earum loco accidentia hæc consequentia, per quæ mouentur elementa loco, & in proprijs quæque locis sita integrant mundum; hæc est enim propria elementorum consideratio in tertio & quarto libris de Cœlo, vt postea declarabimus, quatenus sunt grauia, & leuia, hoc est, quatenus sunt simplicia corpora, quorum simplices naturas insequuntur simplices motus naturales, per quos propria loca occupando mundi integritatem constituunt. Sed de eorum duorum librorum tractatione plura dicemus in sequentibus, tunc præsertim, quum loquemur de subiecto librorum de Generatione, & interitu; nunc pauca hæc dicere voluimus, vt ante omnia intelligatur, quænam sit vera sententia de subiecto, & de tractatione quatuor librorum de Cœlo; modò expendendæ sunt aliorum hac de re sententiæ, vt cum ijs disputando veritatem clariorem reddamus.

Sententiæ Alexandri de subiecto librorum de Cœlo. Cap. XIV.

HVic sententiæ repugnant maximè sectatores Alexandri, qui (vt Simplicius refert) aliud opinati visus est de subiecto horum librorum: dixit enim Aristotelem in his agere de Mundo, ac de simplicibus corporibus, quæ ipsius partes sunt: quam sententiam alij, qui eum postea sequuti sunt, ita intellexerunt, vt subiectum sit mundus tantùm, non simplicia corpora, quum hæc vt principia mundi, & propter mundum considerentur, ex ijs enim tanquam ex materia mundus constat; non ipsa per se vt subiectum libri. Huic opinioni multa videntur argumenta suffragari, primùm quidem argumentantur ex inscriptione, quum enim hi libri inscribantur de Cœlo, vel sumitur ibi Cœlum pro solo cœlesti corpore, vel pro mundo toto, vtroq; enim modo asserit Arist. in context. 96. primi libri sumi posse Cœlum: atqui pro solo quinto corpore accipi non potest, sic enim manca, & imperfecta esset inscriptio, quum non de solo quinto corpore, sed etiam de quatuor elementis agatur in his libris; sumitur itaq; Cœlum pro mundo, proinde subiectum est mundus.

Primum argumentũ pro Alexandro.

Secundò sumunt argumentum à tractatione ipsa, nam totus primus liber est de Mundo, nempe de eius finitate, de vnitate, de æternitate.

Secũdum argumentum.

Tertiò ex verbis Aristot. qui sæpè Cœlum vocat primum elementum, vt in context. 91. primi libri, & in initio tertij: quoniam igitur nomen elementi respectiuum est, elementum enim est alicuius elementum, videndum est cuiusnam elementum possit vocari ipsum cœlum; respectu quidem mistorũ non potest elemẽtum dici, quia mistum non constat ex Cœlo vt ex materia: relinquitur ergo vt respectu solius mundi possit vocari elementum, siquidem omnia quinque simplicia corpora sunt materia mundi; quoniam igitur ea-

Tertium argumentum.

A dem debet esse Cœli, & aliorum quatuor corporum consideratio, necesse est, si Cœlum consideratur vt materia mundi, elemẽta quoque vt materiam mundi cõsiderari, omnia igitur simplicia corpora vt principia subiecti in his libris considerantur, non vt subiectũ. Hinc aliud argumentum colligunt, quod erit ordine quartum; illud est subiectum, cuius principia & accidentia quæruntur, illud verò non est subiectum, cuius non quæruntur principia, & B affectiones; atqui principia, & accidẽtia mundi, non simplicium corporum, tractantur in libris de Cœlo; ergo subiectum est mundus, non simplicia corpora; maior propositio manifesta est, minor probatur; agitur in tribus posterioribus libris de quinque simplicibus corporibus, quæ sunt principia mundi materialia, in primo autem libro agitur de accidentibus mũdi, omnes igitur hi quatuor libri sunt de principijs, ac de accidentibus mundi: de C principijs autem simplicium corporum manifestum est non agi in his libris, Cœlum enim nulla habet principia, elementorum verò nulla tractantur principia in his libris de Cœlo.

Quartum argumentum.

Argumentantur etiam contra Simplicij sententiam hoc pacto: si subiectum horum librorum esset corpus simplex, deberet Arist. in libris de Cœlo omnia, quæ ad simplicia corpora pertinent, pertractare, & docere omnia eorum accidentia; hoc tamen non facit, quia so- D las motrices elementorum qualitates considerat; de alijs verò, quæ alteratrices dicuntur, ne verbum quidem facit, de ijs enim loquetur in libris de Generatione: non est igitur horum librorum subiectum corpus simplex.

Quintum argumentum.

Postremò pro sua opinione hoc argumẽto vtuntur, agendum omnino erat de mundo in philosophia naturali, ergo nisi in libris de Cœlo subiectum sit mundus, manca & diminuta erit scientia naturalis ab Arist. scripta, nullus enim E in ea alius locus relinquetur, in quo agi dicatur de ipso mundo vniuerso.

Vltimum argumentum.

Hanc igitur sententiam qui sequuntur, alia vtuntur ratione in horum librorum ordine declarando; quum enim in hoc omnes consentiant, quòd libri de Cœlo sequantur statim octo libros Physicæ auscultationis, duplicem huius ordinis rationem assignant: alij namq; dicunt, in libris Physicæ auscultationis actum est de principijs corporis naturalis, sequebatur vt de ipsis corpori- F bus naturalib. ageretur, sed quia totum nobis priùs offertur cognoscẽdum, quàm partes, est enim nobis notius partibus, vt dicitur in contex. quarto primi libri Physic. ideo in libris de Cœlo agendũ primo loco erat de mundo vniuerso, vt postea de singulis eius partib. ordinatim agendo tota naturalis scientia absolueretur: quod quidẽ Arist. fecisse videmus, nam post tractationem de mundo agit primùm de simplicib. corporibus, postea de mistis omnibus & generatim & singillatim. Alij verò dicunt subiectum fuisse in libris Physicæ auscul-

Ratio ordinis librorum secũdum alios.

rationis corpus naturale latè sumptum, à quo quum ad eius species transeundum esset, primo loco dicendum fuit de tota eius congerie, quæ vocatur mundus, postea verò de singulis.

Dictæ sententiæ confutatio.

Cap. XV.

Sententia hæc an reuera Alexandri fuerit, ego quidem dubius sum, quū enim commentarios Alexandri non habeamus, ex ijs quæ à Simplicio referuntur, nõ liquet ita sensisse Alexandrum, vt eius opinio ad rectum sensum quem mox considerabimus, trahi nequeat; quemadmodum si ita sensit, vt ei ceteri attribuunt, defendi nullo modo potest: primùm enim aduersus eum sic argumētor cum Simplicio, si scopus Arist. in his libris esset agere de mundo vniuerso, antequam de singulis eius partibus ageret; ergo mundùm hic considerare deberet perfectum, nec ex simplicibus modò, sed ex mistis quoque corporibus constantem, hoc enim omnino probaret aduersariorum ratio, si modò aliquid habet efficacitatis; nam si cognito corpore naturali communi, seu cognitis principijs offertur primo loco cognoscendum totum, deinde partes singulæ, & hæ quæ postea ab Arist. considerabuntur, erunt & simplicia corpora & mista, non video cur secundùm ipsam eorum rationem non fuerit ante omnia considerandum vniuersum, vt ex his omnibus corporibus constans, hoc enim esset de toto mundo agere; quemadmodum & Plato in Timæo, & auctor libelli de Mundo ad Alexandrum videntur mundum considerasse; attamen de mundo vt mista complectente ipsis quoque conficientibus non agitur in libris de Cœlo, non est igitur consilium Arist. in ijs libris agere de Mundo: reuera enim mundus non est vnum quiddam eiusmodi quod perfectè in vno libro tractare potuerit, quum non sit vnius naturæ, sed ex diuersarum naturarũ corporibus sit conflatus; quamobrem perfecta totius mundi tractatio habetur in tota philosophia naturali, quum in hoc libro agatur de simplicibus corporibus, in alio de mistis generaliter, in alijs verò de varijs speciebus; sic enim cognitis partibus dicitur totus mundus esse cognitus, sed non totus simul in aliquo libro vt vnum quoddam subiectum cognoscen dum. Præterea secundùm hanc opinionem nullus est conueniens transitus à libris Physicæ auscultationis ad libros de Cœlo, neque enim vt à primis principijs ad mundum, siquidem illa non sunt mundi totius principia; neque vt à corpore naturali latè accepto ad mundum, quia mundus non est species aliqua corporis naturalis, sed omnium specierum congeries, ordo autem artificiosus, quem proposuit Aristot. in procemio primi Physicorum, est vt ab vniuersalibus ad particularia progrediamur, & à genere ad species. Adsunt

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

A etiam plura Arist. testimonia sententiam nostram comprobantia: nam in initio primi libri de Cœlo incipit agere de corpore simplici generaliter, deinde ad species transit à cœlo incipiens, vt antea diximus. In postrema parte primi libri loquitur fusè de æternitate mundi, deinde in principio secundi libri concludens illam iam ostensam æternitatem, tribuit eam soli cœlesti corpori, quasi eam demonstrasse de mundo, fuerit eam de cœlesti corpo- B re demonstrasse, illud enim solum apud Arist. est radix æternitatis, siquidem ideò æternus est mundus, quia Cœlum est æternum: quare de accidentibus mundi agere in primo libro est agere de Cœlo, quia illa omnia accidentia solam Cœli naturam consequuntur. Initio etiam tertij libri recensens Aristot. ea quæ in duobus prioribus libris tractata erant, non dicit se egisse de Mundo, sed de solo cœlesti corpore, quod vocat primum elementum. Sic in C initio 1. Meteor. cõmemorans ea quæ in præcedentibus libris tractauerat, non dicit se in libris de Cœlo egisse de Mundo, nec vllam prorsus mundi mentionem facit, sed dicit de cœlestibus corporibus, & de quatuor elementis actum esse in his libris; nec vllum apud Arist. comperiemus locum, in quo asserat, se in libris de Cœlo egisse de mundo.

Tertium argumentum.

Quomodo verè dici possit, subiectum in libris de Cœlo esse Mundum.

D

Cap. XVI.

Sed memoratæ sententiæ falsitas clarior reddetur, si declarauerimus, quomodo ad rectum sensum opinio de mundo redigi possit, huius enim comparatione error aliorum, qui alium sensum acceperũt, manifestissimus erit. Mundum hunc corporeum duobus modis sumi philosophi omnes concedere vi- E dentur, quum enim nomen mundi significet quoddam perfectum & absolutum, duplex in eo perfectio notari potest, vna molis seu quantitatis, altera qualitatis seu formæ; illam vocarent Latini nostri extensiuam, hanc intensiuã: ratione quidem quantitatis & extensionis perficitur, & absoluitur mundus à quinq; simplicibus corporibus, à mistis enim non integratur mũdi moles quatenus mista sunt, sed quatenus constant ex simplicibus tanquam ex ma- F teria; quare etiamsi nulla essent mista, perfectus tamen hac ratione mundus diceretur, ex omni enim constaret quantitate, & omnem locum adimpleret; ideò Arist. dixit mista non alium habere locum, quàm illum qui eis conuenit ratione elementi prævalentis in mistione singulorum; ratione autem formæ & perfectionis secundùm intensionẽ acceptæ, mundus non à solis simplicibus corporibus dicitur perfectus, sed etiam à mistis omnibus, nam præter elementa adiectæ sunt mistis propriæ singulorũ formæ, in quib. omnibus, earumq; ordine

Mundus sumi potest dupliciter.

ordine ita est mundi perfectio constituta, vt vna sublata desineret mundus esse perfectus & ornatus. Ad molis igitur mundi integritatem sola simplicia pertinent, ad ornatum verò & ad absolutam perfectionem etiam mista. Inter omnes autem qui mundum esse horum librorum subiectum dicunt, hoc cõuenit, quòd mundus consideratur hic vt ex solis simplicib. constans, non vt ex mistis; attamen si post libros Physicæ auscultationis priùs offerebatur nobis totum cognoscendum quàm partes, à B toto ordiendum erat accepto potiùs secundo modo quàm primo, sicut antea considerabamus. Primo autem modo acceptus mundus nil aliod reuera est, nisi quinq; simplicia corpora sic ordinata, vt graue subster leui, & grauius minùs graui; & id, quod nec graue nec leue est, alia omnia intra se contineat & complectatur: itaque de quinque simplicium corporum naturis loqui, per quas singula proprios, & ita, vt prædiximus, inter se dispositos C occupant locos, est de mundo loqui, quum nil aliud sit mundus, nisi illa sic ordinata. Quamobrem si ita intellexit Alexander subiectum esse mundum, vt subiectum sint ipsa simplicia corpora, quorum congeries est mundus, vera est eius sententia, idq; videntur ipsius verba à Simplicio relata significate, quando dixit consilium Arist. esse agere de mundo & simplicibus corporibus, vt coniunctiua pro declaratiua sumatur, & sensus verborum sic, scopus est D mundus, hoc est simplicia corpora, ex quibus constat mundus. hæc enim etiam Auerrois opinio fuit, qui quum aliquando dixerit subiectum horum librorum esse mundum, vt legimus in principio suæ paraphraseos, & in postremo Cõmentarij tertij libri, non ob id dixit (quod multi dicunt) simplicia corpora non vt subiectum tractari, sed vt principia mundi, hoc enim nil potest ineptius, nil falsius excogitari, quandoquidem priùs oportuisset Arist. de simplicibus corporib. agere, quàm de mundo, si illa vt mundi principia considerarentur; quoniam cuiusq; rei cognitio ex principiorum suorum cognitione acquiritur, nec potest res ijs ignoratis bene cognosci; ipsi tamen dicunt, agi priùs de mundo quàm de simplicibus corporibus, quod secundùm eorum sententiam est omnino absonum rationi: at putauit Auerroes simplicia corpora considerari vt subiectum libri, non vt principia subiecti, vt apertissimè apud eum legimus in primo Cõmentario libri tertij de Cælo, vbi primũ inquit consilium Arist. esse agere de partibus mundi simplicibus, nec ob id intelligit simplicia corpora cõsiderari vt principia mundi; nam postea seipsum declarans inquit demonstrari ipsorum accidentia per suas causas, subiectum autem est illud, de quo accidentia per suas causas demonstrantur, ea igitur corpora vult ibi habere locum subiecti. Legimus etiam ibidem apud Auerroem verba hæc

Alexandri defensio.

Opinio Auerrois.

A [*& iam loquutus est in primo, & in secundo huius libri de corporibus cælestibus, & accidentibus eorum; vult modò dicere de alijs quatuor simplicibus, quæ rectè mouentur*] sic enim dicit, accidentia cælestis corporis tractata fuisse in primo & 2. libr. de Cœlo: quare non putauit primum librum ita esse de accidentibus mundi, vt non sit de accidentibus Cæli. Demum autem in calce eiusdem commentarij sententiam suam clarissimè profert, & aliorum errorem patefacit Auerroes, dum distinguit considerationem elementorum, quæ habetur in libris de Generatione, ab ea quæ habetur in libris de Cœlo, his verbis: [*in libro de Generatione non considerat elementa, nisi propter considerationem mistorum generabilium & corruptibilium; hic autem considerat ea inquantum sunt partes mundi, hic igitur considerat ea inquantum sunt subiectum, ibi verò inquantum sunt principia.*] Itaq; apud Auerroem considerare elementa vt partes mundi, non est ea considerare vt principia subiecti, sed est ea considerare vt subiectum libri, siquidem partes integrantes non distinguuntur re à toto, sed sunt idem quod illud; quare considerare mundum vt constantem ex simplicib. corporibus, & considerare simplicia corpora vt sunt partes mundi, idem est: proinde subiectum dicere mundum, idem est ac dicere simplicia corpora esse subiectum: eaque Auerrois opinio fuit, qui in eodem dicto commentario tum dixit elementa in libris de Cœlo considerari vt partes mundi, tum etiam dixit considerari quatenus sunt simplicia.

Quòd melius sit dicere subiectum corpus simplex, quàm Mundum.
Cap. XVII.

NOn est autem ignorandũ, quòd quum nomine mundi, & nomine simplicis E corporis idem horum librorum subiectum denotetur, attamen longè meliùs, & artificiosiùs loquimur dicentes corpus simplex, quàm dicentes mundum, quia licet eandem vtroque modo rem consideratam exprimamus, non æquè tamen modum considerandi exprimimus, qui est quatenus simplex, non quatenus mundus: quod ostendo, sumens ab hoc dubio occasionẽ, quod quum ego pluribus eruditis viris iam obtulerim, neminem reperi, qui id bene soluerit: dubium F tale est: Sententia nunc est plurium philosophantium, quòd tota scientia naturalis subiectum habeat adæquatum corpus naturale quatenus naturale est; hic itaque considerandi modus debet esse proprius scientiæ naturalis, & illi adæquatus, ita vt nulla sit alia disciplina, in qua aliquid consideretur quatenus naturam habens, nec vlla sic scientiæ naturalis pars, quæ alia ratione consideret aliquid nisi vt naturale, seu naturam habens; quum igitur in libris de Cœlo agatur, seu de

Dubium.

tationis corpus naturale latè sumptum, à quo quum ad eius species transeundum esset, primo loco dicẽdum fuit de tota eauĩ congerie, quæ vocatur mundus, postes verò de singulis.

Dicta sententiæ confutatio.
Cap. XV.

Sententia hæc an reuera Alexandri fuerit, ego quidem dubius sum, quũ enim commentarios Alexandri non habeamus, ex ijs quæ à Simplicio referuntur, non liquet ita sensisse Alexandrum, vt eius opinio ad rectum sensum quem mox considerabimus, trahi nequeat; quemadmodum si ita sensit, vt ei cæteri attribuunt, defendi nullo modo potest: primùm enim aduersus eum sic argumẽtor cum Simplicio, si scopus Arist. in his libris esset agere de mundo vniuerso, antequam de singulis eius partibus ageret; ergo mundum hic considerare deberet perfectum, nec ex simplicibus modò, sed ex mistis quoque corporibus constantem, hoc enim omnino probaret aduersariorum ratio, si modò aliquid habet efficacitatis; nam si cognito corpore naturali communi, seu cognitis principijs offertur primo loco cognoscendum totum, deinde partes singulæ, & hæ quæ postea ab Arist. considerabuntur, erunt & simplicia corpora & mista, non video cur secundùm ipsam eorum rationem non fuerit ante omnia considerandum vniuersum, vt ex his omnibus corporibus constans, hoc enim esset de toto mundo agere; quemadmodum & Plato in Timæo, & auctor libelli de Mundo ad Alexandrum videntur mundum considerasse; attamen de mundo vt mista complectente ipsis quoque consistentibus non agitur in libris de Cœlo, non est igitur consilium Arist. in ijs libris agere de Mundo: reuera enim mundus non est vnum quiddam eiusmodi quod perfectè in vno libro tractare potuerit, quum non sit vnius naturæ, sed diuersarum naturarũ corporibus sit conflatus; quamobrem perfecta totius mundi tractatio habetur in tota philosophia naturali, quum in hoc libro agatur de simplicibus corporibus, in alio de mistis generaliter, in alijs verò de varijs speciebus; sic enim cognitis partibus dicitur totus mundus esse cognitus, sed non totus simul in aliquo libro vt vnum quoddam subiectum cognoscendum. Præterea secundùm hanc opinionem nullus est conueniens transitus à libris Physicæ auscultationis ad libros de Cœlo, neque enim vt à primis principijs ad mundum, siquidem illa non sunt mundi totius principia; neque vt à corpore naturali latè accepto ad mundum, quia mundus non est species aliqua corporis naturalis, sed omnium specierum congeries, ordo autem artificiosus, quem proposuit Aristot. in procemio primi Physicorum, est vt ab vniuersalibus ad particularia progrediamur, & à genere ad species. Adsunt

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

etiam plura Arist. testimonia sententiam nostram comprobantia: nam in initio primi libri de Cœlo incipit agere de corpore simplici generaliter, deinde ad species transit à cœlo incipiens, vt antea diximus. In postrema parte primi libri loquitur fusè de æternitate mundi, deinde in principio secundi libri concludens illam iam ostensam æternitatem, tribuit eam soli cœlesti corpori, quasi eam demonstrasse de mundo, fuerit eam de cœlesti corpore demonstrasse, illud enim solum apud Arist. est radix æternitatis, siquidem ideò æternus est mundus, quia Cœlum est æternum: quare de accidentibus mundi agere in primo libro est agere de Cœlo, quia illa omnia accidentia solam Cœli naturam consequuntur. Initio etiam tertij libri recensens Aristot. ea quæ in duobus prioribus libris tractata erant, non dicit se egisse de Mundo, sed de solo cœlesti corpore, quod vocat primum elementum. Sic in initio 1. Meteor. cõmemorans ea quæ in præcedentibus libris tractauerat, non dicit se in libris de Cœlo egisse de Mundo, nec vllam prorsus mundi mentionem facit, sed dicit de cœlestibus corporibus, & de quatuor elementis actum esse in his libris; nec vllum apud Arist. comperiemus locum, in quo asserat, se in libris de Cœlo egisse de mundo.

Tertium argumentum.

Quomodo verè dici possit, subiectum in libris de Cœlo esse Mundum.
Cap. XVI.

Sed memoratæ sententiæ falsitas clarior redderetur, si declarauerimus, quomodo ad rectum sensum opinio de mundo redigi possit, huius enim comparatione error aliorum, qui alium sensum acceperũt, manifestissimus erit. Mundum hunc corporeum duobus modis sumi philosophi omnes concedere videntur, quum enim nomen mundi significet quoddam perfectum & absolutum, duplex in eo perfectio notari potest, vna molis seu quantitatis, altera qualitatis seu formæ; illam vocarent Latini nostri extensiuam, hanc intensiuã: ratione quidem quantitatis & extensionis perficitur, & absoluitur mundus à quinq; simplicibus corporibus, à mistis enim non integratur mũdi moles quatenus mista sunt, sed quatenus constant ex simplicibus tanquam ex materia; quare etiamsi nulla essent mista, perfectus tamen hac ratione mundus diceretur, ex omni enim constaret quantitate, & omnem locum adimpleret; ideò Arist. dixit mista non alium habere locum, quàm illum qui eis conuenit ratione elementi præualentis in mistione singulorum; ratione autem formæ & perfectionis secundùm intensionẽ acceptæ, mundus non à solis simplicibus corporibus dicitur perfectus, sed etiam à mistis omnibus, nam præter elementa adiectæ sunt mistis propriæ singulorũ formæ, in quib. omnibus, earumq; ordine

Mundus sumi potest dupliciter.

rdine ita est mundi perfectio constituta, vt v- A a sublata desineret mundus esse perfectus & rnatus. Ad molis igitur mundi integritatem ola simplicia pertinent, ad ornatum verò & d absolutam perfectionem etiam mista. Iner omnes autem qui mundum esse horum li rorum subiectum dicunt, hoc cõuenit, quòd mundus consideratur hîc vt ex solis simplicib. onstans, non vt ex mistis; attamen si post liros Physicæ auscultationis priùs offerebatur obis totum cognoscendum quàm partes, à B oto ordiendum erat accepto potiùs secundo odo quàm primo, sicut antea considerabaus. Primo autem modo acceptus mundus il aliud reuera est, nisi quinq; simplicia corora sic ordinata, vt graue subsstet leui, & graius minùs graui; & id, quod nec graue nec eue est, alia omnia intra se contineat & comlectatur: itaque de quinque simplicium corporum naturis loqui, per quas singula prorios, & ita, vt prædiximus, inter se dispositos C ccupant locos, est de mundo loqui, quum nil liud sit mundus, nisi illa sic ordinata. Quamobrem si ita intellexit Alexander subiectum sse mundum, vt subiectum sint ipsa simplicia orpora, quorum congeries est mundus, vera st eius sententia, idq; videntur ipsius verba à implicio relata significare, quando dixit conilium Arist. esse agere de mundo & simplicibus corporibus, vt coniunctiua pro declaratia sumatur, & sensus verborum sit, scopus est D mundus, hoc est simplicia corpora, ex quibus onstat mundus. hæc enim etiam Auerrois opinio fuit, qui quum aliquando dixerit subiectum horum librorum esse mundum, vt legimus in principio suæ paraphraseos, & in potremo Cõmentario tertij libri, non ob id dixit (quod multi dicunt) simplicia corpora non vt subiectum tractari, sed vt principia mundi, hoc enim nil potest ineptius, nil falsius excogitari, quandoquidem priùs oportuisset Ari- E stot. de simplicibus corporib. agere, quàm de mundo, si illa vt mundi principia considerarentur; quoniam cuiusq; rei cognitio ex principiorum suorum cognitione acquiritur, nec potest res ijs ignoratis bene cognosci; ipsi tamen dicunt, agi priùs de mundo quàm de simplicibus corporibus, quod secundùm eorum sententiam est omnino absonum rationi: at putauit Auerroes simplicia corpora considerari vt subiectum libri, non vt principia sub- F iecti, vt apertissimè apud eum legimus in primo Cõmentario libri tertij de Cœlo, vbi primùm inquit consilium Arist. esse agere de partibus mundi simplicibus, nec ob id intelligit simplicia corpora cõsiderari vt principia mundi; nam postea seipsum declarans inquit demonstrari ipsorum accidentia per suas causas, subiectum autem est illud, de quo accidentia per suas causas demonstrantur, ea igitur corpora vult ibi habere locum subiecti. Legimus etiam ibidem apud Auerroem verba hæc *[& iam loquutus est in primo, & in secundo huius libri de corporibus cœlestibus, & accidentibus eorum; vult modò dicere de alijs quatuor simplicibus, quæ rectè mouentur]* sic enim dicit, accidentia cœlestis corporis tractata fuisse in primo & 2. libr. de Cœlo: quare non putauit primum librum ita esse de accidentibus mundi, vt non sit de accidentibus Cœli. Demum autem in calce eiusdem commentarij sententiam suam clarissimè profert, & aliorum errorem patefacit Auerroes, dum distinguit considerationem elementorum, quæ habetur in libris de Generatione, ab ea quæ habetur in libris de Cœlo, his verbis: *[in libro de Generatione non considerat elementa, nisi propter considerationem mistorum generabilium & corruptibilium; hîc autem considerat ea inquantum sunt partes mundi, hîc igitur considerat ea inquantum sunt subiectum, ibi verò inquantum sunt principia.]* Itaq; apud Auerroem considerare elementa vt partes mundi, non est ea considerare vt principia subiecti, sed est ea considerare vt subiectum libri, siquidem partes integrantes non distinguuntur re à toto, sed sunt idem quod illud; quare considerare mundum vt constantem ex simplicib. corporibus, & considerare simplicia corpora vt sunt partes mundi, idem est: proinde subiectum dicere mundum, idem est ac dicere simplicia corpora esse subiectum: eaque Auerrois opinio fuit, qui in eodem dicto commentario tum dixit elementa in libris de Cœlo considerari vt partes mundi, tum etiam dixit considerari quatenus sunt simplicia.

Quòd melius sit dicere subiectum corpus simplex, quàm Mundum. Cap. XVII.

NOn est autem ignorandũ, quòd quum nomine mundi, & nomine simplicis corporis idem horum librorum subiectum denotetur, attamen longè meliùs, & artificiosiùs loquimur dicentes corpus simplex, quàm dicentes mundum, quia licet eandem vtroque modo rem consideratam exprimamus, non æquè tamen modum considerandi exprimimus, qui est quatenus simplex, non quatenus mundus: quod ostendo, sumens ab hoc dubio occasionẽ, quod quum ego pluribus eruditis viris iam obtulerim, neminem reperi, qui id bene soluerit: dubium tale est: *Dubium.* Sententia nunc est plurium philosophantium, quòd tota scientia naturalis subiectum habeat adæquatum corpus naturale quatenus naturale est; hic itaque considerandi modus debet esse proprius scientiæ naturalis, & illi adæquatus, ita vt nulla sit alia disciplina, in qua aliquid consideretur quatenus naturam habens, nec vlla sic scientiæ naturalis pars, quæ alia ratione consideret aliquid nisi vt naturale, seu naturam habens; quum igitur in libris de Cœlo agatur, seu de

Mundo, seu de Cœlo, & de Elementis, quæ omnia sunt corpora naturalia, necesse est ea considerari hac sola ratione quatenus naturalia corpora sunt; atqui efficax illatio semper est à quatenus ipsum ad de omni; igitur quẽadmodum si homo quatenus est animal, sentit, necesse est vt omne animal sentiat; ita si illa considerantur vt naturam habentia, necesse est ibidem considerari omnia naturam habentia, proinde omnia naturalia corpora in libris de Cœlo subiectum erunt, tum simplicia, tum mista; & hoc dubium non minùs in quolibet alio libro Scientiæ Naturalis locum habet, quàm in libris de Cœlo, causa enim absurditatis esse videtur, quia sic ponitur modus considerandi amplior re considerata, nam latiùs patet quatenus naturale, quam elementa, quàm animalia, quàm stirpes. quare dum dicimus aliquod horum considerari vt naturale, in prædictum absurdum incidimus, vt dicamus ibi considerari omne naturale; quòd si dicamus considerari non vt naturale, sed alio modo, ea consideratio non pertinebit ad scientiam naturalem, quia sub modo considerandi scientiæ naturalis non continebitur. Vera huius dubij solutio meo quidem iudicio in hoc consistit, quòd quemadmodum res considerata communis primùm est, deinde ad varias species coarctata, sic & modus considerandi; hoc enim omnino consitendum est, si modus considerandi debet esse æqualis rei consideratæ, vt antè dicebamus; quoniam igitur subiectum in tota scientia naturali vnum est, corpus naturale; idque primo loco tractandum proponitur vt commune genus, deinde ad varias species ordinatim coarctatur, nec ob id plura sunt subiecta, sed vnum, siquidem species omnes in communi genere vnitatem recipiunt; modus quoq; considerandi vnus est totam scientiam amplectens, quatenus naturam habens, ita tamen vt priùs sumatur natura communiter, & indistinctè in libris Physicæ auscultationis, deinde cuiusque naturalis corporis propria natura, quæ huius proprij motus principium est; considerantur igitur in libris de Cœlo simplicia corpora, quatenus proprias habent naturas, quæ propriorũ simplicium motuum causæ sunt; simplicis autem motus causa est natura simplex: est itaq; subiectum corpus simplex vt naturam simplicem habens, non vt absolutè naturam habens, sic enim sequeretur ampliorem esse modũ considerandi re considerata, & alia inde emanatent absurda, quæ in dubitatione tacta fuere, quæ omnia in quolibet libro naturali euitamus, dum naturam restrictã sumimus ad corpus illud naturale, quod in quoquo libro dicatur considerari. Sic etiam seruatur ille doctrinæ ordo, & artificiosus progressus ab vniuersalibus ad particularia, quem proposuit Aristot. in Procemio primi Physicorum à corpore naturali latissimè accepto ad singulas eius species, quatenus proprias singulæ habẽt naturas, quæ propriorum motuum sunt principia; talis enim reuera est apud Aristotelem consideratio omnium corporum naturalium in tota philosophia naturali. Hunc igitur artificiosum progressum seruamus, dũ dicimus subiectum in libris de Cœlo esse corpus simplex quatenus simplex, seu mundum quatenus est omnium simplicium corporum cõgeries; sic enim dicimus quatenus naturam habet simplicem: non sic, si dicamus subiectum esse mundum, seu simplicia corpora quatenus mundum constituunt, mundus enim non est species corporis naturalis, sed est potiùs omnium naturalium corporum aggregatio, neq; vt mundus est, habet aliquam propriam naturam, vel proprium aliquem motum, sed solùm habet proprias naturas singulorũ corporum, & proprios singulorum motus: quare si tota scientia naturalis versatur in corpore naturali quatenus habet in se naturam, quæ est principium motus naturalis, non potest ita considerare mundum vniuersum, vt eius consideratio sit seiuncta à consideratione singulorum corporum, è quibus mundus constat. Summa igitur hæc sit; nomine mundi significari posse fatemur rem in libris de Cœlo consideratam, sed modum considerandi omnino negamus nomine mundi significari posse. Adde quòd appellatio mundi ambiguitate non caret, potest enim non modò id, quod ex simplicibus corporibus constat, sed etiam id, quod omnia prorsus corpora continet, appellari mundus; imò & rerum omnium tam corporalium, quàm incorporalium collectionem posset quispiam nomine mũdi intelligere; hæ autem licet vnum mundum constituant, non ita tamen vnum, vt sub vnam scientiam cadere aptus sit. Quòd igitur melius sit subiectum statuere corpus naturale simplex, quàm mundum, manifestum est.

Solutio. | Suprà cap. 3. | Nomen Mundi est æquiuocum.

Solutio argumentorum pro Alexandro adductorum. Cap. XIIX.

Restat, vt quantum roboris habeant argumenta pro Alexãdro adducta, videamus. Ad primum ex inscriptione acceptum, possumus bifariam respõdere; primùm dicere possumus, nihil esse absurdi, si Cœlum in hac inscriptione pro solo quinto corpore accipiatur, non est enim necessarium, vt inscriptiones librorum semper sumantur ab omnibus rebus consideratis: quum soleant esse arbitrariæ, & interdum etiam à nullius rei consideratæ nomine sumi comperiantur; vt Metaphysica sic appellata, non est à re aliqua considerata, sed ab ordine doctrinæ respectu scientiæ naturalis; eadem etiam vocatur scientia diuina, licèt parua tantùm eius pars sit de rebus diuinis, sic enim appellatur à sola præcipua re considerata. qualis esset etiam inscriptio librorum de Cœlo, si Cœlum pro solo

Ad primum.

solo quinto corpore acciperetur: sic libri quoque Meteorologici inscribuntur ab ijs tantùm, quæ in sublimi fiunt, non ab ijs, quæ gignuntur in terra, licèt talia plura in eiusdem libris consideretur. Secundò dicere possumus fumi in ea inscriptione Cœli pro mundo vniuerso, idque sententiæ nostræ minimè refragari, quum nos quoque afferamus tractari in his libris vniuersum, hoc est, simplicia corpora, quorum collectio est mundus vniuersus; sic autem sumpta esset inscriptio à re consiperata, at non à modo considerandi, neque id absurdum est, quum aliquæ inscriptiones ne à re quidem considerata sumptæ apud illustres auctores comperiantur, sed ab aliquo extraneo, vt prædiximus, quocirca nil roboris habet argumentum hoc. Ad secundū iam patet responsio ex ijs, quę antea dicta sunt; diximus enim primum librum esse de Cœlo, vt ipse Arist. affirmat in initio tertij libri, & in initio primi Meteorolog. nam accidentia Mundi, quę in primo libro tractantur, primò competunt Cœlo, indeque ad vniuersum mundum rednudant; ideo volens ea attribuere Aristot. mundo vt subiecto adæquato, cognouit nullum esse locum eis conuenientiorem, quàm eum librum, in quo de cœlesti corpore agitur, & id eorum tractationem aggressus est statim post declaratam quinti corporis naturam, qua de re alio in loco vberiùs loquuti sumus, quum nostram de doctrinæ ordine sententiam ab aliorum obtrectationibus tueri coacti fuimus. Tertij argumenti solutio sumitur ex verbis Simplicij, qui dicit Cœlum non ideò vocari elementum, quia sit materia mundi, sed quia est simplex, quam responsionem verissimam esse demonstro; quum enim Arist. in ijs libris & Cœlum & alia quatuor simplicia corpora elementa vocet, conficeri cogimur ea omnia eâdem ratione elementa appellari, itaque si Cœlum respectu mundi elementum dicitur, oporteret etiam reliqua dici elementa respectu mundi, hoc tamen ita est absurdum, vt nihil falsius, nam legentibus totum librum de Cœlo, patet ea nunquàm vocari elementa respectu mundi, sed semper respectu mistorum, ipsa namque vocat Arist. elementa corporum, & in definitione elementi, quam ibi tradit, hoc manifestissimum est; igitur neque Cœlum dicitur elementum respectu mundi, sed per illorum similitudinem, quum enim sint eiusdem ordinis quatenus simplicia sunt, & conditio elementi sit vt sit simplex, Cœlum dicitur elementum quatenus est simplex sicut illa, quæ verè sunt elementa mistorum. Miror autem quòd aliqui negare audeant necessariam esse elementi conditionem vt sit simplex, & dicant requiri solum vt sit homogeneum & ex eo cætera constituantur; nam manifestè repugnant Aristoteli, & incidunt in sententiam Anaxagoræ in contextu 33. illius tertij libri ab Aristotele re-

A probatam, inquit enim non omne homogeneum esse elementum, vt carnem, & os, sed id solum, quod in res specie diuersas resolui non potest, caro autem resoluitur in ignem, aquam, aërem, & terram, proinde caro non est elementum: vult ergo Aristoteles non esse elementum, nisi id, quod est simplex, idq; etiam apertè asserit in cap. 3. lib. 5. Metaphysic. vt ibi videre est. Confirmatur autem hæc Simplicij, ac nostra responsio testimonio A-
B ristot. in primo Meteorologic. cap. 3. & 4. vbi Cœlum similiter vocat primum elementum; ibi namque certum est non vocari Cœlum elementum respectu mundi, quum in ijs libris non alia ratione consideretur Cœlum, nisi vt causa eorum, quæ in inferiore mundo fiunt; itaq; non alia ratione dicitur elementum, nisi quia est simplex. Ad quartum neganda est minor propositio; ad probationē autem negamus mundum habere alia accidentia præ-
C ter illa, quæ propria sunt alicuius simplicis corporis; nam illa quæ in primo libro tractantur, naturam Cœli consequuntur: mundum verò habere principia negādum omnino est, quanquam enim ex simplicibus corporibus constat tanquam ex partibus, & ex materia, talis tamen materia non dicitur principium rei, nisi ei forma superueniat, queadmodum membris animalis superuenit anima, quo fit vt partes animalis tum sint partes integran-
D tes, tum essentiales, nempe materia, quæ ab anima superueniente perficitur; talem autem formam mūdus non habet; quare vanum est id quod illi dicunt, simplicia corpora vt mundi principia considerari, quod ex eo quoque ostenditur, quòd non tractantur ante accidentia mundi, vt tractanda essent, quia priùs sunt cognoscenda principia rei, deinde accidentia consequentia. Quòd verò dicunt, principia simplicium corporum non considerari in li-
E bris de Cœlo, falsum est, licèt enim Cœlum non habeat principia, habet tamen propriam naturam, quæ declaratur in primo libro, eaq; tractatio est instar tractationis principiorum Cœli, non enim aliam ob causam quæruntur principia rei habentis principia, nisi vt eius natura & essentia cognoscatur. Quatuor autem elementa habent quidem principia, materiam & formam; sed de materia nil dici poterat præter illa quę in primo Physicorum di-
F cta erant; de forma verò dictum quidem est in illo primo libro, sed solùm communiter & generaliter, restabat igitur dicendum de proprijs elementorum formis iuxta promissum Arist. in postremo contextu illius primi libri Physic. idque faciendum erat in libris de Cœlo, sed quoniam hæ sunt incognitæ, & nomine carent, Aristoteles accepit proprietates loco formarum, nempe grauitatem & leuitatem: quare negari non potest formas elementorum in libris de Cœlo considerari; patet etiam ibi declarati, proprios eorum motus &

Ad quartū.

Quomodo Cœlum habeat principia.

propriàs quietes, aliaque eorundem acciden- A tia: quare falsam prorsus minorem aduersarij sumunt. *Ad quintũ.* Ad quintum negandum est conse- quens, & vt ratio negationis appareat, retor- queo priùs contra aduersarios argumentum sic; potest considerari mundus, vt constans ex omnibus & simplicibus, & mistis corporibus, qua ratione propriè dicitur mundus & per- fectus & ornatus, ergo nisi in aliquo libro sci- entiæ naturalis ita consideretur mundus, phi- losophia naturalis manca & diminuta erit. Si B hoc argumentum non est efficax, argumen- tum quoque aduersariorum nihil habet effi- cacitatis: ratio autem est, quia mundus non est ita vnum quid, quod seorsum à partibus suis cognosci debuerit vel potuerit; sed co- gnitio partium est cognitio mundi; dum igi- tur cognoscimus omnia simplicia corpora, etiamsi nullã totius tractationem faciamus, cognoscimus mundum; quia mundus est sim- plicia corpora sic ordinata: sic etiam dum co- C gnoscimus omnia naturalia corpora & sim- plicia & mista, cognoscimus mundum altero modo acceptum, proinde nulla alia requiri- tur mundi consideratio præter consideratio- nem partium. *Ad vltimũ.* Ad postremum quod aduer- sus Simplicium afferebatur, dicimus Aristot. de Elementis agere tum in libris de Cœlo, tum in libris de Generatione & interitu, cum hoc tamen discrimine, quòd in libro de Cœ- lo ea considerat absolutè vt corpora natura- lia, in libris autem de Generatione vt princi- D pia mistorum. Quoniam igitur qualitates mo tiuæ competunt elementis vt sunt naturalia corpora, absque vllo mistorum respectu, alte- ratiuæ autem eis datæ sunt vt sint principia mistorum, Aristoteles harum qualitatum tra ctationes seiunxit, & motrices considerauit in libris de Cœlo, quæ maximè videbantur idoneæ, vt pro elementorum formis sume- rentur, quia per has formæ elementorum e- dunt immediatè proprios naturales motus, E qui eis competunt prout sunt corpora natu ralia; alteratiuarum autem consideratio fuit reiecta in libros de Generatione: qua de re postea fusiùs loquemur.

Alia aliorum sententia de subiecto librorum de Cœlo. Cap. XIX.

Aliæ quoque fuerunt aliorum senten- tiæ de subiecto horum librorum, quas non erit ab re breuiter expēdere, & an F defendi possint, considerare. *Opinio Latinorum.* Latini omnes subiectum statuisse videntur corpus mobile ad vbi, hac moti ratione; Libri Physicæ au- scultationis subiectum habuere mobile abso lutè acceptum, hoc autẽ prima diuisione di- uiditur in mobile ad vbi, & mobile ad formã; quoniam igitur motus ad locum est omnium motuum primus, rationi consonum fuit vt post cognitionem corporis, seu entis mobilis absolutè sumpti, ageretur statim de mobili ad vbi, hoc itaque subiectum est librorum de Cœlo. Horum sententia in eo probanda ma- *Dicta senten- tia comprobatio.* ximè est, quòd putarunt Arist. in libris Natu- ralibus ordinem seruasse ab vniuersalib. sub- iectis ad particularia, & in libris Physicæ au- scultationis egisse de genere ipso subiecto, postea verò in alijs libris agere de speciebus. Sed quod de subiecto horum librorum dixe- runt, admittendum non est, nisi ad bonum sensum trahatur, qui etiam videtur quibus- dam ipsorum non fuisse incognitus, vt vide- re est in quæstione Ioan. Magistri, doctoris *Defensio di- cta opinionis.* Parisiensis, Scotistæ non spernendi. Vrgetur primùm hæc opinio hac difficultate, quòd corpus loco mobile non solius libri de Cœlo, sed omnium librorum naturalium subiectum est, siquidem omne naturale corpus tam sim- plex quàm mistum, est loco mobile; quòd si generaliter accipiatur corpus loco mobile, videtur potiùs ad libros Physicæ auscultatio- nis pertinere eius consideratio, quum id o- mnia prorsus naturalia corpora sua amplitu- dine complectatur. Hoc illi videntes adiece- runt simplex, & dixère corpus simplex quate- nus mobile ad vbi, esse subiectum librorũ de Cœlo. Sed hoc dicentes in alias non minores angustias inciderunt, modum enim conside- randi ampliorẽ fecerunt re considerata, quod nullo pacto faciendum est, sic enim fieret vt non solũ simplex, sed etiam mistum, & omne naturale corpus in libris de Cœlo subiectum esset, si enim quatenus loco mobile; ergo o- mne loco mobile, vt etiam antea dicebamus. Sed hoc quoque illi animaduertentes distin- xère mobile ad Vbi, & dixère se illud tantùm intelligere, quod simplici motu fit mobile. Attamen neq; per hoc omnem difficultatem sustulerunt, nam mobilitas est accidens cor- poris naturalis, & medio naturali demonstrari potest à priori, nam corpus naturale est mobi- le, & loco mobile; quia naturam in se habet, quæ est principium motus; & corpus simplex est mobile motu simplici, quia naturam sim- plicem habet, non potest igitur mobilitas sta- tui ratio formalis subiecti in scientia natura- li, seu in aliqua eius parte, quin subiectũ pos- sit in scientia sua demonstrari per causam, de- mõstrabitur enim pars formalis de parte ma- teriali, quod quidem absurdissimum est. Vt igitur hanc quoque difficultatem effugerent, tandem dixerunt se non sumere mobilitatem vt affectionem, sed loco interni principij, à quo emanat ipsa propensio ad motum, prin- cipium autem est natura, dicunt itaque se per mobile intelligere naturale, seu naturam ha- bens, & per mobile motu simplici naturale simplex, seu naturam habens simplicem, quæ opinio nostra est, sic enim subiectũ statuũt corpus naturale simplex quatenus naturam simplicem habens. Si qui verò sententiam il- lam non sic intelligunt, ij prædictis difficul- tatibus meo quidem iudicio sic vrgentur, vt

de

efendi non possint. Iamblicus autem & Syrianus dixerunt, consilium Aristot. esse agere de cœlesti corpore, non de elementis, de his enim agi in his libris secūdariò, & propter Cœlum. Quæ sententia præter illa, quæ adversus eam à Simplicio adducūtur, hoc quoq; argumento falsa esse cognoscitur, quòd elementa sunt corpora naturalia digna per se cognitu à philosopho naturali nō minùs, quàm Cœlum; quocirca non solùm aliorum gratia tractanda sunt à naturali, sed etiam propter se. B Quoniam igitur in libris de generatione considerantur vt principia mistorum, nec perfecta ibi est eorum consideratio, siquidem particulæ tantummodò elementorum, quæ sub generationem cadunt, ibi considerantur, non integritates ipsorum; desideratur in scientia naturali tractatio elementorum absoluta & instituta propter ipsamet elementa, talis enim nulla est, nisi illam dicamus quæ habetur in duobus posterioribus de Cœlo libris. Qui C contra hanc sententiam alia videre cupit, Simplicium legat; superuacaneum enim esse existimaui, omnia quæ hac de re hic à Simplicio dicuntur, in medium adducere. De subiecto igitur librorum de Cœlo, & cur in scientia naturali secundum locum obtineant, hæc dicta sint.

De subiecto, & de loco librorum de Generatione & interitu, aliorum sententiæ, earumq; reprobatio. D

Cap. XX.

Inter omnes constat, duos libros de Generatione & interitu statim post libros de Cœlo collocari, proinde tertium in hac scientia locum obtinere: ideo si ratione duce inuenerimus, quidnam primum post simplicium corporum cognitionem nobis cognoscendum proponatur, manifestum erit horum E librorum subiectum, & prædicti ordinis ratio. Multorum sententia fuit, quòd subiectum horum librorū sit Generatio & interitus, quum Arist. in ipso eorum librorum initio hunc tanquam scopum sibi proponat, de Generatione & interitu loqui. Hanc sententiam nos alibi reprobauimus, & ostendimus, generationem & interitum esse quidem scopum & intentionem Aristot. in his libris: at subiectum dici non posse, quum sint accidentia & affectio- F nes corporum naturalium, & in ijsmet libris affectiones in subiecto inhærentes tractentur ab Arist. quæraturque ibi an sint, & à priori per suas causas demonstrentur de subiecto, quod quidem nullo pacto fieri posset, si ipsæ horum librorum subiectum essent. Sed neque ordinis horum librorum vlla ab his adduci recta ratio potest, quum enim ipsi dixerint, subiectum librorū de Cœlo fuisse mundum vniuersum, vt ex simplicibus corporibus constantem, nulla idonea ratio apparet, cur

A post cognitionem mundi sequatur cognoscenda generatio: quòd si quā ipsi adducunt, ea ita leuis est, vt non possit in illa animus acquiescere; mundus enim & simplicia corpora substantiæ sunt, generatio verò accidens: cur igitur post illarum substantiarum notitiam sequantur hæc accidentia noscenda, generatio, interitus, alteratio, accretio & imminutio, nec potius aliæ substantiæ naturales, nulla (vt mihi videtur) afferri firma ratio potest: & huius erroris ea vna causa extitisse videtur, quòd subiectum scientiæ ab affectionibus & ab intentione, seu consilio auctoris non distinxerunt, sed hæc omnia confundentes verum doctrinæ ordinem, & artificiosam librorum structuram cognoscere nequiuerunt; hanc igitur sententiam vt alibi à nobis explosam in præsentia dimittamus. Latini, qui in lib. Physicæ auscultationis subiectum esse dixère ens, seu corpus mobile generaliter acceptum, deinde in lib. de Cœlo primam eius speciem, quæ est corpus mobile ad Vbi, probabiliorem ordinis librorum rationem adduxère dicentes, subiectum lib. de Generatione esse corpus mobile ad formam, seu (vt eorum aliqui malunt) corpus transmutabile, quod tamen meo quidem iudicio idem significat, proinde tota illorum inter se altercatio de hac re inanis est. Etenim qui dixerunt mobile ad formam, nomine formæ intellexère terminum motus absolutum ad differentiam respectiui; in decem autem summis generibus tria tantùm sunt, quæ habeant naturam absolutam, substantia, quantitas, & qualitas, reliqua omnia respectiuam, ideò tres tantùm mutationes dicuntur esse ad formam, generatio, accretio, alteratio, de quibus agitur in libr. de Generatione: motus autem localis non est ad formam, non est enim propriè ad locum, siquidem locus non est quid inhærens locato, sed extra est, quare locatum non dicitur acquirere locum, sed potiùs locationem, seu (vt vocant) Vbi: proinde rectè vocatur à Latinis interpretibus motus ad Vbi, Vbi autē significat respectum quendam locati ad locum, quare nō est propriè forma; itaque distinguitur motus ad Vbi a motu ad formam, qui complectitur generationem, auctionem, & alterationem, & tractatur in lib. de Generatione; quum igitur hūc eundem significare voluerint alij dicentes transmutabile, nō video in quo differant transmutabile, & mobile ad formā. Sententia hæc maiorem, quàm altera priùs reiecta, probabilitatem habet, & propiùs ad veritatem accedit, nam hi corpus aliquod naturale subiectum horum librorū statuunt, non affectionem, vt illi; ratione quoq; ordinis potiore vtuntur, nam ordine doctrinæ considerādum priùs est mobile generaliter acceptū, quàm eius species, & inter has priùs mobile ad Vbi, quàm mobile ad formam, quoniam

Latinorum opinio de subiecto libr. de Generatione.

Quid sit mobile ad formam.

Tria sunt prædicamēta absoluta.

motus localis latissimè omnium patet, & primus omnium est. Attamen hi quoque à veritate recedunt ob rationem à nobis tractam superiùs, quum de subiecto lib. de Cœlo loqueremur, nam mobilitas ad formam est accidés, quod per causam naturalem demonstrari potest, sic autem demonstraretur modus considerandi de re considerata, quod esset demonstrare subiectum. Hi tamen minùs peccant quàm qui dicunt corpus generabile & corruptib le subiectum esse, quatenus generabile, & corruptibile, nam præterquam quòd isti quoque generabilitatem, quæ est accidens, modum considerandi faciunt, in eum quoq; errorem labuntur, quòd illum magis coarctant, quàm coarctandus esset: dum enim corpus generabile subiectum esse dicunt quatenus generationi subijcitur, excludunt alia omnia quæ in his libris considerantur præter generationem & interitum: meliùs itaq; alij dicebant, quatenus mobile ad formam, sic enim modum considerandi ampliorem facientes, dicunt ipsum considerari non solùm vt generationi & interitui, sed etiam vt alterationi & accretioni & imminutioni & mistioni subijcitur. Ob id tutius fortasse est, nullum in singulis naturalibus libris modum considerandi quærere præter rem consideratam, quum id multis causa erroris extiterit; satis nanq; est semel rationem considerandi toti scientiæ adæquatam inuenisse, quæ est quatenus habens naturam, dummodò semper naturam intelligamus, vt antea in libr. de Cœlo annotauimus, nempe non semper latè, & indistinctè acceptam, sed ad illud corpus, quod in quoquo libro tractatur, contractam, atque restrictam. Quemadmodum enim in libris de Cœlo subiectũ esse diximus corpus naturale simplex quatenus naturam habens simplicem, quæ est principium proprij motus, aliorumq; propriorum accidentium; ita vbi subiectum esset animal, nullus esset alius quærendus considerandi modus, nisi vt habens naturam, propriam scilicet animalis, quæ propriorum motuum & accidentium causa est. Sic igitur in quolibet libro naturali quum primùm inuenta est res considerata, hoc est subiectum, quod materiale vocant, modus quoq; considerandi inuentus est, consideratur enim quælibet species corporis naturalis, quatenus propriam habens naturam. Hoc admonere volui, vt commune præceptum esset, quod & in hoc, & in alijs sequentibus libris obseruemus: satis enim erit in singulis cognoscere subiectum materiale, quod quidem in quolibet libro necesse est esse speciem aliquam corporis naturalis: modus enim considerandi idem semper subaudiendus erit. Quòd igitur ad subiectum attinet libr. de Generatione, hæc de aliorum sententijs dicta sufficiant.

Aliorum opinio.

Confutatio.

Nota de modo considerandi.

A

De subiecto libr. de Generatione sententia propria, eiusq; declaratio.

Cap. XXI.

Vt ipse hac in re meam sententiam proferam: ego puto corpus naturale generationi & interitui obnoxium in his libris subiectum esse, ita tamen vt per hęc rem solam consideratam significari intelligamus, non modum considerandi, hic enim semper subaudiendus est, quatenus propriam habet naturam; hoc quidem alij, qui hanc ipsam sententiam sequuti sunt, non animaduertentes in magnas difficultates inciderunt; sed eas nos nullo negocio euitamus; illi nanq; dum generabile & corruptibile vt rationem considerandi sumunt, cætera omnia, quæ in his libris tractantur, excludunt; nos autem per hæc subiectum solum materiale denotantes, exprimere tantummodò volumus, quam naturalis corporis speciem Aristot. in his lib. tractaturus sit, eandemque significare possemus dicendo corpus naturale alterabile, hoc enim cum corpore generabili reciprocatur; huic postea æquatam considerandi rationem adijcientes, quatenus propriam habet naturam, omnium, quæ huius corporis naturam insequuntur, considerationem amplectimur, nullamq; eorum excludimus. Sed nondum propriam de subiecto horũ librorum sententiam protulimus, adhuc enim non expressimus, quidnam intelligamus per corpus generationi & interitui obnoxium, quum in hoc ego ab aliorum opinione dissentiam: referam igitur sententiam meam, eamque quanta potero breuitate declarabo. Ante omnia est nobis hoc fundamentum iaciendum, quòd quando dicimus rem aliquam æternam vel caducam esse, non respicimus speciem, sed indiuiduum; nam si species spectemus, omnes apud Aristot. sunt æternæ, proinde nulla res datur, quæ sit vnquam interitura secundùm speciẽ: quoniam igitur rerum alias dicere solemus caducas, & mortales esse, alias verò perpetuas, certum est nos semper indiuiduis fulcire tum æternitatem, tum interitum attribuere. Hoc ita constituto, si considerare velimus, an naturalia corpora sint caduca, an æterna, tres eorum gradus esse comperiemus, duos extremos, tertium medium: primus gradus est cœlestium corporum, quę apud Arist. æterna penitus sunt tam secundùm se tota, quàm secundùm partes; alter est mistorũ corporum, quæ singula interitui obnoxia sunt tam secũdùm partes, quàm secundùm se tota: medium inter hæc locum elementa obtinent, quæ secundùm partes quidem continuè generantur & intereunt, at secundùm integritates suas nec vnquam apud Arist. sunt genita, nec vnquam interitura, proinde sunt quatuor indiuidua æterna. Dedit autem natura elemẽtis has duas contrarias conditiones propter duo munera, quibus

B

C

D

E

F

Tres gradus corporum naturalium.

Elemẽta quomodo sint æterna.

Duo munera elemẽtorum.

quibus ea in mundo fungi oportebat, tanquã propter duos scopos ac fines. ideoq; dedit etiam eis duo genera qualitatum, tanquam instrumenta, per quæ duobus illis muneribus fungerentur. Vnum munus fuit integrare hanc machinam, quæ vocatur mundus, primæ namque partes, è quibus mundus constat, sunt quinque simplicia corpora, vt antea dicebamus; quod munus obeunt elementa secundùm se tota, ignis enim totus supremum locum implet, terra totum infimum, aër, & aqua medium; Cœlum verò hæc omnia ambit, & continet: huic priori muneri inseruiunt motrices qualitates, grauitas & leuitas, quodlibet enim ipsorum suum locum occupat, vel vt graue, vel vt leue, vel vt nec graue, nec leue. Patet autem elementa in huius muneris functione nullam habere relationem ad mista, sed absolutè existere vt corpora naturalia, etiamsi nullum mistum ex ipsis cõstitueretur. Alterum munus est vt sint materia corporis misti, eoq; fungũtur non amplius secundùm se tota, sed secundùm particulas, tota nanque commisceri non possunt, sed solæ particulæ commiscentur, & constituunt mistum: propter hoc secundum munus, quo elementa respiciunt mistum vt eius principia, datum est eis alterum genus qualitatum, quæ vocantur alteratiuæ, quibus inter se agere & pati, & mutari inuicem possent, siquidem ex pluribus, ijsque contrarijs naturis tanquam ex materia non poterat vnum aliquod generari, nisi illa & alterari, & generari, & interire per mutuam inter se actionem, & passionem apta essent, & se mutuò frangere, & castigare possent, & in naturam vnam coalescere: non sunt autem elementa apta inter se agere, & pati, nisi per qualitates alteratrices, nimirum vt sunt calida, frigida, humida, & sicca: Satis autem per se manifestũ est has qualitates ad prioris muneris functionem nihil conducere, sicuti neq; ad posterius munus conferunt qualitates motrices, modò enim sint grauia & leuia, etiamsi statuerentur, nec calida, nec frigida esse, nec humida, nec sicca, satis idonea essent ad manendum quæq; in locis suis, & ita mundũ constituendum. Sic etiam patet ad elementorum mistionem non conferre grauitatem, & leuitatem, quum fateri oporteat elementorũ particulas in misto non distingui loco, sed quamlibet misti particulam esse mistam. Ex his colligimus duas esse debuisse in philosophia naturali distinctas elementorum considerationes, vnam absolutam, qua elementa secundùm se considerarentur vt corpora naturalia, sine vllo mistorum respectu, eamque manifestum est Arist. fecisse, & absoluisse in libris de Cœlo, vbi elementa tanquam species corporis naturalis habent locum subiecti: alteram verò respectiuam, prout sunt materia mistorum, qua ratione tractantur ab Arist. in lib. de Generatione, proinde non vt subiectum, sed vt principia subiecti, quæ fuit Auerrois opinio in primo, & vltimo Comment. 3. lib. de Cœlo. Hæc si vera sunt, vtamur argumento Arist. in princip. 12. Metaphys. illud est subiectum, cuius principia considerantur, atqui elementa in libris de Generatione tractantur vt principia corporis misti, ergo subiectum horum librorum est corpus mistum: videtur que hoc mirificè consentaneum ijs, quæ antea de librorum ordine diximus, quum enim primo loco actum sit de corpore naturali latè accepto, idque prima partitione diuidatur in simplex & mistum, & simplex præcedat misto, proinde secundo loco actum sit de corpore naturali simplici in libris de Cœlo; sequi videtur vt statim tertio loco agatur de corpore naturali misto in libris de Generatione & interitu, vt mox in alijs libris naturalibus agendum maneat ordinatim de speciebus misti. Adde quòd necessarium omnino fuit de misto latè accepto agere in aliquo libro naturali, idque manifestum est in nullo alio fieri, nisi in libris de Generatione id fieri fateamur, in quibus etiam videmus agi ex professo de mistione, & de generatione misti generaliter sumpti: de misto igitur generaliter accepto, agĩ in libris de Generatione, de ipsius autem speciebus agetur postea in sequentibus libris naturalibus, vt mox ostendemus.

Duæ elementorum considerationes.

Subiectum lib. de generatione est corpus mistum.

Difficultates contra predictam sententiam, & earum solutio.

Cap: XXII.

SEntentia hæc clarior & manifestior fiet, si difficultates, quibus maximè labefactari videtur, de medio tollamus: videtur enim non solum mistũ, sed potiùs corpus generabile, quod elementorum, & mistorum est cõmune genus, statuendum esse in his libris subiectum, idq; ostenditur primùm auctoritate Arist. qui in initio 1. lib. de Generatione proponit se acturum de Generatione & interitu omnium, quæ natura generantur & intereunt; facit ergo subiectum non mistum solum, sed omne corpus generationi & interitui obnoxium. Præterea illud est subiectum, cui primò competũt affectiones, quarum declaratio est scopus auctoris in eo libro; at scopus & intentio Arist. in ijs duobus libris est agere de Generatione & interitu, & de alteratione, vt ipse in eodem loco asserit, hæ autem non primò competunt corpori misto, sed generi ampliori, corpori caduco; hoc igitur est subiectum, non mistum solum. Tandem confirmatur, quoniam in scientia procedendum est à magis communibus ad minùs communia; at corpus caducum latiùs patet, quàm corpus mistum, & est genus vniuocum, de quo multa dici possunt; priùs ergo agendum fuit de corpore caduco generaliter, quàm de

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

misto; id tamen non fit vllo alio in loco, nisi dicamus in libris de Generatione & interitu. Huius difficultatis solutio mihi videtur in duobus, quæ iam declarauimus, esse constituta. Vnū est, quòd generatio non omnino competit elementis, quoniam particulis tantùm eorum competit, non ipsis totis; tota nanque, vt diximus, sunt quatuor indiuidua, quæ secundùm quandam æquipollétiam seruantur æterna; quemadmodum etiam nauis dicitur eadem numero diuturnissimè seruari, licèt sæpe facta sit partium mutatio & instauratio, siquidem nunquam tota simul mutata est, & forma eadem mansit. Alterum est quòd eo etiam modo, quo competit elementis generatio & interitus, competit eis propter mista, quibus propriè & præcipuè competit: quò fit vt primum subiectum generationis & interitus primitate scopi, & intentionis naturæ non sit nisi mistum; licet primum primitate adæquationis sit quiddam communius: poterat enim natura facere omnia simplicia corpora æterna, si nullum alium scopum sibi proposuisset, nisi ex ijs mundum constituere, sed voluit ea secundùm partes esse mutabilia propter generationem mistorum, quæ non poterant ex multiplici materia generari, nisi illa quoque generari & interire posset: quamobrem si scopum & consilium naturæ spectemus, dicere possumus, generationem & interitum elementis competere non propriè vt subiecto, sed potiùs vt principijs, & vt materiæ generationis & interitus corporum mistorum, quorum hæc erat natura, vt generari, & interire non possent, nisi proxima quoque ipsorum materia modo aliquo generationi & interitui obnoxia fuisset; propterea ipsa quoque vocare possumus subiectum primū generationis primitate originis. Hæc fuit absque dubio Aristot. mens, qui in 1 libro postquam definitionem generationis & interitus declarasset, & mox de earum causis acturus esset, scopum & consilium suum in contextu 43. proponit his verbis: [*Quoniam autem oportet primum de materia; & de vocatis elementis dicere*] etenim dictio [*&*] non est coniunctiua, sed declaratiua, quia postea nullam aliam materiam declaraturus erat, nisi materiam secundam, quæ sunt quatuor elementa; de his ergo agendum proponit non tanquam de subiecto generationis, sed tanquam de materia generationis; ipsa quoq; elementorū tractatio, quæ in secundo libro habetur, est eiusmodi: nā in initio secūdi libri quatuor primas qualitates vocat Aristot. principia elementorum, quum tamen accidentia potiùs elemētorum sint, & alibi ab ipsomet Aristot. accidentia & qualitates vocētur; propterea quòd dum elementa absolutè cōsiderantur vt naturalia corpora, hę sunt reuera qualitates, eorum formas nobis incognitas sequentes; at dum accipiuntur in secundo munere, quo respiciunt mistū,

Generatio nō omnino competit elementis.

Generatio data est elementis propter mista.

Qualitates sunt principia elementorum.

A illæ eædem qualitates euadūt formæ elementorum, & constituunt rationē principij, quia sunt rationes formales, quibus elementa sunt principia mistorum; neq; absurdum hoc est, & notatur à Themistio in 1. Phys. in sua magna digressione, & clarū per se in omnibus rebus est: quum enim homini quatenus est homo, habere filium sit accidens, idque separabile; idem tamen eidem quatenus est pater, essentiale est; alia namque per se competunt rei vt B absolutè sumptæ, alia eidem vt ad aliud relatæ. Postquam autem in eo secundo libro docuit Arist. quatuor primas qualitates esse formas elementorum vt respicientium constitutionem misti, loquitur primùm de generatione elementorum, postea verò de generatione mistorum, significans generationem competere primùm elementis vt materiæ, sine cuius mutatione non competeret generatio mistis, in primo etiam contextu eius secundi li- C bri rationem afferens, cur sit acturus de elementis, inquit, quia generatio & interitus corporibus naturalibus inest non sine elementis; asserit ergo se de elementis acturum tanquam de materia generationis mistorū; & rectè dicit [*non sine*] solet enim materia vocari causa sine qua non. Hoc etiam legimus apud Arist. in 1. cap primi libri de Partibus Animaliū, vbi dicit [*aër & aqua non nisi corporum materia est*] particulæ nanque elementorum vt inter D se alterantur atque mutantur, gratia mistorū sunt, tanquam eorum materia: quod etiam apertè protulit in 1. cap. secundi eorundem librorum, vbi etiam dicit, quatuor primas qualitates esse materiam mistorū corporum, scilicet quatenus in constituenda proxima misti materia funguntur officio formæ. Fuit prætereà rationi consonum, vt, quemadmodum Cœlum, & elementa in libris de Cœlo fuerunt eodem modo considerata vt corpora na- E turalia, quorum congeries dicitur mundus; ita in libris de Generatione similis in eo sit ipsorum omnium consideratio, vt sunt principia aliorum: quoniam igitur manifestū est in secundo libro de Generatione Cœlum cōsiderari vt causam generationis effectricem, dicendum est, elementa quoque vt materiam generationis considerari. Sed fortasse dabitur aliquando occasio hoc apertè demonstrandi, si tantum vitæ mihi Deus tribuerit, F vt in libros Arist. naturales (quod opto) possim edere commentarios. Ad propositas igitur obiectiones facile est per ea, quæ modò diximus, respondere; ad primam enim quòd Aristot. dicat initio 1. lib. se de omnium penitus, quæ generantur & intereunt, generatione & interitu locuturum, id nobis non officit, cognoscenda enim est quælibet res eo modo, quo reuera est: quoniam igitur data est elementis generatio à natura propter generationem mistorum, hoc ipso modo, non alio cognoscenda est, nempe vt competens & ele-

Ad primum argumentum.

mentis & mistis, sed elementis vt principijs & A materiæ, mistis verò vt subiecto præcipuo in mente naturæ molientis generationem in rebus; neque enim negamus de omnium generatione in ijs libris agi, quum pateat Aristot. loqui & de elementorum & de mistorum generatione, sed dicimus agi de elementis vt de materia mistorum, quæ Auerrois opinio fuit. Sic ad secundam, quæ erat, cui primò competunt affectiones, id subiectum est, dicimus generationem & interitum, & alterationem competere corpori misto vt subiecto B præcipuo, elementis autem vt materiæ misti, quo igitur modo inest rebus generatio, eodem consideratur ab Aristot. in his libris. Sic etiam ad tertiam respondemus, non esse absurdum, neque inusitatum, quòd in eodem libro & de genere & de specie agatur, de motu enim locali laè accepto non agitur nisi in libris Physicæ auscultationis, siquidè is communiter comperit omnibus corporib. natu- C ralibus, in iisdem tamen libris de eius quoque genere motu agi manifestum est: sic in libris de Cœlo agitur & de simplici corpore communiter, & de speciebus eius omnibus, ac de singulis separatim: sic in libris de Anima tum de anima generaliter, tum de singulis animæ partibus. In libris igitur de generatione dicimus agi & de caduco corpore generaliter, & de misto generaliter, quia nullus est alius liber naturalis, in quo vel de hoc vel de illo a- D gatur, sed hoc eo modo quem declarauimus, intelligendum est, vt generatio ita in reb. inesse cognoscatur, vt reuera inest, misto vt subiecto præcipuo, elementis vt principijs, corpori autem caduco vt subiecto adæquato, adeò vt definitio generationis, quæ in primo libr. traditur, nec elementorum propria sit, vt nonnulli dixerunt, nec mistorum, sed his omnibus communis, ita tamen vt præcipuè intelligatur esse mistorum, quibus propriè E competit, elementis verò propter mista, & vt materiæ mistorum.

Ad secundũ.

Ad tertium.

Ratio ordinis lib. de Cœlo, & lib. de Generatione, & difficultatum solutio.
Cap. XXIII.

Ex his, quę hactenus dicta sunt, triplex sumitur ratio ordinis horum librorum, vnde & ipsorum subiecta facilè discernun- F tur: vna est, quum in libris de Cœlo actum sit de corpore naturali simplici, sequitur vt in libris de Generatione agatur de misto, simplex enim & naturæ & cognitionis ordine præcedit misto. Altera est, quum in libris de Cœlo actum sit de naturalibus corporibus æternis, sequitur vt agatur de caducis, & primo loco de ipso caduco corpore generaliter accepto, quod quidem fit in libris de Generatione, hoc autem quomodo sit intelligendum, iam dictum est superiùs. Hoc non ignorauit Ioan.

[Pr]ima ratio [or]dinis.

[Se]cũda ratio.

Grammaticus, qui in sua præfatione in lib. de Generat. inquit, elementa in lib. de Cœlo fuisse considerata vt æterna, in lib. autem de Generatione considerari vt generationi & interitui obnoxia; nõ sunt autem æterna, nisi secundùm se tota; nec sunt caduca, nisi ratione partium: innuit ergo considerata esse simplicia corpora in libris de Cœlo quatenus secundùm se sumpta mundum complent, in libris autem de Generatione quatenus eorum particulæ in mistionem veniunt. Tertia ratio est, quando eadem res cognoscenda est tum absolutè, tum respectu aliorum, cognitio absoluta debet præcedere respectiuam: quoniam igitur cœlum & elemẽta erant cognoscenda tum vt naturalia corpora absolutè, tum vt aliorum corporum principia, rectè fecit Aristot. qui in lib. de Cœlo ea considerauit vt corpora naturalia, in libr. autem de Generatione vt principia generationis mistorum. Sed aduersus hæc aliquæ difficultates exoriuntur, quas soluere nos oportet: primùm quidem dubitare aliquis posset non iniuria de ordine qualitatum elemẽtarium; alteratrices enim sunt natura priores motricibus, vt inquit Arist. in 1. cap. secundi libri de Partib. Animalium, deriuantur enim & emanant grauitas & leuitas à caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, quæ ob id solæ appellari solent primæ qualitates, priùs igitur debuit Arist. de alteratricib. agere, quàm de motricibus; cur itaque contrarium ordinem seruauit? Ad hoc dicere possemus, librorum ordinationem non ab accidentibus sumendam esse, sed à subiectis: quoniam igitur elementa fuêre priùs consideranda vt naturalia corpora absolutè, deinde vt principia mistorum, & ad considerationem absolutam maximè pertinent qualitates motrices; alteri autem respectiuæ congruit consideratio alteratricium: ideo Aristot. coactus est præponere motrices, præsertim quia ordo doctrinæ non sumitur necessariò ex ipso ordine rerum naturali, sed ex nostra meliore, aut facilliore cognitione. Sed præterea dicimus substantiales elementorum formas, quibus elementa constituuntur, & sunt corpora naturalia, priores esse natura omnibus qualitatibus: quoniam igitur grauitas & leuitas in libris de Cœlo sumuntur loco formarum latentium, earum consideratio debuit præcedere considerationem qualitatum alteratricium, reuera enim grauitas & leuitas in libris de Cœlo sumuntur vt illorum corporum formæ conuenientius, quàm alteratrices qualitates, quandoquidem formæ elementorum nobis incognitæ edunt naturales motus & quietes per medias has aptitudines, quæ dicuntur grauitas & leuitas, non per primas alteratrices qualitates. Quamobrem qualitates motrices tum vt competentes elementis secundùm eorum considerationem absolutam, tum vt acceptæ

Tertia ratio.

Dubium.

Solutio.

Quomodo motrices quali-tates sint formæ elemen-torum.

pro formis elementorum, priores natura sunt qualitatibus alteratricibus, quæ nunquam sumuntur vt formæ elementorum, hoc est, loco formarum substantialium latentium: sed sunt ipsæmet elementorum formæ, non quidem formæ tales, quibus elemēta vt naturalia corpora constituantur in specie, sed rationes formales, quib. elementa cōstituuntur in esse respectiuo, & sunt principia mistorum; quocirca horum consideratio omnino debuit esse posterior. Aliud præterea dubium oritur, quod multos traxit in varios errores: Aristoteles in tertio lib. de Cœlo considerat elementa prout elementa sunt, & definit elemētum, atqui nomen elementi respectiuum est, notat enim relationem ad mista, quæ ex elementis constant; ergo elementorum consideratio ibi non est absoluta, vt nos diximus, sed respectiua: præterea in eodem libro ostendit elementa esse generabilia & corruptibilia, ergo non ea considerat vt æterna. Scio equidem, multa ab alijs dici in conferenda & connectenda tractatione de generatione elementorum, quam ibi legimus, cum ea, quę postea habetur in secundo lib. de Generatione; verùm ipse omissis aliorum sententijs, & ab Arist. scopo in his libris, quem declaraui, non recedens, opinionem meam breuiter exponam & declarabo: puto enim ita esse distinctas has duas tractationes, vt neque vna cum altera coniungi, neque dici eius perfectio, seu complementum possit; earum autem discrimen in hoc videtur esse constitutum, quod aliud est generabilitas & corruptibilitas elementorum, aliud est ipsorum generatio & corruptio actualis: generabilia quidem & corruptibilia esse elementa secundùm partes docuit Aristot. in tertio lib. de cœlo, de ipsorum autem generatione & interitu non egit nisi in secundo de Generatione. sed hoc dicere nihil est, nisi & huius discriminis & vtriusque consilij Arist. rationem intelligamus, quæ in hoc consistit, quòd in qua scientia subiectum aliquod considerandum statuitur, in ea necesse est omnia quę illi subiecto per se competunt, considerare & cognoscere, secus enim imperfecta est eius subiecti cognitio; quoniam igitur per se competit elementis esse generabilia & corruptibilia secundùm partes, necessarium fuit vt in eo lib. in quo elementa locum habent subiecti, hoc quoque attributum, seu hæc eorum proprietas nosceretur, idque notatur expressè ab Auerroe in primo Comment. 3. libri de Cœlo; idcirco toti elemento tribuitur ab Aristot. in 3. lib. de Cœlo vt sit generabile & corruptibile, est enim totius elementi aptitudo & proprietas, non potest tamen ad actum duci in toto elemento, sed in partibus singulis, est igitur generabilitas elementi totius, generatio verò non totius, sed partium; illam considerauit Arist. in 3. lib. de Cœlo, hanc verò in secundo de Generatione, hæc enim non est elementorum proprietas, sicuti neque hominis risus, sed risibilitas. Ob id ego quidem non rectè dici à multis censeo, quòd Aristot. sermonem de generatione elementorum inceperit in 3. libro de Cœlo, compleuerit autem in secundo de generatione; quòd enim in 3. lib. de Cœlo non agatur de generatione, hinc cognoscere manifestè possumus, quòd alicuius accidentis tractationem necesse est in his duobus consistere, in cognoscenda eius definitione, qua significatio nominis & ipsa accidentis essentia declaretur; & in cognoscendis eiusdem causis, quæ sunt perfectio & complementum definitionis; atqui definitio generationis latissimè sumptæ non traditur ab Aristot. nisi in primo lib. de Ortu & interitu, atque ibi tanquam in proprio loco declaratur, estque definitio nominalis, siue essentialis, quia causas generationis non continet, nam eas postea declarat Arist. in secundo libro; quum igitur in 3. lib. de Cœlo neq; causæ generationis, neq; definitio cognoscatur, nō video quomodo dicere aliquis possit, agi in eo libro de Generatione elementorum: agitur ergo ibi de ipsorum tātummodò generabilitate, cuius causa nota iam est in 1. libro Physic. alia enim est causa cur elementa sint generabilia & corruptibilia, alia verò cur actu generentur & intereant; omnia igitur, quæ in eo tertio lib. dicuntur ab Aristot. de elementorum generatione, & interitu, & mutua inter se mutatione, de aptitudine, non de actu intelligenda sunt, ibi nanq; generabilia, & corruptibilia, & inter se mutabilia esse elementa cognoscimus, sed quomodo generentur, & inuicem mutentur imò & quid generatio ipsa sit, ignoramus. Quod igitur attinet ad elementorum mutabilitatem, quæ est eorum proprietas naturalis, satis ea sunt, quæ dicuntur ab Aristot. in 3. libro de Cœlo, & ea secūdùm se perfecta tractatio est ratione consilij Aristot. quod erat elementa secundùm se vt naturalia corpora considerare, nec opus erat eam tractationem absolui in secundo de generatione; nisi quatenus dicere etiam possumus quemlibet librum naturalem esse perfectionem, & complementum aliorum præcedentium, quia sine illa scientia naturalis māca, & imperfecta esset, imperfecta quidem esset animalium cognitio in libris de Partibus Animalium, nisi postea in libris de Anima de ipsorum forma sermo fieret; attamen perfecta est secundùm se tractatio de partibus in libris de Partibus, perfecta itidem secundùm se tractatio de forma in libris de Anima: sic imperfecta est cognitio corporis naturalis communis & confusè sumpti in libris Physicæ auscultationis, nisi alij sequātur libri naturales, in quibus singulę species Physici corporis declarentur. In his ergo absoluitur tractatio corporis naturalis incepta in libris Physicæ auscultationis, nec per hoc tamen stat, quin illo-

sum

Marginal notes: *Dubium.* — *Solutio.* — *Aliud est generabilitas, aliud est generatio.* — *Multorum error.*

rum librorũ, & aliorum singulorũ tractatio A secundùm se perfecta sit ratione proprij consilij, & scopi Arist. in singulo libro. Hoc quidem mihi videtur satis comprobari testimonio Aristot. in eo ipso loco, vnde illi quoque pro se argumentũ sumpsère, nam in context. 24. secundi libri de Ortu & interitu Aristot. aggredi volens tractationem de elemẽtorum generatione his verbis vtitur [*quoniam determinatum est prius quòd simplicibus corporibus ex se inuicem generatio, dicendum est quis modus ad inuicem transmutationis*] ipsi enim putarunt B Aristot. dicere se prosequi tunc velle id, quod in tertio libro de Cœlo imperfectũ reliquerat, attamẽ significat Aristot. tractationem illam in tertio libro de Cœlo pro occasione, & pro ratione loci fuisse perfectam, & dicens agendum esse de modo illius transmutationis indicat se in tertio de Cœlo solam declarasse elementorum mutabilitatem, nõ tamen modum ipsum quo fit, hoc enim est actualẽ ele- C mentorum mutationem considerare: proposuit quidẽ Arist. in context. 56. tertij de Cœlo declarandũ modum, quo mutantur inuicem elemẽta, ipsum tamen ibi non declarauit, nisi ruditer, cõfutans in hoc antiquorum sententias, eum enim declarare nõ poterat, nisi considerãdo actualem elementorũ mutationem, quod quidem ad eum librũ non pertinebat. Dicere tamen possumus respectu scientiæ vniuersæ, imò & ipsius perfectæ elementorũ con D siderationis, ea, quæ in libris de Ortu & interitu traduntur de elemẽtis, esse perfectionem illorũ, quę dicta erant in libris de Cœlo; propterea quòd perfecta elementorum cognitio vtranq; tractationẽ postulabat; vnam, qua cognoscerentur vt corpora naturalia, quæ habetur in libris de Cœlo; alterã, qua noscerentur vt principia mistorũ, quę habetur in libris de Ortu, & interitu, vtraq; tamen tractatio in se ipsa perfectionem, & complementum habet; E quocirca potest etiam illorũ opinio verũ habere sensum, quẽ nos nõ improbamus. Quod autem hactenus de generatione elemẽtorum diximus, hoc idẽ de cæteris omnib. quæ in 3. lib. de Cœlo tractantur, dicendũ est, vt omnis difficultas tollatur. quãuis enim ibi Arist. corpora illa vocet elementa corporũ, & definiat elementum, quæ vox notare ad mista relationem videtur, non ob id tamen vt elementa, & vt principia mistorum tractãtur, sed tota illa F tractatio ad illorum simplicium corporũ vt subiecti cognitionem referẽda est: siquidem propter ipsorum elemẽtorum cognitionem ea dicuntur, non propter mista, vt hanc quoq; illorum proprietatem noscamus, quòd sunt elementa mistorũ corporum, sic enim patet omnia in ijs libris dici ab Arist. ad declarãdas naturas, & proprietates elementorum, nam

Nota qualis sit tractatio tertij lib. de Cœlo.

& de numero ipsorum loquitur, & de figuris, docetq; elementa nullam habere propriam figuram, sed apta esse figurã recipere ab alio, tandemq; de motib. naturalibus, qui eis competunt vt sunt grauia, & leuia, quæ omnia ad perfectam elementorum cognitionem pertinent ea ratione, qua sunt corpora naturalia per se cognoscenda à philosopho naturali. Hoc aũt, quod de tractationib. elementorum diximus, clarius fiet, si aliarum quoq; rerum exempla adhibeamus. Motor æternus immobilis cognoscitur & à Metaphysico, & Physico, diuersis tamen modis: primus enim philosophus, quũ Deum contempletur vt subiectũ per se scibile, debet omnia, quæ illi attribuũtur, cognoscere, nempe quæ in nostram notitiam venire potuerunt, in quorũ numero est quòd æternè moueat, ideò sine huius cognitione mãca fuisset illa de diuinis mentib. tractatio in prima philosophia. Physicus verò non eum scopũ habet vt Deũ velit cognoscere, sed solũ vult naturalia corpora, & illa, quę eis cõpetunt, contemplari, inter hæc est motus ęternus: vt igitur hanc naturalis corporis affectionem cognosceret, coactus est causam eius indagare, quia scire est rem per causam cognoscere, causa autẽ nulla alia est, nisi primus motor ęternus immobilis; eadem igitur primi motoris conditio cõsideratur tũ à primo philosopho vt proprietas, seu cõditio sui subiecti, & eius cognitio pertinet ad perfectã cognitionẽ subiecti, etiamsi notet relationẽ ad effectum naturalem; tum à philosopho naturali vt cõditio principij, à quo producitur æternus motus in corpore naturali, & eius cognitio pertinet ad cognitionem huius accidentis naturalis. Quas distinctas tractationes optimè significamus dicendo, Metaphysici munus esse cognoscere substantias illas esse motores æternos; ad Physicum aũt pertinere easdem considerare vt motores æternos, hoc enim Metaphysico attribuere absurdũ esset, sicut illud, philosopho naturali; illud enim significat considerari vt subiectũ, hoc verò vt principium. Sic etiã si quis quęreret ad quam naturalis philosophiæ partem pertineat considerare quòd cœlestia corpora suo motu, & lumine agant in hæc inferiora, dicere possumus id pertinere ad duos distinctos libros, ad librum de Cœlo, & ad librũ de generatione, siue etiã fortasse ad libros Meteor. diuersis tamen scopis; ad libr. quidem de Cœlo, quatenus ea est proprietas corporis cœlestis, euiusq; cognitio pertinet ad perfectam cognitionem cœli, quod ibi subiectum est; ad alios autem memoratos libros, quatenus pertinet ad cognitionem generationis, & interitus, & aliorum accidẽtium, quæ à Cœlo producuntur in hoc mũdo inferiore, vbi Cœlum pri-

Vide supra cap. 11.

cipij locũ habet, non amplius subiecti. Sic igitur dicimus, cognoscere quatuor illa corpora esse aliorum elementa, pertinuit ad libros de Cœlo, vbi locum habent subiecti; at illa considerare vt elementa, pertinuit ad librum de generatione, vbi considerantur vt principia mistorum. Quòd verò cum Ioanne Grammatico diximus, agi in libris de Cœlo de corporibus naturalibus æternis, sano modo intelligendum est: non enim dicimus tractari ibi elementa vt æterna, ita vt hæc sit ratio cō-

B siderandi elementa in ijs libris, huic enim repugnat Aristoteles, docens ea esse generabilia & corruptibilia; sed dicimus elemēta, quæ in libris de Cœlo considerantur, esse indiuidua æterna, quoniam ibi secundùm se tota considerantur; quamuis enim ibi Aristot. ostendat esse generabilia, & corruptibilia, hæc tamen generabilitas ad actum non ducitur, nisi in partibus singulis; quare per hoc non

C stat, quin singulum elementum totum sit æternum. Quod igitur attinet ad libros de Ortu, & interitu, hæc dicta sint; possemus etiam eorum diuisionem in partes, & artificiosam structuram considerare, sed quia in præsentia vniuersalem tantummodò huius scientiæ fabricam declarare statuimus, particularem singulorum librorũ diuisionem & methodum ad commentarios, quos aliquando edere in animo est, remittendam esse censemus: interim satis erit, si saltem voce in publici mu-

D neris functione hanc auditoribus nostris operā præstiterimus. nunc ad Meteorologicos libros accedemus.

De subiecto, & loco trium librorum Meteorologicorum. Cap. XXIV.

Qvum Aristoteles in initio lib. 1. Meteorologicorũ quatrum locum in scientia naturali ijs libris tribuerit, collocās eos statim post duos de generatione, & interitu;

E id nobis laborandũ relinquitur, vt huius ordinis rationem inquiramus: de subiecto igitur horum librorum dicendum est. & ratione duce considerādum, quidnam post libros de Ortu, & interitu primum nobis tractandum proponatur. Duas hac in re sententias apud alios inuenio; vna fuit Græcorum, & D. Thomæ, quam & alij postea sequuti sunt, qui dixēre consilium Aristotelis esse in his libris agere de affectionibus elementorum, de illis videlicet, quæ ab externo agente imprimuntur

Græcorum opinio.

F in elementis. Quæ sententia videtur hac initi ratione; duo accidentium genera in elementis considerari possunt, sed vno diuiso in duo, tria oriuntur: alia namque sunt ipsis elementis naturalia, quia proprias eorum naturas insequuntur, proinde ab ipsis nequeunt separari; alia verò non sunt eis naturalia, sed

Tria genera accidentium in elementis.

A quæ ab externo agente in elementis iam existentibus generentur, non semper ipsis inhærent, & separari possunt: naturalia accidentia duplicia sunt, alia namq; eis cōpetunt vt sunt corpora naturalia, vocanturq; motrices qualitates, grauitas, & leuitas; de quibus egit Aristoteles in libris de Cœlo: alia verò data sunt elementis, vt possint esse materia mistorum, dicunturq; alteratrices qualitates, quæ fuerunt consideratæ in libro de Ortu, & interitu.

B Restat igitur vt in libris Meteorologicis tertium genus accidentium tractetur, nempe illa, quæ inferuntur elementis ab agente externo: horũ enim tractatio posterior esse debuit tractatione aliorum, quæ naturalia elementorum accidentia esse diximus, & videtur ipse quoque Aristoteles in 1. & 2. cap. primi libri hunc sibi scopum in ijs libris proponere, vt legentibus patet. Ratio igitur ordinis manifesta est, & cur libri Meteorologici statim se-

C quantur libros de Ortu, & interitu. Alij verò subiectum horum librorũ statuerunt mistum imperfectum, quorum sententiam ego potiorem esse puto: quāquam enim prædictam Græcorum opinionem non improbo, siquidem illa ad hāc modo quodam redigitur, rectiùs tamen hi dicunt, quàm illi, vt mox veritate cognita intelligemus. Est ante omnia intelligēdum, quid sit mistum imperfectũ, idq; clarum erit, si cognoscatur quid sit mistũ per-

Aliorum opinio.

D fectum, siquidem ex aliquo huius perfectionis defectu mistum imperfectum dici certum est. Mistum igitur perfectum dicitur, si duæ adsint conditiones, vna ad materiam attinēs, altera ad formam; quòd ad materiam attinet, debet ex omnibus cōstare miscibilibus; quod verò ad formam, debet esse facta vera eorum vnio, hoc est, ex pluribus illis naturis natura vna, & ex pluribus formis vna forma, si altera conditio desit, imperfectam esse mistionem

Quid mistum perfectum, & imperfectum.

E & imperfectum mistum necesse est, vt si quid non ex omnibus elementis cōstet, sed ex pluribus, vel si distinctæ miscibilium naturæ seruentur, nec prorsus in naturam vnam versæ sint: hāc autem imperfectam mistionem insequitur durationis breuitas; nam ea, quæ non perfectè sunt mista, diu durare non possunt, neq; enim cometa plures mēses durare aptus esset, nisi ei semper noua materia in sublime elata, quasi cōtinuum pabulum suppedita-

F ret. Quomodo igitur hi libri sint de mistis imperfectis, facilè intelligetur, si breuiter, & quantũ præsens occasio postulat, earũ rerum, quæ in ijs tractantur, conditionē, ac generationis modum exposuerimus; de tribus aūt tantummodò prioib. libris loquor, quartum enim postea seorsum considerabimus. Docet in initio eorum librorũ Aristoteles ab astrorum, potissimè aūt Solis radijs calefacta terra, &

ra,& aqua, duos inde halitus generari, vnum calidum,& humidum, quem vocat vaporem, alterum calidum,& ſiccum,quem vocat exhalationem,ſeu fumidum halitum; quum enim proprium ſit calidi rarefacere, partes aquæ, rerumq; madefactarum calefactæ rareſiunt, & in vaporem mutantur,quem mediç eſſe naturæ inter aquã, & aerem, ipſa nos experientia docet,quum in alterum duorum elementorum facillimè vertaturinã ſi calor in eo perſeueret, nec ab aliquo refrigeretur, ita pergit rareſieri,vt fiat aër; ſi verò quippiam frigidũ, ſeu minùs calidum offendat,à quo refrigeretur, denſatur,& in guttas vertitur, ſitq; iterũ aqua.Sic partes terræ calfactæ rareſiunt, & in fumidam exhalationem vertuntur, quæ eſt mediæ naturç inter terram,& ignem;facilem enim in alteram duorum mutationem habet, nam & facilè acceditur creſcente calore, & in ignem vertitur, nec enim aliud eſt flãma, niſi hic fumus ardens;& facilè etiam in fuliginem terramq; conuertitur,ſi refrigeretur. Duo hi halitus ſunt materia eorum omnium, quæ in tribus Meteorologicis libris ab Ariſtot. conſiderantur;nam ex vapore in ſublime elato,& frigeſcente generatur pluuia,ros,pruina,nix, grando,& ſi quæ eius generis alia ſunt; ex halitu autem ſicco generantur venti,& cometæ, accenſæ trabes, ſtellæ diſcurrentes, fulgura, fulmina,& omnia, quæ in ſublimi accenſa videmus:ex iiſdem etiã halitibus in terra inclu ſis,nec erumpere valentibus fiunt fontes, flumina, terrçmotus,lapides,& metalla,& ſi quç alia ſunt huiuſmodi. Videtur autem tum duo halitus prædicti,tũ alia,quç ex ijs gignuntur, vocari poſſe miſta imperfecta, exceptis tamen illis omnibus, quæ communi nomine ſolent appellari mineræ;hæc enim ſunt abſq; dubio miſta perfecta,& ipſorum cõſideratio ad Meteorologicos libros non pertinet. Duo quidem halitus non ea ratione dicũtur miſta imperfecta, quòd ex pluribus conſtent elementis, ſiquidem vterlibet ex vno tãtùm elemento genitus eſt, ſed quia duorum elemẽtorum conditionibus participat, eſt enim medium quoddam,quod oritur in tranſitu ex vno elemento ad alterum, ſimplicem quidem habẽs naturam,& formam vnam,ſed quæ diu ſeruari nequeat,quin in alterum duorum,vel in aliquod aliud trãſeat: vapor enim humiditatem retinet aqueam, calorem autem aëreum potiùs,quàm igneum:quum enim in ijs,quæ diuidi poſſunt, oporteat tranſitũ priùs per medium fieri, quàm perueniatur ad extremum, calfaciẽs ignis aquam generat priùs calorem mediocrẽ, qualis eſt aëreus calor,quàm ſummum, qui ſolius ignis eſt proprius; neque eſt vapor perfectũ corpus,quod diu poſſit in ſua natura conſiſtere, ſed quiddam genitũ in me dio tranſitu ex aqua in aërem,vel ex aëre in aquam; ideò niſi impediatur tranſitus ex aqua in aërem, breui admodum tempore exiſtit vapor,quia confeſtim fit aër;ſicq; in aëris denſatione fit vapor, & illicò, ſi ea mutatio abſque impedimento pergat, fit aqua. Hoc idem dicimus de fumida exhalatione,quæ generatur in tranſitu ex terra in ignem,manente ſiccitate, ſed frigore paulatim & per gradus recedente,& adueniente calore; quare ſiccitatem terræ retinet, calorem aũt adepta eſt tantũ, vt facto incremento poſſit facilè fieri ignis;participat igitur duorum elementorũ conditionibus,terræ & ignis,nam aquæ nihil habet,nihil etiam aëris,ſiquidem propria maximè aëris eſt humiditas; calor autem cum ſiccitate coniunctus non poteſt aëreus dici, ſed potius igneus; licèt nondum ſit ignis, quia formam ignis nõdum habet,ſicuti nec formam terræ, ſed mediam quandam, cum qua ſunt iunctæ conditiones terræ, & ignis, ratione quarũ dicitur miſtum quoddam eſſe, imperfectum tamen, quia duorum tantummodo elementorum conditiones præ ſe ferens, & genitum in tranſitu ex vno elemẽto in alterũ,nec niſi breuiſſimo tempore permanens. Quç verò ex his duobus halitibus gignũtur,ſunt quidem aliqua abſq; dubio imperfecta miſta,vt omnia in ſublimi ardentia,nam conſtant ex igne,& halitu terreo nondũ conſumpto, ſic grando videtur habere conditiones terræ & aquæ;neq; facta eſt in his vera miſtio, q̃ eſt naturæ vnio, ſed potiùs congregatio miſcibiliũ;tamen aliqua non videntur eſſe miſta,vt pluuia,quç eſt ſimplex aqua,ſic etiam fontes,& flumina;aliqua verò miſta quidem,ſed perfecta,& ea quidem diutiſſimè permanentia, vt quæ mineræ appellãtur, niſi vtraq; hæc ea ratione velimus imperfecta miſta nominare,quatenus ex halitibus, quos iam diximus eſſe miſta imperfecta,generari dicũtur. Aliqui tamen fuere, qui negarunt dari aliquod miſtum imperfectum, quod non ex omnibus elementis conſtet;nam & in pluuia,& in grandine, & in alijs iam memoratis omnia elementa,omniumq; qualitatum commiſtionem eſſe dixerũt; ſic etiam in vtroq; halitu,ſiquidem Ariſtot.in 2. Meteorol. in cap.de Ventis, apertè dicit,nec ſiccum, nec humidum halitum ita appellari,quia ſit ſummè talis, ſed ab exceſſu; neq; enim eſt humidum ſine ſicco, neq; ſiccum ſine humido; ſic etiam in 5. cap. primi libri inquit, duorum halituum alterum eſſe magis vaporoſum;alterũ verò magis ſpirituoſum;vtitur enim dictione comparatiua, denotans eſſe in vtroq; & humidum & ſiccum, proinde & calidũ & frigidũ, & elementa omnia,licèt vnus ab exceſſu dicatur humidus,alter ab exceſſu ſiccus. Addunt etiam rationem ad hoc comprobãdum; nam

Duo halitus.

Aliquorum opinio de miſto imperfecto.

Primum eorum argumentum.

Secũdum argumentum.

vtrumque halitum calidum esse manifestum est, non tamen summè calidum: sic enim esset ignis; at omnis remissio fit per admistionem contrarij, vt ait Aristoteles in contex 19. quinti Physicorũ, igitur aliquid frigidi habet cōmistum, sic nec summè humidus alter est, nec alter summè siccus; sunt ergo in vtroque omnes qualitates, proinde & omnia elementa: quare nō hac ratione dicũtur imperfecta mista, sed quòd imperfectam habēt mistionem, nec diu durant. Sed horũ sententia mihi non probatur: & causam erroris esse puto, quòd naturam, & essentiam rei ab existentia non distinxerunt; prima materia non existit sine forma, tamen in sua essentia nullam formam habet: sic etiam non existit fortasse elementum purum, vt multi existimant, & vt dicendũ maximè videtur de duobus elemẽtis medijs; per hoc tamen non stat, quin possit singula elementa in sua naturali puritate considerari, vt ea cōsiderauit Aristoteles in libris de Cœlo, & in libris de Generatione; non enim idcò non dantur pura, quia per se existere, si darentur, non possint; existerēt enim non minùs, quàm cōmista; sed quia impediunt se mutuò, & perturbat vnum alterius puritatem, ob eorũ contactum, actionemq; mutuam, ac ob Cœli motum ea continuè alterantem; atq; mutantem: quemadmodum igitur, licèt permista sint elementa, & appellẽtur singula ab eo, quod maximè excedit, considerantur tamen, & cognoscuntur vt habentia suam naturalem puritatem; ita de duobus halitibus dicendũ est, non generatur enim vnus sine altero, tamen si vtrumq; in puritate suę naturæ consideremus, alter conditiones refert aquæ, & aëris tãtùm, alter verò terræ, & ignis tantùm: quòd enim vnus alterum semper habeat cōmistum, non est quia per se existere vnus sine altero nequeat, sed quia ob terræ, & aquæ commistionem, & propinquitatem non potest Sol siccum halitum educere, quin educat & humidum, neq; hũc, quin educat illum. Quanquam ego quidem huius sum opinionis, Aristotelem hoc asserentem nil aliud respicere, nisi illud, quod frequentissimum est: neq; enim negasset contingere posse, vt alterius aliqua pars pura quãdoq;, & cum altero nō commista extrahatur, quod videtur sensisse Vicomercatus in interpretatione illius cap de Ventis, in secundo libro; dicens enim vix fieri posse, vt puri extrahãtur, difficultatem denotat, & raritatem, sed non impossibilitatem Præterea, etiamsi dicamus, non posse vnum educi sine altero, non propterea fit, quin distinctæ sint partes vnius à partibus alterius; nam cōtangunt quidem se mutuò, & appositę hę illis dicuntur, at secundùm se singulæ puræ, & impermistæ sunt, idq; solum significare voluit in prędictis locis Aristoteles; qui enim eleuatur vapor totus habet in se partes aliquas fumidæ exhalationis, ab excessu tamen totus vocatur vapor; sic fumida tota exhalatio, quæ attollitur, aliquas in se habet vaporis particulas, sed ab excessu tota appellatur fumida. Ad rationem autem illorum dicimus, nō parum in se habere difficultatis id, quod illi sumunt, omnem remissionē per admistionem contrarij fieri, qua de re disputandi nobis fortasse occasio dabitur in operibus naturalibus; sed esto nunc, vt illi volunt, dicimus tamen, nil inde cōtra nos sequi; siccus enim halitus, dum in sua puritate accipitur, calorem summũ nō habet, quia retinet aliquid frigoris terræ, è qua genitus est, humiditatis verò nihil habet, quia summè est siccus, quemadmodũ & ignis, & terra summam habēt siccitatem, vt alio in loco ostendemus. Ex ipsius igitur qualitatibus nil aliud colligimus, nisi ipsum duorum elementorum conditionib. participare, terræ & ignis: sic vapor calorē habet remissum, similemq; calori aëreo; qui mediocris est, non summum; aliquem enim gradum aquei frigoris retineat necesse est; humidus aũt est summè, vt & aqua, & aër summam habent humiditatem; in ipsa enim actione caloris solaris in aquã non labefactatur humiditas aquæ, sed sola frigiditas; rarefit enim aqua, & eius humiditas fit aërea, quoniam calidum, quum non sit contrariũ humido, non est eius proprius interemptor, sed ipsum resoluit in humidum tenuius; in vapore igitur nihil inest sicci, quare nō redolet nisi aquæ & aëris cōditiones; quòd si quid habeat sicci, non est ratione propriæ eius naturæ, sed ratione halitus sicci, qui cum eo commistus attollitur, vt iam declarauimus. Sed redeamus vnde digressi sumus, & videamus, quodnam sit mistum imperfectũ, quod in his libris subiectum diximus esse statuendũ. Duas hac in re possumus proferre sententias: primùm dicere possumus, vtrumq; halitum esse subiectum, cui omnes conditiones competunt; habet enim materiam, ex qua gignitur, elementa ipsa; habet effectricē causam, calorem cœlestē, quæ in his libris cōsiderantur, & ex quibus declaratur eius generatio, sicuti in alijs libris naturalibus declarantur ab Arist. aliarum rerum naturalium generationes, & generatim, & singillatim: habet præterea affectiones & accidentia quam plurima, quę in his libris demonstrãtur ab Aristotele per suas causas; alia namq; omnia, quæ ex his duob. halitibus gigni dicuntur, non sunt nisi horum halituum accidentia, vt cometa est accensio fumidæ exhalationis crassioris; pluuia est densatio vaporis, & in aquã conuersio in sublimi loco; idē sunt & fontes, & flumina, sed in terræ concauitatibus; grando est eiusdem vaporis in

Marginalia: Impugnatio. — Ad primum argumentum. — Ad secundum. — In lib. 2. de qualitatibus elementaribus. — Quodnam mistum imperfectum sit horum lib. subiectum. — Prima opinio.

ris in sublimi congelatio, & sic de alijs omnibus. Quoniam igitur vterque halitus est corpus naturale per se existens, quod babet propria principia, propriaq; accidẽtia quamplurima, eaq; cognitu dignissima, non absq; ratione factum videatur, si latè sumptum halitũ subiectum in his libris statuamus, videturque huic sententiæ attestari Aristot. qui in initio primi libri in primo, & secundo cap. proponit de his omnibus Meteorologicis rebus agendum tanquam de accidentibus, & affectionibus, & declarandum propter quas causas fiãt, sic enim intẽtionem potiùs, quàm subiectum horum librorum proponere videtur. Declarat etiam in quarto, & quinto cap. horũ duorum halituum naturam, tanquam subiecti, de quo postea sunt accidentia demonstranda; eaq; dici etiam poterunt accidentia elementorum, quoniã hi halitus sunt veluti elementa mutationem aliquam passa, & parum recedũt ab elementorum naturis; vnde colligimus, rectè à Græcis dici scopum Aristot. esse agere de affectionibus elementorum, sicuti prędiximus, quanquam hoc dicendo intentionem potius Aristot. exprimunt, quàm librorũ subiectum, si modò hanc sententiam sequamur.

Secunda opinio.

Secundò dicere possumus, vt multis placuit, hos duos halitus non esse nisi proximam materiam mistorum imperfectorum, ipsa autem mista imperfecta esse illa, quæ ex his generantur, vt cometæ, aliaq; accensa in sublimi, pluuia, grando, & alia omnia, quæ ex duplici halitu, siue in sublimi, siue intra terram fiunt; in quo sensu dicere omnes videntur, subiectum esse mistum imperfectum, eo argumento, vt videtur, ducti, quòd hęc accidentia eiusmodi sunt, vt formę officio fungantur, dentq; ijs rebus nomen, ac definitionẽ, atq; ita constituere talia naturalia corpora videantur; nam accensum halitum vocamus cometam, seu trabem, seu fulgur, & aquam in sublimi loco genitam vocamus mutato nomine pluuiam, è cauernis autem terræ manantẽ vocamus fontem, & sic de reliquis. De his igitur agi videtur tanquam de corporibus naturalibus, de duplici autem halitu tanquã de proxima horum materia, vt antè dicebamus. Hanc sententiam si sequamur, dicere possumus, Græcos subiectum horum librorũ significasse, dicendo affectiones elementorum; tales enim esse videntur affectiones, quæ fungantur munere formæ, ita vt corpora ab illis constituta possint in his libris habere locum subiecti. Non defuerunt etiam, qui vtramq; sententiam coniungentes, dixerint subiectũ esse mistum imperfectum, latè acceptum, quod & duos halitus, & omnia ex ijs genita complectatur. Ego verò etsi duarum prædictarum opinionum vtramlibet defendi posse arbitror, priorem

Prior sententia potior.

A tamen tutiorem esse puto, & verbis Aristotelis accommodatiorem, vt duos halitus dicamus esse subiectum horum librorum, & mista imperfecta, quorum accidentia sunt reliqua omnia, quæ in his libris considerantur. Quòd enim hi dici possint mista imperfecta, & parũ recedant ab elementi natura, iam dictum est; de alijs autem plerisq; nõ facilè hoc ostendere possumus; nã pluuia, & fontes, & flumina, quomodo sint mista imperfecta, non planè video, quum pateat hæc omnia esse aquam. Neque enim magni momenti est id, quod aliqui dicunt, eam non esse aquam puram, sed mistum quoddam, in quo semper apparent terreæ partes genitæ ex halitu sicco incluso in vapore, ex quo orta est pluuia: nam si hoc admitteremus, non daretur in vniuerso elementum aquæ; siquidẽ nulla fortasse datur aqua, in qua non sit aliquid terræ commistum, & aliquid caloris ab astris ingenitum; omnis igitur aqua esset mistum imperfectum. Hoc tamen dicendum non est, quia licèt asseramus aquam puram non dari, non ob id negamus aquam elementarem; siquidem apud Aristotelem non dicitur mistum, seu perfectum, seu imperfectum, nisi in quo tãtus sit recessus ab elementi puritate, vt abiecto nomine elementi aliam appellationem suscipiat: vt cometam non rectè appellaremus ignem, quia multum habet terrei halitus nondum consumpti; nec terram, quum in eo sensibilem inspiciamus ignem: est vbi tantus est vnius elementi excessus, vt omnem cum alijs comparationem superet, seruatur in eo nomen elementi, idq; haberi ab omnibus solet vt elementũ, licèt commistæ cum eo aliquæ aliorum elementorum particulæ, vel qualitates purum omnino esse non sinant, Ideò nemo est, qui dicat pluuiam, & fontes non esse aquam; aqua enim reuera est, & ita nominanda, à magno, & incomparabili excessu; quod aũt simul appellatur pluuia, id non fit ob aliquam substantiæ varietatem, siquidem nullum discrimen norunt homines pluuiæ, & aliarũ aquarum; sed propter modum generationis; illam enim aquam, quę in sublimi genita ex nube in terram cadat, vocant homines pluuiam, quum tamẽ eius substantiam nil aliud esse putent, nisi meram aquam; nomen igitur aquæ seruatur, nomen autem pluuię adiectum, respicit potiùs originem, quàm ipsam eius corporis naturam, potiusq; denotat esse mistum imperfectum vaporem, ex quo est genita quàm ipsammet pluuiam. Adde quòd propriũ subiecti munus est vt de ipso accidentia demonstrentur; horum aũt, quæ vocantur ab alijs mista imperfecta, non proponit Aristot. accidentia indaganda, sed ipsorũmet vt accidentium causas inuestigandas, per quas demonstrentur propter quid.

Possumus tamen fortasse hæc dogmata conciliare dicendo res istas Meteorologicas, quæ communiter vocari solēt mista imperfecta, vt cometam, & grandinem, subiectū dici horum librorum, quatenus his nominibus significantur duo illi halitus vnà cum affectionibus: cometa enim est halitus siccus accensus, grando est vapor in aquam, & glaciem mutatus; quoniam enim duo halitūs ita his accidentibus permutantur, vt nomen etiam mutent, ideò appellantur ijs nominibus, quæ ipsis ab accidentibus imponuntur, quum propria ipsorū halituum nomina nō seruentur: hæc igitur subiectum horū librorum dicere, est duos halitus dicere, quatenus his accidentib. subijciuntur. Hæc omnia, quæ dicere hac in re voluimus, quisq; consideret, & eam, quæ probabilior visa fuerit, sententiam, accipiat.

De ratione ordinis, & inscriptionis librorum Meteorologicorum. Cap. XXV.

Ex his, quæ hactenus de subiecto horum librorū diximus, rationem ordinis, atque inscriptionis desumere possumus: quum enim subiectum habeant mistū imperfectum, clara est ratio, cur statim post duos de generatione locandi sint, proinde quartum in hac scientia locum obtineant, quemadmodum supra dicebamus. Quum enim in libris de generatione actū sit de corpore misto latissimè accepto, postea verò fuerit ad eius species descendendum, quę sunt perfectum, & imperfectum mistum, si harum altera ad alteram faciliùs noscendam prodesse nobis potuisset, de illa primo loco agere Arist. debuisset, vt conuenientem ordinem doctrinæ seruaret, de quo nos aliàs plura scripsimus; sed quia neutrius speciei notitia ad alterius cognitionē aliquid conferebat, debuit Aristot. ordinem naturæ generātis seruare, & priùs agere de misto imperfecto, quod quidem facit in trib. his libris Meteorologicis, qui statim sequuntur duos de Ortu & interitu. Adde quòd aliquis etiam doctrinæ ordo, faciliorq; docendi ratio hoc postulauit; de mistis enim perfectis sunt cæteri omnes, qui mox sequētur, libri naturales, qui sunt quàm plurimi, quorum omnium continuatio debuit esse dispositio, neq; hac imperfectorū tractatione interrumpi. Voluit igitur Aristot. priùs de mistis imperfectis sermonē, qui breuis futurus erat, absoluere, vt postea in solis perfectis mistis, quę prolixam tractationem postulabant, considerandis versaretur. Hæc est conuenientissima librorum dispositio quę sumitur à subiecto, vt priùs agatur de misto generaliter in libro de Ortu, & interitu, postea de prima eius specie, misto imperfecto, in trib. Meteorologicis; deinde verò de perfectis, vt loco suo diceemus. Cum hac tamē

In 2. lib. de Meth. & in Apologia.

A præcipua ordinandi ratione coniuncta est etiam ratio sumpta ab elementis, & ratio sumpta ab accidentibus elementorum, quas alij respexisse videntur; prima namq; elementorum tractatio ea esse debuit, quæ est in libris de Cœlo, vt sunt corpora naturalia; secunda verò illa, quæ habetur in libro de generatione, quatenus sunt principia omnium mistorū generaliter; postrema tandem illa, quæ habetur in tribus Meteorologicis, vt sunt principia B mistorum imperfectorū, hoc est, vt leuem mutationem passa subeūt appellationem mistorum imperfectorum. Sic inter tractationes accidentium elementarium (vt antè dicebamus cum alijs) tertia, & postrema hæc esse debuit, quæ est de illis affectionibus, quæ ab agente externo illatæ extrahunt elementa modo aliquo à propria natura. Quod verò ad inscriptionem attinet, ea sumitur à loco rerum consideratarū, nam *μετέωρος* significat suspensum, siue sublime, idcò tractatio de ijs, quæ in C sublimi generantur, vocata est ab Aristot. Meteorologia. Si quis aūt obijciat, aliqua etiam in his tractari ex duobus halitib. genita, quæ non in sublimi, sed in cauernis terrę generantur, vt fontes, flumina, maria, terræmotus; ideoq; horum respectu congruam eam inscriptionem nō videri; dicendum est, satis defendi huius inscriptionis congruitatem, si à maiore saltem parte rerum consideratarum sumpta sit; maxima enim pars eorum, quę ex duobus halitibus fiunt, in sublimi loco fiunt: D arbitrariæ namq; inscriptiones librorum esse solent: nec semper à tota re considerata desumi, sed quandoq; à parte præcipua, vt quando Metaphysicam vocamus scientiam diuinam: quandoque à parte maiore, vt quando sex posteriores libros Physicæ auscultationis vocamus de motu; quandoq; etiam à nulla re considerata, vt inscriptio Metaphysicæ, quæ E à doctrinæ ordine sumitur. Hæc igitur Meteorologicorum librorum inscriptio sumpta est à loco, in quo fit maxima pars eorum, quæ ex duplici halitu generantur.

In initio capitis 24.

Inscriptio.

Dubium.

Solutio.

De subiecto quarti lib. Meteorologicorum, plures aliorum sententiæ, cum ipsarum confutatione. Cap. XXVI.

Quum ea, quæ à nobis hactenus dicta F sunt, ad tres tantùm priores libros Meteorologicos pertinuerint, de quarto dicendū restat, quodnam habeat subiectum, quæ sit ratio inscriptionis, & quis sit eius locus inter libros naturales. Quod ad subiectū attinet, censuit Ioan Grammaticus Aristot. in hoc lib. agere velle de mineris, in quam sententiam credendum est ipsum his argumētis inductum fuisse: primò quia Aristoteles in vltimo capite tertij lib. pauca dicit de mineris genes

De subiecto opinio Ioan. Grammatici.

generaliter, & subiunglt esse de eisdem dicen dum etiam particulariter, & singillatim; boc igirur exequitur statim in quarto libro; nullus enim alius est liber Aristot. in quo de mineris partienlariter agatur, nisi bic quartus. *Secūda ratio.* Secundò, quia plura in hoc dicuntur de metallis, præseitim verò in cont. 48, significat igitur Aristot. bunc librum esse de metallis, minerisq; omnibus, quæ intra terram ex duplici *Tertia ratio.* balitu fiunt. Tertiò, Aristoteles in postremo cap. huius libri proponit se acturum de animalibus, & plantis: nullum ergo scripsit aliū librum de mineris, nisi quartum hunc Meteo*Confutatio.* rologicum. Hæc sententia ab ipsamet huius libri tractatione manifestè reprobatur: illa enim quæ in hoc libro tractantur, alijs quoque cōpetunt præter mineras; quare subiectū esse debet aliquid communius, siue id sit corpus mistum perfectū, vt aliqui dixère, siue mistum perfectum bomogeneum, vt alijs placet enim Arist. in hoc libro nō tantùm mineralium exempla adducere, sed etiam aliorū mistorum homogeneorum, vt carnis, ossis, nerui, quæ animātium partes sunt; de mineris itaq; agitur in hoc libro, non secundùm propriam rationem, & prout sunt lapides, & metalla, sed secundùm rationem communiorem, qua sunt mistā perfecta, vel mista perfecta similaria. Est etiam omnino rationi consonum, atq; adeò necessarium, vt quū mistum perfectum similare sit genus mineræ, de quo multa diei, & tradi possunt, de ipso priùs sermo fiat, quàm de minera, quę est species, nullus tamen ante būc quartum liber est, in quo agatur de misto perfecto similari; hunc igitur de misto potiùs similari esse dicendū est, quàm propriè de mi*Opinio Latinorum.* neris Latinorum magna pars putàrunt subiectum buius libri esse mistum perfectū vniuersè sumptum, quod non solùm mineras, sed etiam alia omnia perfecta mista, tam similaria, *Ratio Latinorum.* quàm dissimilaria cōplectatur. Et hac potissimū ratione ducti esse omnes videntur, quòd in libris de Ortu & interitu actū est simpliciter de generatione, ac de generatione simplicium: transeundum igitur erat ad dicendū de generatione mistorū, sed quum bæc alia sint perfecta, alia imperfecta, & imperfecta præcedant perfectis, ideò statim in tribus Meteorolog. actum est de generatione mistorū imperfectorum; sequebatur igirur vt statim ageretur de misto pfecto in vniuersum; hoe igirur *Confutatio.* est subiectum in hoc. 4. Meteorologico. Hæc quoq; sententia reprobanda videtur, nā si illa omnia, quæ in boc libro tractantur, consideremus, propriè cōpetunt mistis perfectis, similaribus, nōn dissimilaribus, nisi ratione similariū, quæ eorū partes sunt. Ipse quoq; Arist. sæpe in hoc libro asserit, se de similarib. loqui, præsertim verò in postremo cap. vbi ait, A se de similaribus dixisse, & proponit dicendū in sequentibus libris de dissimilaribus, quæ sunt animalia & stirpes. Præterea si bene rem hanc perpendamus, de misto perfecto vniuersè sumpto nil dici poterat, præter illa, quæ in libris de generatione dicta sunt communiter de omni misto; illa namq; etsi dicta de misto generaliter, propriè tamē & perfectè competunt misto perfecto, nec aliud de hoc cōmuni dicendum relinquebatur. Alexander de huius *Alexandri opinio.* B libri subiecto nil aliud dicit, nisi scopū Arist. esse agere de actione, & passione quatnor primarū qualitatum; quū enim de bis iam egisset in lib. de Ortu, & interitu, nunc agere vult de alijs secundis qualitatibus, quæ ab illarū primarū inter se actione & passione producuntur; ob id existimare videtur Alex. 4. lib. esse immediatè adiungendū 2. de Ortu, & interitu. Alexandri sententiam tuetur ad vnguem Franciscus Vicomercatus, nec enim aliud hu-C ius libri subiectū statuit, nisi illud, quod cum Alexandro diximus; nec à librorum ordine, quem Alexander ponere videtur, recedit, sed cum enixè tuetur. Sed nos de huius libri loco *Confutatio.* posteriùs loquemur; nunc verò quod ad subiectum libri attinet, dicimus approbari quidem Alexandri sententiam posse de scopo, & intentione Aristotelis, sed non de subiecto libri; nil enim aliud dicit, nisi elementa, & primas eorum qualitates esse in hoc libro consi-D derandas vt principia, alias verò secūdas qualitates, vt effectus, & vt affectiones demonstrandas; sed necesse est subiectū esse aliquod, in quo hæ secundæ affectiones producantur, & de quo demonstrentur, idq; est mistum corpus vel omne, vel aliquod, vt postea considerabimus, hoc igitur subiectum huius libri statuendum est. Quòd verò ab Alexandro dicitur, consilium quidem est Aristotelis, at non subiectum, quale in præsentia quærimus.

E *De subiecto quarti Meteorologici opinio vera, & responsio ad argumenta contraria. Cap. XXVII.*

Veram esse puto Olympiodori & Auerrois sententiam, quam alij complures *Olympiodorus. Auerroes.* sequuti sunt, qui huius quarti libri subiectum statuunt corpus mistum similare amplissimè acceptū, quod & lapides, & metalla, minerasq; omnes, & partes quoque bomoge-F neas animalium, & stirpiū complectatur. Si*Similare quid.* milare autem corpus dicitur, quando totius, & partis cuiuslibet idem est nomen, & eadem definitio, vt aurum, ferrum, lapis, sulphur, caro, neruus, os, lignū, cortex, pilus, & alia eiusmodi. Sententia hæc ex huius libri lectione facilè cōprobatur: omnes enim, quæ in eo tractantur affectiones, propriæ sunt affectiones corporum mistorum similarium, nec dissimi-

Possimus tamen fortasse hæc dogmata conciliare dicendo res istas Meteorologicas, quæ communiter vocari solēt mista imperfecta, vt cometam, & grandinem, subiectū dici horum librorum, quatenus his nominibus significantur duo illi halitus vnà cum affectionibus: cometa enim est halitus siccus accensus, grando est vapor in aquam, & glaciem mutatus; quoniam enim duo halitūs ita his accidentibus permutantur, vt nomen etiam murent, ideò appellantur ijs nominibus, quæ ipsis ab accidentibus imponuntur, quum propria ipsorū halituum nomina nō seruentur; hæc igitur subiectum horū librorum dicere, est duos halitus dicere, quatenus his accidentib. subijciuntur. Hæc omnia, quæ dicere hac in re voluimus, quisq; consideret, & eam, quæ probabilior visa fuerit, sententiam, accipiat.

De ratione ordinis, & inscriptionis librorum Meteorologicorum. Cap. XXV.

EX his, quæ hactenus de subiecto horum librorū diximus, rationem ordinis, atq; inscriptionis desumere possumus: quum enim subiectum habeant mistū imperfectum, clara est ratio, cur statim post duos de generatione locandi sint, proinde quartum in hac scientia locum obtineant, quemadmodum suprà dicebamus. Quum enim in libris de generatione actū sit de corpore misto latissimè accepto, postea verò fuerit ad eius species descendendum, quę sunt perfectum, & imperfectum mistum, si harum altera ad alteram faciliùs noscendam prodesse nobis potuisset, de illa primo loco agere Arist. debuisset, vt conuenientem ordinem doctrinæ seruaret, de quo nos aliàs plura scripsimus; sed quia neutrius speciei notitia ad alterius cognitionē aliquid conferebat, debuit Aristot. ordinem naturæ generātis seruare, & priùs agere de misto imperfecto, quod quidem facit in trib. his libris Meteorologicis, qui statim sequūtur duos de Ortu & interitu. Adde quòd aliquis etiam doctrinæ ordo, faciliorq; docendi ratio hoc postulauit; de mistis enim perfectis sunt cæteri omnes, qui mox sequētur, libri naturales, qui sunt quàm plurimi, quorum omnium continoara debuit esse dispositio, neq; hac imperfectorū tractatione interrumpi. Voluit igitur Aristot. priùs de mistis imperfectis sermonē, qui breuis futurus erat, absoluere, vt postea in solis perfectis mistis, quę prolixam tractationem postulabant, considerandis versaretur. Hæc est conuenientissima librorum dispositio quę sumitur à subiecto, vt priùs agatur de misto generaliter in libro de Ortu, & interitu, postea de prima eius specie, misto imperfecto, in trib. Meteorologicis; deinde verò de perfectis, vt loco suo dicemus. Cum hac tamē

In 2. lib. de Meth. & in Apologia.

A præcipua ordinandi ratione coniuncta est etiam ratio sumpta ab elementis, & ratio sumpta ab accidentibus elementorum, quas alij respexisse videntur; prima namq; elementorum tractatio ea esse debuit, quæ est in libris de Cœlo, vt sunt corpora naturalia; secunda verò illa, quæ habetur in libro de generatione, quatenus sunt principia omnium mistorū generaliter; postrema tandem illa quæ habetur in tribus Meteorologicis, vt sunt principia mistorum imperfectorū, hoc est, vt leuem B mutationem passa subeūt appellationem mistorum imperfectorum. Sic inter tractationes accidentium elementarium (vt antè dicebamus eum alijs) tertia, & postrema hæc esse debuit, quæ est de illis affectionibus, quæ ab agente externo illatæ extrahunt elementa modo aliquo à propria natura. Quod verò ad inscriptionem attinet, ea sumitur à loco rerum consideratarū, nam μετέωρος significat suspen-C sum, siue sublime, ideò tractatio de ijs, quæ in sublimi generantur, vocata est ab Aristot. Meteorologia. Si quis aūt obijciat, aliqua etiam in his tractari ex duobus halitib. genita, quæ non in sublimi, sed in cauernis terrę generantur, vt fontes, flumina, maria, terræmotus; ideoq; horum respectu congruam eam inscriptionem nō videri; dicendum est, satis defendi huius inscriptionis congruitatem, si à maiore saltem parte rerum consideratarum sum-D pta sit; maxima enim pars eorum, quę ex duobus halitibus fiunt, in sublimi loco fiunt: arbitrariæ namq; inscriptiones librorum esse solent: nec semper à tota re considerata desumi, sed quandoq; à parte præcipua, vt quando Metaphysicam vocamus scientiam diuinam: quandoque à parte maiore, vt quando sex posteriores libros Physicæ auscultationis vocamus de motu; quandoq; etiam à nulla re considerata, vt inscriptio Metaphysicæ, quæ E à doctrinæ ordine sumitur. Hæc igitur Meteorologicorum librorum inscriptio sumpta est à loco, in quo fit maxima pars eorum, quæ ex duplici halitu generantur.

In initio capitis 24.

Inscriptio.

Dubium.

Solutio.

De subiecto quarti lib. Meteorologicorum, plures aliorum sententiæ, cum ipsarum confutatione. Cap. XXVI.

QVum ea, quæ à nobis hactenus dicta sunt, ad tres tantùm priores libros Meteorologicos pertinuerint, de quarto F dicendū restat, quodnam habeat subiectum, quæ sit ratio inscriptionis, & quis sit eius locus inter libros naturales. Quod ad subiectū attinet, censuit Ioan Grammaticus Aristot. in hoc lib. agere velle de mineris, in quam sententiam credendum est ipsum his argumētis inductum fuisse; primò quia Aristoteles in vltimo capite tertij lib. pauca dicit de mineris gene-

De subiecto opinio Ioan. Grammatici

generaliter, & subiungit esse de eisdem dicendum etiam particulariter, & singillatim; hoc igitur exequitur statim in quarto libro; nullus enim alius est liber Aristot. in quo de mineris particulariter agatur, nisi hic quartus. *Secunda ratio.* Secundò, quia plura in hoc dicuntur de metallis, præsertim verò in cont. 48, significat igitur Aristot. hunc librum esse de metallis, mineris; omnibus, quæ intra terram ex duplici halitu fiunt. *Tertia ratio.* Tertiò, Aristoteles in postremo cap. huius libri proponit se acturum de animalibus, & plantis; nullum ergo scripsit aliū librum de mineris, nisi quartum hunc Meteorologicum. *Confutatio.* Hæc sententia ab ipsamet huius libri tractatione manifestè reprobatur; illa enim quæ in hoc libro tractantur, alijs quoque cōpetunt præter mineras; quare subiectū esse debet aliquid communius, siue id sit corpus mistum perfectū, vt aliqui dixère; siue mistum perfectum homogeneum, vt alij; patet enim Arist. in hoc libro nō tantùm mineralium exempla adducere, sed etiam aliorū mistorum homogeneorum, vt carnis, ossis, nerui, quæ animalium partes sunt; de mineris itaq; agitur in hoc libro, non secundùm propriam rationem, & prout sunt lapides, & metalla; sed secundùm rationem communiorem, qua sunt mistā perfecta, vel mista perfecta similaria. Est etiam omnino rationi consonum, atq; adeò necessarium, vt quū mistum perfectum similare sit genus mineræ, de quo multa dici, & tradi possunt, de ipso priùs sermo fiat, quàm de minera, quæ est species, nullus tamen ante hūc quartum liber est, in quo agatur de misto perfecto similari; hunc igitur de misto potiùs similari esse dicendū est, quàm propriè de mineris Latinorum magna pars putârunt subiectum huius libri esse mistum perfectū vniuersè sumptum, quod non solùm mineras, sed etiam alia omnia perfecta mista, tam similaria, quàm dissimilaria cōplectatur. *Opinio Latinorum.* *Ratio Latinorum.* Et hac potissimū ratione ducti esse omnes videntur, quòd in libris de Ortu & interitu actū est simpliciter de generatione, ac de generatione simplicium; transeundum igitur erat ad dicendū de generatione mistorū, sed quum hæc alia sint perfecta, alia imperfecta, & imperfecta præcedant perfectis, ideò statim in tribus Meteorolog. actum est de generatione mistorū imperfectorum; sequebatur igitur vt statim ageretur de misto pfecto in vniuersum; hoc igitur est subiectum in hoc. 4. Meteorologico. *Confutatio.* Hæc quoq; sententia reprobanda videtur; nā si illa omnia, quæ in hoc libro tractantur, consideremus, propriè cōpetunt mistis perfectis, similaribus, non dissimilaribus, nisi ratione similariū, quæ eorū partes sunt. Ipse quoq; Aristot. sæpe in hoc libro asserit, se de similarib. loqui, præsertim verò in postremo cap. vbi ait, se de similaribus dixisse, & proponit dicendū in sequentibus libris de dissimilaribus, quæ sunt animalia & stirpes. Præterea si bene rem hanc perpendamus, de misto perfecto vniuersè sumpto nil dici poterat, præter illa, quæ in libris de generatione dicta sunt communiter de omni misto; illa namq; etsi dicta de misto generaliter, propriè tamē & perfectè competunt misto perfecto, nec aliud de hoc cōmuni dicendum relinquebatur. *Alexandri opinio.* Alexander de huius libri subiecto nil aliud dicit, nisi scopū Arist. esse agere de actione, & passione quatuor primarū qualitatum; quū enim de his iam egisset in lib. de Ortu, & interitu, nunc agere vult de alijs secundis qualitatibus, quæ ab illarū primarū inter se actione & passione producuntur; ob id existimare videtur Alex. 4. lib. esse immediatè adiungendū 2. de Ortu, & interitu. Alexandri sententiam tuetur ad vnguem Franciscus Vicomercatus, nec enim aliud huius libri subiectū statuit, nisi illud, quod cum Alexandro diximus; nec à librorum ordine, quem Alexander ponere videtur, recedit, sed cum eo mixè tuetur. *Confutatio.* Sed nos de huius libri loco posteriùs loquemur; nunc verò quod ad subiectum libri attinet, dicimus approbari quidem Alexandri sententiam posse de scopo, & intentione Aristotelis, sed non de subiecto libri; nil enim aliud dicit, nisi elementa, & primas eorum qualitates esse in hoc libro considerandas vt principia, alias verò secūdas qualitates, vt effectus, & vt affectiones demonstrandas; sed necesse est subiectū esse aliquod, in quo hæ secundæ affectiones producantur, & de quo demonstrentur, idq; est mistum corpus vel omne, vel aliquod, vt postea considerabimus, hoc igitur subiectum huius libri statuendum est. Quòd verò ab Alexandro dicitur, consilium quidem est Aristotelis, at non subiectum, quale in præsentia quærimus.

De subiecto quarti Meteorologici opinio vera, & responsio ad argumenta contraria. Cap. XXVII.

Veram esse puto Olympiodori & Auerrois sententiam, quam alij complures secuti sunt, qui huius quarti libri subiectum statuunt corpus mistum similare amplissimè acceptū, quod & lapides, & metalla, minerasq; omnes, & partes quoque homogeneas animalium, & stirpiū complectatur. *Olympiodorus. Auerroes.* *Similare quid.* Similare autem corpus dicitur, quando totius, & partis cuiuslibet idem est nomen, & eadem definitio, vt aurum, ferrum, lapis, sulphur, caro, neruus, os, lignū, cortex, pilus, & alia eiusmodi. Sententia hæc ex huius libri lectione facilè cōprobatur; omnes enim, quæ in eo tractantur affectiones, propriæ sunt affectiones corporum mistorum similarium, nec dissimi-

laribus competunt, nisi quatenus competunt similaribus, quæ sunt in eis, idq; hunc librum legentibus ita manifestum est, vt nulla egeat declaratione; possumus itaq; sic argumentari: illud est subiectum, cuius affectiones quæruntur, atqui corporis misti homogenei affectiones hic declarãtur, hoc igitur huius libri subiectum est. Hoc idem confirmatur testimonio Aristotelis apertissimo; nam in contex. 42. 48. clarè dicit, se de similaribus corporibus, ac de eorum affectionibus agere, nominatq; ea omnia similaria, quæ suprà memorauimus, metalla, & lapides, carnem, lignum, corticem, aliasq; omnes homogeneas plantarum, & animalium partes: in postremo quoque contextu asserit se de similaribus egisse, proponitq; postea agendum de dissimilaribus cuiusmodi sunt in animalibus caput, manus, crus, & cætera membra; in plãtis verò radix, ramus, fructus, & alia eiusmodi: sumitur etiam ex ordine librorum argumẽtum, quod postea cõsiderabimus. Restat, veritate cognita, vt argumenta pro alijs adducta soluamus.

Solutio argumentorum.

Ad primum Ioan. Grammatici. Ad primum Ioannis Grammatici dicimus Aristotelem in vltimo capite tertij libri proponere quidem agendum particulariter de mineris, non tamen sequi quòd id exequatur in quarto libro, sed hac de re postea loquemur, quum libros ad mineralia attinentes considerabimus. *Ad secundũ.* Ad secundum dicimus nominari quidem ab Aristotele in hoc libro lapides, & metalla exempli gratiâ, sed nominari etiam carnem, & os, & lignum; quemadmodum etiam in libris Physicæ auscultationis sæpe exempli gratiâ nominantur elementa, & cœlum, & lapis, & homo, & animal, nec ob id ea, quatenus talia, subiectum illorum librorum sunt, sed ratione communi, quatenus sunt corpora naturalia: quare & hic nominantur mineræ vt mista homogenea, sicut etiam caro, & lignum, sed non ob id agitur de his secundùm proprias rationes. *Ad tertium.* Ad tertium negandum est consequens; quamuis enim in vltimo capite proponat agendum de animalibus, & de plantis, non ob id dicit se de his statim esse tractaturum, nec per hoc stat quin interponi possint proprij libri de mineris, qua de re posteriùs loquemur. *Ad argumentum Latinorum.* Ad argumentum Latinorum iam responsum est; diximus enim actum esse in libris de generatione de misto vniuersè sumpto, eamq; tractationem, omniaque, quæ ibi dicuntur, præcipuè competere misto perfecto; proinde nil manere dicendum de misto perfecto generaliter accepto, sed solum de huius speciebus separatim, inter quas primus locus debebatur misto perfecto homogeneo, de quo agitur in hoc quarto libro.

De loco quarti Meteorologici. Cap. XXIIX.

Opinio Alexandri de loc. Qvòd ad locum huius libri attinet, non desunt, qui Alexandrum sequentes dicant proprium eius locum esse statim post duos de ortu & interitu, ea ducti ratione, qua videtur vti Alexander: quũ enim hunc librum exordiatur Aristoteles ab elementis, & ab eorum qualitatibus actiuis, & passiuis, de quibus locutus erat in secundo de generatione, videtur hic liber immediatè cohærere cum illo secundo, ita vt tertius de generatione nominari possit. *Confutatio.* Hæc tamen sententia aduersatur & Aristoteli, & rationi: Aristoteles enim in ipso initio primi Meteorologici recensetea, quæ in libris Physicæ auscultationis, & in libris de Cœlo, & in libris de Ortu & interitu tractata fuerunt, & statim subiungit sequi vt Meteorologiam aggrediatur; nempe illam, quæ est de cometis, de lactea via, ac de alijs, quæ ibi nominat, quæ manifestum est tractari in tribus Meteorologicis, non in quarto; de hoc enim ibi ne verbũ quidem facit, itaque post duos de Ortu, & interitu, locat statim tres Meteorologicos, non quartum. In calce etiam ipsius 4. inquit, agendum esse de animalibus, & plantis, non dicit de rebus Meteorologicis; quare absque dubio Aristoteles librum hunc post tres Meteorologicos collocauit. Sumitur etiam ad hoc comprobandum ratio ex ijs, quæ in his omnibus libris tractantur; postquam enim in libris de Ortu, & interitu actum est de misto latissimè sumpto, quum esset ad species descendendum, priùs de imperfectis mistis agendum fuit, de quibus sunt tres priores Meteorologici, postea de perfectis homogeneis, de quibus est quartus; demum autem de perfectis heterogeneis, quæ sunt animalia & plantæ. *Defensio Alexandri.* Credo tamen ad verum sensum trahi posse verba Alexandri, & alios fuisse deceptos, qui talem ei sententiam attribuerint: etenim species omnes eiusdem generis æquè cohærent immediatè suo generi, vt animali æquè homo, ac leo; nec esse tamen est in doctrina de vna priùs agere, de alia posteriùs, prout facilioris doctrinæ ordo, vel alia aliqua ratio postulat. Quoniam igitur in libris de Ortu, & interitu actum est de genere, de corpore misto vniuersè sumpto, ac de elementis, eorumque primis qualitatibus, tanquam de eius principijs, cum hac tractatione immediatè cohæret tam tractatio de misto imperfecto, quàm ea, quæ est de misto perfecto; attamen quum hæc tractari simul non potuerint, voluit Aristoteles ob eas, quas suprà tetigimus, rationes de imperfectis priùs agere, quàm de perfectis. Ad hunc igitur sensum referenda

sunt

sunt verba Alexandri, qui asserit quidem illa, quæ ab Aristotele dicuntur in initio huius quarti, cohærere cum ijs, quæ tradita sunt in secundo de generatione; sed non inquit ob id quartum esse statim collocandum post illum secundum; neque enim negasset etiam illa, quę in principio primi Meteorologici dicuntur, cohærere similiter cum ijs, quæ de elementis, primisq; qualitatibus in secundo de generatione dicta erant; immò id asserit Alexander, dum interpretatur initium primi Meteorologici: dat enim cū Aristotele quartum locum in scientia naturali libris Meteorologicis prioribus, in quibus tractantur ea, quę cōmemorat Aristoteles in illo primo capite; non igitur ita intelligenda sunt eius verba in sua Præfatione in quartum librum, vt dicant hūc quartum esse alijs tribus anteponendum. Olympiodorus tamē & in initio huius quarti, & in initio primi eā Alexandro sententiam attribuit, quam & alij multi; atq; eandem ab Ammonio receptam fuisse testatur; immò nō solùm quartum librum, sed & postremū tertij libri caput, quod est de mineralibus, inquit locandum esse statim post secundum de generatione, secundùm Alexandrum, & Ammonium. Ego verò de Ammonio quidem nil habeo, pręter id, quod de ipso refertur ab Olympiodoro; sed quod ad Alexandrū attinet, non video cur non in veriorem sententiā eius verba trahi possint: alios fortasse Alexandri libros vidit Olympiodorus, qui nunc non extant, in quibus sententiā illam clariùs expressit Alexander. Ratio autem, qua vsum esse Ammonium Olympiodorus ait, nullius momenti est; dicebat enim, nisi quartus hic annectatur statim secundo de generatione, distracta, & interrupta erit tractatio elementorum, quæ continuata esse debuit. Ego enim dico, nec libros de generatione, nec quartum Meteorologicum dici posse libros de elementis; quum enim in vtrisque considerentur elementa vt principia mistorum, est in vtrisque subiectū mistum. Quoniam igitur tres quoq; Meteorologici sunt de misto, coniuncta est tractatio mistorum, eaq; optimè disposita, siquidem ratio ordinandi libros Arist. à solis subiectis sumenda est, nō ab illis, quæ vt principia considerātur; quanquàm in tribus quoque prioribus Meteorologicis dicere possumus elementa vt principia tractari, proinde vel sic elementorum tractationem non interruptam, sed continuatam esse. De vltimo autem tertij libri capite postea dicemus.

Ammonij sententia. — *Ratio Ammonij.* — *Solutio rationis.*

De inscriptione quarti Meteorologici. Cap. XXIX.

Opinio Ioan. Grammatici.

QVod ad eius libri inscriptionem attinet, Ioannes Grammaticus cēsuit cum A esse per se Meteorologicum, propterea quòd est de mineris, quæ ex eadem materia generantur, ex qua illa, quæ fiunt in sublimi; omnia namq; quæ in his quatuor libris tractantur, ex vtroque halitu genita sunt, proinde in eisdem libris tractari omnia debuerunt ob hanc conuenientiam in communi materia. Sed hæc inscriptionis ratio approbanda non est; iam enim ostendimus, librum hunc non esse de mineris, sed de genere communiore, B scilicet misto perfecto homogeneo; huius autem materiam dicere nō possumus esse duplicem halitum; hæc enim est propria speciei conditio, quæ est accidentalis generi; quemadmodum enim animali accidit esse rationale, quum detur animal, quod rationale non est, ita misto similari accidit ex duplici halitu fieri, quum dentur plura mista similaria, quæ ex duplici halitu non fiunt; ideò dicere non possumus, quartum librum esse de ijs, quæ ex C duobus halitibus fiunt. Ego igitur dicendum puto, librum hunc nō esse per se Meteorologicum, neq; enim de ijs est, quæ in sublimi fiunt, neq; de ijs, quæ ex duobus halitibus generantur: per hoc tamen non stat, quin alijs tribus annecti possit, & omnes communi nomine vocari Meteorologici; quum enim certum sit, eum statim post illos esse collocandum, potuit Aristoteles illum alijs tribus ob aliquam rerum consideratarum connexio- D nem adiungere, & vnum ex omnibus volumen constituere, quod à maiori parte Meteorologicum inscriberetur. Num aūt Aristoteles hoc fecerit, vt fecisse videtur, an potiùs librū hunc ab alijs tribus disiunxerit, tanquàm non Meteorologicum, pauci momenti, meo quidem iudicio, ijs est; siquidem neutro modo absurdum aliquod sequitur; potest liber is alijs tribus adiunctus, vocari ex ea cōiunctione Meteorologicus; potest etiam ab alijs trib. E præcedētibus disiungi, & propria inscriptione appellari de misto perfecto similari.

Confutatio. — *Opinio vera.*

De Fossilibus, & Metallis, eorumq; tractatione. Cap. XXX.

DE lapidibus autem, cæterisque fossilibus, ac de metallis, quæ omnia communi nomine solent appellari mineræ, tres inuenio aliorum sententias. Vna fuit Ioannis Grammatici, qui dixit de his agi in illo F libro, qui vocatur quartus Meteorologicus. Hanc opinionem nos antea reprobauimus, ostendimusq; librum illum esse generaliter de misto perfecto homogeneo; quare desideratur propria tractatio de metallis, ac de fossilibus. Aliam opinionem posteriores plures sequuti sunt, qui dixere, nullam aliam requiri tractationem de mineris, præter illam, quæ habetur in postremo capite tertij Me-

Opinio Ioan. Grammatici. — *Confutatio.* — *Alia opinio.*

teorologici; proinde statim post quartũ Meteorologicum sequi libros de animalib. Sententiam hanc his argumentis cõfirmant; *Primum argumentum.* primò consilium Aristotelis in tribus Meteorologicis fuit agere de ijs omnibus, quę ex duobus halitibus generantur; in horum numero sunt metalla, & fossilia omnia; ergo hæc ad nullum alium librum pertinuerunt, quàm ad tres Meteorologicos; proinde satis ea sunt, quæ ab Aristotele scribuntur in calce quarti Meteorologici, nec alius de his liber desideratur. *Secundum.* Præterea aliquos ita audiui argumentantes; Aristoteles in quarto Meteorologico sæpe nominat exempli gratiâ lapides, & metalla; ergo supponit factam priùs eorum declarationem, & tractationẽ in tribus Meteorologicis. *Tertium.* Confirmant testimonio Aristotelis in calce primi capitis primi Meteorologicorum, vbi postquàm recensuit omnia consideranda in Meteorologia, nil aliud inquit superesse considerandum, nisi animalia, & plantas: igitur secundùm Aristotel. nullus præter Meteorologicos postulatur liber de mineris. *Quartum.* Tandẽ considerant Arist. verba, in calce quarti Meteorologici, quibus proponit agendum postea de animalibus & plantis: nullum ergo putauit ad huius scientiæ perfectionem requiri librum de mineris; siquidem hic, si necessarius esset, nullũ haberet locum, nisi post quatuor Meteorologicos, & ante omnes libros de animalibus, & de plantis. *Confutatio.* Verùm hi, vt mihi videtur, magna cæcitate laborârũt, vt duos apertissimos, in quos lapsi sunt, errores non viderint: vnus est, quòd tractatio de mineris pręcedere debuerit quartum Meteorologicum; sic enim præposterum ordinem seruasset Aristoteles, præponens speciem generi; est enim minera species misti perfecti, de quo agitur in illo quarto libro. Adde quòd minera non est mistum imperfectum, sed perfectum, quod etiam diutissimè durat; habet enim perfectam mistionem, & ex omnibus elementis cõstat, quippe constat ex duobus simul halitibus minera quęlibet, quorum alter refert naturam terræ & ignis; alter verò aëris & aquæ: itaq; consideratio mineraliũ ad Meteorologicos libros, qui de imperfectis sunt, minimè pertinebat. Alter error est, quòd breuem illum sermonem de mineris dicant esse perfectum, ita vt nulla amplius de his tractatio requiratur; nam ibi Aristoteles generaliter solum de his loquitur, & nil aliud docet, nisi quòd ex duplici halitu generantur; nullam enim facit distinctionẽ fossilium, & metallorum, siue inter se, siue in suas species; deest igitur propria, & particularis tractatio singulorum, sine qua perfectã haberi in eo vno breui capite tractationem minerarum dicere vanissimum est; idq; Aristoteles ipse eo in lo-

A co rotundo ore confitetur, dum his verbis breuem illum sermonem concludit [*communiter de his dictum est, singillatim autem considerandum intendentibus secundùm vnumquodque genus*] affirmat igitur considerandum esse singillatim de lapidib. & metallis, nosq; ad particularem tractationem remittit, quæ omnino necessaria est, si naturalis scientia debet esse perfecta. His ego argumentis ductus, *Opinio vera.* sequendam esse arbitror tertiam opinionem, B quæ Auerrois est, & Olympiodori, qui putant esse omnino necessariam particularem, atque distinctam tractationem de mineris pręter illam generalem, quæ habetur in vltimo capite tertij Meteorologici; nunquid aũt de mineris scripserit Aristot. præter vltimum illud caput tertij Meteorologici, incertum est; scriptum quidem esse ait Olympiodorus, sed, vt ego arbitror, coniectat potiùs, quàm asseuerans affirmet, quoniam Alexander in declaratione C vltimorum verborum illius postremi capitis tertij libri dicere videtur, proprium hunc de mineris librum non ab Aristotele scriptum esse, sed ab alijs, præsertim verò à Theophrasto: Auerroes quoque in initio primi Meteorologicorum, numerans ordinatim omnes libros naturales, inter eos locat librum de mineris; sed postea inquit, ex nominatis libris aliquos ad nostras manus nõ peruenisse. Ego quidem, etsi non dubito necessarios omnino D esse libros de mineris ad huius scientiæ perfectionem, credo tamen potuisse contingere, vt eos nunquam Aristoteles scripserit; non sum enim in eo communi errore, vt putem necesse esse Aristotelem ita perfectam tradidisse naturalem philosophiam, vt nihil quod ab humano ingenio inueniri, aut cognosci queat, prætermissum ab eo esse potuerit; illud quidem puto esse confitendum, Aristotelem ita artificiosè huius scientiæ fabricam, quam E in præsentia declarandam suscepimus, construxisse, & confecisse, vt quamuis rebus ipsis, ac materiæ (vt ita dicam) addi aliquid possit, artificio tamen, & formæ nihil; ipsam enim scientiã in omnes suas partes distribuit, easq; optimè disposuit, ita vt facile cuique sit, si quid in aliqua parte desit, addere, & addita in suis quæque locis collocare: & hæc omnia puto ipsummet significasse in primo capite primi libri Meteorologicorum. Dicere igitur F possumus, scriptos ab eo fuisse libros de fossilibus, & metallis, qui postea perierint: dicere etiam possumus, nullos esse scriptos, sed satis ei fuisse illa, quæ de his pauca scripsit in vltimo capite tertij Meteorologicorum, ipsumque in calce eius capitis significasse, se horum tractationem alijs postea absoluendam reliquisse; quod postea præstitit Theophrastus, ac posterioribus etiam temporibus Albertus

bertus

bertus Magnus, seu quisquis ille fuerit, qui quatuor, quos habemus, libros diligenter, & egregiè scripsit de mineris. Vtcunque sese res habeat, siue scripsit Aristoteles libros de mineris, siue non scripsit, necessarij omnino sunt ad huius scientiæ complementũ, propriusque eorum locus nullus alius est, nisi statim post quartum Meteorologicorum, vt cẽsuit Auerroes in initio primi libri Meteorologici, & in vltimo commentario quarti, quam sententiam sequutus Albertus, libros à se compositos de mineris locauit statim post quatuor Aristotelis Meteorologicos, & ante omnes libros de animalibus. Ratio autem huius ordinis manifesta est: quum enim in quarto Meteorologico agatur de misto perfecto homogeneo vniuersè sumpto, agendum postea erat de speciebus: species autem huius sunt fossilia, & metalla omnia, & illa, quæ in animalibus, & plantis insunt, similares partes, vt caro, os, cortex, lignum; statim igitur quartum Meteorologicum sequitur tractatio de mineris; nam reliquis similaribus nulla propria tractatio conueniebat; quum enim non ideò sint in rerum natura, vt per se existant, sed vt animalium, & plantarum partes sint, cognouit Aristotel. non esse alibi de his agendum, nisi in ijs ipsis libris, in quibus de animalibus, ac de plantis agererur; nulla igitur erat species misti perfecti similaris, de qua seorsum agendum fuerit post quartum Meteorologicum, nisi fossilia, & metalla; post libros autem de mineris, sequuntur statim libri de animalibus, & plantis, vbi de carne, & de neruo, & de ligno, & de alijs similaribus agitur, ex quibus tanquam ex materia constant animantium partes dissimilares. Sed aduersus ordinem memoratorum librorum oritur dubium, quod multos turbauit: nam si quartus Meteorologicus est de misto perfecto homogeneo vniuersè sumpto, & huius species sunt fossilia, & metalla, Aristotel. de his agens in vltimo capite tertij libri, de speciebus prius egit, quàm de genere, quod faciendum non est, siquidem vniuersalia in doctrina sint particularibus anteponenda. Responsio, quæ ab alijs ad hoc dubium afferri solet, hæc est; vniuersalia sunt anteponenda particularibus; nisi facilioris doctrinæ ratio in contrarium vrgeat; quoniam igitur fossilia, & metalla ex duobus illis halitibus generantur, ex quibus aliæ omnes res Meteorologicæ, facilioris doctrinæ ratio postulauit, vt Aristoteles continuato sermone totam eorum, quæ ex duplici halitu generantur, tractationem absolueret; ideò post res omnes Meteorologicas voluit etiam de mineris loqui in illo vltimo capite tertij libri, & ita particularia vniuersalibus anteposuit facilioris doctrinæ gratia. Hæc communis responsio mihi quidem omnem tollere difficultatem non videtur: nam si continuata tractatione agendum erat de omnibus ijs, quæ ex duplici halitu generantur, oporteret totam quoque de mineris tractationem, quæ desideratur, interponi inter tertium & quartum Meteorologicorum, quod tamen nemo vnquam asseruit; omnes enim qui necessariam esse talem tractationem confessi sunt, eam post quartum Meteorologicorum collocârunt. Est etenim hoc consentaneum rationi, quia quum species cognosci perfectè non possit, ignorato genere, potest quidem rudis aliqua, & imperfecta speciei tractatio tractationi generis anteponi, facilioris doctrinæ gratiâ, qualis est breuis illa tractatio, quæ habetur in postremo capite illius tertij libri; sed perfecta tractatio nullo pacto, dum generis natura non est perfectè cognita. Licet igitur verum sit id, quod illi dicunt, ordinem doctrinæ præcipuè respicere nostram faciliorem cognitionem, difficultas tamen hæc non tollitur, quia non rectam, vel saltem non perfectam rationem adducunt huius facilioris doctrinæ. Ego igitur dicendum puto, càput illud vltimum tertij libri non esse tractationem de mineris, proinde non esse ab Aristotel. antepositã particularia vniuersalibus, sed esse potiùs tractationem de duplici halitu, & ibi institutam ad plenam ipsorum halituum cognitionem; quod quidem videtur sententiam illam confirmare, quòd in tribus Meteorologicis libris duo halitus habent locum subiecti, cuius accidentia quæruntur. Quemadmodum enim aliàs diximus vim æternè mouendi considerari tum in octauo Physicorum ob cognitionem æterni motus in corpore naturali, tanquam huius causam; tum in duodecimo Metaphysicorum propter cognitionem substantiæ à materia abiunctæ, tanquam eius proprietatem, siue attributum: & in cœlo vim mutandi hæc inferiora considerari tum in secundo de generatione propter cognitionem mutationis, quæ fit in his inferioribus corporibus, cuius est causa; tum in libro secundo de Cœlo propter ipsius Cœli cognitionem, tanquam eius proprietatem: & quatuor simplicia corpora in libris de generatione considerari vt elementa mistorum; eadem autem in tertio libro de Cœlo vocari elementa, & cognosci esse elementa mistorum, vt ipsa secundùm se cognoscantur, & omnia eorum attributa, quia esse elementa mistorum est quædam illorum corporum proprietas: ita nunc dicendum videtur, esse duorum halituum proprietatem, vt ex ijs hoc, vel illud generati aptum sit. Ad plenam igitur duorum halituum cognitio-

nem, non ad cognitionem ipsorum mineralium dicere voluit Aristoteles pauca illa de fossilium, ac metallorum ex duobus halitibus generatione, seu potiùs generabilitate; reuera enim de eorum generatione nihil ex eo capite addiscimus, quum ipse generationis modus ibi non declaretur; declarandus enim est in proprijs libris, in quibus mineræ locum habeant subiecti tanquam species misti perfecti homogenei, duo autem halitus locum ibi habent principiorum; quum ijdem in tribus Meteorologicis vel subiecti solummodò locum habeant, vel non minùs subiecti, quàm principiorum. Hoc modo sublata esse videtur omnis difficultas. Restat vt argumenta pro alijs priùs adducta soluamus. Ad primum dicimus, non satis esse pauca illa, quæ dicuntur in vltimo capite tertij libri pro cognitione fossilium & metallorũ; satis quidem sunt ad plenam duorum halituum notitiam, ipsæ autem mineræ non sunt solùm affectiones, quę duobus halitibus accidant, sed sunt mista perfecta, in quibus est facta vera mistio, & vera naturæ vnio: quatuor enim elementorum formæ versæ sunt in formã vnam substantialem mediam ab eis distinctam; cæteræ autem res Meteorologicæ, quæ ex duobus halitibus gigni dicuntur, non habent veram mistionem, nec formam substantialem prouenientem ex congressu formarum elementorum, sed accidentia tantummodò sunt duorum halituum, licèt instar formæ esse videantur, quum dent rebus illis nouum nomen, faciantq; appellari niuem, grandinem, pluuiam. De his itaq; agendum est in tribus Meteorologicis tanquam de accidentibus duorum halituum; at de mineris, quum sint mista perfecta, alio loco agendum est; satis quidem fuit in tribus Meteorologicis cognoscere duorum halituum aptitudinem, vt ex ijs generentur fossilia & metalla, sed ipsa secundùm se ibi satis confusè, & ruditer cognoscuntur, vt cuiq; rationis compoti manifestũ esse potest; neq; enim satis est cõuenientia in communi materia, vt aliqua dici debeant ad eandem scientiæ partem pertinere; sed requiritur etiam conuenientia in forma, & natura, & in modo generationis ex illa materia. Secundùm argumentum vanissimum est, quia quum genus non existat nisi in speciebus suis, solent scriptores, dum agunt de genere, nominare exempli gratiã species: sic nominantur in libris Physicæ auscultationis variæ species corporis naturalis, nec ob id sumũtur vt iam perfectè cognitæ, sed vt confusè notæ; neque etiam declarãtur secundùm proprias rationes, sed secundùm communem rationem generis, de quo ibi agitur. Ad tertium sumptum ex verbis Aristotelis in calce primi cap. primi Meteorologicorũ, dico nõ esse ibi eius cõsilium omnia penitùs enumerare, quæ post libros Meteorologicos tractanda manebant, sed satis habuit animalia, & stirpes tanquam præcipua nominare, quorum cognitio maximè expetibilis est, tum ob eorum nobilitatem, tum ob cognoscendi difficultatẽ, & tractationis prolixitatem, quæ plurimos libros postulabit. Ad hoc autem comprobandum sumo ex Aristotele in eodem loco duplex argumentum: primum, quia non absolutè dicit sola animalia, ac stirpes superesse, sed dicit ferè absolutam, ac perfectam fore scientiæ naturalis traditionem; dicens enim [ferè] indicat alia quoq; esse tractanda, quæ, vt minoris momenti, nominata non erant: præterea in illo 1. cap. ea tantum recensuerat, quę in tribus priorib. Meteorologicis consideranda erant, de ijs autem, quæ in quarto, ne verbum quidem fecerat; itaque si illorum argumentatio efficacitatem habet, non minùs excludit quartum Meteorologicum, quàm libros de mineris: sensus enim verborũ Arist. erit, quod post tres Meteorologicos nil aliud tractandũ manebit, nisi animalia, & plãtæ; subticuit igitur & ea, quę tractanda erant in quarto, & mineras, tanquam res cum Meteorologicis magis coniunctas propter considerationem elementorum, quæ in horũ omnium tractatione est omnino necessaria; & sola rerum verè Meteorologicarũ expressione voluit etiam implicitè complecti, & mistũ perfectum homogeneum, de quo agendum erat in quarto: & eius species fossilia, & metalla, de quib. in libris de mineris vel ipsemet tractaturus erat, vel alijs tractãdum relinquere statuebat. Hoc idem confirmare possumus authoritate Arist. in calce libri de longitudine & breuitate vitæ, vbi hæc verba leguntur [*Reliquum est considerare de iuuentute, & senectute, & vita, & morte, his enim determinatis, finem habebit, quæ de animalibus, methodus*] tacet tamen sanitatem & morbum, de quibus postremo loco librum scripturus erat, vt in 1. cap. libri de sensu, & sensilibus proposuerat; satis enim habuit aliqua præcipua accidentia nominare. Itaque testimonio Aristotel. manifestum est argumentationem hanc nullius esse momenti. Ad postremum argumentũ sumptum ex vlt. cap. 4 libri, dico, Aristot. ibi non proponere agendum statim de animantibus, sed solùm dicere agendum esse de partibus similarib. in libris de animalibus, & plantis: quoniam enim nominauerat in eo capite carnem, & neruum, & corticem, & alia similaria, quæ sunt partes animalium, & plantarum, quæ credere poteramus propriam, ac separatam tractationem postulare, ideò inquit de his agendum esse postea in lib. de animantibus, vt ex horum cogni-

cognitione noscamus dissimilares partes, & ex his tandem animalia ipsa, & plantas; sed nō dicit esse de his statim agendum; ideò Auerroes ibi dicit de singulis illis similarib. agendum manere in tribus libris; in libris de mineris, in libris de plantis, & in libris de animalibus: hoc enim omnes voluit Auerroes sequi quartū illū Meteorologicorū. Hæc dicere volui, vt ostenderem, non probari his argumentis nullū ab Aristotele scriptum esse librū de mineris. Attamen nihil etiam absurdi esset, si diceremus Aristotelem & in 1. cap. libri 1. Meteorolog. & in postremo quarti ita esse loquutum, quòd nullum de mineris librū scribere statuisset; per hoc enim nō stat, quin post 4. Meteorologic. necessarij sint libri de mineris, & qn ipsemet Arist. nouerit eos esse necessarios.

Partitio totius tractationis de Animantib. Cap. XXXI.

Partitio scientiæ naturalis secundùm alios,

TOtam naturalium rerum tractationem in duas partes secare multi solent; vnam dicunt esse de inanimatis, quam hactenus percurrimus; alteram verò de animatis, quam modò aggressuri sumus: diuisionem hāc ego quidem nō refuto, in eum tamen corrigenda esse arbitror, quòd altera prior pars non de inanimis tantùm fuit, sed de ijs quoque, quæ ipsis communia sunt cum animatis, nam corpus naturale cōmune, de quo agitur in libro Physicæ auscultationis, non sola inanima, sed animata quoq; complectitur, vt Aristotel. ibi. in initio 2. libri testatur; sic corpus mistum, de quo in lib. de Ortu, & interitu; sic etiam mistū perfectum homogeneum, de quo in quarto Meteorologicorum. Rectiùs igitur dicemus,

Partitio vera.

priorem huius scientiæ partē fuisse de ijs reb. naturalibus, quę vel inanimis, & animatis cōmunia, vel inanimatorū propria sunt, alteram verò, quæ sequitur, de ijs tātùm esse, quæ sunt propria animatorum. Huius igitur partis seriem explicaturi, quæ & rerum nobilitate, & varietate, & difficultate, & librorum numero digna maximè est consideratione, nos facta priùs rerum considerandarum diuisione, & partitionem librorum, & ordinem, atq; dispositionis artificiū; & subiectam in singulis materiam declarare nitemur. Tota sequens pars,

Diuisio tractationis de viuentibus.

quæ ad viuentia pertinet, tres videtur præcipuas partes habere debuisse; quum enim ab vniuersis ad singula progrediendum sit, primo loco agendum est de ipso viuente corpore generaliter accepto, ibiq; & de anima communiter, & de eius parte vegetali, qua animantia cuncta participant, & de ijs, quæ eam consequuntur, pertractandum: secundo loco de animalibus tum generatim, tū speciatim: tertio loco de plātis: siue (vt Auerroi placuit) secūdo loco de plantis, tertio de animalibus.

Attamen Aristoteles totam de viuentibus tractationem in duas tātùm partes diuisit; vnam de animalibus, alteram verò de plantis; non quòd illam, quæ de viuente genere est, prætermiserit, sed quia ob doctrinæ facilitatē voluit eam cum illa, quæ est de animalibus, commiscere, adeò vt in libris de animalibus tum illa tractentur, quæ sunt animalium propria; tum etiam illa, quæ sunt eis commuuia cum plantis; in reliquis verò, qui de plātis sunt, illa tantummodò, quæ propria plantarum sunt, tractanda relinquantur. Ratio, quæ Aristotelem mouit, fuit, quoniam illa, quæ communiter plantis, & animalibus competūt, distinctiora in animalibus, ꝑinde faciliora cognitu sunt, in stirpib. verò rudiora & obscuriora, cuiusmodi sunt vegetalis animę facultates omnes, & operationes, & organa. Quum itaq; oculatissimus ille Philosoph⁹ animaduertisset difficillimum esse hæc omnia cōsiderare in corpore viuente communi, quod mente à suppositis speciebus abiunctum sumatur, statuit ob faciliorem doctrinam ea omnia considerare in animalibus, vt proportione quadā in plantis eadem cognoscantur, qua de re aliās plura scripsimus in lib. de Methodis, quæ quum nec repetenda hic, nec ignoranda sint, inde petantur. Ex his colligere possumus Auerrois errorem, qui putauit libros de plantis esse libris de animalibus anteponendos, quòd plantæ naturam habeāt simpliciorem, quàm animalia. Attamen deceptus est Auerroes, quia sine cognitione eorum, quę viuenti corpori communiter competunt, non bene poterant stirpes cognosci: non potest enim perfectè cognosci species ignorato genere; ipsius aūt viuentis generis, omniumq; ad ipsum attinentium tractatio commista est, quemadmodum diximus, cum tractatione de animalibus; quamobrem necessariū omnino fuit libros de animalibus anteponere libris de plantis, idq; Aristoteles apertè testatur in calce libelli de longitudine, & breuitate vitæ, vbi asserit se tunc esse in libris de animalibus, posteriùs autem acturum de plantis. Quòd aūt in libris de animalibus tractentur omnia, quæ viuentib. omnibus communia sunt, illa ipsa tractatio declarat; in libris enim de anima agitur, & de anima generaliter, & de anima vegetali, tanquam de viuentis corporis anima: & in ijs libris, qui solent vocari Parui naturales, agitur de vita, & morte, de longitudine, & breuitate vitæ, ac de alijs, quæ communiter competunt omni viuenti. Sed clare hoc testatur Aristoteles in principio libri de Sensu, & sensilibus, vbi proponit se acturum de animalibus, ac de viuentibus omnibus, nec non de omnibus eorum tum proprijs, tum communibus operationibus. Errārunt etiam ob id quidam alij,

Lib. 1. c. vlt.

Opinio Auerrois de libris de plantis.

Confutatio.

qui omnia, quę dicuntur in libris de animalibus, tractari putarunt propter sola animalia, non propter stirpes. sic enim errorem manifestissimum attribuunt Aristoteli, vt ea, quę primò competunt generi, considerauerit in specie, nempe ea, quæ viuenti primò competunt, attribuerit animali, quem errorem Aristot. ipse iam in 1. lib. Posteriorum damnauerat.

Diuisio & ordo omnium librorum de Animalib. iuxta propriam opinionem. Cap. XXXII.

QVoniam igitur ita de animalibus ordiendum esse Aristotel. duxit, vt in ipsis communior quoq; viuentis natura consideraretur, illud in primis considerandum nobis proponitur, in quot partes, seu libros diuisa esse debuerit hæc de animalibus tractatio, & quo ordine ij omnes libri disponendi sint. Eam igitur, quam esse putamus rei veritatem, totamque horum librorum seriem priùs exponemus; deinde verò si qua aduersus eam dubia ob aliorum opiniones digna consideratione esse videbuntur, ea ad exquisitiorem rei declarationem expendemus, atque soluemus. Dictum à nobis est aliàs, perfectam cuiusque subiecti cognitionem in duobus consistere, in cognitione naturæ, & propriorum ipsius accidentium; naturam autem, & essentiam rei cognoscere non possumus, nisi propria eius interna principia, ex quibus constat, intelligamus; acturus ergo Aristoteles vno, & eodem discursu de animalibus, ac de viuente corpore vniuersè, cognouit duas esse debuisse huius tractationis partes; vnam, in qua de internis principijs viuentium ageretur, alteram, in qua de accidentibus, & operationibus consequentibus; tales duas partes habuisse etiam tractationem de corpore naturali communi iam ostendimus; nam in duobus prioribus libris Physicæ auscultationis agitur de eius principijs; in sex autem posterioribus eiusdem accidentia considerantur. Quoniam igitur corpus animatum, & animal ipsum principia habet interna, propriam materiam, & formam, hæc fuerunt in primis consideranda; materia propria, ac proxima animalium sunt eorum partes tum dissimilares, quæ eorum membra dicuntur, vt brachia, caput, tum similares, vt os, & caro; forma verò est anima. primum igitur locum sibi vendicauit tractatio de partibus animalium, deinde de anima; his enim cognitis, iam plenè cognita est ipsa animalium natura; postea verò agendum fuit de accidentibus, & operationibus consequentibus, quæ omnia Aristoteles ordinatissimè executus est; qui præterea animaduertens tractationem de animalibus,

Primo libro de Meth. cap. ult. & in 1. de Praeog.

A magna varietate ac difficultate refertam esse, statuit ad maiorem doctrinæ facilitatem omnibus alijs libris anteponere libros de historia animalium, in quibus & de animalium principijs, & de eorum accidentibus, & operationibus ea, quæ experientia, & sensu cognosci potuere, nobis exponeret, sine vlla causarum redditione; vt postea earundem rerum scientialem tractationem sequentibus libris traderet. Itaque libri de historia sunt

Lib. de historia animal.

B præparatio quædam ad alios omnes de animalibus libros; tradunt enim cognitionem, quòd ita sit; alij verò sequentes earundem rerum causas declarant, & docent propter quid; ideò illi iure fuerunt appellati historici, quum reliqui non historici, sed scientiales potiùs sint appellandi. Videmus autem & in libris de historia eandem illam tractationis partitionem, quam in alijs libris iam declarauimus; nam quatuor priores libri de historia pertinent ad principia animalium, non

C quidem ad animam (hæc enim insensilis est, nullaque de ipsa esse poterat historica tractatio) sed ad solam materiam; agitur enim in ijs quatuor libris historicè de animalium partibus, in reliquis autem posterioribus agitur de operationibus, & accidentibus cōsequentibus, ita vt posterior illa historiæ pars respondeat posteriori parti tractationis scientialis, quæ post libros de anima in paruis (vt

D vocant) naturalibus continetur; altera verò prior historiæ pars respondeat libris de partibus animalium, quibus in parte scientiali primum diximus locum deberi. Si quis igitur quærat, an libri de historia sint pars scientiæ naturalis, dicere possumus esse modo aliquo eius partem, & aliquo etiam modo non esse; pars enim dici possunt, quatenus ad aliorum cognitionem plurimùm conferunt, & alij eorum intelligentiam presupponunt; quare primi omnium librorum de animalibus

E sunt libri de animalium historia. Si verò eos tantùm libros, qui demonstratiuè sint scripti, comprehēdere velimus, libri de historia non sunt pars scientiæ naturalis, & hac ratione primi omnium librorum de animalibus sunt quatuor libri de partibus animalium, quod etiam indicat magnum, ac prolixum eorum librorum prooemium, quod occupat totum primum librum; non enim librorum tantùm

F de partibus, sed omnium ad animalia pertinentium librorum cōmune prooemium est, quò fit, vt illud dicendum sit initium scientialis tractationis de animalibus, vt cuique eum primum librum legenti, manifestum esse potest; videtur enim Aristoteles peracta tota animalium historia, aggredi iterum earūdem rerum scientialem tractationem, ideo q̄ tam prolixum prooemiū apponere voluisse libris de par-

Lib. de partibus animalium.

de partibus animalium, tanquam exordium totius tractationis de animalibus. Post libros igitur de historia ponẽdi statim sunt quatuor libri de partibus animalium, de quorum diuisione in partes nõ est quòd in præsentia dicamus: satis sit hoc annotare, Aristotelem in ijs libris demonstratiuè de partibus agere, quod in prioribus de historia libris non fecerat; singularum enim partium causas assignat finales, nam finis cuiusque partis est propria operatio, & proprium munus, ad quod singulam partem tanquam instrumentum ad finem natura direxit; sunt enim omnes animalis partes instrumenta animæ ad varias edendas operationes, instrumenti autem natura optimè ex eius fine declaratur. Ex hac potissimum naturalis philosophiæ parte sumit ars medica partem illam, quæ physiologica dicitur, in qua de humano corpore, ac de eius partibus sermo fit, quum Medico illas curatoro necessaria penitùs sit earum cognitio; ob id Medici, qui artificiosam, ac fructuosam facere volunt humani corporis anatomen, imitari Aristotelem debent, non in libris de historia, sed in libris de partibus methodicè de ipsis partibus agentem: duo namque omnino cognoscenda sunt ad perfectam ipsarum partiũ notitiam habendam; vnum est proprium cuiusque partis officium, propriaq; operatio; alterum verò, quòd ex illo deducitur, ea, quæ in singula parte requiritur, elementorum commistio, & primarum qualitatum temperies; horum enim altero ignorato, non potest aliqua humani corporis pars dici perfectè cognita. Quatuor libros de partibus sequitur statim liber de animalium incessu, qui similiter de partibus est, nempe de illis, quæ pertinent ad motionem animalis, cuiusmodi sunt crura, pedes, & in auibus alæ; & aliæ eius generis; has enim partes secernere voluit Aristoteles ab alijs, quæ in quatuor libris, qui de partibus inscribuntur, consideratæ fuerunt, de quo partium discrimine aliqua postea dicemus. Librum de incessu sequuntur libri de anima, quia post considerationem materiæ animalium, quæ in quatuor libris de partibus, & in libro de incessu habetur, sequitur vt statim agatur de forma, quod Aristoteles præstat in libris de Anima. Hunc esse debere memoratorum librorum ordinẽ, tum ipsa, quam declarauimus, ratio demonstrat, tum clarum Aristot. testimonium confirmat: nam in primo capite secundi libri de partibus animalium, & in primo cap. libelli de incessu apertè asserit, se iam in libris de historia docuisse, quòd animalia ex ijs partibus constent; postea verò dicendum esse, quamobrem ex ijs constent, & earum causas esse inquirendas. Inquit igitur libris omnibus de partibus, & de

Ars medicina physiologica.

Liber de incessu animalium.

Lib. de anima.

A incessu præcessisse libros de historia. Quòd autem liber de incessu sequatur statim quatuor libros de partibus, testatur Aristot. in postremis verbis quarti de partibus dum inquit [*sequitur vt de partibus incessui animalium inseruientibus differamus.*] Demum in calce libri de incessu inquit Aristot. [*his ita determinatis, proximè sequitur, vt agamus de Anima*] cum igitur horum librorum ordinem esse voluit, quem diximus. Non est autem silentio prætereundum illud, quod etiam in operibus Logicis B tetigimus, discrimẽ librorum de Anima cum libris de partibus; in his enim agitur de partibus proprijs animalium, in libris autem de Anima non de sola animalium anima, sed de illa quoque, quæ est animali communis cum stirpe; nam in secundo libro agit primo loco de anima latissimè sumpta, postea de prima eius parte, quæ vegetabilis dicitur, quæ vtraque tractatio non magis de animalium, quàm C de stirpium forma dici potest; postea agit de animæ parte sensibili, quæ est propria animalium; mox in tertio libro de parte rationali, quæ est hominis propria. Ratio autem huius discriminis sumitur ex ijs, quæ antea dicta sunt: Aristoteles enim constituit in animalibus considerare non ea solùm, quæ ipsis propriè competunt, sed etiam illa, quæ sunt eis communia cum plantis; exordiens igitur à materia proxima nullam inuenit communem ani- D mali cum planta, non potuit igitur nisi propriam animalium materiam considerare, quę sunt partes ipsæ animalium, nisi dicamus aliquas nutritioni, & accretioni animalis inseruientes esse quadam proportione communes, quatenus aliæ eisdem muneribus fungentes repetiũtur in plantis; at certè propriè, & (vt dicunt) formaliter communes nullæ sunt. Ad formam autem animalis considerandam accedens, debuit omnis animæ, quæ in E animali insit, considerationem facere; quoniã igitur in animalib. omnes insunt animæ partes, seu gradus, omnes debuit eo, quem diximus, ordine considerare; hoc tamen non ita intelligere debemus, vt aliqui intellexère, vt dicamus quamlibet animæ partem tractari vt animalis; nam si vegetalem animam considераret vt animalis, id, quod primò generi competit, attribueret speciei; quam in primo Posteriorum dixit sophisticam esse cõsideratio- F nem, & nullam scientiam parere. Quamobrem ne vitium hoc Aristoteli ascribatur, dicẽdum est omnem quidem animã ab eo in animali considerari, non tamen omnem vt animalis, sed cum animam latè acceptam, tũ partem vegetantem considerari vt viuentis corporis, quod in animali inest, & commune genus est animalis & plantæ, ita vt omnia quæ ibi dicũtur, & animali, & stirpi competere in-

Primo de Meth. c. vlt.

telligantur. Post declarata animalium principia, materiã, & formam, sequebatur vt Aristoteles de accidentibus. & operationib. ageret, quod fecit in ijs libris, qui solent vocari Parui naturales: horũ primum esse librum de Sensu, & Sensilibus manifestum est, quum in eius initio Aristot. totam sequentẽ tractationem cũ præcedentibus de Anima libris connectens, suumq; in sequentib. consilium aperiens his verbis vtatur [*Posteaquam de Anima dictum est secundùm seipsam, consequens est facere considerationem de animalibus, vitamq; habentibus omnibus, quæ sint propriæ, & quæ communes operationes ipsorum*] Asserit igitur eum librũ, & alios sequentes sequi statim post libros de Anima; asserit etiam ore rotundo, se non de solis animalibus, sed & de omnibus viuentib. locuturum; & præterea asserit, se nil aliud esse tractaturum in sequentibus libris, quàm operationes tum animalium proprias, tum viuentibus omnibus cõmunes: quare manifestum est, illud esse commune prooemium omnium paruorum naturaliũ, quum etiam Aristot. statim nominet cætera omnia, quæ post eum librum in alijs sequentib. consideranda sunt. Horum igitur sequẽtium librorum ordinem inter se, & ordinis rationẽ declaremus: quod enim ad ordinem ipsum attinet, is nullam videtur habere difficultatem, quum partim ab Aristotel. ipso exponatur, partim communi aliorum consensione concedi videatur. Primum enim post libros de Anima esse omniũ paruorum naturaliũ librum de sensu, & sensilibus & Aristoteles ipse in eius libri initio testatur, & omnes fatentur: in calce autem eiusdem libri proponit agendum statim de memoria, & reminiscentia; postea sequitur liber de Somno, & Vigilia, & alij eum eo connexi, nempe de somnijs, ac de diuinatione per somnum; deinde post hos, liber de communi Animalium motu, in cuius libelli fine Aristoteles epilogum faciens eorum quæ priùs tractauerat, eo, quem diximus, ordine eos omnes libros disponit; proponitq; statim agendum de generatione animalium, librũ igitur de motu statim sequũtur quinq; libri de generatione animalium. Tandem omnium postremi ab omnibus collocãtur libri illi, qui ad durationem animalis, viuentisq; omnis pertinent; ij autem sunt, de longitudine, & breuitate vitæ, de iuuentute, & senectute, de vita, & morte, & respiratione, ac demum de sanitate, & morbo: hunc enim ordinem ab ipso Aristot. fuisse constitutum patet tum in primo capite libri de Sensu, & Sensilibus, tum in calce libri de Longitudine, & breuitate vitæ, & in initio libri de iuuentute, & senectute. De ordine igitur horum librorum non est dubitandum, quanquam de libris de Animaliũ generatione ali-

Parui naturales. *Lib. de Sensu, & Sensibilibus.*

Ordo paruorum naturalium.

A qui, quorum dogma mox expendemus, aliam proferre sententiam ausi sunt. Nunc huius ordinis rationem nos cõsiderare oportet, quum enim in aliquibus necessarius omnino sit ordo, ita vt alius seruari non potuerit, in aliquibus verò non necessarius, sed propter melius, nos vtriusq; rationem cognoscere debemus. Ante omnia quum memoratarum operationum aliæ sint propriæ animalium, aliæ cunctis viuentibus communes, non est ignorandum id, B de quo diffusiùs diximus in lib. de Methodis, accidentia propria speciei duplicia esse, alia namq; omnino speciei naturam consequuntur, nõ naturam generis, cuiusmodi est sensus, qui solam animalis naturam insequitur, non naturam viuentis, alia verò, quũ absolutè naturam generis consequantur, tamẽ à propria speciei natura ita ad certos proprios modos restringuntur, vt speciei propria fiant, huiusmodi est motus animalium; quum C enim absolutè sumptus motus naturam absolutè sumptam insequatur, proinde primò competat corpori naturali generi, varijs tamen modis à naturis specierum restringitur, & fit proprius singularum; motus enim simplex proprius est corporis simplicis, & motus animalium insequitur non amplius naturam absolutè acceptam, sed naturam animalis; aliqui etiam particulariores modi existunt, quibus fit alius hominis, alius equi, alius canis D proprius motus: sic generatio absolutè accepta primò competit corpori naturali caduco, at animali competit proprius quidam generationis modus, qui ipsius naturæ est consentaneus, & dicitur generatio animaliũ, quæ est species generationis latè sumptæ, sicuti etiam motus animalis est species motus generaliter accepti. Tria igitur sunt accidentium genera, quæ ab Aristot. in his libris cõsiderantur, alia communia sunt omnib. viuentibus, quæ etiã E vt viuentium, non vt animalium, considerantur ab Aristot. licèt considerentur in animalibus; huiusmodi sunt vita, mors, longitudo, & breuitas vitæ, iuuentus, senectus, sanitas, morbus; modi namque, quibus hæc communiter animalibus, & plantis competunt, consideratione digni extiterũt. Alia verò accidentia ita naturã animalis solam consequuntur, vt nullam cum natura generis habeant affinitatem: huiusmodi sunt sensus, memoria, reminiscen- F tia, somnus, vigilia, somnia, & diuinationes, quæ per somnũ fiunt, de quib. singulis libros ab Aristot. scriptos habemus. Alia demũ, quã absolutè naturam cõmuniorem consequantur, ab ipsa tamen animalis natura ita restringuntur, vt animaliũ propria reddantur, vt motus animalium, & eorundem generatio: proprij namq; modi, quibus in animalibus fiunt, ita cognitu digni extiterunt, vt propriam tractatio-

Lib. 1. c. 10.

Tria accidentium genera in animalib.

ctationem postulauerint, quia ijs ignoratis manca, & imperfecta fuisset naturalis philosophia. De his igitur proprios libros scripsit Aristoteles, tanquam de accidentibus proprijs animalium, eosque inscripsit de motu animalium, de generatione animalium; non sic de morte, & vita animalium, nec de iuuentute, & senectute animalium, quia hæc vt omnium viuentium communia accidentia considerare voluit. Hæc omnia accidentium genera quum in his libris tractentur, potuisset Aristot. in horum tractatione ordinem seruare à magis vniuersalibus ad minùs vniuersalia, & illa, quæ viuentibus omnibus communia sunt, alijs anteponere, postea verò agere de illis, quæ sunt propria animalium, idque omnino facere debuisset, si melioris, aut facilioris doctrinæ ratio hunc ordinem, vt in alijs plurimis solet, postulasset; quum autem nulla postulauerit (cuius quidem rei rationem nos in memorato loco diffusè declarauimus) ideo quæ vniuersalia intra anteponere coactus ea ratione non fuerit; statuit non recedere ab instituto, voluitque ab ijs exordiri, quæ sunt propria animalium, postea verò de alijs agere, quæ viuentibus omnibus communia sunt: quum enim vtraque hæc in animalibus considerare decreuisset, ita eorũ tractationes disposuit, vt quæ intimiora naturæ animalis esse viderentur, ea priùs tractaret, quæ verò remotiora, posteriùs. Quoniam igitur naturæ animalis nihil est intimius sensu, siquidem animal per sensum est animal; ideò statim post libros de anima primum locum inter omnes operationes tribuere voluit operationi sensus, de qua agit in libro de sensu, & sensilibus; vbi illud est nobis animaduertendum, nomen sensus accipi solere tum pro ipsa animæ facultate sensibili, tum pro eius operatione; sensus pro anima acceptus, fuit consideratus in libris de Anima; in hoc autem libro agitur de sensu sumpto pro operatione; & ita inscribitur de sensu; de obiectis autem sensilibus ibi agitur propter operationem, vt magis declaretur, quomodo immutetur organum ex eorum actione, vnde prodit operatio. Librum de sensu & sensilib. sequitur statim liber de memoria, & reminiscentia, quæ quum sint interiorum sensuum operationes, sunt & natura, & cognitione posteriores operationibus sensuũ exteriorum. Hunc sequitur liber de somno, & vigilia, hæc enim cum sensu omnino coniũcta sunt, quia nil aliud est somnus, nisi quies, & ligatio omnium sensuum, & ab operatione cessatio; quare liber hic cõiunctus esse debuit tractationi de sensu, & eam sequi, quoniã eius notitiam præsupponit. Hunc autem sequitur liber de Somnijs, deinde liber de Diuinatione per somnum, hæc enim accidunt animali in somno, & eorum tractatio præsupponit cognitas sensuum & externorum, & internorum operationes. Hi igitur omnes libri sunt proprij animalium, quia ad solum sensum pertinent, & ea, quam diximus, ipsorum inter se ordinatio necessaria est, quoniam aliter disponi non potuerunt, vt manifestum est. Hos omnes sequitur liber de communi Animalium motu, quia motus est sensu posterior ea, quam tetigimus, ratione, sensus enim omnino insequitur animalis naturam; motus verò non hanc, sed vniuersè sumptã naturam insequitur: naturam autem animalis consequitur modus potiùs ipsius motus, quàm motus ipse: non ita igitur intimus naturę animalis est motus, vt sensus: adde quòd sensus datus est animali vt sit, motus verò non est animali necessarius vt sit, sed vt conseruetur; conseruatur enim per cibum, quem sibi quærit per motum; omnibus igitur libris per se ad sensum attinentibus, posterior esse debuit liber de motu animalis; ob quam eandem rationem etiam quatuor libri de partibus Animalium, quum sint de ijs partibus, quæ pertinent ad animalis esse, vel ad bene esse, præponendi fuerunt libro de Incessu, in quo agitur de ijs partibus, quæ conferunt ad motum, proinde ad conseruationem animalis. Post librum de motu Aristot. statim locat (vt prædiximus) libros de generatione Animalium; quamuis enim alia fortasse ratione generatio & motui, & sensui anteponi potuisset, tamen si Aristotel. institutum spectemus, postponenda fuit; est enim operatio animalis, quæ neq; ad eius esse, neque ad conseruationem pertinet, sed ad solam conseruationem speciei; potest enim & existere animal, & diutissimè conseruari, quod omni prorsus vi generandi sit orbatum: non est tamen ignorandum, generationem alio modo respicere naturam vniuersalem, alio particularem; respectu enim naturæ vniuersalis, quæ præ cæteris quærit conseruationem specierum, præcipua magis est generatio, quàm motus; at si particularem cuiusque naturam spectes, ea præcipuè vult indiuiduum seruari, deinde verò speciem; officium enim est naturæ vniuersalis, finem vltimum rebus, ad quem tendant, statuere; naturæ autem particularis, iussa quodammodo illius exequendo procedere ordine generationis, quem hîc Aristot. respexisse videtur, primùm enim vult animal existere, deinde conseruari ac durare, donec ad ætatem perueniat perfectam, in qua sit aptum generare aliud simile, atque ita speciem conseruare; hac igitur ratione prior est sensus motu, & motus generatione, quia propinquior, & intimior ipsi naturæ animalis. Non defuere tamen, qui de loco lib. de Animalium ortu aliud senserint, quorum sententiam mox expendemus. Post lib. de generatione Animalium sequuntur illi omnes, qui quum ad viuentia omnia pertineant, & res tractent communes animalibus, & plantis, quæ remotiores esse videntur à propria animalis natura, vt antè diximus, ad

Primo de Meth. c. vlt.

Lib. de Sensu, & Sensilib.

Sensus sumitur, & pro anima, & pro operatione.

Lib. de memoria, & reminiscentia.

Lib. de Somno, & vigilia.

Libri de somnijs, & de diuinatione per somnum.

Lib. de motu animalium.

Lib. de generatione animalium.

D

telligantur. Post declarata animalium principia, materiã, & formam, sequebatur vt Aristoteles de accidentibus, & operationib. ageret, quod fecit in ijs libris, qui solent vocari Parui naturales; horũ primum esse librum de Sensu, & Sensilibus manifestum est, quum in eius initio Aristot. totam sequentẽ tractationem cũ præcedentibus de Anima libris connectens, suumq; in sequentib. consilium aperiens his verbis vtatur [*Postea quam de Anima dictum est secundum seipsam, consequens est facere considerationem de animalibus, vitamq; habentibus omnibus, quæ sint propriæ, & quæ communes operationes ipsorum*] Asserit igitur eum librũ, & alios sequentes sequi statim post libros de Anima; asserit etiam ordine rotundo, se non de solis animalibus, sed & de omnibus viuentib. locuturum; & preterea asserit, se nil aliud esse tractaturum in sequentibus libris, quàm operationes tum animalium proprias, tum viuentibus omnibus cõmunes: quare manifestum est, illud esse commune procemium, omnium paruorum naturaliũ, quum etiam Aristot. statim nominet cætera omnia, quæ post eum librum in alijs sequentib. consideranda sunt. Horum igitur sequẽtium librorum ordinem inter se, & ordinis rationẽ declaremus: quod enim ad ordinem ipsum attinet, is nullam videtur habere difficultatem, quum partim ab Aristotel. ipso exponatur, partim communi aliorum consensione concedi videatur. Primum enim post libros de Anima esse omniũ paruorum naturaliũ librum de sensu, & sensilibus & Aristoteles ipse in eius libri initio testatur, & omnes fatentur: in calce autem eiusdem libri proponit agendum statim de memoria, & reminiscentia; postea sequitur liber de Somno, & Vigilia, & alij cum eo connexi, nempe de somnijs, ac de diuinatione per somnum; deinde post hos, liber de communi Animalium motu, in cuius libelli fine Aristoteles epilogum faciens eorum quæ priùs tractauerat, eo, quem diximus, ordine eos omnes libros disponit; proponitq; statim agendum de generatione animalium, librũ igitur de motu statim sequũtur quinq; libri de generatione animalium. Tandem omnium postremi ab omnibus collocãtur libri illi, qui ad durationem animalis, viuentisq; omnis pertinent; ij autem sunt, de longitudine, & breuitate vitæ, de iuuentute, & senectute, de vita, & morte, & respiratione, ac demum de sanitate, & morbo; hunc enim ordinem ab ipso Aristot. fuisse constitutum patet tum in primo capite libri de Sensu, & Sensilibus, tum in calce libri de longitudine, & breuitate vitę, & in initio libri de iuuentute, & senectute. De ordine igitur horum librorum non est dubitandum, quanquam de libris de Animaliũ generatione aliqui, quorum dogma mox expendemus, aliam proferre sententiam ausi sunt Nunc huius ordinis rationem nos cõsiderare oportet, quum enim in aliquibus necessarius omnino sit ordo, ita vt alius seruari non potuerit, in aliquibus verò non necessarius, sed propter melius, nos vtriusq; rationem cognoscere debemus. Ante omnia quum memoratarum operationum aliæ sint propriæ animalium, aliæ cunctis viuentibus communes, non est ignorandum id, de quo diffusiùs diximus in lib. de Methodis, accidentia propria speciei duplicia esse, alia namq; omnino speciei naturam consequuntur, nõ naturam generis, cuiusmodi est sensus, qui solam animalis naturam insequitur, non naturam viuentis, alia verò, quũ absolutè naturam generis consequantur, tamẽ à propria speciei natura ita ad certos proprios modos restringuntur, vt speciei propria fiant, huiusmodi est motus animalium; quum enim absolutè sumptus motus naturam absolutè sumptam insequatur, proinde primò competat corpori naturali generi, varijs tamen modis à naturis specierum restringitur, & fit proprius singularum; motus enim simplex proprius est corporis simplicis, & motus animalium insequitur non amplius naturam absoluiè acceptam, sed naturam animalis; aliqui etiam particulariores modi existunt, quibus fit alius hominis, alius equi, alius canis proprius motus: sic generatio absolutè accepta primò competit corpori naturali caduco, at animali competit proprius quidam generationis modus, qui ipsius naturæ est consentaneus, & dicitur generatio animaliũ, quæ est species generationis latè sumptę, sicuti etiam motus animalis est species motus generaliter accepti. Tria igitur sunt accidentium genera, quæ ab Aristot. in his libris cõsiderantur, alia communia sunt omnib. viuentibus, quæ etiã vt viuentium, non vt animalium, considerantur ab Aristot. licèt considerentur in animalibus; huiusmodi sunt vita, mors, longitudo, & breuitas vitę, iuuentus, senectus, sanitas, morbus; modi namque, quibus hæc communiter animalibus, & plantis competunt, consideratione digni extiterũt. Alia verò accidentia ita naturã animalis solam consequuntur, vt nullam eum natura generis habeant affinitatem; huiusmodi sunt sensus, memoria, reminiscentia, somnus, vigilia, somnia, & diuinationes, quæ per somnũ fiunt, de quib. singulis libros ab Aristot. scriptos habemus. Alia demũ, quũ absolutè naturam cõmuniorem consequantur, ab ipsa tamen animalis natura ita restringuntur, vt animaliũ propria reddantur, vt motus animalium, & eorundem generatio: proprij namq; modi, quibus in animalibus fiunt, ita cognitu digni extiterant, vt propriam tractatio-

Parui naturales.
Lib. de Sensu, & Sensilibus.
Ordo paruorum naturalium.
Lib. 1. c. vlt.
Tria accidentium genera in animalib.

stationem postulauerint, quia ijs ignoratis manca, & imperfecta fuisset naturalis philosophia. De his igitur proprios libros scripsit Aristoteles, tanquam de accidentibus propriis animalium, eosque inscripsit de motu animalium, de generatione animalium; non sic de morte, & vita animalium, nec de iuuentute, & senectute animalium, quia hæc vi omnium viuentium communia accidentia considerare voluit. Hæc omnia accidentium genera quum in his libris tractentur, potuisset Aristot. in horum tractatione ordinem seruare à magis vniuersalibus ad minùs vniuersalia, & illa, quæ viuentibus omnibus communia sunt, alijs anteponere, postea verò agere de illis, quæ sunt propria animalium, idque omnino facere debuisset, si melioris, aut facilioris doctrinæ ratio hunc ordinem, vt in alijs plurimis solet, postulasset; quum autem nulla postulauerit (cuius quidem rei rationem nos in memorato loco diffusè declarauimus) ideo que vniuersaliora anteponere coactus ea ratione non fuerit; statuit non recedere ab instituto, voluitque ab ijs exordiri, quæ sunt propria animalium, postea verò de alijs agere, quæ viuentibus omnibus communia sunt: quum enim vtraque hæc in animalibus considerare decreuisset, ita eorũ tractationes disposuit, vt quæ intimiora naturæ animalis esse viderentur, ea priùs tractaret, quæ verò remotiora, posteriùs. Quoniam igitur naturæ animalis nihil est intimius sensu, siquidem animal per sensum est animal; ideò statim post libros de anima primum locum inter omnes operationes tribuere voluit operationi sensus, de qua agit in libro de sensu, & sensilibus; vbi illud est nobis animaduertendum, nomen sensus accipi solere tam pro ipsa animæ facultate sensibili, tam pro eius operatione; sensus pro anima acceptus, fuit consideratus in libris de Anima; in hoc autem libro agitur de sensu sumpto pro operatione; & ita inscribitur de sensu; de obiectis autem sensilibus ibi agitur propter operationem, vt magis declaretur, quomodo immutetur organum ex eorum actione, vnde prodit operatio. Librum de sensu & sensilib. sequitur statim liber de memoria, & reminiscentia, quæ quum sint interiorum sensuum operationes, suñt & natura, & cognitione posteriores operationibus sensuũ externorum. Hunc sequitur liber de somno, & vigilia, hæc enim cum sensu omnino coniuncta sunt, quia nil aliud est somnus, nisi quies, & ligatio omnium sensuum, & ab operatione cessatio; quare liber hic cõiunctus esse debuit tractationi de sensu, & eam sequi, quoniã eius notitiam præsupponit. Hunc autem sequitur liber de Somnijs, deinde liber de Diuinatione per somnum, hæc enim accidunt animalibus somno, & eorum tractatio præsupponit cognitas sensuum & externorum, & internorum operationes. Hi igitur omnes libri

Primo de Meth. c. vlt.

Lib. de Sensu, & Sensilib.

Sensus sumitur, & pro anima, & pro operatione.

Lib. de memoria, & reminiscentia.

Lib. de Somno, & Vigilia.

Libri de somnijs, & de diuinatione per somnum.

A sunt proprij animalium, quia ad solum sensum pertinent, & ea, quam diximus, ipsorum inter se ordinatio necessaria est, quoniam aliter disponi non potuerunt, vt manifestum est. Hos omnes sequitur liber de communi Animalium motu, quia motus est sensu posterior ea, quam tetigimus, ratione, sensus enim omnino insequitur animalis naturam; motus verò non hanc, sed vniuersè sumptã naturam insequitur: naturam autem animalis conse-B quitur modus potiùs ipsius motus quàm motus ipse: non ita igitur intimus naturę animalis est motus, vt sensus: adde quòd sensus datus est animali vt sit, motus verò non est animali necessarius vt sit, sed vt conseruetur; conseruatur enim per cibum, quem sibi quærit per motum; omnibus igitur libris per se ad sensum attinentibus, posterior esse debuit liber de motu animalis; ob quam eandem rationem etiam quatuor libri de partibus Ani-C malium, quum sint de ijs partibus, quæ pertinent ad animalis esse, vel ad bene esse, præponendi fuerunt libro de Incessu, in quo agitur de ijs partibus, quæ conferunt ad motum, inde ad conseruationem animalis. Post librum de motu Aristot. statim locat (vt prædiximus) libros de generatione Animalium; quamuis enim alia fortasse ratione generatio & motui, & sensui anteponi potuisset, tamen si Aristotel. institutum spectemus, postponenD da fuit; est enim operatio animalis, quæ neq; ad eius esse, neque ad conseruationem pertinet, sed ad solam conseruationem speciei; potest enim & existere animal, & diutissimè conseruari, quod omni prorsus vi generandi sit orbatum: non est tamen ignorandum, generationem alio modo respicere naturam vniuersalem, alio particularem; respectu enim naturæ vniuersalis, quæ præ cæteris quærit conseruationem specierum, præcipua magis est geE neratio, quàm motus; at si particularem cuiusque naturam spectes, ea præcipuè vult indiuiduum seruari, deinde verò speciem; officium enim est naturæ vniuersalis, finem vltimum rebus, ad quem tendant, statuere; naturæ autem particularis, iussa quodammodo illius exequendo procedere ordine generationis, quem hic Aristot. respexisse videtur, primùm enim vult animal existere, deinde conseruari ac durare, donec ad ætatem perueniat F perfectam, in qua sit aptum generare aliud simile, atque ita speciem conseruare; hac igitur ratione prior est sensus motu, & motus generatione, quia propinquior, & intimior ipsi naturæ animalis. Non defuêre tamen, qui de loco lib. de Animalium ortu aliud sentirent, quorum sententiam mox expendemus. Post lib. de generatione Animalium sequuntur illi omnes, qui quum ad viuentia omnia pertineant, & res tractent communes animalibus, & plantis, quæ remotiores esse videntur à propria animalis natura, vt antè diximus, ad

Lib. de motu animalium.

Lib. de generatione animalium.

D

postremum locū ab Aristot. reiecti sunt; communia omnium viuentium accidentia sunt longitudo, ac breuitas vitæ, iuuentus, senectus, vita, & mors, sanitas, & morbus, de quibus agit Aristot. eo ordine, qui ad doctrinæ facilitatem conferre visus est; primum quidem locum sibi vendicare videbatur tractatio de longitudine, ac breuitate vitæ, per quam cognosceremus rationē, cur viuentium alia diutiùs, alia breuiùs viuant, hoc discrimine cognito distinguenda est cuiusq; duratio in partes, B quæ dicuntur iuuentus & senectus; ideò Aristot. in calce libri de longitudine, & breuitate vitæ, proposuit agendum de iuuentute, & senectute, ac simul de vita, & morte; coniuncta namq; est horum omnium tractatio, ita vt de omnibus in eodem libro loqui commodissimum esse Aristot. iudicauerit; sed cum sermone de vita, & morte coniunxit etiam tractationem de respiratione, & expiratione, quamuis animalibus solis hæc competant, non plan C tis, propterea quòd animalia tamdiu viuunt, quamdiu respirare, & expirare possunt: quum enim id facere nequeunt, moriuntur; itaq; sermonem de respiratione cōiunxit cum sermone de vita, & morte, & hanc tractationem cum tractatione de iuuentute, & senectute, in his enim ætatibus viuere animantia dicuntur, & earum omnium extremum mors est; ideò postrema omnium prædictarum est tractatio de vita, & morte, siquidem per mortē his omnibus finis imponitur. D Postremus omnium de animalibus librorum est liber de Sanitate, & Morbo, vt Aristot. ipse testatur in primo capite libri de Sensu, & Sensilibus; huic vltimus debebatur locus, tum quia sanitas, & morbus cognitionem aliorum dictorum accidentium præsupponunt, tum etiam quoniam alia omnia iam memorata pendent à sola natura; sanitas autem, & ægritudo & à natura, & ab arte: quò fit vt Aristot. 1. cap. libri de Sensu, & E Sensilibus, & in initio ipsius libri de vita, & morte dicat, tractationē hanc modo quodam esse in confinio scientiæ naturalis, & artis medicæ, quum in ea desinat philosophus naturalis, & ab ea incipiat medicus: quod quidem quomodo sit intelligendum, iam in mea de doctrinæ ordine Apologia declaraui. Hunc igitur ego puto esse verum ordinem omnium librorum de Animalibus, & ipsius ordinis rationem. Restat vt in prædictis libris aliqua con F sideremus, & aliorum de ordine sententias breuiter expendamus.

Lib. de longitudine, & breuit. vitæ.

Lib. de iuuentute, & sen. vit. & mor.

Lib. de sanitate, & morbo.

Lib. 1. cap. 7.

Qualis debeat esse tractatio de sanitate & morbo in scientia naturali.
Cap. XXXIII.

Qvum omnium de animalibus librorū ordinem exposuerimus, optaret fortasse aliquis, vt etiam singuli cuiusq; libri tractationis modum, diuisionemq; in partes, A & partium seriem edoceremus; ego tamen eo labore supersedere constitui, ne opus hoc, quod breue esse volui, in magnam molem excrescat, quum præsertim hæc in singulis Arist. libris per se quisq; considerari possit; nobis igitur satis sit vniuersam structuram declarasse. Sed tractatio de sanitate, & morbo postulare videtur vt aliqua de ipsa dicamus, quum enim solùm eius libri initiū habeamus; ipsa autem tota tractatio desideretur; quò fit vt videre B nequeamus, quomodo de sanitate & morbo egerit Aristot. & quomodo horum tractatio naturalis à tractatione medica distinguatur, non erit ab re, si de hoc nos aliqua dixerimus, & quum præter medicos nemo tanquam philosophus naturalis de sanitate, & morbo scripta, quæ legere possimus, nobis reliquerit, nostram ipsi hac de re sententiam proferamus. Ego igitur quid sentiam, paucis exponam. Philosopho naturali de sanitate, & ægritudine C scripturo, duo puto esse obseruanda; vnum pertinet ad subiectum horum accidentium, alterum verò ad eorum causas; quod ad subiectum attinet, tribuenda sunt omnia accidentia illi subiecto, cui primò competunt, contrà quàm medici faciunt, qui & sanitatem, & morbum, & multas operationes, ipsasque organicas partes, quæ homini cum multis alijs communes sunt, vt hominis contemplantur; qua in re quum omni reprehensione careant vt D medici, at vt philosophi naturales admittendi non essent: itaque consideraret oporteret sanitatem, & morbum vt accidentia viuentis vniuersè sumpti, ita vt non minùs stirpium, quàm animalium sanitas, & ægritudo consideraretur. Quod verò ad causas attinet, non est ignorandum, sanitatis, & morbi causas, quæ tractantur à medico, aliquas esse à philosopho naturali, quum ad effectionem omnes pertineant, non ad scientiam; hæ autem sunt, E quæ communiter à medicis auxilia, seu remedia appellantur, quorum inuentio, & cognitio scopus est artis medicæ docentis, eaq; sunt magna ex parte plantarum vires, & proprietates: etsi enim non inficior, debere philosophum naturalem in libris de Plantis docere naturas, & proprietates plantarum, ad plenam rerum naturalium notitiam, & ad perfectionem traditionis scientiæ naturalis, dico tamen id in libro de sanitate, & morbo F minimè esse faciendum; talium enim virium applicatio ad ipsum viuentis corpus sanādum homani arbitrij est, fitque ex habitu artis: sunt igitur à philosopho naturali cognoscendæ plantarum naturæ, & proprietates propter cognitionem plantarum tantummodo, à medico autem propter humani corporis sanitatem efficiendam, vel conseruandam. Quamobrem naturalis de sanitate tractatio, debet esse vniuersalis, causasque complecti vniuersales, & naturales; est enim sanitas, propria cuiusque viuentis, seu partis eius temperatura, quæ

Causæ sanitatis, & morbi non omnes pertinent ad naturalem.

prouenit ex elementorum commistione; & huius quidem plurimæ sunt species pro specierum viuentium, atq; earum partium diuersitate, sed particularem omnium temperaturarum considerationem facere pertinet ad libros de partibus animalium, & ad libros de plantis; quare libro de sanitate nil aliud restat considerandum, nisi vniuersè quid sit sanitas, & à quibus caussis pendeat; sic etiam quid sit morbus, qui nil aliud esse videtur, quàm à prędicta viuentis naturali temperie recessio talis, B quæ lædat operationem; & huius recessionis caussas vniuersales debet naturalis philosophus declarare, veluti ambientem aërem, & extrinsecus assumptum alimentum, à quibus potissimè viuentium corpora varijs modis incessanter alterantur, mutanturq; temperaturæ naturales; quare si eousque procedat mutatio temperiei, vt lædatur operatio, morbus est; at particulariores variorum morborum caussas distinguere ad medicum potiùs, qui eu C raturus est, quàm ad philosophum naturalem pertinere videtur; vt fortasse idem de sanitate, & morbo dicendum sit, quod de habitibus animi dicitur, hi namque tum vt sunt habitus, tum vt affectiones, seu (vt vocatur) dispositiones, per voluntarias actiones acquiruntur, proinde non ad naturalem philosophum pertinet eorum consideratio, sed ad moralem; naturalis enim satis habet cognoscere omnes animæ facultates, in quarum numero illa est, D qua hos habitus acquirere apti sumus, siue ea vna sit, siue plures; habitus autem ipsos siue bonos, siue prauos distinguere, & cognoscere debet moralis, qui est quasi medicus animi, & particulares causas, per quas gignuntur, declarare. Sic etiam debet naturalis philosophus cognoscere hanc viuentis corporis aptitudinem, qua & sanum esse potest, & ægrum, & vniuersaliter quid sit sanitas, & ægritudo; particulares autem diuersorum morborum caussas, nec non eas, quæ sanitatem conseruant, & eas, quæ lapsam restituunt, ac singulos morbos pellũt, cognoscere solius medici officium est, hæc enim omnia effectionem respiciunt. Ob id eam ego puto esse rationem, cur dicat Aristot. tractationem de sanitate, & ægritudine esse quodammodo in confinio scientiæ naturalis, & artis medicæ; & in ea desinere naturalem scientiam, ab ea verò medicam artem exordium sumere: desinit enim Philosophus naturalis in vniuersali consideratione sanitatis & morbi, à qua exordiens medicus descendit postea ad particularem morborũ omnium tradendam notitiam, & propriarum caussarum, tum à quibus producuntur singuli, tum per quas expelluntur, quippe qui effectionem molitur, hæc autem non est nisi rerum particularium. Idem mihi videtur, aut saltem aliqua ex parte similis esse respectus disciplinæ moralis, ac ciuilis ad legislatoriam; nam in morali, & in ciuili facultate de moribus, de

Similis disciplina, & legislatoria.

A virtutibus, ac vitijs, atque de ferendis legibus vniuersalia præcepta traduntur; legumlatores autem de omnibus, ac singulis particularibus leges condunt, per quas in ciuium animis virtutum habitus gignantur, & vitia expurgentur. Quamobrem sicut bonus medicus esse non potest, qui non sit philosophus naturalis; ita nec bonus legislator, qui non calleat moralem philosophiam: inter eas tamen illud interest, quòd medicina solam effectio- B nem respicit, philosophia naturalis non effectionem, sed solam scientiam; ciuilis autem, & legislatoria ambæ ad actionem diriguntur, quò fit vt vtramque liceat animæ medicinam appellare, cum eo tamen discrimine, quòd ciuilis vniuersalia præcepta tradit, legislatoria verò descendit ad particularia: aliud autem est legislatoris, aliud iudiciaria, quæ est illa iurisperitia, quam profitentur illi, qui his temporibus Iurisconsulti appellari volunt, hanc e- C nim legislatoria ignobiliorem esse manifestum est, idque apertè testantur Plato in Gorgia, & Aristoteles in primo libro de arte Rhetorica; est enim simplex quædam peritia, quæ nec scientia, nec prudentia, nec ars appellari meretur, quum sine ratione sit, hanc enim callere aliquis potest absque vlla ciuilis, ac legislatoriæ cognitione; sed ita videtur esse sub legislatoria, vt empirica sub arte medica; empirica enim, quum rationem ignoret, D ars nominari non potest, quum ars non dicatur nisi quę cum ratione est, vt inquit eo in loco Plato. De modo igitur, quo debet philosophus naturalis agere de sanitate, & morbo, hæc mea sententia est, eamque significare visus est Aristoteles in secundo libro de partibus Animalium, capite septimo, vt quisque eius verba eo in loco perpendens animaduertere potest.

Iurisperitia.

E *Comparatio librorũ de historia animalium cum reliquis libris de Animalib, Cap. XXXIV.*

CAeterum quum totam de animalibus tractationẽ in duas partes diuiserimus, vnam in qua solùm quòd ita sit declaratur, quæ nouem libris de historia Animalium continetur: alteram verò in plures sequentes libros diuisam, in qua eorum, quæ in F historijs dicta erant, causæ afferuntur, & declaratur propter quid: non erit ab re, si vnam cum altera conferentes considerемus, cui historiæ parti quis liber respondeat, quod quidem breuiter præstabimus. Notare quidem in libris de Historia possumus earum duarum tractationum distinctionem, quarum vna ad principia, & ad substantiam animalis pertinet, altera verò ad accidentia, & operationes, sed ruditer, nec ita distinctè, vt in alijs sequentibus libris, quos scientiales esse diximus; neque id iniuria: siquidem rudis & historica e-

narratio eam exquisitam partium distinctionem, quam demonstratiua contemplatio habet, habere minimè potuit. Primo quidem loco de partibus animalium agi in historijs, sicut etiam in parte demonstratiua, manifestum est; nam in prioribus quatuor de historia libris patet agi de animalium partibus, idque Arist. epilogo collegit in initio quinti. Sed non est ignorandum, tria esse genera partium in animali, aliæ namque pertinent ad esse, seu ad bene esse, de quibus agitur in quatuor libris, qui de partibus animalium inscribuntur; aliæ ad motum, de quibus in libro de incessu; aliæ demum ad generationē, de quibus in libris de generatione animalium: sed hæc partium distinctio in libris de historia nō admodum notari potest;. de primò quidem partium genere agitur in primo, & in secundo, & in posteriore parte tertij, & in priore quarti, quare eam totam tractationem dicere possumus, quatuor libris de partibus animalium respondere: de partibus autem ad motum conferentib. nil separatim dicitur in historijs, sed de his aliqua dicuntur sparsim in memoratis libris, vnà cum aliarum prædictarum partium consideratione; quare liber de incessu nullam certā habet in historijs sibi respondentem partem: de partibus autem generationi inseruientib. agit separatim Aristot. in prima parte tertij, & in eius libri initio de his dicendum proponit; quare pars illa tertij respondet scientiali harum partium tractationi, quæ habetur in libris de Generatione animalium. Libris autem de anima in historijs nulla pars respondet, quia nil de anima historicè dici poterat, tum quia anima insensilis est, quò fit vt, licèt de ipsius operationibus plura dici potuerint, quæ sensu, & experientia sunt inuenta, de ipsamet tamen anima nihil; tum etiam quia de illis tantummodò institui tractatio historica poterat distincta à scientiali, quæ causam aliquam habent, ita vt de ijs declarari possit & quòd sint, & propter quid sint: causam habent partes animalium finalem, cuius gratia sunt: causam etiam habent omnes viuentium operationes, vt patet; de his igitur omnibus duplex fieri tractatio potuit; vna historica siue consideratione causarum; altera scientialis per causarum traditionem: ast anima in viuentibus causam nullam habet, quia ipsa est prima aliorum omnium causa; qui enim dicunt operationem esse animæ causam finalem, reijciendi omnino sunt, nec tantum absurdum fuit vnquam ab Aristotele pronunciatum, qui semper pro eodem habuit dicere partes animalium esse propter animam, & esse propter operationes, tanquam propter finem; & semper animam vocauit finem, sed non dixit eam habere finem. Quum igitur anima causam priorē non habeat, duas, vt cæteræ, tractationes non postulauit; idque fortasse significare Arist. voluit in primo con-

De partibus animalium.

Tria genera partium in animali.

Libris de anima nulla pars respondet in historijs.

Operationes non sunt finis animæ.

A textu primi libri de Anima, dum scientiam illam appellauit historiam de Anima, non solùm enim denotauit enarrationē veram, qualis esse solet in omni historia, sed etiam significauit nullam de anima historiam præcessisse distinctam à scientiali eiusdem tractatione, sed & illam ipsam esse simul & historiam, & exquisitam, quantum à naturali philosopho tradi poterat, tractationem de anima. Neque etiam puto ob aliam causam Aristotelem eodem in loco historiam de Anima τῇ ἀκριβείᾳ

B maximè præstantem esse dixisse, nisi quòd in ijs libris traditur animæ cognitio, quæ omnium, quæ in viuentibus sunt, prima, ac suprema causa est: quoniam enim exquisitissima cognitio est, quando effectus omnes ad primam, & in eo genere summam causam, à qua omnia pendent, reduxerimus, exquisitissima est historia illa de Anima. quia tradit cognitionem animæ, quæ est prima causa o-

C mnium quæ in viuentibus considerari possunt, ex cuius cognitione cognitio aliorum perfecta habenda est; quamobrem per hoc non alium dat Aristoteles primatum libris de Anima, nisi in libris omnibus ad animantia pertinentibus; omnium enim quæ in ijs traduntur, perfecta cognitio pendet ex animæ notitia, quæ in libris de Anima traditur, qui ob id principem locum tenent inter omnes libros de animantibus, videnturque in medio

D collocari tanquam rex in medio regni, qualis etiam videtur esse situs cordis in animali. Libros de Anima statim sequitur liber de sensu, & sensilibus, cui respondet tractatio de sensibus in posteriori parte quarti libri de Historia: deinde tractatio de somno & vigilia, & de somnijs in calce eiusdem quarti respondet libris de somno & vigilia, de somnijs, & de diuinatione per somnum; sed libro de memoria, & reminiscentia nulla separata tractatio

E in libris de Historia respondet; sparsim tamen in ijs libris aliqua ad haec pertinentia dicuntur; vt in nono libro de illa, quam aliqua animalia maiorem, aliqua minorem præ se ferre videntur, prudentia, seu sagacitate, varijsq; animalium moribus. Hos omnes libros sequitur liber de communi animalium motu, cui propria tractatio in historijs nulla respondet, quemadmodum nec libro de incessu, sed sparsim aliqua dicuntur de motu, & de

F partibus ad motum conferentibus vnà cum aliarum partium consideratione, quæ in quatuor prioribus de historia libris habentur, qui videntur respondere omnibus sequentibus libris, qui sunt à primo de partibus animalium, vsque ad calcem libri de communi motu animalium, quem statim sequuntur libri de generatione animalium, de qua eadem incipit loqui Aristot. in principio quinti de historias quum enim operationes, quæ tractantur à libro de sensu, & sensilibus ad librum vsque de communi animalium motu, videantur maximè

De sensu, & sensilibus.

De somno, & vigilia, & de somnijs.

De memoria.

De motu.

ximè essentiales animalibus, & cum eorum substantia valde coniunctæ, sensus enim pertinet ad esse ipsius animalis, motus autem est ei necessarius ad eius conseruationem: ideo Aristot. in quatuor prioribus de historia libris omnia cõplexus est, quæ tum ad substantiam, hoc est, ad partes animalium pertinebãt, tum ad operationes cum ipsa substantia maximè coniunctas, vt epilogorum similitudo, & inter se respondentia declarat, sc. eius, qui est in initio 5. de historia, & eius, qui in fine libri de communi motu. Nam in principio quinti de historia inquit [*exposui partes animalium omnes tum interiores, tum exteriores, atq; etiam de sensu, de voce, & de somno; restat vt eorundem generationes persequamur*] in calce autẽ libri de communi motu huic similem epilogum legimus his verbis: [*De partibus igitur cuiusque animalis, & de anima, præterea de sensu, & memoria, & motu diximus causas, reliquum autem est de generatione dicere.*] Voluit itaq; Arist. omnia, quæ ad hunc vsque locum tractauerat, respondere quatuor prioribus libris de historia, ita vt statim sequatur vtrobiq; tractatio de generatione, de qua in quinto, sexto, & septimo historiarum libris loquitur, quibus respondent quinque libri de generatione animalium in tractatione scientiali.

De Generatione animalium.

Quum enim generatio sit animalis operatio ad extra, quæ neque necessaria est animali vt sit, neq; vt conseruetur, sicut antè ostendimus, proinde remotior ab animalis essentia esse videatur. Aristoteles in vtraque tractatione seiungere eam medio epilogo voluit ab alijs memoratis operationibus, quæ maiorem cum substantia animalis affinitatem, & coniunctionem habere videbantur. Postrema pars tractationis de animalibus ea fuit, in qua tractantur communia accidentia animalium, & plantarum, eaque omnia ad vitam, durationemq; animantium pertinent, de quibus agitur in libro de Longitudine, & breuitate vitæ, & in eo, qui est de iuuentute, & senectute, de vita, & morte, & respiratione: huic toti parti respondet octauus de historia liber, vbi agitur de animalium varijs vitæ generibus, rationibusque viuendi; agitur etiam in eodem lib. de pluribus diuersorum animalium morbis, quæ pars respondet lib. de sanitate & morbo.

De vita, & morte.

De moribus animalium.

Nono autem libro de historia, in quo de morib. animalium agitur, nullus in scientiali tractatione liber respondere videtur, de his enim fortasse Arist. præter historicam traditionem nihil habuit, quod diceret, nam morum nulla alia effectrix causa afferri potest, nisi quòd talis est illorum animalium natura, veluti si ferocitatis, aut magnanimitatis leonis, aut crudelitatis tigris, aut ouis stultitiæ causam quæramus: finalis autem causa plurium morum ita per se manifesta est, vt simul cum ipsorum morum enarratione eam exprimi necesse sit; dati namque à natura sunt diuersis animalibus varij mores, & A instinctus; ad ipsorum animalium conseruationem, aut defensionem, vt prudentia quædam, & astutia, quam in pluribus animalibus tum maiorem, tum minorem notare possumus & alia multa eiusmodi, quæ in nono illo historiarum libro leguntur; nulla igitur eorundem morum alia scientialis tractatio relinquebatur, quocirca sola historica narratione Aristoteles voluit esse contentus.

De lib. decimo de historia.

De decimo autem historiarum libro ego quidem ma- B ximè dubius semper fui, videtur enim nec historicus, nec scientialis dici posse, quòd enim non sit historicus, ipsamet eius libri tractatio declarat; in eo namque declarantur causæ fertilitatis, ac sterilitatis, quæ tractatio nullo pacto historica appellari potest, quod cognoscẽs Theodorus Gaza, qui reliquos nouem in Latinum sermonem conuertit, decimum hunc conuertere noluit, nec alijs nouem apponendum putauit, sed potiùs libris de generatione C animalium inserendum, sicut apud eum legimus in sua in eos libros præfatione, vbi etiam considerat eum librum non integrũ esse, sed fragmentum quoddam, cui manifestum est decisse initium, quum incipiat à dictione aduersatiua, nec vlla prorsus appareat eius continuatio, seu connexio cum ijs, quæ in calce noni libri dicta erant. Ego itaq; in hac Theodori sententiam probo, sed non in eo, quòd putat esse annectendum libris de generatio- D ne animalium, plura namque in eo dicuntur, quæ in ijs quoque libris tractantur; non est autem credendum eandem rerum declarationem bis in eisdem libris ab Arist. fuisse frustra repetitam. Adde quòd librorum de generatione tractatio scientialis maximè est, qualis non est ea quæ in illo decimo libro habetur; causas enim sterilitatis, ac fertilitatis in solo homine considerat, quæ tamen plurib. animalibus communes sunt. Mos autem Arist. est E omnia attribuere illi subiecto, cui primò competunt, quam solam esse scientialem tractationem ipse in posterioribus Analyticis docuit; hoc autem discrimen manifestè inspicitur in ijs, quæ eadem & in eo libro, & in libris quoque de generatione traduntur; quæ enim in libris de generatione dicuntur vniuersè de animalibus, ea in illo decimo libro in solo homine considerantur. Hanc ob causam ego arbitror, librum illum non esse scientialem, nec F annectendum libris de generatione: videtur potiùs esse extra ordinem scriptus, vt etiam alij plures, siue ab Aristot. siue ab aliquo alio, & medicinalis potiùs esse, quàm naturalis: nam medici multa, quæ pluribus animalibus communia sunt, in homine solo, quem sanare volunt, considerare consueuerunt; neq; aliena ab hac sententia sunt illa, quæ in eo libro scribuntur, multa enim dicuntur de auxilijs ferendis sterilitati, quæ medicinam potiùs sapiunt, quàm philosophiam naturalem.

Latinorum opinio de loco librorum de Anima, & eius reprobatio.

Cap. XXXV.

VEritate cognita de ordine omnium librorum de animalibus, ſequitur vt aliorum falſas hac in re ſententias expendamus, ac reprobemus, & aliqua ex ijs, quæ diximus, exorientia dubia ſoluamus. Primùm quidem Latini de loco librorum de anima aliam ſententiam ſequuti ſunt, nempe illam, quam videtur approbaſſe Auic. in diſponendis libris ſuis naturalibus: putauit enim libris de anima primum locum deberi inter omnes libros de animalibus, hoc argumento ducti, quòd qui rem aliquam cogniturus eſt, debet primo loco illius principia contemplari, eſt autem anima principium animalis, & omnis viuentis corporis; ab anima igitur totam de viuentibus tractationem exordiri oportuit; quocirca libros de anima ſextum in ſcientia naturali locum obtinere dixerunt, ita vt ſtatim ſequatur libros de minetis, & omnium ad animantia pertinentium primus ſit. Sententia hęc iam reprobata à nobis eſt pluribus Ariſtot. teſtimonijs, qui primũ locum dedit libris de hiſtoria Animalium, ſecundum quatuor libris de partibus, tertium libro de Inceſſu, poſt quem ſtatim locauit libros de Anima: nunc autem ratione aduerſus eos vtemur, nec alia, quàm ea ipſa, qua ſuam ipſi ſententiam comprobarunt: ſic enim vno, & eodem labore & veram ſententiam confirmabimus, & eorum argumentum ſoluemus. Dicebant ipſi, à principijs rei conſiderandæ ordiendum eſt, nos verò hoc idem confitentes ita argumentamur: partes animalium ſunt principia, ſunt enim materia animalium, ergo à partibus inchoandum eſt. proinde primi ſunt libri de partibus, nam & priores de hiſtoria libros de partibus eſſe manifeſtum eſt. Itaq; controuerſia integra manet inter materiam & formam, idque nobis in præſentia excutiendum proponitur, quum cognoſcenda ſit cuiuſq; rei naturalis & materia, & forma, de vtra priùs ſit agendum. Illi quidem, qui in ordine doctrinæ ipſam rerum naturam ſequendam ſemper eſſe putant, dicerent materiam ſemper eſſe anteponendam; tanquam natura priorem forma; priùs enim propria cuiuſque rei materia ſtatuenda eſt, quàm ex ea educatur forma; idq; videtur Ariſt. aſſerere in primo libro de partib. Animalium. Sed horum ſententiæ illa, quæ in primo Phyſic. habetur, materiæ, ac formæ conſideratio manifeſtè refragatur: ibi namq; acturus Ariſtotel. de internis principijs corporis naturalis, priùs oſtendit eſſe duo principia contraria, quæ formalia principia vocari ſolent, deinde verò ex eorum notitia ducit nos in primæ materię cognitionem; itaq; priùs ibi agi de forma, quàm de materia, manifeſtum eſt. Neque eſt quòd aliquis dicat primum il-

Argumentum Latinorum.

Sententia impugnatio.

Solutio argumentorum.

An à materia, an à forma ſit ordiendum.

Aliorum opinio.

Confutatio.

A lum librum de materia eſſe, ſecundum verò de forma, & ita priùs agi de materia, quàm de forma; craſſus enim hic error eſt, & à nobis antea reprobatus: de forma enim, & de materia quatenus ſunt forma, & materia, hoc eſt, quatenus ſunt principia conſtituentia corpus naturale, non in ſecundo libro agitur, ſed in primo; eaq; tractatio in primo libro perfecta eſt: in ſecundo autem libro eadem principia tractantur reſpectu accidentium, motus, & quietis,
B tis, quorum principia ſunt, qua ratione non dicuntur ampliùs conſiderari vt forma, & vt materia, ſed vt natura. Ideò alieniſſima à veritate, & ab Ariſtotele eſt illorum interpretatio, qui in vltimo contextu primi libri, quando Ariſtotel. ait ſe poſteriùs de phyſicis, & caducis formis acturum, dicunt ſignificari ſequentem tractationem de natura in ſecundo libro: reuera enim nil aliud ſignificare vult Ariſtotel. niſi tractationem de proprijs ſingulorum
C rum naturalium corporum formis habendam in reliquis libris naturalibus; quum enim in eo primo libro formam communiter tantùm acceptam conſideraſſet, ibi ſoluere volens tacitam quæſtionem, inquit de prima omnium formarum ſiue vna ſit, ſiue plures, ad philoſophum naturalem loqui non pertinere, ſed de formis ſolis naturalib. de quibus quum communiter egiſſet in eo primo libro, reſtabat de ſingulis ſeparatim dicendum in reliquis huius
D ſcientiæ libris, ſcilicet de formis elementorum in libris de elementis, de formis miſtorum in libris de miſtis, de formis animantium in libris de animantibus; ſic enim tractatio ſignificatur de formis, quatenus formæ ſunt, qualis non eſt ea, quæ in ſecundo libro Phyſicorum habetur de natura, vt etiam manifeſtè oſtendit locutio Ariſtotel. in plurali numero, de formis enim ſe acturum pollicetur, quum in eo primo de forma egiſſet, & in ſecundo a-
E cturus eſſet adhuc de forma latè ſumpta, quatenus eſt natura; ſed non de formis, quia tota illa tractatio eſt vniuerſalis. Illud igitur veriſſimum eſt. vbi de materia, & de formis naturalis corporis actum eſt, ibi priùs de forma actum eſſe, quàm de materia: priùs enim oſtendit omne, quod fit, ex contrarijs fieri, eaque duo eſſe, vnum nobilius, quæ eſt forma, alterum ignobilius, quæ eſt priuatio; poſtea verò ex mutatione, quæ fit de contrario in contra-
F rium, oſtendit dari præter contraria tertium principium ſubiectum. Ego igitur ab ijs, quæ alibi demonſtraui, non recedens, dico habere quidem materiam, & formam, inter ſe ordinem naturalem, vt ait Ariſtotel. in primo cap. ſecundi de partibus Animalium: nam ordine generationis naturæ materia prior eſt, ordine autem intentionis naturæ forma eſt prior, quia materia eſt propter formam; attamen ordo doctrinæ non ſumitur ab ordine naturę, ſed à noſtra faciliore, aut meliore cognitione: vbi igitur forma eſt notior, & eius cognitio

Declaratio vltimi contex. primi libri Phyſic.

Opinio propria.

conferat ad cognoscendam materiam, agendum priùs est de forma, quàm de materia; vbi verò materia est notior, de materia priùs, quā de forma est agendum. Ob id Arist. in primo Physicor. agens de prima rerum materia, quæ, quum sit ens mera potestate, maximè abscondita nobis est, ac difficillima cognitu, priùs egit de forma, quia non poterat prima materia cognosci, nisi ex mutatione, quæ est de priuatione ad formam, vel de forma ad priuationē: contrà verò in libris de animalibus egit de materia animalium, quàm de forma, quoniam partes animalium, quæ sunt eorum proxima materia, sensiles sunt, & notiores, anima verò insensilis, & ignotior, & eius consideratio ardua, multisque, ac magnis difficultatibus referta est, vt Arist. ipse testatur in proœmio librorum de Anima; eaque fuit Aristot. mens in primo libro de partibus Animalium, quando dixit agendum priùs esse de materia, quàm de forma, non enim ea tantùm ratione ductus est, quòd materia secundùm ordinem naturæ dirigitur ad formam, sed quòd animalium partes, si bene cognitæ sint, cognitionē animæ faciliorem reddunt, idq; potissimum respexit, quando ibi dixit esse de anima agendum, sed priùs esse dicendum de materia. hoc autem significauit Aristotel. in ipsa animæ definitione, definit enim animam per corpus organicum: hoc est, varijs organis præditum: ad plenam igitur eius intelligentiam plurimùm cōfert cognitio partium organicarum, quam Aristoteles tradit in libris de partibus; non enim cognoscimus quòd sint organa, nisi singularum officia intellexerimus, hæc autem in libris de partibus declarantur. Cæterum etiamsi nec partium notitia ad animam cognoscendam, neq; cognitio animæ ad cognitionem partium aliquid conferret, debuisset tamen Arist. de partibus priùs agere, quàm de anima, quia hoc magis consonum est ordini compositionis, quo scientiam naturalem scribere constituerat: omnis enim generationis ordo compositiuus est, materia verò prior est forma ordine generationis; ideirco hunc seruat Aristot. in tota scientia naturali, nisi quando facilioris doctrinæ ratio contrarium ordinem postulat, quod rarum est, idq; factum est in primo Physic. vt modò dicebamus. Potest autem solum ipsum proœmium librorum de partibus ostendere illud esse initium tractationis de animalibus, & libros de partibus præcedere libris de anima, vt cuique illud legenti manifestum esse potest.

Solutio dubij quòd Aristoteles de eadem re sæpius agere videatur, & aliorum dubiorum ad ordinem pertinentium.

Cap. XXXVI.

Potest etiam ex ijs, quæ dicta sunt, colligi solutio dubitationis, quæ torquere multorum animos posset. *Dubium.* videtur enim Arist. pluribus in locis egisse de vna, & eadem re; nam de sensibus egit accuratè in secundo libro de anima, cur igitur eorum tractationem repetiuit in libro de sensu, & sensilibus; vtroq; enim in loco agitur de operatione sensuum, quæ in vno, & eodem loco declaranda videbatur; sic de motu animalium egit & in libro de incessu, & in tertio de anima, & in libro de communi animalium motu; videbantur tamen omnia, quæ ad motum animalis pertinent, simul vna tractatione explicanda fuisse. *Solutio.* Huius difficultatis solutio in eo, quod suprà declarauimus, consistit, diximus enim totam tractationem de animalibus in tres partes diuisam esse; in vna agitur de materia animalium, in altera de forma, in tertia de operationibus & accidentibus consequentibus; quum igitur in his tribus partibus diuersi sint scopi, nullum absurdum est, si in ijs omnibus de aliqua eadem re agatur propter diuersos scopos; in libris quidem de anima nullus alius est Aristotel. scopus, quàm naturam animæ declarare, quòd si de operationibus quoque plura dicit, id facit vt per eas nos ducat in cognitionem animæ, sicut ipse faciendum esse dixerat in contextu 33. secundi libri, non quòd consilium eius sit ibi ipsarum secundùm se operationum cognitionem tradere; idque ipse significauit in principio libri de sensu & sensilibus, quādo dixit se egisse de anima secundùm seipsam, postea agendum esse de operationibus: quoniam igitur de operatione sensuum in 2. lib. de anima locutus erat non propter se, sed propter cognitionem partis animæ sensibilis, ideò de eadem scribere voluit librum de sensu, & sensilibus, in quo ipsius secundùm se operationis perfectam notitiam nobis traderet: ideò si in eo libro aliquam ipsius animæ mentionem facit, non amplius eam considerat secundùm seipsam, sed propter cognitionem operationum, quarum est causa, in solis enim libris de Anima verè dicimus ipsam secundùm seipsam animam, eiusq; naturam declarari, hic enim solus est eorum librorum scopus. Sic de motu dictum est, in libro enim de incessu nullus alius est scopus, quàm declarare partes instrumentales, quæ motui animalium inseruiunt, quòd si de ipsa quoque operatione ibi fit sermo, non est propter ipsius motus cognitionem, sed propter notitiam partium organicarum, motus enim est earum causa finalis, per quam ipsæ partes cognoscendæ sunt: in tertio autem de anima libro non est Aristotelis consilium declarare ipsum animalium motū, quomodo, & à quibus causis fiat, sed solùm facultatem animæ motricem, quæ declarari non poterat sine ipsius motus consideratione; restabat igitur vt de motu ageret secundùm seipsum, quod facit Aristoteles in libello de communi Animalium motu, vbi huius operationis cognitio

traditur per suas causas; quoniam igitur omnis tractatio nominatur ab eo, quod sui gratia tractatur, non ab eo, quod propter aliud, ideò non de eadem re sunt illæ tres, quas diximus, distinctæ tractationes, sed in libro de incessu agitur de partibus organicis inseruientibus motui, in tertio autem libro de Anima agitur de facultate animæ motrice, demum in libello de motu agitur de ipsomet motu, non igitur idem frustra repetitur.

Dubium. Sed dubitare adhuc aliquis hac in re potest: nam si verum est id, quod modo diximus, debuerunt omnes operationes, quæ in libris de Anima consideratæ fuerant propter animam cognoscendam, iterum considerari propter se in paruis naturalibus, quod tamen factum fuisse non videmus, plures enim sunt operationes animæ, quarum facta est mentio in libris de anima, de quibus tamen nullum habemus proprium tractatum in paruis naturalibus, vt operationes intellectus, & phantasiæ.

Solutio. Soluetur hac in re omnis dubitatio, si artificium Aristotelis, quod fortasse nemo considerauit, declarauerimus: quum igitur necessarium Aristoteli fuerit ad tradendam cognitionem facultatum animæ loqui de eius operationibus, cognouit esse in his hoc discrimen, *Discrimen operationum animæ.* quòd aliquarum exactissima cognitio requirebatur ad cognoscendam aliquam animæ facultatem, quales fuerunt humanæ mentis operationes; non poterat enim mentis nostræ natura bene declarari, nisi per exquisitam operationum omnium declarationem, quam polliceri videtur Aristoteles in primo context. tertij libri, dum proponit declarandum, quomodo fiat intellectio; de huius igitur partis operationibus non opus fuit aliquid seorsum scribere in paruis naturalibus: nam diligens illa operationum tractatio, etsi propter animæ notitiam facta, vtranq; simul operam præstitit, nec aliud de his dicendum relinquebatur. Aliquarum autem operationum rudis, & imperfecta cognitio satis erat ad declarandam aliquam animæ facultatem, qualea fuêre operationes externorũ sensuum; ideò ad perfectam ipsarum scientiam tradendam debuit propriam harum tractationem instituere in paruis naturalibus, ideò scripsit librum de sensu, & sensilibus, in quo meliùs declarans obiectorum sensilium naturas, perfectè docet, quomodo ipsæ operationes in organis sensuum fiant. Sic etiam cognouit rudem motus notitiam satis fuisse ad declarandas organicas partes in libro de incessu, & ad declarandam vim animæ motricem in tertio libro de Anima; ita vt motus ipse imperfectè cognitus relinqueretur; ideò de hac ipsa operatione, vt plenè cognosceretur, scribere voluit librum de communi motu animalium, in quo ex omnibus causis motus in animali tam propinquis, quàm remotis tradit nobis perfectam scientiam huius operationis; sunt autem causæ eius remotæ appetitus, & sensus, & intellectus, quæ iam declaratæ fuerant in 3. lib. de Anima; propinquæ verò organa ipsa corporea, quæ declarata erant in libro de incessu; has igitur omnes causas Aristot. accommodat ad declarandum, quomodo in animalibus fiat motus. Aliæ demum fuêre operationes, quarum nulla declaratio, aut mentio ad animam cognoscendam requirebatur; de his igitur ne verbum quidem fecit Aristot. in libris de Anima, sed integrum de his sermonem remisit ad paruos naturales; huiusmodi fuerunt memoria, & reminiscentia, & somnus, & vigilia, & somnia, & alia accidẽtia, quorum proprij tractatus leguntur in paruis naturalibus, quàm nulla eorum facta sit mentio in libris de Anima, quoniam ad animam cognoscendam nihil eorum consideratio conferebat. Hac igitur norma vtentes, omnem huiuscemodi difficultatem paruo negotio tollemus.

Dubium. Cauendum etiam est, ne ob aliqua Aristotelis testimonia de librorum dispositione in errorem ducamur; nam si eius verba legamus in cap. 11. quarti libri de partibus Animalium, bis in eo capite asserit se iam tractasse de partibus motui inseruientibus, quare suspicari possumus librum de incessu præcedere quatuor libris de partibus, vel saltem esse in verbis Aristot. repugnantiam; nam in postremis verbis libri quarti de partib. proponit se statim acturum de partibus ad motum pertinẽtibus, & in calce libri de incessu inquit, se iam egisse de partibus tum alijs, tum ijs, quæ ad motum conferunt, & proponit agendum statim de anima: postponit igitur librum de incessu libris de partibus, quod etiam indicat prolixa illa præfatio librorum de partibus, vt antea considerauimus.

Solutio. Sed nulla est repugnantia in verbis Aristotelis: nam illa quidem, quæ ab eo in initio, vel in fine librorum ad ordinem librorum pertinentia scribuntur, certam fidem faciunt de ipsa librorum serie, ac dispositione; nam si in initio libri tanquam per epilogum referat ea, quæ antè tractata sunt; absq; dubio dicendum est ea priùs fuisse tractata; & in calce libri si de aliqua re proponat agendum, apertè significatur, non solùm agendum, sed statim in libro sequente agendum, sicuti verba illa in fine libri de incessu apertè indicant, agendum statim esse de anima: sed illa, quæ in medio librorum dicuntur, nullam certam fidem de librorum ordine faciunt, quando non ordinis significandi gratia ab Aristotele proferuntur, sed solùm causa citandi, seu nominandi aliquem librum; quod quidẽ alijs in re manifesta exemplis possumus cõprobare: in primo cap. libri de interpretatione inquit, se de conceptibus animi dixisse in libris de Anima, quum tamen tota logica ordine doctrinæ præcedat totam scientiam naturalem: in 4. cap. eiusdem libri inquit postremis verbis: [*& quæcunq; talium contra sophisticas determinauimus importunitates*] postea in tertio segmẽto eiusdem lib.

cap.

cap. secundo dicit: [*dictum autem de his est in Topicis*] verba igitur illa præteriti temporis videntur significare & libros Topicos, & Sophisticos præcessisse libro de interpretatione, quod est manifestè falsum: alia quoq; plura eiusmodi loca consideràre possemus, quæ consultò omittimus. Credendum igitur est, nō eodem ordine scriptos esse ab Aristotele omnes suos libros, quo ipso voluit eos esse disponendos: fortasse enim priùs libros de Anima scripsit, & totam etiam naturalem philosophiam, quàm Logicam; voluit tamen Logicam præcedere toti naturali philosophiæ: sic fortasse priùs Topicos, & Sophisticos libros scripsit, quàm librū de interpretatione, hunc tamen illis præcedere voluit; nam quæ in primo cap. primi Topicorum scribuntur, videntur testari, iam actum esse de syllogismo, & de dēmōstratione, quib. omnino præcedere debuit liber de interpretatione: maiorem fidem facere potest locutio Aristot. per verbum futuri temporis, significat enim tractationem illam faciēdam esse posteriùs, sed tamē ad ostendendū quòd immediatè posteriùs sit de ea re agēdum, nil prorsus efficaciatis habet, nisi sit in postremis verbis libri, sicuti diximus de vltimis verbis libri de incessu, quæ significant esse statim agendum de anima. Dicimus itaq; Aristotelem fortasse priùs absoluere voluisse breuem illum tractatum de partibus attinentibus ad incessum, vt postea in libris de partibus alias consideraret, in quibus erat diutius moraturus, ob idq; in capite illo vndecimo quarti de partibus dixisse, se iam esse locutū de partib. ad motum conferentibus; voluisse tamen ordine doctrinæ libros de partibus præcedere libro de incessu, vt alia firmiora Aristotelis testimonia, & ratio ipsa declarat.

Nonnullorum opinio de loco librorum de generatione animalium, & eius confutatio.

Cap. XXXVII.

Nonnulli fuerunt, qui libros de animalium ortu alio in loco ponendos esse existimarunt, nonin eo, in quo nos plurium aliorum sententiam sequentes eos collocauimus: putarunt enim locandos esse statim post quatuor libros de partibus, & ante librum de incessu; moti autem sunt tali argumento. Tria sunt partium genera in animali; *Primum argumentum aliorum.* aliæ namq; pertinent ad esse animalis, aliæ ad motum, aliæ ad generationem, de quibus Aristot. manifestè proponit agendum in initio primi libri de generatione animalium, inquit enim se iam dixisse de alijs animalium partibus, superesse autem agēdum de partibus generationi inseruientibus, quarum tractationē ibi statim aggreditur; atqui omnes animalis partes locum habent materiæ respectu animæ, quemadmodùm igitur de alijs partibus

A agi oportuit priùs, quàm de anima, ita etiam de his, quæ ad generationem pertinent, eadem enim in omnib. ratio viget, quòd de materia animalium priùs agendū erat, quàm de forma; itaq; libri de generatione animalium tanquā libri de partibus ponendi sunt ante libros de Anima inter alios libros de partibus Animaliū. Adducunt etiam testimonium Aristot. in postremis verbis quarti libri de partibus, vbi dicit cōsequens esse agere de partibus *Secūdum argumentum.*
B generationi inseruientibus. Tandem considerant verba Aristot. in quarto libro de partibus cap. 4. 10. 11. & 12. vbi inquit se postea de generatione animalium locuturū, quæ eādem sententiam confirmare videntur. Sed ego contrariam sententiam, quam antea declaraui, & quam plures tuentur, sequendā esse arbitror. *Tertium argumentum.* *Opinionis confutatio.* Vt igitur huius veritatem cognoscamus, scire debemus Aristot. non ita de animalium generatione egisse, vt egit de motu; quum enim
C considerare oportuerit & operationē ipsam, & organicas partes ipsi inseruientes, Aristot. in duob. distinctis, & separatis libris egit de motu, & de partibus ad motum conferentibus; non sic de generatione; ob maiorem enim cōmoditatem, ac facilitatem doctrinæ decreuit in eisdē libris, quī de generatione animalium inscribuntur, & de ipsa generatione, & de partibus ei inseruientibus agere, quia cognouit perfectam earum cognitionē hoc postulare: hoc igitur dubiam reddidit eorum librorum sedem, nam ratione partium ad generationē pertinentium, locandi videntur ante libros de Anima cū alijs libris de partibus;
D ac ratione ipsius generationis, quæ est operatio quædam consequens, videntur ponendi post libros de Anima inter paruos naturales. Hæc autem tractationum coniunctio in ijs libris ita manifesta est, vt à nullo negetur, & ponit etiam ipsam Aristot. in quarto lib. de
E partibus cap. 4. vbi ait dicendum esse de partibus generationi inseruientibus, quibus mas differt à fœmina, sed quoniam de ipsa quoq; generatione dicendum est, melius esse vt hæc consideratio ad eum locum remittatur. Ex quibus Aristotelis verbis non solùm colligimus, consilium eius fuisse simul agere & de generatione & de partibus; sed etiam ipsum iudicasse, melius esse totum tractatum locare
F post libros de Anima inter paruos naturales, quàm antè inter libros de partibus: ad quod comprobandum habemus etiam illud Arist. clarissimum testimonium in quinto libro de generatione animaliū, cap. 1. vbi asserit se de visu egisse priùs quum de sensibus ageret, atque etiam priùs, quum de anima: nec non etiam in cap. 7. vbi dicit se de voce priùs esse locutum in libris de Anima, & in libro de sensu, & sensilibus, sic enim locat libros de generatione post libros de Anima, & post librum de sensu, & sensilibus. Idem etiam ostendunt verba Aristotelis in primo cap. primi libri de

generatione animalium, quæ magna consideratione digna sunt; duo ibi ab Aristot. dicuntur: vnum quod, quũ de cæteris animaliũ partibus iam locutus esset, reliquum est dicere de partibus generationi inseruientibus; alterum quòd, quum quatuor sint causæ, & de tribus animalium causis dictum iam sit, materia, forma, & fine, dicendũ est etiam de causa efficiente, homo enim hominem generat, & equus equum, vt causa effectrix. Ex priore colligo argumentum efficax contra aduersarios, quum enim Aristot. testetur, se iam egisse de cæteris partibus, & solas relinqui considerandas partes ad generationem pertinentes, ergo omnes alij libri de partibus sunt anteponendi libris de generatione, etiam liber de incessu; nam si secundùm aduersarios locarentur libri de generatione ante librum de incessu; falsò diceret Aristot. se iam egisse de alijs partibus, & solas superesse partes generationi inseruientes; atqui locari non possunt post librũ de incessu, nisi etiã post libros de Anima collocentur, librum enim de incessu statim sequuntur libri de Anima, vt Aristo. in calce eius libri testatur; asserit ergo Aristot. libros de generatione libris de Anima posteriores esse. Ex altero autem dicto duo validissima argumenta sumo: vnũ est; asserit Aristot. se docuisse tres animalium causas, & inter eas formam; atqui forma est anima, ergo asserit, se egisse de anima; quare libri de generatione sequuntur libros de Anima: alterum argumentum est; inquit Aristot. se egisse de tribus animaliũ causis, & solum superesse agere de causa efficiente; manent autem tractãdæ partes generationi inseruientes, has ergo non putat Aristo. vocandas esse materiam animalis; hinc sumitur ratio totius veritatis, & erroris aduersariorũ, & consilij Aristotelis in horum librorũ dispositione; materia enim respicit formam, proinde illa dicitur materia, quæ ad formam recipiendam dirigitur à natura. Quare, si bene consideremus, illæ quidem partes, quæ pertinent ad esse animalis, de quib. agitur in quatuor libris de partibus; & illæ, quæ pertinent ad cõseruationem animalis indiuidui, de quibus agitur in libro de incessu, merentur nomen materiæ; sed non illæ, quæ ad neutrum conferunt, sed ad solam conseruationem speciei, de quibus agitur in libris de generatione animaliũ; quum enim hæ neque ad recipiendam animam, neque ad eam conseruandam necessariæ sint, nullo pacto videntur eam habere rationem ad animam, quam materia habet ad formam. Quamobrem rectè Aristot. censuit harum considerationem non esse cõsideratioñe materiæ animalis, sed potiùs causæ efficiẽtis, nam per has animal generat aliud sibi simile; quum reliquæ partes non modò sint causæ effectrices instrumentariæ operationum, sed etiam materia, sine qua vel non reciperetur anima, vel non cõseruaretur. Nec

Nota, quæ partes sint materia animalis.

A tamen ob id dicendum est eum aliquibus, libros de generatione animalium esse de principijs animalium, & hoc nomine locandos esse ante libros de Anima, aut saltẽ statim post libros de Anima; nam agere de generatione, ac de eius causis, est quidem modo aliquo agere de causa effectrice animalis; sed præcipuè est agere de operatione posteriore, partes enim generationi inseruientes, etsi locum habent causæ efficientis respectu animalis geni-

B ti, tamen respectu generantis, cuius partes sunt, non sunt ipsius animalis effectrices causæ, sed operationis posterioris, quæ est generatio alterius similis. Quoniam igitur considerat ibi has partes Aristot. in animali generante, non in animali genito, præcipua est tractatio generationis tanquam operationis cõsequentis, secundaria verò etiam causæ efficientis, quia consequitur vt eadem sit consideratio causæ effectricis respectu animalis

C geniti seu generandi, quæ est consideratio operationis animalis generantis: nec dissimilis est ea tractatio alijs, quæ habentur in paruis naturalibus, nam in ijs quoque operationes animalium declarantur per suas causas, quæ sunt potissimum ipsæ animalium instrumentales partes, vt in ijs libris videre est. Iure igitur Aristot. in epilogo in calce libelli de communi animaliũ motu, post eum locat statim libros de generatione: quum enim commi-

D scuerit cum tractatione generationis, tractationem partium facilioris doctrinæ gratia, videlicet; huiusmodi partes non admodũ mereri nomen materiæ in animali; sed si ad aliquod causæ genus sint reducendæ, reduci potiùs ad causam effectricem, Ideò totam tractationem locauit inter paruos naturales post librum de communi motu animalium. Ad argumenta illorum facile est respondere; ad primum enim iam patet responsio, nam ne-

E gamus partes generationi inseruientes habere locum materiæ. Sed præterea hoc etiam dato, nil esset absurdi, si Aristot. ad maiorem doctrinę facilitatem reiecisset harum partium considerationem in paruos naturales, quum soleat modò præponere materiã formæ, modò formam materiæ; quippe qui ordinem naturæ tunc solùm seruat quando ordini melioris cognitionis nostræ consentaneus, vel saltem non contrarius est; sed eum semper de-

F spicit, quando melior, aut facilior cognitio nostra contrarium ordinem postulat. Ad locum Aristot. in calce quarti libri de partibus, dicimus eum esse mendosum, quia vbi dicitur [*generationi*] legendum est [*incessui*] quam eorum verborum emendationem nunc communis omnium consensus comprobauit, & ita in omnibus codicibus Aristotelis, qui posterioribus temporibus sunt excusi, recepta est hæc correctio; & ea non admissa, esset contradictio insolubilis eorum verborum cum illis, quæ leguntur in Epilogo in calce libri de

Aliquorum error quid lib. de generat. sint de princip.

Ad primum argumentum.

Ad secundum.

communi

cōmuni animaliū motu: esset præterea etiam A nugatio in verbis Aristo. qui quando in calce præcedētis libri proposuit rem insequenti considerandam, non iterū eam proponit in principio sequentis, ita vt bis ponat eandem eorundem librorū connexionem; quare si in calce quarti de partibus dixisset; quum de reliquis partibus dixerimus, dicamus de partibus generationi inseruientibus non rectè hoc statim repeteret in initio primi de generatione, quum dicat; postquam de cæteris animalium B partibus dictum est, restat vt dicamus de ijs, quæ generationi inseruiunt. Ad verba autem Aristotel in cap. quarto, decimo, vndecimo, duodecimo eiusdem quarti libri, dicimus ea non significare quòd statim sit agendum de partibus ad generationem pertinentibus, sed solùm, quòd postea de his erit agendum; imò & verba illius capitis quarti nostræ opinioni fauent; inquit enim esse etiam agendum de partibus generationi inseruiētibus: sed quoniam de ipsa quoque generatione agendum C est, ideò congruum esse, vt harum partiū consideratio ad eum locum differatur; denotat igitur distantem ab eo loco librum, in quo de generatione, ac de partibus ad eam attinentibus sermo fiat: quod etiam indicat modus loquendi Aristotelis in initio primi de generatione, dicens enim, quum de cęteris animalium partibus dictum iam sit, denotat remotam ab eo loco esse aliarum partium tractationem, vt totum illud primum caput bene D considerantibus manifestum esse potest.

Ad tertium.

Quodnam sit subiectum statuendum in omnibus, & in singulis libris de Animalibus, opinio propria. Cap. XXXIIX.

HActenus declaratum à nobis est, quæ sit series omnium illorum librorū, qui vocātur de Animalibus, & quid in singulis tractetur ab Aristotele; restat vt de eorū subiecto propriè accepto aliqua dicamus, quū enim alias ostensum à nobis sit, non omnem rem consideratam subiectū esse propriè sumptum, siquidem Aristot. dixit non modò subiectum considerari in scientia, sed etiam principia, & affectiones subiecti, quę, quum à subiecto distinguātur, non possunt propriè appellari subiectum; ideò non satis est cognouisse E quid agatur in singulis libris de Animalibus, sed videndū etiam est, quodnam in ijs subiectum statuendum sit, in hoc igitur considerādo hunc ordinem seruare constitui; primo loco breuiter exponam, quidnam ego hac in re sentiam, deinde aliorum sententias cum argumentis in medium afferam, atque perpendam. Mihi quidem videtur, facilem explicatu rem esse, si vera illa sunt, quæ diximus in libro de præcognitis; nam si id semper statuendum est subiectum, cuius principia, & affectiones

In lib. de Præcog.

Subiectum in omnib. libris de Animalibus.

quærūtur, in libris autem de Animalibus tractantur principia, & affectiones non solius animalis, sed omnis viuentis corporis, necesse est subiectum omnium simul eorum librorū esse non solum animal (non esset enim adæquatum) sed corpus animatum latissimè sceptum; quamuis enim appellentur libri de Animalibus, quia considerantur omnia in animalibus, non est tamen ab hac sola appellatione sumendum subiectum: quandoquidem appellationes, & inscriptiones librorum non semper à subiecto sumuntur, sed quandoque à parte subiecti præcipua, quandoq; etiam ab aliqua re extranea; sed firmis ultimur fundamentis; si à rebus ipsis consideratis subiectum colligamus. Quoniam enim in animali non solam animalis propriam naturam, sed etiam naturam viuentis in eo insitam Aristotel. contemplatur, & viuentis quoq; principia, & affectiones considerat, & hæc omnia ore rotūdo dicit esse communia animali cum planta, vt videre est & in libris de Anima, & in paruis naturalibus, certè subiectum adæquatum non solum animal est, sed corpus animatum latissimè sceptum, illud videlicet, quod est species misti ex elementis constantis; nam Cœlum quoque est animatum, sed de eo non agitur in his libris, neque de anima Cœli agitur in libris de anima, vt ipsa librorum series indicat, & vt Aristot. declarat in procemio librorum de partibus Animalium, & qui id afferere audent, ita crassa ignorantia laborant, vt omni prorsus confutatione indigni sint. Mea igitur sententia hæc est; si omnes simul accipiantur libri, & de animalibus, & de plantis, subiectum adæquatum est corpus animatum considerandum, & secundùm amplitudinem suam, & secundùm proprias rationes specierum, nempe & animalis, & plantæ: si verò seclusis libris de plantis solos sumamus libros de animalibus, subiectum erit corpus animatum vt considerandum & in sua maxima latitudine, & secundùm propriam naturam animalis; id enim certum est, non agi de corpore animato communi, nisi in libris de Animalibus, neque est absurdum, quòd in eisdem agatur & de genere, & de specie, quæ animal dicitur; quum id in alijs quoque libris naturalibus factum esse viderimus; in libris autem de plantis subiectum erit planta vt considerāda secundùm propriam rationem. In singulis F autem libris facile est subiectum inuenire iuxta normam à nobis traditam in libro de Præcognitis; quum enim eorum librorum nulla sit, in quo non tractetur vel principium, vel accidens aliquod seu animalis, seu animati corporis, illud in singulo subiectum statuendum est, cuius vel principium, vel accidens consideretur, vt in quatuor libris de partibus animalium subiectum est animal, quia materia animalis ibi tractatur; in libro autem de incessu subiectum est animal, non tamen

Nec Cœlum, nec anima Cœli in lib. de animalibus consideratur.

Subiectum in lib. de partibus.

omne, sed illud solum, quod talis motus particeps sit, si quod enim commune nomen haberemus, quo omnia ex se mota animalia cõplecteremur, illud statuendum esset subiectũ & in libro de incessu, & in lib. de communi animalium motu, quia ibi de huius partibus agitur, hîc verò de huius propria operatione: hac eadem ratione dicendum est in libris de Anima subiectum esse corpus animatum vniuersè sumptum, quod omnia viuentia mortalia comprehendat, quia ibi de huius forma agitur; non de sola animalis forma; definitur enim anima esse actus primus, & forma viuentis corporis: eo igitur modo cõsideratur, quo definitur, nempe vt principium formale viuẽtis corporis. Quoniam igitur illud est subiectum, cuius principia considerantur, nullum aliud esse potest eorum librorum subiectum, nisi corpus animatum; hoc idem de singulis alijs libris dicendum est, id enim cuius principium, vel accidens consideratur, subiectum in singulo dicendũ est, siue sit corpus animatum cõmune, siue animal, siue aliqua species animalis: certũ enim est ijs omnib. libris absolui totã tractationẽ & de viuente cõmuniter accepto, & de animalibus tum generatim, tum speciatim cõsideratis. Hac igitur norma quisquis vtatur, errare meo quidẽ iudicio nõ potest in dignoscendo cuiusq; libri subiecto.

Subiectum in lib. de Anima.

Opinio illorum, qui dicunt subiectum in libris de Anima esse animam, & eius confutatio.

Cap. XXXIX.

Sententia hæc nostra maximè confirmabitur, si breuiter aliorum errores, qui ab hac norma recesserunt, aperuerimus: nobis quidem satis erit considerare, quid alij senserint de subiecto librorum de Anima, qui inter omnes de animalibus libros principẽ locum tenent: nam errore aliorum in ijs libris detecto, facile cuique erit & illa, quæ in alijs libris errata fuerint, deprehendere. Tres inuenio illorum opiniones de subiecto librorũ de Anima: vna est, quam nos sequimur, quòd sit corpus animatum; hanc enim solam veram esse puto, dummodò sano modo, quem postea exponam, intelligatur. Secunda est pluriũ recentiorum, qui subiectum horum librorum dicunt esse animam ipsam. Tertia demum nonnullorum, qui nec corpus animatum, nec animam, sed animal volunt esse horum librorum subiectum; hanc igitur vtramque nos considerare oportet. Illi, qui subiectum dicunt esse animam, argumentantur primùm ex inscriptione; inscribuntur libri de Anima, ergo nullum aliud in ijs subiectum statuendum est, nisi anima. Secundò ex verbis Aristot. in initio libri de sensu, & sensilibus; ibi enim dicit, se animam cõsiderasse secundùm seipsam, ergo vt subiectum, nõ vt principium subiecti;

Tres opiniones de subiecto lib. de anima.

Primum argumentum ponentium animam subiectum.

Secundum argumentum.

A quæ enim considerantur vt principia, non cõsiderantur secundùm seipsa, sed alterius gratia. Tertiò dicunt, illud est subiectum, quod in principio scientiæ definitur, at in initio secundi libri de Anima definitur anima, & magna cum diligentia inquiritur, ac declaratur eius definitio; corporis autem animati definitionem nullibi in ijs libris comperiemus, ergo non corpus animatum subiectum habent, sed animam. Quartò, illud est subiectũ, B per quod scientia siue totalis, siue partialis distinguitur ab alijs; at per animæ considerationem distinguuntur libri de Anima à cunctis alijs libris naturalibus, non per corpus animatum, hoc enim etiam in pluribus alijs libris subiectum est, imò in omnibus simul libris de Animantibus; dum igitur subiectum adæquatum quærimus librorum de Anima, nullum est ponendum, nisi anima ipsa. Tandem dicunt, anima habet omnes cõditiones, C quæ in subiecto scientiæ requiruntur, ergo est subiectum: probant assumptum; anima habet species, vt patet, habet affectiones, quas Arist. in context. 3. primi libri proponit considerandas; habet etiam principia, quod quidem ipsi varijs modis ostendunt, in hoc enim non consentiunt; aliqui dicunt, animã habet saltem principia cognitionis, nempe suas operationes, ex quibus cognoscitur; alij confugiunt ad causam agentem, quæ animã educit de potestate D materiæ ad actum, hæc enim principiũ quoddã ipsius animæ dici potest; alij demum dicunt animã habere propriam naturã, ac definitionẽ, quę instar principij est, quũ per eam multa accidentia de ipsa anima demonstrari possint. Huius sententiæ falsitas tum ex ijs, quæ antea diximus, tum maximè ex ijs, quæ scripsimus de præcognitis, manifesta est, nunc igitur paucis agemus; primùm quidẽ iam diximus animam definiri ab Aristotele vt princi- E piũ, & sæpe in ijs libris appellari principiũ, & causam viuentis corporis; patet igitur eam vt principium considerari. Præterea quælibet res ita est cognoscenda, vt secundùm propriã naturã est, nec alio modo; atqui anima in rerum natura non per se existit secundùm Arist. imò essentialis conditio animæ est, vt sit perfectio, & forma viuẽtis corporis, ergo non potest alio modo considerari, aut cognosci, nisi vt formale principiũ corporis viuentis. Præ- F terea si anima, non corpus animatũ, statuatur subiectũ in libris de anima, nullus erit liber, in quo dici possit considerari corpus animatũ; hoc autẽ dicere absurdum est, quia corpus animatum est species corporis naturalis, sine cuius tractatione mancã necesse est esse naturalem philosophiã; consequens autẽ probatur, quia qua ratione dicimus, subiectũ in libris de anima non esse animatũ corpus, sed animam, eãdem dicere debemus, subiectum in libris de partibus nullum esse, nisi ipsasmet animalium partes; sic in lib. de sensu, & sensilib. nil aliud esse

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

Quintum argumentum.

Opinionis confutatio.

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

esse statuendum subiectũ, nisi sensum ipsum; sic in libello de motu nil aliud nisi motum, & in libris de generatione animalium nil aliud, nisi ipsam animaliũ generationem: nam quũ nihil sit animato corpori intimius anima, quę est eius forma, si de hac agere non est agere actu de corpore animato, multò minùs agere de materia, aut de operationibus, erit agere de corpore animato; in nullo igitur libro subiectum statuere possumus corpus animatum; quòd si dicat hoc esse subiectum in omnibus *B* libris simul sumptis, vanum certè, ac risu dignum hoc est, quomodo enim subiectum in omnibus statui potest, si eorum nullus inuenitur, in quo dici possit ipsum cõsiderari? Sed huius erroris ratio petatur ex libro nostro de tribus præcognitis. Argumenta autem illorũ facilè soluuntur: primum, quod ab inscriptione sumitur, nullius roboris est, quia non semper inscribuntur libri à subiecto, libri autem de anima inscribuntur ab intentione, non à *C* subiecto; quid autem intersit inter subiectũ, & intentionem, legatur in libris de Præcognitis, vbi diligenter id declarauimus. Ad secundum dicimus, Aristotelem non ideò dixisse animam fuisse consideratam secundùm seipsam, quòd voluerit eã in libris de anima esse subiectum propriè acceptum, sed solùm ad differentiam aliorũ sequentium librorum; quum enim in ijs agendum sit de operationibus consequentibus, quarum causa est anima, *D* necesse erit in ijs facere animæ mentionem, quia effectus non cognoscuntur nisi per suas causas; sed non erit ibi consilium ipsam secundùm se animã cognoscere, sed accidentia per illam; at in libris de anima nulla fuit alia Aristotelis intentio, nisi tradere cognitionem ipsius animæ secundùm seipsam. Audiui tamen aliquos ita argumentantes, si consideraretur anima vt principium subiecti, ergo non secundùm seipsam; quemadmodum *E* vbi tractatur vt causa operationum, ibi non tractatur secundùm seipsam. Quæ argumentatio, etsi non modò vulgata est, sed etiam recepta, vana tamen est, & index magnæ cæcitatis, quæ ex eo prouenit, quòd nõ distinguũt intentionẽ à subiecto; ipsum enim subiectum nullibi tractatur, nisi dum singillatim ea tractantur, quæ declarare est consilium, & intentio authoris, quò fit, vt quicquid tractare est *F* intentio authoris, id secundùm seipsum, & propter seipsum tractari dicatur, licèt vt subiecti principium, vel vt affectio tractetur. Quare cognitio animæ quæritur propter seipsam, & quæritur ad habendam cognitionem corporis animati; hæc enim quæ alijs duo diuersa, atque etiam repugnantia esse videntur, idem reuera sunt; ipsam enim secũdùm se animam cognoscere volumus, & eam cognoscere est cognoscere corpus animatũ, hoc est, aliquid corporis animati; est enim eius forma. Sic etiam dicimus, in libro de motu animalium,

Ad primum argumentum aduersariorum.

Cap. 6.

Ad secũdum.

Dubium.

Solutio.

A intentionem esse cognoscere motum animalis, & eum quęri propter seipsum, quia est per se dignus cognitu & ipsum cognoscere est cognoscere corpus animarum; nempe aliquid ipsius, hanc eius operationem. Rem igitur consideratam aliud est referre ad intentionẽ, aliud est referre ad subiectum libri. nam si ad subiectum libri referatur, & ipsa sit intentio authoris, dicitur simul propter seipsam considerari, & propter cognitionem subiecti, hoc enim idem est. Sic igitur in libris de anima consideratur anima secundùm seipsam, quia ipsam cognoscere est intentio, nec dirigitur ad aliam principaliorem intentionem, licèt conferat etiam plurimùm ad notitiam reliquorum: at si aliquid ad intentionem referatur, & propter illam dicatur considerari, tunc non ampliùs cõsideratur secundùm seipsum, quia non est intentio authoris; sic consideratur anima in paruis naturalibus propter operationes, quas cognoscere est intentio in ijs libris, ideò in illis non consideratur anima secundùm seipsam, quum ibi non quęratur animæ cognitio, sed operationum per illam, illæ igitur secundùm seipsas dicuntur considerari: quicquid enim considerare est intentio, & cõsilium authoris in aliquo libro, id semper secundùm seipsum considerari dicendum est. Ad tertiũ negamus vtrumq; consequens. Vnũ erat; anima definitur, ergo anima est subiectum: quod quidem est vanũ argumentum; nam in 1. Physic. definitur materia, nec tamen est subiectũ, sed principiũ, & definitur vt principium; sic definitur in 3. Phys. motus, nec ob id est subiectum, sed affectio subiecti, & definitur vt affectio; quum igitur principia quoq; & accidentia definiantur in scientijs, inualida prorsus est ista argumentatio, quum præsertim in definitione ipsa animæ appareat eam definiri, vt principium subiecti; non vt subiectum habens principia. Alterum consequens erat; corpus animatum non definitur in libris de anima; ergo non est subiectum: quod similiter negandum est, possumus enim hoc argumentũ torquere contra aduersarios, imò contra Aristotelem sic; in nulla parte scientiæ naturalis definitur corpus animatũ, vel animal, vel aliqua species animalis; ergo nullum horum est subiectum in aliquo libro naturali, siue vno, siue pluribus. Soluitur autem argumentum, quia est quidem subiectum in scientia præcognoscendum quid sit, non tamen semper expresse definiendum; nam docuit Aristoteles in primo libro Posteriorum, despici quandoque expressionem præcognitionum, quando res per se conspicua, ac nota est; si igitur loquamur de præcognitione, quid nomẽ significet, de qua etiam Aristoteles in eo libro loquitur, non fuit opus expresse sumere quid significet nomen viuentis, vel nomen animalis, vel nomen hominis, quia horum omnium significatio notissima per se omnibus est; sat

Ad tertium.

Cap. 8. igitur est, si mente præcognoscatur, vt in libro de præcognitis declarauimus: si verò loquamur de definitione perfecta, non est necessarium hanc esse præcognitam; possunt enim interna principia, quę eam constituunt, ignota esse, & inuestigari, & demonstrari. Solet igitur Aristoteles indagare interna principia ignota corporum naturalium, nec tamé ex ijs conflatam eorum definitionem exprimere, sed nobis relinquere, vt leui negotio ex principijs ab eo declaratis definitionem perfectã B constituamus cuiusque corporis naturalis, vt viuentis corporis, & animalis, & specierum animalis. Sic etiam in primo libro de Cœlo declarat conditiones essentiales cœlestis corporis, quæ in nostram cognitioné venire poterant, sed relinquit, vt ex illis nos definitionem illius corporis cõstruamus, dicentes, esse corpus naturale, nec graue, nec leue, nec generationi, nec interitui obnoxiũ, nec alterabile, nec augmentabile, sed solùm in orbem C mobile, sic de alijs multis dicendum est. Ad

Ad quartũ. quartum dicimus, maiorem propositionem veram semper esse de scientijs totis; scientia enim quælibet tota ab alia qualibet distinguitur per subiectum, vt scientia naturalis à Geometria, & vtraque hæc ab Arithmetica; sed non semper veram esse de partibus eiusdem, nam partes quidem aliquæ eiusdem scientiæ distinguuntur per propria subiecta, quæ sunt distinctæ species subiecti totius, vt D in scientia naturali libri de mineris à libris de animalibus; aliquæ tamen partes non distinguuntur per subiecta, quum versentur in eodem subiecto, sed distinguuntur solùm per diuersas intentiones circa idem subiectum, vt octo libri Physicæ auscultationis in eodem subiecto versantur corpore naturali; distinguuntur autem inter se per varias tantùm intentiones circa idem subiectum; nam in duobus prioribus intentio est agere de principijs E corporis naturalis, in tertio autem agere de eius affectionibus, motu, & infinito, in quarto de alijs accidentibus, loco, & tempore, & sic de reliquis: sic dicendum est de libris de anima, respectu aliorum librorũ de animalibus; nam in corpore animato plurima erant consideranda, quorum numerus, & varietas plures etiam distinctos libros postulauit, quare diuersis intentionibus distinguuntur, non diuersis subiectis; nam certum est, corpus animatum commune esse subiectum & in libris F de anima, & in libro de longitudine, & breuitate vitæ, & in libro de vita, & morte; variæ tamen sunt in his libris intentiones Aristotelis, quia in corpore animato plura erant cõsideranda, & principia, & accidentia; satis est igitur, si libri de anima ab alijs secernantur per hanc propriam intentionem, quæ est declarare formale principium corporis animati; in nullo enim alio libro intétio est agere de for-

Ad vltimũ. ma corporis animati, nisi in libris de anima. A Ad vltimum argumentum negamus animam habere omnes conditiones, quæ in subiecto scientiæ requiruntur: primùm quidem, quòd habeat species, hoc nullius est momenti; quoniam etiamsi non haberet, per id tamen non staret, quin posset esse subiectũ in aliqua parte scientiæ, etsi non in scientia tota: quòd verò anima habeat principia eo modo, quo subiectum debet habere principia, falsum est, vt ipsorum aduersariorum inter se dissensio declarat; quòd enim aliqui eorum dicunt, animam habere principia cognitionis, suas operationes, vanum est; hoc namque est potiùs dicere, animam esse principium, quàm habere principia; proprium enim est principiorum incomplexorum, vt, si lateant, demonstrentur à posteriori per suos effectus; ostenditur enim in 1. Physic. prima materia ex mutatione, nec ob id vllus vnquam dixit materiam habere principia, ea namque dicuntur principia subiecti; ex quibus de ipso demonstrantur accidentia a priori, non à posteriori. Non minùs vanum est id, quod alij dicunt, animam habere causam agentem, à qua educitur de potestate materiæ ad actum; nam agens educens formam, non dicitur ob id esse causam formę, sed compositi; & forma in illa eductione locum habet causæ, non effectus: præterea hoc etiam condonato, nullæ per talem causam demonstrantur affectiones animę, imò ne cõsideratur quidem talis causa animæ in libris de anima; quid autem absurdius, quàm dicere animam esse subiectum, quia habet principia, quum talium principiorũ nulla vnquam fiat mentio in libris de anima? Maiorem probabilitatem habet id, quod dicunt, animam habere principia, nempe suam naturam, ac definitionem: sed neque hoc dici potest, nam concedimus quidem subiectum quandoque simplex esse, & nullam in se habere compositionem, vt suprà de Cœlo diximus, quod in libris de Cœlo habet locum subiecti; eius enim natura, quæ ibi declaratur, instar principij est; sed hoc nõ possumus de anima dicere; quum enim certum sit definiri in scientia non modò subiectum, sed etiam principia, & affectiones subiecti, omnia hæc dicuntur proprias habere naturas, ac definitiones, nec tamen ob id omnia sunt subiectum; sed quum hæc diuersis modis in scientia considerentur, vt dictum est in libro de præcognitis, & eo modo considerentur, quo definiuntur, spectanda est definitio singulorum, vt videamus, an definiatur vt subiectum, an vt principium, an vt affectio, ad quod discernendum iam in memorato libro præcepta tradidimus, quæ inde petenda sunt; ipsa certè animæ definitio apertè declarat, animam vt principium subiecti definiri, & considerari, non vt subiectum, vt antea declarauimus. Cæterùm etiamsi fateremur, animam habere principia, nõ ob id fieret, vt anima esset subiectũ; nam affectiones quoq; sua prin-

cipia, & suas causas habet, nec ob id sunt subiectum in scientia. Maioris igitur momēti est postrema cōditio, quæ reuera est maximè omnium propria, & necessaria subiecto, vt affectiones habeat; id enim propriè subiectum dicitur, quod habet affectiones, & eis subiacet, & de quo illæ demonstrātur: omnino igitur negamus animam hoc modo habere affectiones. Quod autem illi dicunt, Aristot. in procemio primi lib. de anima sæpe vocare affectiones animæ, & in tertio contextu proponere considerandas affectiones animæ, nihil nobis obest, quoniam verba illa sunt ita intelligenda, vt Aristot. dicat, animam habere affectiones, & operationes ab ipsa prodeuntes, sed non vt ipsi inhærentes, sic autem nō dicit, animam esse earum subiectum, sed esse ipsarum principium, quod & nos fatemur, imò clara in hoc est sententia Aristot. in context. 64 primi lib. de Anima, vbi dicit, omnes animæ operationes esse attribuēdas toti animato corpori, non animæ, nec dicēdum esse animam irasci, vel contemplari, sed hominem animā; hæ igitur omnes sunt animati corporis tanquam subiecti, & sunt animæ tanquā causæ, & principij. Ideò risu digna est nonnullorū distinctio, qui locum illum expendentes, & ostendere omnino volentes, animam habere affectiones, & ita posse esse subiectum in libris de anima, dicūt posse duob. modis intelligi, affectiones esse ipsius animæ, vno modo vt subiecti recipientis, quod solùm ibi Arist. negat, altero modo vt originis, à qua producuntur, qua ratione non negat, imò sæpe asserit animam habere affectiones, quo fit, vt hæ possint de anima demonstrari, quum sint aliquo modo affectiones ipsius. Sed hoc dicentes, propriā ipsi opinionem euertūt, & in nostrā veniunt; nil enim aliud dicunt, quàm animā non esse harum affectionū subiectum, sed esse principiū, atqui certū est, affectiones non demonstrari de suis principijs, à quib. producūtur, sed de subiectis, in quibus inhærent, per sua principia; dicere igitur affectiones esse animæ vt originis tātùm, est dicere eas non de anima demonstrari, sed de corpore animato per animam. Præterea non est ita pingui Minerua intelligendum dictū illud Aristotelis in 3. context. primi libri de anima, vt dicat declarādas esse affectiones animæ in libris de anima, vt intelligere ibi omnes vidētur; etenim in libris de anima nil aliud declarat Aristotel. nisi ipsam animæ naturam, & essentiam, vt ipsemet testatur in initio lib. de sensu, & sensilibus; sed de affectionibus animæ significat esse agendum in paruis naturalibus, non in libris de anima; quòd si qua mentio fit in libris de anima affectionum animæ, ea fit propter essentiam animæ, & cuiusque facultatis animæ cognoscēdam, non vt ipsæ operationes animæ ibi noscantur; quemadmodum in præcedentibus diffusè declarauimus.

Quomodo anima habeat affectiones.

Error nonnullorum.

Nota expositionem text. 3. in lib. de anima.

Opinio illorum, qui dicunt subiectum in libro de anima esse animal, & eius confutatio. Cap. XL.

Considerenda manet postrema opinio illorum, qui dicunt, subiectum in libris de anima esse animal. Hi ad hanc comprobandam vtuntur primùm authoritate Aristotelis, qui in secundo contextu primi libri de anima inquit, animam esse principium animalium; & in primo capite primi libri de partibus animalium ait se postea locuturum esse de anima, qua animal tale est; itaque testatur, se de sola animalium anima acturum esse; atqui id subiectum est, cuius principia quæruntur, animal igitur est subiectum, non corpus animatum vniuersè sumptum. Præterea sic argumētantur; de illius forma agitur in libris de anima, de cuius materia priùs actū est in libris de partibus; at in libris de partibus actum est de sola animalium materia, non de materia stirpium; ergo in libris de anima similiter agitur de sola animalium forma: minorem iam nos concessimus; nam per se manifestum est, in libris de partibus agi de solis animalium partibus; maiorem probant authoritate Aristotelis in primo de partibus animalium, vbi dicit agendum esse de anima, & eius gratia agendum priùs esse de materia, quæ sunt partes animalium; quamobrem si de partibus agit propter animam, necesse est, vt de eiusdem anima loquatur in libris de anima, de cuius materia loquutus est in libris de partibus. Hæc tamen sententia falsa est, & omnino reijcienda; quòd enim in secundo libro de anima agatur de anima vniuersè sumpta, & postea de animæ parte vegetante, ita manifestum est, vt id negare nemo possit; ea autem vtraq; tractatio communis est plantis, & animalibus; ergo ibi de omnium viuentium anima agitur, non de animalis solius. Quòd si dicant, eam quidem animæ partem omni viuenti competere, de ipsa tamen ibi agi propter sola animalia, & vt contracta ad animalia, hoc testimonio primùm Aristotelis reprobatur, qui in ea parte exempla sæpe sumit à plantis; & definitionem quoque animæ in plantis declarat; deinde etiam ratione, quia si ita esset, sophistica esset illa Aristotelis consideratio, & qualem ipse iam vitiosam esse docuerat in primo libro Posteriorum Analyticorum; ibi enim dixit, omnia esse attribuenda illi, cui primò, & quatenus ipsum competunt, & ea, quæ sunt generis propria, in ipso esse cognoscenda, non in specie, neq; in speciebus omnibus; vt æqualitas angulorū duobus rectis non in æquicrure, sed in triangulo: sic etiam Auerroes in suo procemio in 1. libro Physic. dixit, quòd considerare primam materiam vt materiam animalis, vel vt hominis, nō faceret propositiones vniuersales, & quatenus ipsum, sed esset, vt ostendere æquilate-

Primum argumentum pro hac opinione.

Secūdum argumentum.

Opinionis impugnatio.

rum habere tres angulos æquales duobus re- A ctis. In hunc igitur errorem incideret Aristot. si animam latè sumptam, & animam vegetalem, quæ primò competit animato corpori, ipse vt solius animalis animam consideraret, seu vt ad animal coarctatam. Neque etiam dicere possunt, eam cõsiderari præcipuè propter animalia; plantis autem attribui secundariò, & animalium gratiâ; nam vnaquæque res ita est cognoscēda, vti est; anima verò vegetalis est forma æquè à planta, atque ab ani- B mali participata; secus enim non esset viuens genus vniuocum; quoniam igitur non minùs planta, quàm animal, sed æquè ac animal, hac anima participat, æquè etiam in vtrisque cognoscenda est. Præterea manca esset naturalis philosophia, si in solis animalibus hanc animæ partem cognosceremus, non in plantis: nec dicere possunt, Aristotelem de hac agere in libris de anima propter animalia, & iterum in libris de plantis propter plantas: si C quidem nullam legimus huius animæ tractationem in libris de plantis, siue ab Aristotele, siue à Theophrasto scriptis: imò si Aristoteles, vel aliquis alius hoc pacto duas eiusdem animæ tractationes fecisset, vnam in animalibus, alteram in plãtis, perperam fecisset, magnaque reprehensione dignus extitisset; tum quia id, quod primò competit generi, non rectè ostenditur de specie, neq; de speciebus o- D mnibus; vt Aristoteles asserit in primo libro Posteriorum, quemadmodum antea dicebamus, tum etiam quia nõ est iteranda eiusdem rei tractatio, quãdo semel pro omnibus, multoq; meliùs, tradi potest, vt notat Auerroes in dicto suo proœmio in primum Physic. imò Aristot. ipse in primo de partibus animalium. Possumus etiam huius dogmatis falsitatẽ videre in libris de longitudine, & breuitate vitæ, de iuuentute, & de senectute, & de vita, & morte, vbi Aristoteles profitetur, se hæc o- E mnia communiter cõsiderare in animalibus, & in plantis, quia reuera sunt communia accidentia omnis viuentis; tametsi enim proprij modi, quibus hæc plantis competũt, reijciuntur ab Aristotele in libros de Plantis; per hoc tamen non stat, quin hæc omnia, prout æquè omni viuenti competunt, in ijs libris considerentur. Quamuis etiam Aristoteles in calce libri de Longitudine, ac breuitate vitæ F asserat eos esse libros de animalibus, nil tamen hoc nobis officit; fatemur enim, Aristotelem in animalibus cõsiderare statuisse tum illa, quæ animalium propria sunt, tũ illa, quæ sunt illis communia cum plantis, hæc tamen semper attribuere viuenti, quod in animali inest, non animali quatenus est animal, sicut Anatomistæ ea, quæ in hoc indiuiduo homine contemplantur, non vt huius hominis cõtemplantur, sed vt hominis. Restat vt ad illorum argumenta respondeamus. Ad primum, quod ex Aristotelis authoritate sumptũ erat, dicimus Aristotelem in proœmio primi libri de Anima, & in proœmio librorum de Partibus animalium, solis animalibus animam attribuere, proponereq; de animalium anima agendum, quia nondum improbauerat antiquorũ sententiam, qui sola putabãt animalia viuere; eam enim postea confutat in calce I. lib. de Anima, vbi ostendit, etiam in plantis vitam inesse. Considerandum præterea est, Aristotelem id non dicere nisi in proœmijs, at non est inconueniens aliqua in proœmijs dici pingui Minerua, & aliorum sententiam potiùs, quàm veritatem respiciendo, quando aliorum opinio est vulgata, & nondum reprobata: at in 2. lib. de Anima, vbi Aristoteles seriò, & secundùm mentem propriam de animaloquitur, nil vnquam tale cõperiemus, sed in inuestiganda, & tradenda, & declaranda definitione animæ, semper dicit esse viuentis corporis formã, nunquam dicit solius animalis; & in context. 36. 37. illius 2. lib. ostẽdit animam esse viuentis corporis causam, vt formam, & vt finẽ, & vt efficientem, non dicit solius animalis; sic etiam totum tractatum de parte vegetali si legamus, nunquam videbimus Aristotelem illam animæ partem soli animali attribuere, sed semper viuenti generi communi animalis, & plantæ. Mirum certè est, quòd illi proœmia potiùs Aristotelis respicere voluerint, quàm ipsammet tractationem, in qua Aristoteles veritatem declarat, nihilq; oratoriè dicit, sed omnia docendi gratiã. Ad alterum argumentum sumenda est responsio ex ijs, quæ antea dicta sunt; quum enim in libris de Animalibus tractentur & illa, quæ animalium propria sunt, & illa, quæ sunt illis communia cum plantis, non possumus ita argumentari, vt dicamus; hic liber est de solo animali, ergo & ille alius: iam enim ostendimus, aliquos esse de solis animalibus, aliquos de viuentibus omnibus communiter, vt asserit Aristoteles in initio libri de Sensu, & sensilibus; quoniam ergo priùs de materia, quàm de forma dicendum esse indicauit, & vtramque considerare voluit in animalibus, ideò materiam considerauit propriam animalium, quia nulla erat propinqua materia communis animali, & plantæ, formam autem considerauit vt communem, quia in animali inest pars quædam animæ, qua eadem etiam plantæ participant; qua de re diffusiùs loquuti sumus in libris de Methodis.

Cap. de erroribus. *Ad primum argumentum.* *Ad secundum.* *Lib. 2. cap. vlt.*

De Plantis, & earum tractatione.

Cap. XLI.

Libros omnes de animalibus iam à nobis consideratos sequuntur tandem libri de plantis, qui in scientia naturali postremum locum tenent: quum enim de rebus inanimatis actum sit priùs, postea verò de animalibus, ac simul de ijs, quæ sunt communia animalibus, & plantis, restabat vltimo loco, vt ageretur

ageretur de plantis, secundùm propriam rationem, qua distinguuntur ab animalibus; in his igitur libris subiectum est planta vt consideranda, & generaliter, & singillatim, secundùm omnes species suas, sicut Aristoteles proposuit in calce capitis primi libri Meteorologici. Duo autem de plantis cõsideranda sunt, substantia primùm, deinde operationes & proprietates cõsequentes, qualis fuit etiam animalium consideratio; ideò Aristotel. in duobus libris de Plantis agit primo loco de partibus plantarum, sicut etiam primo loco egerat de partibus animaliũ, postea verò de plantarum generatione, ac de earum proprietatibus. Exquisitiorem plantarum tractationem tradidit Theophrastus, qui Aristotelem de animalibus agentem imitatus, distinxit plantarum considerationẽ in historicam, & scientialem; extant enim nouem eius libri de historia plantarum, & initium decimi; deinde alij sex libri de causis plantarum; in quibus seruat ordinem ab Aristotele seruatum in declaratione animalium; nam primo loco de substantia plantarum agit, declarando partes tum homogeneas, tum heterogenas; deinde generationis & accidẽtium consequentiũ declarationem prosequitur. Notare autẽ possumus in ijs & Aristotelis & Theophrasti libris, plura esse de plantarum viribus medicinalib. dicta: sed Theophrastus nõ solùm sparsim has plantarum vires considerat, sed de his peculiariter agendum proponit in decimo libro historiarum, licèt eius libri initiũ tantùm habeamus, reliqua desiderentur; hoc dico ad comprobationem eorum quæ suprà dixi, loquẽs de sanitate & morbo: vires enim & proprietates plantarũ medicinales cognoscendæ sunt & à Medico & à Philosopho naturali, diuersis tamen scopis; Medicus eas considerat, dum sibi proponit sanitatem recuperandam, vel conseruandam; Philosophus autẽ naturalis eas inquirit, vt plenã habeat cognitionem plantarum, quæ sunt species corporis naturalis, ideò id ei facere non conuenit in libro de sanitate & morbo, sed solùm in libris de plantis. Nolo hic silentio preterire dubium quoddam; quod quidem alijs leuissimũ esse videtur, mihi verò nõ ita leue, sed arduum semper visum est: quũ enim in tractatione de animalium substãtia Aristoteles & materiam & formam animalium declarauerit, priùs enim egit de partibus animalium, postea de anima; quæritur, cur agens de substantia plãtarum & ipse & Theophrastus solas partes plantarum cõsiderauerit, de forma verò ne verbum quidem fecerit. Ad hoc omnes responderẽt, non opus fuisse loqui de anima plãtarum, quia de hac iam plenè dictum erat in secũdo libro de Anima, nempe de parte animæ vegetali, qua sola videntur plantæ viuere. Hæc tamen responsio mihi videtur non omnino tollere difficultatem; anima enim vegetalis, de qua agitur in libris de Anima, nõ est propria plantarum forma, sed est propria viuẽtis, quod commune genus est animalis & plantæ, nec per eam distinguitur plãta ab animali. Quoniam igitur necesse est cõfiteri plantam ab animali differre per substantialem aliquam formam, quæ sit propria plantæ; siquidem per materiã res non differunt; quæ autem per sola accidentia differunt, non differunt specie; omnia autẽ quæ sunt propria plantarum, tractãda sunt in libris de Plantis, agendũ omnino erat de forma plantæ, quæ plantam separat ab animali; quare difficultas viget. Ego breuiter dicam, quid hac in re sentiã, diffusiùs postea de hoc loquuturus in operib. naturalibus. Ego quidem nunquam in eo multorum errore fui, vt dicerem, animam vegetalẽ constituere plantam; animam verò sensibilem cõstituere brutum, sed credo vegetalem constituere viuens, quod est genus plantę & animalis; & animam sensibilem cõstituere animal; quod est genus brutorum & hominis; plantam verò ab animali differre puto per propriam formam, & bruta inter se, & ab homine per proprias singulorum formas. Vnde aliud maius dubium oritur; nihil enim potest esse præstantius anima, quod & ipsum non sit anima, forma verò speciei est nobilior, q̃ forma generis; quare forma propria equi nobilior est quàm anima sensibilis, & forma propria plantę est nobilior quàm anima vegetalis; plurimæ igitur aliæ dantur animę præter illas, quas Aristoteles in libris de Anima declarauit. Sed de hoc loquemur in operib. naturalibus, nunc satis sit hanc difficultatem tetigisse. Ad dubium autẽ priùs propositum satis est, si in præsentia dicamus, nullam fieri tractationem de forma propria plantæ, quia hæc est incognita, vltimæ enim differentiæ ac propriæ substantiales formæ plantarum, & animalium ignorantur, negari tamen non possunt, nisi in hoc absurdum incidamus, vt dicamus, plantam ab animali, & plantas inter se, & animalia inter se differre solis accidẽtibus; sed de hoc alibi. Quòd autem libri de plantis sequi debeant libros de animalibus, duplici ratione, eaq; iam in præcedentibus tacta, demonstratur: vna est, quia in libris de animalibus tractãtur omnia illa quæ pertinent ad corpus viuens, quod est plãtæ genus; quoniam igitur cognitio speciei præsupponit cognitum iam esse genus, necesse est vt libri de plantis sint posteriores libris de animalibus; nam si præcedere statuantur, de planta agetur, ignorato genere, & ignorata anima vegetali, qua viuentia omnia dicuntur viuere; quod quidem dicẽdum non est. Altera ratio sumitur ex ijs quæ sunt propria plantarũ; hæc enim quũ rudiora, proinde ignotiora sint in plantis quàm illa, quæ ijs in animalibus proportione respondent, faciliùs cognoscuntur in plantis post cognitionem animalium; ideò multæ plantarum partes & ab Aristotele

Marginalia: *Theophrastus de plantis.* — *Dubium.* — *Responsio communis.* — *Impugnatio.* — *Responsio propria.* — *Quòd libri de plantis sequantur libros de animalibus.*

& à Theophrasto declarantur per animalium partes iam cognitas, & quum nominibus careant, vocantur ijs nominibus, quæ sunt propria partium animaliū, ob quandam proportionalem respondentiam & officij similitudinem; videmus enim ibi considerari in plantis carnem & venam, & alia eiusmodi, quæ dicūtur propriè de animalibus: hæc igitur indicant, libros de animalib. iam præcessisse, quū Aristoteles ac Theophrastus his nominibus vtantur, vt iam declaratis in animalibus. Quare tractatione plantarum absoluitur tota
B
naturalis philosophia, quum hæc postremum obtineat locum; quod etiam significauit Aristoteles in calce primi capitis primi libri Meteorologicorum, vbi dicens agendum postea esse de animalibus & de plantis; priùs animalia nominat, posteriùs verò plantas.

De perfectione Scientiæ naturalis, ac de eius ordine. Cap. XLII.

C
NAturalis disciplinæ structura, & partiū omnium serie ita declarata, id vnum considerādum restat, quærere aliquem posse, an perfectam rerum naturalium scientiam ab Aristotele traditam esse dicendum sit, an non perfectam. Mihi quidem videtur, sicut antea quoque dictū est, perfectam, & non perfectā dici posse; nam perfecta est, si ipsam formam, hoc est, fabricam, & artificium spectemus; sed imperfecta, ratione materiæ & rerum consideratarū, multæ namq; sunt res na-
D
turales, quas non considerauit Aristoteles, & multæ, quas non nouit; attamen si harū quoque notitiam assequeremur, non ob id alio ordine, aliòue artificio tradere naturalē scientiam oporteret, sed manente fabrica, artificioque Aristotelis, diceremus, scientiam naturalem earum rerū additione perfectiorem reddi, quoad materiam, nō quoad formam; plurima namq; cùm de alijs rebus, tum maximè
E
de animalibus, & de plantis addi possent, quæ ab Aristotele dicta non sunt; sed facile cuique esset, adiectis singulis proprios in libris Aristotelis locos assignare; ordine tamen & artificio Aristotelis non immutato nec labefactato; vt si diceremus, nullos Aristotelē scripsisse proprios libros de mineris, facile fuit Alberto Magno, qui eos cōposuit, illos addere libris Aristotelis, & post quatuor Meteorologicos, quam eorum sedem esse diximus, collocare.
F
Sed dicere præterea possumus, naturalē philosophiam ab Aristot. scriptam etiam ratione materię, ac rerum cognoscendarū perfectam & omnibus numeris absolutam esse, si non actu, saltem virtute; quandoquidem credendū omnino est, non solùm prætermissa ab Arist. fuisse multa, quoniam ipsi fuerunt incognita; sed omissa etiam ab ipso plura fuisse, quæ nouit, sed scribere noluit; nam certum est, nullū ab Aristotele scriptum fuisse librum, vel tractatum de hominis risibilitate, aut de hinni-

Suprà cap. 30.

A
bilitate equi, aut de his similibus; tamen fundamenta, ac semina quædam ab eo iacta esse, vnde emanare etiam illorum, quæ non scripsit, cognitio potest; ijs enim, quæ nos Aristoteles docuit adiuti, possumus alia multa contemplari, & in eorū notitiam duci. Quamobrem id mihi de naturalibus Aristot. libris dicendum videtur, quod ego dicere solitus sum de Geometricis, & Arithmeticis ab Euclide scriptis: Etenim multa sunt Geometrica & Arithmetica theoremata, quæ ab Euclide de-
B
monstrata non sunt, demonstrantur tamen ab alijs in ipsa librorū Euclidis interpretatione; nec ob id mācam & imperfectam vocare debemus Euclidis Geometriam vel Arithmeticam; nam si omnia, quæ de magnitudinibus, ac de numeris demonstrari possunt, demonstrare Euclides voluisset, creuisset absq; dubio volumen in immensum, quod quidem Lectorem facilè auertere ab illius lectione potuisset: satis igitur ei fuit, præcipua quædā theo-
C
remata demonstrare, ex quibus postea aliorū plurimorū, quæ subiecuit, imò omnium, quæ excogitari possunt, demonstrationes deducerentur; sciunt enim omnes eruditi Mathematici, nullū esse Geometricum theorema, cuius demonstratio ex libris Euclidis, tanquam ex vberrimo fonte, non facile hauriatur; eamque puto fuisse causam, cur Euclides libros suos Elementa appellauerit, quasi fundamenta & principia, ex quibus alia plurima deduci pos-
D
sunt, tum in illa ipsa disciplina, tum in alijs & scientijs & artibus, quibus interdum vsus rerum Mathematicarum necessarius est. Dicere igitur possumus, imò debemus, scriptos esse tanto cum artificio ab Euclide libros illos, vt in ijs Mathematicæ disciplinæ perfectæ & integræ, si non actu, saltem potestate & virtute contineantur. Hoc idem de naturali philosophia ab Aristotele tradita dicēdum esse videtur: quum enim ea, quæ sunt præcipua, de
E
rebus naturæ docuerit, alia reliquit, in quorū notitiam ex illorum, quæ scripsit, consideratione duci possumus. Itaq; perfectam dicere possumus ab Aristotele scriptam esse naturalem philosophiam, etiam ratione rerum cognoscendarū; omnium enim, quæ humanum ingenium assequi potest, cognitionem tradit aut actu, aut saltem virtute; idq; fortasse ipsemet significare voluit in calce primi capitis primi libri Meteorologicorū, dum ait, agen-
F
dum manere de animalibus, & de plantis tum vniuersè, tum singillatim, quoniam his declaratis, finem ferè habitura est totius naturalis scientiæ traditio; inquit enim [*ferè*] tum propter quartum Meteorologicum, & propter libros de mineris, quos non nominauerat, tum etiam ad significandum, se nō actu perfectam naturalem scientiam traditurum, sed virtute tamen perfectam, quemadmodum diximus. Ordinem autem totius scientiæ compositiuum esse manifestū est, idq; à nobis accuratè declaratum

Cur Euclidis libri vocentur Elementa.

Ordo.

Lib. 1. cap. 7. & 10.

declaratum est in libris de Methodis; ibi enim diximus, progressum totius huius disciplinæ ratione subiecti esse à magis vniuersalibus ad minùs vniuersalia, à corpore naturali ad simplex, & ad mistũ latè sumptũ, ab hoc ad imperfectũ & perfectũ, & ab hoc ad inanimatũ & animatum, & ab hoc ad animalia, & plantas, ac tandem ad hoiũ species: sed quia hoiũ singulorũ considerantur ordinatim & principia & accidentia, ideò ratione principiorũ est pro- A gressio à primis ac remotissimis principijs ad propinquiora, ac tandẽ ad proxima speciebus naturalibus; & à simplicioribus ad concretiora: nam interna principia corporis naturalis latè sumpti, simpliciora sunt internis principijs misti, quatenus mistũ est, & hæc simpliciora internis principijs animalis, quatenus animal est: hæc autẽ est conditio ordinis cõpositiui, eaq; ad scientiam rerũ consequẽdam omnino necessaria, vt in memoratis libris declarauimus.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, DE PRIMA RERVM MATERIA LIBRI DVO.

Liber I.

Proœmium Operis. Cap. I.



NIHIL esse videtur in rebus naturæ obscurius, & cognitu difficilius prima rerum materie, de qua in 1. libro Natural. auscultat. Aristoteles artificiosissimè pertractauit: plurimum etiam ad scientiam naturalem confert ipsius cognitio, quum in ipsomet eius disciplinæ limine idem clara voce testatus sit, nullam, ignoratis naturæ primordijs, rerum naturalium cognitionem haberi à nobis posse. Hæc ego considerans, aliquod me operæpretium facturum existimaui, si arduas, quæ hac de re existunt, quæstiones, magnasque difficultates; quæ negotium facessere omnibus solent, pro viribus explicare tentauero; & ea, quæ ipse philosophando excogitare potui, in commune conferens, alijsq; expendenda relinquens, nisus fuero veritatem, & Aristotelis de prima materia sententiam (si possim) reddere clariorem. Erit etiam hæc nostra contemplatio non inutilis propter alia principia, de quibus ob eorum inter se mutuum respectum aliqua dicere necessarium erit, neq; enim de methodo, qua nos Aristoteles ad eorum omnium cognitionem perduxit; hæc enim ad plenam primæ materiæ notitiam considerare oportebit. Ordinem verò eum seruabo, quo in omnibus vti solitus sum, & qui est naturæ nostræ maximè consentaneus; ea enim, quæ faciliora cognitu sunt, quæue exactiorem, aut faciliorem reddere aliorũ cognitionem pos- D sint, semper anteponam, etiamsi ipsarum rerum naturalis ordo, quo existunt (quod quidem hac in re frequenter euenturum scio) alius esse videatur. Aliorum sententias, & dicta in medium adducere non curabo, nisi quando rem ita postulare existimauero, in ijsque vtar ea, quæ Philosophum decet, tum libertate, tum ingenuitate: nam & illa, quæ falsa videbuntur, refutare, & quæ vera esse putauero, recipere & approbare; & sectatorem me aliorum facere non verebor, vt solo veritatis amore ductũ me esse omnes intelligant, & fateantur.

De duobus Principijs contrarijs. Cap. II.

E QVum prima rerum naturalium principia apud Aristotelem tria sint, duo contraria, & tertium subiectum, erat quidem subiectum natura prius contrarijs: sed quoniam ignotius offerebatur, & ad eius notitiam necessaria erat principiorũ contrariorum cognitio, Aristoteles primo loco de contrarijs egit, postea verò de subiecta materie: ad principia contraria cognoscenda satis fuit inductio, quippe quæ minùs abscondita & F faciliora cognitu erant; ad materiam autem inueniendam efficaciore instrumento opus fuit, demonstratione ab effectu, ad quam etiam Aristoteles magno cum artificio, magnoq; verborum apparatu progressus est: qui verò dicunt, principia contraria probari ab Aristotele demonstratione à priori in contextu 42. libri 1. Phys. auscult. ij non bene logicam didicerunt, siquidẽ is est syllogismus quidam Multorum error in textu 42. 1. Phy fic.

E 2

A Dialecticus, qui nihil demonstrat, quum ex definitione quidditatiua principij probet prima contraria esse principia rerum, quod est petere illud idem, quod probandum erat, vt in Logicis libris ostensum à nobis est; proinde ratio illa vt Dialectica admitti potest, quæ vt demonstratiua absq; dubio vitiosa est. Ratione igitur naturali Aristoteles nulla alia vtitur, nisi inductione; ex singulis enim quæ fiunt, colligit hanc vniuersalem; omne quod fit, ex suo contrario fieri, & ita cuiuslibet rei B principia esse duo contraria, vnum recedens vocatum terminum à quo, alterum verò accedens vocatum terminũ ad quem. Contraria autem appellauit non contrarietate vera, sed ea oppositione, quæ est inter habitum & priuationem. quum enim omnis generatio sit transitus de nõ esse ad esse, & omnis interitus sit transitus de esse ad non esse, necesse est, alterum contrarium esse nobilius, alterum verò ignobilius; & vnum esse habitũ quendam, C & formam, à qua res habet vt sit; alterum verò illius formæ priuationem, quæ significat, non esse illius rei cum potestate ad formam oppositam; & quamuis videatur generatio esse trãsitus à forma ad formam, vt si ex aqua generatur aër; non enim potest aliqua forma recedere, quin alia forma accedat, id tamen non est per se, nec quatenus est generatio; generari enim dicimus id quod non est, quare per se generatur aër ex non aëre, per accidens D verò ex aqua, accidit enim illi nõ aëri, ex quo fit aër, vt sit aqua. Generari autem & interire dicimus propriè quidem & absolutè substantias, accidentia verò minùs propriè, & (vt vocant) secundùm quid: nam si ex aëre aqua generetur, aquam fieri simpliciter dicimus; si verò aqua ex frigida fiat calida, non simpliciter dicimus aquam fieri, sed aquam fieri calidam; vnde colligimus, eandem mutationem E in accidentibus vocari posse & generationem & motum pro varijs considerationibus: illam enim aquæ calefactionem generationem appellare possumus, quatenus fit calidũ ex non calido, formatũ ex priuato; quatenus autem est transitus à frigido in calidum, à forma ad formam, & (vt vocant) à positiuo ad positiuũ, eatenus vocatur motus; ideò Aristoteles in 5. lib. Physic. distinguẽs generationem à motu, dixit motum esse de subiecto in subiectum; F generationem verò de non subiecto in subiectum, & interitum de subiecto in non subiectum, sumendo subiectum pro termino positiuo, & non subiectũ pro termino priuatiuo. Patet igitur, principia generationis cuiusque rei esse duo cõtraria, quia de ratione generationis est, vt id quod generatur, transeat de nõ esse ad esse: & de ratione interitus est, vt id, quod interit, transeat de esse ad non esse; siquidem nil aliud est generari, quàm priùs non esse, postea esse; & nihil aliud est interire, quàm priùs esse, postea verò non esse.

Mutatio in accidentibus vocari potest & motus, & generatio varijs modis.

De Inuentione Primæ Materiæ.

Cap. III.

Cognitis principijs contrarijs, Aristoteles ad primam materiam inueniendam ita progressus est: cœpit dubitando ostendere, duo contraria ad rerum generationem non sufficere, proinde subiectam cõtrarijs materiam statuendam esse, tanquam tertium principium: quæ materiæ probatio dialectica & infima est; nam ex facta in contrarias partes argumentatione colligere subijciendam esse materiam, vt aduersantia illa argumenta concilientur, est probabiliter ac dialecticè rem probare, absq; vlla ex natura rei ducta ratione; proptereà eam ab effectu notiore demonstrare aggressus est hunc in modum; propositum illi erat ostendere, dari primam materiam subiectam generationi substantiali, quandoquidem de subiecto mutationis accidentalis nullum dubium erat; videmus enim ceram ex infiguratione figuram accipere, & aquam ex frigida fieri calidam; non ita apparet subiectũ generationis aëris ex aqua, quoniam insensile & absconditum est, & videtur aqua tota interire, & tota aëris substantia generari ex nulla præexistente materia, ideò Aristoteles ex accidentali mutatione duxit nos ad idem cognoscendum in generatione substãtiali; quum enim tandem vsurus esset hac demonstratione ab effectu; vbi est mutatio substantialis, ibi est materia illa subiecta, at in corpore naturali est mutatio substantiæ; ergo in eodem est materia tali mutationi subiecta, vidit Aristoteles minorem quidem propositionem manifestã esse, sed maiorem esse incognitam & aliqua declaratione indigere, ita vt a notioribus ad ignotiora progrederetur, generationem vniuersè sumptam ante omnia sibi considerandam proposuit; quum enim id, quod communius est, notius nobis sit, faciliùs cognoscitur subiecta materia in generatione latissimè accepta, quæ & illam, quę fit ab arte, & illam quæ à natura, siue substantiarum siue accidentium, communiter amplectatur; quàm peculiariter considerata materia solius mutationis substantialis: voluit ergo primum inductione probare hanc vniuersalem; in omni generatione subiectum requiritur; & considerare cœpit, in accidentibus omnibus id esse manifestum, vt ex eorum cõsideratione idem proportione quadam in substantijs quoque necessarium esse cognosceremus; hæc enim est vis inductionis demonstratiuæ, vt ex aliquorum particularium enumeratione in lucẽ prodeat prædicati cum subiecto essentialis connexus, vnde cognoscamus ita esse in reliquis; semper enim ex eo quod prædicatio est per se, licet inferre eam esse de omni; sic igitur Aristot. à generatione accidentiũ progrediens ad eam, quæ est substantiarũ, tandem ex his per inductionẽ colligit hanc

Demonstratio primæ materiæ.

git hanc vniuersalē, in omni generatione necessarium est subiectū, sub qua deinde sumit peculiariter de generatione substantiali hanc maiorem, vbi generatio substantialis, ibi est subiecta materia, & facit demōstrationem illam ab effectu, quā suprà memorauimus. Hac methodo inuentā esse ab Aristotele primam rerū materiam in 1. lib. Physicæ auscult. eum librū bene considerantibus manifestum est.

De modis, quibus ad Primæ Materiæ cognitionem duci possumus, opiniones aliorum. Cap. IV.

QVæri solet, quot modis in primæ materiæ cognitionem duci possimus; ad hoc quid alij dicant, paucis referam, postea quid ipse sentiam, declarabo; pluribus videtur Aristoteles multis modis primā materiam manifestasse; vnus legitur in contextu 8. libri 7. Metaphysic. vbi per negationem declarat materiam, dicens; Materia non est substantia, nec quantum, nec quale, nec vlla aliarum Categoriarum, sed horum omnium subiectum. Alij verò duo modi leguntur in 1. lib. Physic. vnus per mutationem substantiæ, quē iam exposuimus; alter per analogiam, quam tangit Aristoteles in contex. 69 eiusdem libri, sed illa analogia non eodem modo ab omnibus intelligitur. Scotus intelligit relationem ad formam, vt apud eum legimus in 2. Sent. dist. 12. quæst. 1. sic etiam Thomas interpretatur in Opusculo 32. & alij complures Latinorum: quum enim actus sit ratio cognoscendi, & forma sit actus, rationi consonum est, primam materiam per formam cognosci. Sed Græci & alij melius locum illum interpretantes, intelligunt analogiam non ad formam, sed ad subiectum sensile mutationis accidentalis; vt enim se habet æs ad totum compositum arte factum, vt ad statuam, ita prima materia se habet ad substantiam compositam; quemadmodum igitur æs antequam fiat statua, non est actu statua, sed potestate, ita prima materia antequā formam accipiat, non est actu ens vllum, sed omnia potestate: hæc est illius loci vera interpretatio; analogia enim est proportio, quæ quum sit similitudo rationum, non potest esse inter duo, sed est inter quatuor, quia ratio est inter duo, quare dum duas rationes inter se comparamus, & similes esse dicimus, quatuor terminos consideramus, vel tres, si vnus bis sumatur, & teneat locum duorum; dicimus enim, quaternarium ad binarium habere rationem duplam, sic duodenarium ad senarium habere rationem duplam; quum ergo eadem vtrobique sit ratio, dicimus ita se habere duodenarium ad senarium, vt se habet quaternarius ad binarium, eaque vocatur analogia; sic ergo ibi Aristoteles dicit, ita se habere primam materiam ad substantiam compositam, vt se habet materia arte facti ad ipsum compositum arte factum, & ita per hanc analogiam cognoscitur prima materia, quia proportione respondet subiecto mutationis accidentalis. Aliqui tamen locum illum considerantes dixerunt, Aristotelem ibi loqui de cognitione essentiæ ipsius materiæ, non de cognitione existentiæ; quum enim dicat [*ita hæc ad substantiam, & id quod est, se habet*] significat primam materiam iam inuentam vt existentem, & considerans solam eius naturam, inquit eam cognosci per analogiam, videlicet quòd secundum se nihil est actu, sed omnia potestate, sicut etiam æs ad statuam sese habet: præterea inquit ibi Aristoteles, materiam esse *ἐπιστητὴ* per analogiam, quare de perfecta materiæ cognitione loquitur, perfecta autem est distincta, qua cognoscitur essentia, & quid res sit. Hæc sunt, quæ ab alijs de modis, quibus ad materiæ cognitionem duci possumus, dicta inuenio.

Primus modus.

Secundus.

Tertius.

Latinorum error in declaranda analogia.

Declaratio veræ sententiæ de cognitione Materiæ. Cap. V.

VT pateat, quidnam rectè ab alijs dicatur, & quid non rectè, ego in hac re sententiam meam proferam; puto inprimis verum esse id, quod Auerroes asserit in Commentario vlt. 1. lib. Physic. quem postea multi in hoc sequuti sunt, nullam esse aliam viam, qua ad primæ materiæ notitiam peruenire possimus, nisi illam vnam, qua Aristoteles in illo primo libro vsus est, sumptam à mutatione substantiali; etenim hoc vno medio ostendi potest primam materiam dari, & nullo alio; vana igitur est Auicennæ & aliorum sententia, qui putant materiam posse alio medio demonstrari à primo Philosopho; quod enim dicunt aliqui de modo illo, qui habetur in contextu 8. lib. 7. Metaphysic. est error manifestus, quoniam aliud est via ducens ad inuentionem materiæ, aliud est via ducens ad cognoscendam essentiam materiæ iam inuentæ, aliud demum est ipsius sententiæ iam cognitæ significatio & expressio per definitionem; iam enim in Logicis libris ostendimus, definitionem non notificare essentiam rei latentem, sed aliquā esse methodum, qua quid res sit notificatur, idque esse notificare ipsam definitionem: itaque negatio, qua Aristoteles in dicto loco vtitur ad materię naturam significandam, non est via ducens ad materiam cognoscendam, nec ratione existentiæ, nec ratione essentiæ, sed est potiùs conclusio illius progressus, quo essentia materiæ notificata est; postquam enim quid sit materia nobis innotuit, optimè eius essentiā eo modo significamus per negationem: hoc autem clarius fiet, si consideremus, qua via sit notificata materiæ natura & essentia; hanc viam ego non aliam esse puto, quàm illam analogiam, de qua Aristoteles in contextu 69 libri 1. Physic. loquutus est; postquam enim materiam dari

Via, qua cognoscitur dari materiam, vna est.

Auicennæ & aliorum error.

Declaratio materiæ per negationem qualis.

Essentia materiæ cognoscitur per analogiam.

per substantiæ mutationē inuenimus, consi-
deramus eam ita se habere ad res, quæ ex ipsa
fiunt, vt se habet æs ad statuā, cuius est mate-
ria; & quum ratio æris ad statuā nota sit, inde
colligim⁹, quæ sit ratio primæ materiæ ad res
quæ ex ea fiunt; æs enim antequā formam sta-
tuæ accipiat, non est actu statua, sed potesta-
te: quoniam igitur eadem est primæ materiæ
ratio ad res omnes, quæ æris ad statuam, ma-
teria quoq; non erit vlla ex rebus actu, sed o-
mnes potestate; hæc est definitio materiæ per
talem analogiam cognita, quā profert Aristo-
teles in illo contex. 8. lib. 7. Metaphysic. nec
potuisset ibi essentiā materiæ ita per negatio-
nem significare, nisi prius per analogiam præ-
dictā cognouisset hanc esse materiæ essentiā;
hoc tamen maiore eget consideratione, & in
sequentibus diligentius expendetur; in præ-
sentia hoc dixisse satis sit, illā expressionē es-
sentiæ materiæ per negationē, non esse viam
ducentē ad cognitionem essentiæ materiæ, sed
esse potius cōclusionē illius viæ; sic enim ex-
primitur essentia materiæ iam à nobis inuen-
ta & cognita per analogiam, hoc est, per pro-
portionalem similitudinem, quā habet cum
subiecto sensili mutationis artificiosæ. Ob id
optimè eos sensisse arbitror, qui dixerunt, A-
ristotelem in illo contex. 69. essentiam mate-
riæ præcipuè respexisse, dum dixit materiam
sciri per analogiā, & significasse, nullam esse
aliam viam, qua cognosci possit quid sit ma-
teria, nisi hanc analogiam; quisquis enim be-
ne verba illa Aristotelis expendat, animaduer
tet Aristotelem denotasse solā analogiam ad
cognoscendam materiæ essentiam nos duce-
re posse: idq; rationi consentaneum est, quum
enim materia secundùm se non sit actu, non
potest per se mouere intellectum, sed solùm
per alia, quæ actu sunt, quorū ipsa similis est:
quod etiam Plato significauit, dicens, mate-
riam cognosci à nobis adulterina quadā co-
gnitione, nec per rectam inspectionem, sed
per obliquam; dum enim sensilem materiam
spectamus, ex ea huius quoq; insensilis mate-
riæ naturam iudicamus. Negandum tamen
propterea esse non puto id, quod illi negant,
etiam ad existentiam materiæ inueniendam
fuisse vtilem, imò & necessariam talem analo-
giam, quod quidem ita declaro: certū est, nul-
lum esse medium, quo prima materia ignota
demōstretur existere, nisi solam mutationem
substātialem per demonstrationē ab effectu,
qua vsus est Aristoteles in primo libro Physi-
cæ auscultationis, eaq; est sententia Auerrois
clara in cōmentario vltimo illius primi libri,
quæ etiam ratione validissima comprobatur:
nisi enim interire aquā, & in aërem mutari vi-
deremus, nulla ratione cognoscere possemus
corpora hæc ex materia & forma constare, sed
simplicia penitus esse putaremus; sic hominē
& equū, & reliqua omnia corpora naturalia;
ea namque si æterna essēt, & nunquam interi-

Analogia etiam ad existentiam materiæ cognoscendam vtilis est.

A re inspiceremus, ita vt nulla nobis esset cogni-
ta substantiæ mutatio, nullā prorsus cogno-
scere possemus compositionem materiæ cum
forma: hanc igitur ex mutatione substātiæ in
aliam substantiam cognoscimus; quum enim
interire aquā, & ex ea gigni aërem videamus,
cognoscimus necessarium esse aliquod vtriq;
substantiæ cōmune subiectū, quoniam in o-
mni accidentiū mutatione videmus idē sub-
iectum commune substerni formæ genitæ, &
B formæ interemptæ, & nullā fieri mutationem
contrarij in contrariū sine aliqua vtrisq; con-
trarijs subiecta materia. Hinc patet vanam es-
se illorū considerationem, qui dicunt, mate-
riam cognosci per formam, seu per relationē
ad formam, nisi illud idē quod nos dicimus, se
significare velle fateantur: nam si intelligant,
materiam cognosci per formam vt aduenien-
tem & recedentem, dicunt cognosci per mu-
tationem substantiæ, quod nos quoq; asseri-
C mus, sic enim per formam; nō prout est actus
& ratio cognoscendi, sed prout accedit, ac re-
cedit, & prout est mutabilis, materiam cogno-
scimus; at si substantia omnis naturalis æter-
na esset, dicere per formā, quatenus est actus,
materiam cognosci, ridiculum esset; per for-
mam enim cognoscitur ipsummet corp⁹, cu-
ius est forma & actus, & perfectio, per eam e-
tiam cognoscuntur accidentia consequentia:
at certè ipsa materia nunquam per formam
D cognosceretur, si omnes rerum naturaliū for-
mæ æternæ, & immutabiles essent. Quū au-
tem hoc vnum medium, mutatio substantiæ,
nos in materiæ cognitionem ducere potue-
rit, necessaria tamen fuit etiam analogia: nam
fuit quidem sola mutatio medium in demon
stratione ab effectu, nec vllo alio medio vti po-
teramus, attamen illius demonstrationis pro-
positio maior nō poterat nisi per analogiam
declarari, alioquin ignota manebat: quod e-
E nim vbi est substantiæ mutatio, ibi sit subie-
cta materia, ignotum offerebatur, & ex acci-
dentium mutatione ab Aristotele declaratū
est, vt legimus in contex. 62. lib. 1 Physic. Hoc
autem est analogia vti, & dicere, vt genera-
tio domus, & generatio statuæ materiam ha-
bent subiectam, ita & animalis generatio &
plantæ debet habere materiam, quæ ad plan-
tā & animal eam habeat rationē, quam habet
lapides ad domum, & æs ad statuam, hoc est,
F quæ sit sustentaculū ipsius mutationis de con-
trario in contrarium; sic enim locum illū in-
terpretatur Auerroes ibidem, & hoc pacto ad
demonstrandam materiæ existentiam vtitur
analogia: hac eadem vtūtur etiam Arithmeti-
ci practici in inueniēdo numero aliquo igno-
to; tribus enim numeris constitutis, quorum
primus ad secundum certam habeat rationē,
quærunt quartū, ad quem tertius eandem ra-
tionem habeat; & dicūt, si quatuor dant octo,
septem quotnam dabunt? & inueniunt, dare
quatuordecim: ideò aduertendū est, nos con-
trarium

Error dicentium materiā cognosci per formam.

varijs modis analogia vti ad existentiam, & ad eſſentiam materiæ declarandam: nam in declaranda exiſtentia ſupponimus notam rationem contrariorum ad ſubiectum, & materiam quærimus, ad quam ſit eadem ratio contrariorũ de genere ſubſtantiæ, quod diximus etiam Arithmeticos facere, dum quærunt aliquem numerũ ignorum: at in declaranda eſſentia ſupponimus vtrobiq; materiam notã, & quatuor terminos notos; quærimus autem perfectè cognoſcere rationem primæ materiæ ad compoſitum naturale; eam enim priùs leuiter cognoſcebam⁹. & in eius diſtincta cognitione conſiſtit cognitio eſſentiæ materiæ.

Error aliquorum de demonſtranda materia à Metaphyſic.

Quod verò aliqui dicunt, poſſe primam materiam ſine mutatione probari medio Metaphyſico ſic; datur purus actus, ergo datur pura potentia, vanum eſt; Dialectica enim & ꝓbabilis eſt ratio, quæ nihil habet neceſſitatis; ſumitur enim à loco illo Topico, qui dicitur ab oppoſitis; nam quum opponantur potentia & actus, ſeu relatiue, ſeu alio modo, videtur vno exiſtente neceſſarium eſſe, vt alterũ quoque exiſtat; attamen ſi qua eſt relatio actus ad potentiam, ea non eſt cuiuslibet actus, ſed illius tantùm, qui potentiam adimpleat; actus enim ſubſiſtentes nullam habent relationem ad potentiam; actus verò non ſubſiſtentes, qui materiam informant, non poſſunt eſſe cogniti, dum materia ignoratur; quiſquis enim materiam neget, is compoſitionem quoq; materiæ & formæ inficiabitur: quare nullius momenti eſt hęc ratio, quę ſumitur ab actu: quòd ſi dicant eius vim in hoc eſſe conſtitutã, quòd neceſſe eſt dari vtrumque extremum latitudinis entis, vt purum actum, ita & puram potentiam, hoc quoque infirmum eſt; dicam enim poſſe quidem ſubſiſtere actum purum, at puram potentiam non poſſe ſubſiſtere, ideoque non dari; ratio igitur nil aliud probat, niſi dari duo extrema entis ſubſiſtentis, perfectiſſimum & imperfectiſſimum, quod quidem nemo negaret; dicam auté perfectiſſimum ſubſiſtens eſſe Deum, imperfectiſſimum verò terram, vel aliud quidpiam, eaq; eſſe duo extrema latitudinis entis ſubſiſtentis: quare patet, rationem hanc non eſſe neceſſariam, ſed probabilem, cui aliam ſimilem legimus apud Ariſtot. in contextu 37. libri 8. Phyſic. ad probãdum motorem immobilem, vt plures interpretes eo in loco animaduerterunt. Vt igitur omnia, quæ diximus, paucis colligamus, ſumma hæc eſt: primam materiam dari, nullo alio medio oſtendi potuit, quàm mutatione ſubſtantiæ per demonſtrationem ab effectu, ſed eius demonſtrationis propoſitio maior declarata eſt per analogiam & ſimilitudinem quandam cum mutatione accidentium, quæ ſenſile ſubiectum habent: deinde inuenta materia, eius eſſentia notificatur per analogiam, quam habet cum ſubiecto ſenſili mutationis accidentalis: hæc demum eſſentia ita per ana- A logiã cognita exprimitur, ac ſignificatur definitione illa per negationẽ tradita, quam legimus in contex. 8. lib. 7. Metaphyſicorum. Sed quia diximus, analogiam conferre nobis tum ad eſſentiam, tum ad exiſtentiam materię cognoſcendam, eſt animaduertendum, non eandem prorſus eſſe analogiam: nam in declaranda eſſentia materiam ſupponimus, & dicimus eam proportione reſpondere ſubiecto mutationis accidentalis; at in declaranda exiſtentia B ſupponimus mutationem ſubſtantiæ de contrario in contrarium & dicimus eam proportione reſpondere mutationi accidentali, vt ſicut illa habet ſubiectũ, ita & hanc habere ſubiectam materiam colligamus.

De duabus primæ Materiæ notionibus.

Cap. VI.

Quoniam autem primæ materiæ conditiones conſiderandas nobis propoſuimus, non ſunt ignorandæ duæ illæ, C quas vocant, primæ materiæ notiones à Themiſtio declaratæ in 1. lib. Phyſ. auſcult. in ſua magna digreſſione; etenim ꝓ diuerſis materiæ notionibus, ſeu conſiderationibus, conditiones quoq; diuerſæ ipſi attribuendæ ſunt. Inquit ibi Themiſtius duas eſſe conſiderationes materiæ; vnam abſolutam, quatenus eſt ens, quæ prima notio dicitur; alteram reſpectiuam, quatenus eſt aliorum principium, D quæ vocatur ſecunda notio: quemadmodum igitur homini alia attribuuntur, quatenus eſt homo, alia, quatenus eſt pater, ſic etiam materiæ alia ſunt attributa ſecundùm primam eius notionem, & prout eſt ens, alia verò iuxta ſecundam notionem, quatenus eſt principiũ, & refertur ad alia; dum enim eam ſecundùm ſe conſideramus, attribuimus ei negationem omnium formarum, necnon dimenſiones & quantitatem; in ſecunda verò notione conſi- E deratæ attribuimus priuationem, quæ eſt tertium principium rerum naturalium, & potentiam recipiendi formas; nam quidquid fit, fit ex materia priuata, & potente formam, qua caret, recipere, quæ poſtea diligentiùs à nobis conſiderabuntur. Sed hæc, quæ de duplici materiæ notione dicuntur, multis dubia viſa ſunt, & mihi quoque non paruam difficultatem fecerunt; exponenda igitur breuiter ſunt ea, quæ hinc inde hac de re dici poſ- F ſunt, vt veritas cognoſcatur, quoniam ad illa, quæ poſtea tractanda ſunt, hæc conſideratio non parui eſt momenti. Primùm quidem videtur, nullam dari primam materiæ notionem, propterea quòd materia non eſt ſpecies aliqua entis ſubſiſtens, & ab alijs rebus diſtincta, ſed ea tantùm ratione eſt ens, quatenus eſt aliorum materia, & principium; ſic enim non eſt aliquod ens à rebus diſtinctum, ſed eſt res omnes poteſtate: quoniam igitur in prima materia rebus omnibus ſubijcienda non fuit naturæ conſilium, eam vt rem quan-

Argumentatio contra primã materiæ notionem.

dam constituere, sed vt ipsarum rerum principium, & vt id, ex quo omnia fierent, & constarent, non habet materia locum in rebus vt species entis, sed vt pars, siue vt principiũ specierum entis; vnumquodq; autem ita est cōsiderandum & cognoscendum, vti est; ergo nulla alia datur materiæ consideratio, seu notio, nisi hæc vna respectiua, prout est principium rerum. Patet autem hoc ex alijs rebus, quibus reuera hæ duæ notiones competunt; nam elemẽtorum in scientia naturali duplex B est cōsideratio, quia duplicem habent locum in natura: primum quidem secundùm se considerata, sunt species corporis naturalis, & secundùm hanc absolutam considerationē tractantur in libris de Cœlo: deinde sunt principia mistorum, & hac consideratione respectiua postea tractantur in libris de Ortu & interitu: itaq; si materiæ quoq; hæ duæ notiones seu considerationes competerent, duæ etiam ipsius tractationes extarent, vna absoluta, quā C tamen non videmus, altera respectiua, quam solam habemus. Præterea si materia etiam secundùm se consideraŕi posset vt ens, eam considerasset Aristoteles hoc modo in libris Metaphysicis; attamen hoc in ijs libris non videmus, quin potius videmus contrarium; nam definitio materiæ, quam legimus in contextu 8. libri 7. videtur ei competere in secunda potiùs notione, quàm in prima; definitur namque ibi materia per respectum, quem habet D ad res omnes, secundùm quem dicitur earum principium: nam inquit Aristoteles eam nec esse substantiam, nec quãtum, nec quale, nec vllam aliarum Categoriarum, sed omnium subiectum, hoc est, materiam, ex qua omnia fiunt; dicere enim eam esse subiectũ omniũ, est dicere esse omnia potestate, & ita ibi interpretatur Auerroes, hoc autem est eam esse omnium principium; quare nulla dari videtur materiæ consideratio in prima notione. In E contrarium autem ita possumus argumentari; materia est substantia, ergo habet considerationem absolutam; antecedēs legitur apud Aristotelem in 1. & in 2. Physic. & in initio 2. de Anima, & in lib. 7. Metaphys. consequentia etiam manifesta est; nam quælibet substantia habet essentiam absolutam, siu minùs, erit de genere relatiuorum, vt patet ex eorum definitione; definiens enim Aristoteles vera relatiua, quæ appellari solent relatiua secundùm esse, dixit, ad aliquid ea sunt, quorum hoc ipsum est esse, ad alia quodammodo referri: cui igitur ea definitio competit, id necesse est verè esse in categoria relatiuorum: quamobrem si ipsa materiæ essentia nihil habet absoluti, sed notat solùm relationem ad alia, nullo pacto tueri possumus materiā esse substantiā, vel dicere cogimur, aliquam substantiam esse verè in categoria relatiuorum. hæc autem absurda sunt: nam dicere quidem possumus, aliquam substantiam habere rela-

Argumentatio pro prima notione materiæ.

A tionem secundùm dici, vt caput dicitur esse alicuius caput, at non secundùm esse, quia si est substantia, necesse est vt propriā naturam habeat absolutam, cui postea relatio superueniat: sic igitur necesse est essentiam materiæ esse absolutam, quò fit, vt hoc modo cognosci etiam materia à nobis possit; quidquid enim est, cognoscibile à nobis est; itaque materia in prima quoque notione considerari & cognosci potest. Hoc ipse argumento ductus, B post longā considerationem, cognoui veram esse Themistij sententiam de duplici materiæ notione, vidiq; rationē difficultatis hac in re illam esse, quam Themistius quoq; animaduertit, nempe absconditam naturam, & debilem (vt ita dicam) entitatem ipsius materiæ; quum enim propè ad nihil accedere videatur, licèt sit aliquid, & substantia, non possumus nisi magna cum difficultate absolutā eius naturam comprehendere, nec videmus sine relatione ad alia eam posse concipere animo, ac contemplari; possunt tamen illi, qui mediocri ingenij acumine sunt præditi, si efficaciter in ea figant oculos mentis, absolutam eius naturā penetrare & apprehēdere. Clarior res fiet, si contraria argumēta soluerimus. Ad primum responsio patebit, si ipsum etiā contra Aristotelem ita retorqueamus, consilium naturæ in dando animalibus capite non fuit, vt esset species entis, quæ per se existeret, sed solùm vt esset pars animalis, quod verè est species entis; ergo nulla alia est capitis essentia, q̃ quæ in illa relatione consistit; est igitur caput verè relatiuum, quod tamen Aristoteles negauit; dicimus igitur caput esse substantiā secundùm se, & hac ratione habere naturā absolutam, hanc tamen substantiā factam esse à natura propter animal, & vt esset pars animalis, ideoq; nullā dari considerationem capitis absolutam in scientia naturali, tanquā corporis naturalis, quæ non sit propter animal; tota enim est animalis gratia; per hoc tamen non stat, quin in ipsa animalis consideratione sint cognoscenda omnia attributa, quæ capiti, vt est substātia, & sine vllo respectu competunt, vt caput perfectè cognoscatur, veluti eius structura & temperies, neque per hoc fiet, quin tota eius cognitio animalis gratia quæri dicatur, imò & ipsius animalis esse: sic de materia dicendum est, etenim consilium naturæ in E ea statuēda non fuit vt esset species entis existens distincta ab alijs, sed solùm vt esset pars, & principium, & inchoatio omnium entium, ideò tota materię cōsideratio est propter substantiam compositam, ad cuius plenam cognitionem requiritur etiam vt ipsa materiæ essentia secundùm se cognoscatur, quemadmodum ad perfectam animalis notitiam requiritur, vt caput etiā secundùm se sumptum absolutè consideretur & cognoscatur: comparatio autē elementorum cum materia non est conueniens, quoniā elementa sunt etiam corpora

Vera sententia de prima notione materiæ.

Solutio argumentorum contra primam notionem.

A corpora naturalia, & species entis completæ sine vlla relatione ad mista, quare datur elementorum consideratio absoluta, quæ primariò est propter se, non propter mista, at ipsius materiæ datur quidem consideratio absoluta, sed ea est propter substantiam compositam, & in hoc consistit multorum error, quòd non cognouerunt substantias à natura constituras propter aliud, considerari etiam, & cognosci absolutè secundùm se, ita tamen vt tota illa consideratio sit propter aliud; B vbi autem consideretur ab Aristotele prima materia absolutè, in sequentibus dicemus; dabitur enim postea occasio hac de re fusiùs ac diligentiùs loquendi, vbi manifestius fiet id, quod modò diximus, materiam considerari posse non solùm in secunda, sed etiam in prima notione.

Infrà cap. 21.

Duo nomina materiæ.

His duabus materiæ notionibus Themistius duo materiæ nomina accommodat; vocatur enim & materia & subiectum, & habet quidem vtrunq; nomen relationem ad alia, C sed tamen nomen subiecti magis conuenit materiæ in prima notione acceptæ, nomē autem materiæ nullo modo, sed solùm in secunda notione, quia notat respectum & relationem ad formam futuram, & ad compositum, quod ex ea generandum est, quare includit ea priuationem & potentiam, & significat materiā, quatenus est principium aliorum, quod in illa mutari potest, & fieri res singulæ: at nomen subiecti denotat respectum ad formam præ- D sentem, nec significat motum, & dicit naturam quandam diuersam ab eo, cui subijcitur; quare etsi potest significare materiam etiam in secunda notione tamen magis eam significat in prima, quia non significat eam vt principium generationis, sed vt ens quoddam rebus omnibus substratum. Quoniam igitur materia plura habet attributa, quæ à nobis cū diligentia sunt consideranda, & eorum aliqua ei competunt in prima notione, aliqua vero E in secunda notione acceptæ, nos à facilioribus ordientes ea priùs considerabimus, quæ attribuuntur materiæ in secunda notione, deinde verò illa, quæ in prima: sic enim etiam Aristoteles priùs in Physicis materiam considerauit, vt principium rerū naturalium, postea in Metaphysicis de eadem loquutus est absolute & secundùm primam eius notionem: attribuuntur autem materiæ in secunda notione acceptæ duo potissimùm, priuatio & F potentia; de his igitur & quid sint, & quomodo ad materiam se habeant, cum diligentia declarabimus, & primùm de priuatione loquemur, quæ non solùm propter materiam cognoscenda est, sed ipsa etiam propter se, quum ab Aristotele sit numerata in principijs generationis, tanquam tertium principium à materia distinctum.

De Priuatione, & de Priuationis ac negationis discrimine. Cap. VII.

A Sciendum inprimis est, priuationē, quam statuit Aristoteles tertium principium rerum naturalium, & generationis terminum à quo, interitus verò ad quem, non esse illam vniuersalem absentiam omnium formarum, per quam definitur materia ab Aristotele in contextu 8. libri 7. Metaphysic. illa enim est pura negatio, non est principium, ex quo res fiant; hoc enim dato, sequeretur omnibus formis vnam numero priuationem B opponi; sequeretur etiam, priuationem æternam esse, quæ vtraque in 1. lib. Physic. auscultat. negantur ab Aristotele, qui ibi docet, cuilibet formæ propriam opponi priuationem, sed non vnam omnibus; inquit enim album fieri ex non albo, neque ex omni tamen non albo, sed ex nigro, vel medio, significans illud non album sumendum esse, non vt negationem, sed vt priuationem; neque esse puram absentiam albi, sed talem, quæ coniunctum C habens aliquem alium colorem notet potestatem ad album: in contextu autem 82. inquit priuationem in materia interire, idque est consentaneum rationi, quia contrarium in aduentu sui contrarij recedere & interire necesse est, nec minùs priuationem in aduentu formæ, quàm formam in aduentu priuationis. Negatio igitur omnium formarum in materia non est illa priuatio, quæ apud Aristotelem est tertium principium rerum natu- D ralium; & in hoc differunt negatio & priuatio, quòd negatio est pura absentia formæ, priuatio autem est necessariò coniuncta cū quadam forma præcedente formam generādam, cui illa priuatio opponitur, & constituente in materia potentiam recipiendi illam formam; vt in Deo est quidem negatio albedinis, at non priuatio, quia non est ibi potentia ad albedinem; in corpore autem nigro vel rubeo est priuatio albedinis, nempe absentia albe- E dinis cum potentia ad illam. Hæc quisquis consideret, & illa, quæ de priuatione ab Aristotele dicuntur in primo libro Physicæ auscultationis, is facilè cognoscet priuationem cuiusque formæ necessariò esse coniunctam cum aliqua quadam statuta forma, sine qua non diceretur esse illius formæ priuatio; non enim omnis absentia albi dicitur priuatio albi, sed illa tantùm, quæ sit coniuncta cum aliquo alio colore, quod significauit Aristoteles, F quando dixit album fieri non ex omni non albo, sed ex nigro vel medio. Hoc idem in substantialibus formis dicendum est; priuatio enim formæ humanæ non est quælibet eius absentia; non enim ea, quæ est in lapide, sed ea, quæ est coniuncta cum certa quadam forma, quæ est forma humani seminis, hæc enim sola est quæ constituit propriam priuationem oppositā formæ humanæ, & potentiam proximam ad eam; nam si in lapide esse diceretur priuatio formæ humanæ, quæ est proprium principium generationis hominis, posset ex

Priuationis & negationis discrimē.

Priuatio semper habet formam aliam coniunctam.

lapide homo generari: ob id quum priuatio secundùm se sit nihil, significari solet nomine formæ coniunctæ quælibet propria cuiusque formæ priuatio, quæ alioqui nullum ex se nomen haberet; legimus hoc in contextu 62. libri 1. Physic. vbi Aristoteles significare volens propriam materiam, ex qua res quælibet generatur (propria autem est, quæ habet propriam illius rei generandæ priuationem) dixit generari plantas, & animalia ex semine, non enim sumpsit ibi semen vt constans ex materia & forma, sed vt constans ex materia & priuatione respectu plantę vel animalis generandi; quamuis enim semen per suam formam sit semen, ita vt dicentes semen dicamus formam, tamen ibi Aristoteles non sumit formam seminis vt formam, sed vt significantem propriam sibi annexam priuationem formæ animalis, vel plantæ, quidquid enim fit, ex materia priuata fit. Ex his colligimus, dici posse absque vlla absurditate, priuationem illam, quam Aristoteles statuit tertium principium, & terminum generationis à quo, esse substantialem formam alteri formæ contrariam, vt priuationem formæ humanæ esse formã humani seminis; hæ namque ea tantùm ratione dicuntur contrariæ, quòd simul in eadem materia existere nequeunt, & vna alteram pellit; necessariò enim forma hominis adueniens materiæ formam seminis pellit, & cum forma seminis est necessario coniuncta priuatio formæ hominis, & potestas proxima recipiendi eam. Hoc certè verissimum est, si sano modo intelligatur, non enim dicimus formam seminis secundùm se, & quatenus est forma, esse formæ humanæ priuationem, sed per quandam necessariam comitantiam, quia necessariò habet comitantem absentiam formæ humanæ, cum potentia proxima ad eam: itaque priuatio formaliter est absentia formæ, & est nihil, sed per necessariam comitantiam est alia forma, a qua solet priuatio cuiusq; rei propria nominari; dicimus enim, ex cibis sanguinem fieri, & ex sanguine carnem, & ex semine hominem, vel plantam, nil aliud per hæc denotantes, quàm proprias singulorum materias priuatas, ex quibus fiunt. Hoc significauit absque dubio Aristoteles in contex. 15. lib. 2. Physic. quando dixit, priuationem esse quodammodo formam, & naturam, iure enim dixit [*quodammodo*] quia priuatio non est essentialiter forma, sed per comitantiam, vt dictum est. Hoc etiam significauit Auerroes in 2. tractat. Epitomes Metaphysic. cap. 12. & hanc eandem sententiam tribuit Alexandro Simplicius in contex. 58. lib. 1. Physic. & eam refutauit, quia ipsam non intellexit, inquit enim, Alexandrum dixisse priuationem significare alteram formam positiuam: aduersus quam sententiam ita argumẽtatur, si id verum esset, sequeretur priuationis esse aliam priuationẽ, & illius aliam, & sic in infinitum; at cõsequens

Priuatio est quodammodo forma.

Declaratio contex. 15. libri 2. Physic.

Alexander à Simplicio confutatur.

falsum est, quoniam priuationi opponitur forma, non alia priuatio; consequentia autem patet, quia forma seminis est priuatio formæ hominis secundùm Alexandrum, atqui forma seminis habuit ipsa quoque suam priuationem, igitur priuationi opponeretur priuatio. Ego autem miror, quomodo Simplicius in hanc Alexandri sententiam ita sit inuectus, quum ipsemet in memorato contex. 15. hanc sequutus sit, & locum illum Aristotelis optimè interpretatus, dicens priuationem esse formam, quatenus habet aliam formam coniunctam; quare vel sui immemor fuit, vel Alexandrum non intellexit; ipsius autem argumentum nihil roboris habet, nam forma seminis potest duobus modis considerari, vno modo vt forma, qua semen est semen, altero modo vt respicit formam hominis generandam; primo modo dicitur opposita priuationi suæ præcedenti, non formæ humanæ, quia sic non est priuatio, sed forma; secundo autem modo opponitur formæ hominis, non vt forma alteri formæ, sed vt priuatio formæ non enim opponitur ei quatenus secundùm se est forma, sed quatenus habet annexam, & comitantem priuationem formæ humanæ; primo quidem modo est terminus generationis ad quẽ, quia ex sanguine fit semen, secundo autem modo est terminus generationis à quo, quia ex semine fit homo; itaque nec forma est formaliter priuatio, nec priuatio formaliter est forma, sed per necessariam connexionem tum forma est priuatio, tum priuatio est forma: quando igitur Simplicius ait, forma seminis habet suam priuationem, ergo priuationis est priuatio, negandum est consequens, quia forma seminis habet suam priuationem, quatenus est forma, non quatenus est priuatio; quatenus autẽ est priuatio, non habet priuationem oppositam, sed formam; quare idem diuersis rationibus est forma, & priuatio. & terminus generationis tum à quo, tum ad quem, sed nõ eiusdem generationis: malè igitur à Simplicio carpitur Alexander, cuius sententia verissima est, & eam apud ipsum Alexandrum claram legimus in 2. lib. Natural. quæst. cap. 11. quoniam autem in eadem materia hæc tria coniuncta sunt, forma seminis, priuatio formæ humanæ, & potentia proxima ad eam, in his nullus est ordo temporis, sed est ordo naturæ, nam forma seminis est natura prior alijs, constituit enim tum propriam formæ humanæ priuationem, tum potestatem proximam recipiendi formam humanam; quare & amica videtur formæ humanæ, & inimica; amica quidem, quatenus facit propensionem ad formam humanam; inimica verò, quatenus constituit proprium contrarium formæ humanæ; quo fit, vt ipsa forma seminis dicatur humanæ formæ contraria, & hominem ex semine fieri sit apud Aristotel. fieri contrarium ex contrario; non sic dicentur contrariæ forma hominis, &

Defensio Alexandri.

Solutio arg. Simplicij.

nis, & forma lapidis, quia non pellit vna alteram de eodem subiecto, nec vbi vna desinit, incipit altera, hæc enim est contrariorum conditio, quam pulcherrimè ornauit apud Platonem Socrates in Phædone, dicens, contraria esse modo quodam inter se coniuncta extremitatibus, ita vt desinente vno incipiat alterum. Ex his colligimus, errasse illos, qui dixère duplicem esse priuationem; vnam remotā, alteram propinquam; in lapide quidem esse remotam priuationem formæ hominis, in semine verò propinquam: quum enim non contingat vt ex lapide homo fiat, Aristoteles non diceret esse in lapide priuationem illam, quæ est generationis hominis principium, & terminus à quo, sed in solo semine, ex quo immediatè fit homo. Hac igitur ratione contrarietatem præ se ferunt forma seminis, ac forma hominis, quanquam verè contrariæ non sunt, nempe quatenus simul in eadem materia existere nequeunt, & vna habet coniunctam priuationem alterius, & quando desinit, incipit altera: non eadem autem ratione est forma & amica, & inimica alteri formæ, sed inimica est secundùm se; quia quum sit forma, non potest simul cum altera forma existere in materia; amica verò non secundùm se, sed ratione qualitatum, quas habet coniunctas, hæ namque materiam illam præparant ad formam hominis recipiendam; retinet enim semen qualitates quasdam illius animalis, à quo defluxit, quæ faciunt vt materia non possit aliam formam recipere, quàm illius animalis, vel semen in elementa dissoluatur, si quid prohibeat animal generari; hoc fortasse respexit Aristoteles in 2. lib. Natur. auscult. quando dixit, in semine animalis inesse illius animalis naturam, non quidem vt formam, sed vt artificem: sed hæc consideratio à præsenti loco aliena est; sat est, si ex iis, quæ dicta sunt, habeamus, quòd priuatio, etsi formaliter sumpta nihil est, tamen connotat formam, quæ dicitur forma contraria, idque respexit Aristoteles in contextu 15. libri 2. Physic. proponens quæstionem illam, & insolutam dimittens, an in generatione substantiarum priuatio denotet etiam contrarium positiuum formæ generandæ: nam priuatio, quæ formaliter accepta est oppositum formæ solùm priuatiuè, notat etiam contrarium positiuum, quatenus connotat aliam formam coniunctam, sed quia in formis substantialibus non est vera contrarietas, qualis est in accidentibus, ideò Aristoteles ibi iure dubitat, an forma positiua, quæ cum priuatione est coniuncta, sit verè contraria formæ generandæ, nécne, reuera enim non est ibi contrarietas, sed similitudo tantùm quædam contrarietatis. Si quis autem definire priuationem velit, assignari ipsius potest definitio talis: priuatio est contrarium, ex quo recedente res fit, siue, priuatio est absentia formæ in materia cum potentia proxima

Contrariorum conditio.

Nonnullorum error de priuatione gemina.

Declaratio contextus 15. libri 2. Physic.

Priuationis definitio.

A ad eam; vtroque enim modo iam dicimus, nam in eo ex quo res fit, necesse est inesse potentiam proximam ad illam, & in quo inest potentia proxima ad eam; ex eo res fit; sic contrarium formæ est ipsa formæ absentia coniuncta alteri formæ, quæ hac ratione vocatur contraria. Hinc patet ratio, cur priuatio formæ humanæ appellari non possit illa eius formæ absentia, quæ est in lapide, sicuti aliqui dixeront: oportet enim non solùm esse cum il- B la absentia aliquam potentiam in illa materia ad formam hominis, sed etiam potentiam illam esse constitutam à forma coniuncta cum illa absentia, quod quidem de forma lapidis dicere non possumus, quia nulla ibi est particularis propensio ad formam hominis, sed solùm illa vniuersalis potestas, quam materia suapte natura habet respectu omnium formarum, non quæ formam ipsam lapidis consequatur; igitur illa absentia humanæ formæ nō C est priuatio, sed potius negatio: hoc significauit Auerroes in Comment. 19. lib. 5. Metaphysic. dicens, potentiam eatenus esse priuationem, quatenus est præparatio; non est igitur priuatio formæ, nisi vbi est præparatio ad eam. Sumitur ex his ratio differentiæ à Themistho adductæ in sua digressione inter priuationem & negationem; inquit enim latius patere negationem, quàm priuationem, quia negatio nullam qualitatem in materia ponit quate- D nus est negatio, priuatio autem reddit materiam qualem quatenus necessariò annexam habet aliam formam, quæ materiam afficit; neque vllo pacto attribui potest priuatio ipsi materiæ nudæ & inaffectæ, sed formatæ, & quali, quemadmodum dictum est: negatio verò, quum nullam formam, nullam qualitatem in materia postulet, tribuitur primæ materiæ sumptæ in prima notione absq; vlla alicuius formæ, aut affectionis consideratione; quan- E do enim dicimus eam esse naturam materiæ, vt secundùm se non sit substantia, nec quantum, nec quale, nec aliud ens determinatum, hoc est, vt nullam sibi formā, seu statutam naturam præscribat, declaramus naturam materiæ per negationē, non per priuationem; quin potius repugnat naturæ priuationis, vt sit absentia vniuersalis omnium formarū: qua in re multi decepti sunt, qui priuationem à negatione distinguere nesciuerūt, in quo errore vi- F detur fuisse Plotinus in 4. lib. 2. Enneadis, cap. 14. dum Platonem tueri nititur ab obiectione Aristotelis; quum enim Aristoteles Platonem reprehendat, quòd materiam cum priuatione confuderit, quasi idem sit, non solùm re, sed etiam ratione. Plotinus ostendere volens materiam & priuationem idem esse etiam ratione, inquit materiam definiri per infinitum, & hoc significare priuationē, proinde priuationem esse ipsammet essentiam materiæ: sed vel cæcus videre potest, hanc non esse priuationem illam, de qua Aristoteles in primo lib. Physicæ

Plotini error in non distinguenda negatione a priuatione.

auſcultationis loquitur, & quam ſtatuit tertium principium rerum naturalium; ſed eſſe negationem vniuerſalem omnium formarũ, per quam ipſe quoq; Ariſtoteles in 7. lib. Metaphyſ. materiam definiuit, vt etiam cenſuit Themiſtius in ſua digreſſione prædicta, & Alexand. 2 lib. quæſt. natural. cap. 7. quare manifeſtum eſt, Plotinum in ambiguo laboraſſe, & pro priuatione negationem ſumpſiſſe, idque eſt clariſſimum cuique eum librum legenti, quare tota ipſius aduerſus Ariſtotelem B diſputatio inefficax, & vana eſt. Quid igitur ſit priuatio, quę eſt tertium principium generationis, manifeſtum eſt. De forma verò prout eſt principium corporis naturalis, nil dicendum relinquitur præter illa, quæ dicta ſunt; eſt enim terminus generationis ad quem, ex quo tanquam actu & perfectione, & ex materia res conſtat; vberius autem de ipſa loquitur diuinus Philoſophus; ideò pauca de hac dicuntur ab Ariſtotele in primo libro Phyſicæ C auſcultationis; in ſecundo autem plura quidem de forma ac de materia dicuntur, quatenus reſpiciunt motum, & appellantur nomine naturæ: ſed hæc eſt alia conſideratio, ideò in præſentia dimittatur.

De Priuatione ad Materiam relata.

Cap. IIX.

PRiuatione declarata, conſiderandum eſt, quomodo ad materiam ſe habeat priua- D tio, nempe an ſit de eſſentia ipſius materiæ, an materiæ accidat; agit hac de re Themiſtius in ſua digreſſione, & ad vtramq; partem argumentatur: primùm probat priuationem non eſſe de eſſentia materiæ hunc in modum; ſi priuatio eſſet de materiæ eſſentia, materia in aduentu formæ interiret, quum priuatio tunc intereat, vtpote contraria formæ. Quòd autem ſit de aſſentia materiæ, ita probat; eſſentia materiæ in poteſtate cõſiſtit, ipſa E igitur poteſtas eſt de eſſentia materiæ; at cum poteſtate eſt neceſſariò coniuncta priuatio, non enim diceretur habere poteſtatem, niſi careret actu, itaque etiam priuatio eſt de eſſentia materiæ. Ad ſoluendam hanc difficultatem diſtinguit Themiſtius duas materiæ notiones, quas antè declarauimus, & tandem inquit, priuationem non eſſe de eſſentia materiæ, nec in prima, nec in ſecunda notione acceptæ; in prima enim notione materia nec F formam, nec compoſitum reſpicit, ſed eſt natura quædam abſoluta, quare nullam habet potentiam, proinde nec priuationẽ; illa namque vniuerſalis abſentia omnium formarum non eſt priuatio, ſed negatio, quæ non eſt quidem ipſa materiæ eſſentia, ſed per eam tamen eſſentia materiæ declaratur; quæ propter exilem & abſconditam eius naturam declarari aliter nequit: in ſecunda verò notione accepta materia habet quidem potentiam & priuationem, & priuatio eſt ei neceſſaria ad ge-

Priuatio non eſt de eſſentia materia.

A nerationem, non eſt tamen de eius eſſentia; quòd enim ſit ei neceſſaria, patet, quia niſi materia eſſet priuata, nihil ex ea generaretur, niſi enim priuationem formæ haberet, neceſſariò formam ipſam haberet; iam igitur res eſſet, quare nullum haberet locum generatio: attamen non eſt materiæ neceſſaria priuatio tanquam de ipſius eſſentia, ſed tãquam natura quædam alia alij naturæ accidens, habet enim materia poteſtatem recipiendi æ- B què formam ac priuationem, quocirca vtraq; materiæ accidere dicitur, & extra eius eſſentiam eſſe, quum intereat vtraque in materia, & materia ſine vtrahbet eſſe poſſit: eſt igitur priuatio tanquam accidens materiæ, accidens tamẽ neceſſarium, nec abſolutè neceſſarium, ſed propter generationem, quacunque enim priuatione conſtituta poteſt materia eſſe ſine illa, attamen neceſſarium eſt, vt materia illam priuationem habeat, ſi ex ea debeat res illa, C cuius eſt priuatio, generari; neceſſarium enim eſt vt quidquid generatur, generetur ex materia priuata. Sed quæ de poteſtate materiæ à Themiſtio dicuntur, egent exquiſitiore examine, & poſteriùs conſiderabuntur; illa verò, quæ de priuatione dicit, vera & manifeſta ſunt; quum enim priuatio apud Ariſtotelem ſit tertium generationis principium à materia diſtinctum, non poteſt ipſius materiæ eſſentiam conſtituere; quod Ariſtoteles ex eo D oſtendit, quòd materia ſeruatur in re genita, nec vnquã interit; priuatio autem in aduentu formæ recedit, quare aliud eſt terminus generationis à quo, aliud eſt ſubiectum cõmune vtriuſque termini deferens mutationem; dicere autem priuationem eſſe neceſſariam materiæ propter generationem, nihil aliud eſt, quàm dicere, materiam eſſe quidem generationis principium, at non ſolam, ſed alia quoque principia poſtulari, ſine quibus ex ſo- E la materia nihil generaretur; præſtant enim ſingula propriam operam, ſed ſingulum requirit operam aliorum, quare omnia principia in generatione requiruntur: eadem autem ratione dicere poſſemus, materiam eſſe neceſſariã priuationi propter generationem, quoniam ex priuatione ſine materia nihil fieret; ſic neceſſaria eſt materia formæ, & forma materiæ, nullum tamen horum principiorum eſt de eſſentia aliorum; quæ igitur de priua- F tione à Themiſtio dicuntur, manifeſta ſunt. Ex his autem, quæ de priuatione diximus, corollarium quoddam colligimus, quod licèt videatur implicare cõtradictionem, veriſſimum tamen eſt: prima materia, ex qua res omnes naturales generarentur, debuit eſſe ἄποιον, hoc eſt, omni qualitate, & omni forma carens; debuit etiam eſſe affecta, & formata, & qualis; nam diuerſa reſpiciendo verum eſt vtrumque, dum enim materiam in prima notione ſecundùm ſuam eſſentiam conſideramus, dicimus eam eſſe ἄποιον, non quòd ita ſine vlla affe-

Quomodo priuatio ſit neceſſaria materia.

Materia debet eſſe affecta, & non affecta.

affectione existat, sed quia in eius essentia nulla forma, nulla qualitas inest; sic enim solam materiæ essentiam spectamus, & quamuis semper formata, & qualis existat, dicimus tamen, omnem formam, & omnem qualitatem esse extra materiæ essentiam, quæ nullam includit affectionem, & ne potentiam quidem ipsam, vt postea dicemus: at si materiam in secunda notione, & vt principium est sumamus, oportet eam esse formatam, & qualem, quia necesse est inesse ipsi priuationem, & potentiam, si debeat ex ea quippiam generari; priuatio autem habet necessariò coniunctam aliam formam, ita vt modo quodam forma vocari possit, sicut etiam Aristoteles appellauit: ex materia igitur nuda & penitus inaffecta, si daretur, nil generari posset, neque enim apta esset ad sustinendam actionem agentis, neq; haberet priuationem, quam ipsi ad generationem necessariam esse cum Themistio diximus.

Ex materia nuda nihil posse generari.

De Potentia Materiæ quid sit.

Cap. IX.

POst priuationem consideranda est materiæ potentia, quæ nunquam à priuatione seiungi videtur; de hac duo declaranda proponuntur, vnum quid ipsa sit, alterum verò, quomodo ad materiam referatur, videlicet an sit de essentia materiæ, an insit ei vt accidens. Vt videamus quid sit potentia, distinguendæ sunt inprimis nominis significationes: potentia duplex est, vt ex Aristotele colligimus quinto Metaphysicorum, contextu 17. & nono Metaphysicorum secundo, vna actiua, altera passiua, ad quarum alteram reduci omnem potentiam necesse est; aut enim dicimus agens posse agere, aut patiens posse pati: tribuimus quidem etiam effectibus potentiam, non tamen ab his duobus distinctam; dicimus enim effectum esse potestate, quando nondum est actu, esse tamen potest, quia est impotentia actiua agentis, & in potentia passiua materiæ, quare tunc nil aliud significamus, quàm dari causas, à quibus produci potest. Sciendum præterea est, vtramq; potentiam sumi duobus modis, vt Aristoteles docet in libro de Interpretatione; propriè namque sumitur pro illa potentia, quæ præcedit actum tanquam illi opposita, & ipso adueniente interit; impropriè autem quandoque sumitur, & (vt inquit ibi Aristoteles) æquiocè pro illa potentia, quæ est simul cum actu, vt si dicamus, Cœlum posse moueri, & Deum posse mouere; impropriam enim esse hanc acceptionem, patet ex ipsis effectis; non enim dicimus effectum esse potestate, nisi quando non est actu, quare etiam materia & agens tunc propriè dicuntur habere potentiam, quando non habent actum siue patiendi, siue agendi. Nos in præsentia loquimur de sola potentia passiua, talis enim est materiæ potentia, & de propriè accepta, quæ præ-

Potentia duplex.

Vtraque potentia sumi duobus modis.

A cedit actum; materiam enim consideramus antequam recipiat formam, & quærimus, quum potentiam habeat recipiendi, quidnam sit ista potentia: talem enim Aristoteles quoque in 9. Metaphysic. considerat, & in contextu 5. incipit reprobare sententiam Megaricorum, qui nullam existere potentiam dicebant, nisi quando est actus, vbi Auerroes inquit, hoc asserere esse destruere omnem potentiam: quoniam existente actu non est

B uera potentia. Hanc plurimi considerantes, & eius naturam scrutantes, dixerunt, eam esse & absolutum quiddam, & respectiuum, sed vt absolutum non distingui ab ipsamet materiæ essentia, nec esse aliquid ipsi materiæ superadditum, nisi vt respectiuum, & ita potentiam, prout à substantia materiæ distinguitur, esse in categoria relationis, & inter potentiam & actum esse relationem realem, non tantùm rationis: hæc enim esse videtur propria huius

Multorum opinio de potentia quid sit.

C vocis significatio, quæ nil aliud notat, quàm quoddam respiciens actum. In hac sententia videtur fuisse Auerroes, qui 9. Metaphys. 11. inquit, potentiam & actum opponi relatiuè, quod etiam ita ostendit, quoniam vnum definitur per alterum, quæ est relatorum propria conditio; hoc idem apud eum legimus in Epitome Metaphysica, tractatu 3. capite 4. Thomas autem ad probandum potentiam materiæ, dum sumitur pro absoluto, à sub-

Argum. Thomæ.

D stantia materia non distingui, hoc argumento vtitur; potentia & actus sunt in eadem categoria, atqui actus, quem potentia materiæ respicit, est substantia, ergo etiam potentia debet esse substantia; non est igitur nisi materia ipsa. Hanc sententiam, etsi omnium ferè communem, ego probare non possum, credo enim potestatem omnem tam agendi, quàm patiendi esse in categoria qualitatis in secunda specie; quum enim in ea posuerit A-

Opinionis reprobatio.

Omnis potentia est in secunda specie qualitatis.

E ristoteles potentiam naturalem, nec vlla detur alia potentia præter actiuam, & passiuam, oportet aut vtramque, aut alteram constituere secundam speciem qualitatis; legentibus autem ibi Aristotelem patet, ipsum in illa specie locare tam agendi, quàm patiendi potentiam: omnem igitur potentiam censuit esse in secunda specie qualitatis. Huic sententiæ videntur quidem nõnulli recentiores subscripsisse, sed neque eam firma ratione com-

F probarunt, neque omnino in ea perstitere visi sunt, quum modò dixerint, potentiam materiæ esse qualitatem secundæ speciei, modò esse relatiuum, & nihil notare absolutum superadditum substãtiæ materiæ, quæ fuit aliorum communis opinio, vt prædiximus. Nobis igitur nitendum est (si fieri possit) huiusce rei intima penetrare, & valida ratione veritatem demonstrare. Primùm quidem dicere aliquis fortasse posset, Aristotelem in cap. de qualitate non absolutè omnem agendi ac patiendi potentiam in secunda specie collocasse, sed

Propria opinio.

A solùm potentiam facilè agendi, & potentiam non facilè patiendi, non enim idem est currere, ac bene currere. Sed hoc dici non potest, quia differentia secundùm magis & minùs non variat speciem, multò autem minùs potest variare genus, quare si potētia bene agendi est qualitas, etiam potentia agendi absolutè debet esse qualitas: asserit etiam hoc Aristoteles 9. Metaphys. contextu 2. dum diuidit potentiam agendi in potentiam agendi absolutè, & potentiam bene agendi, sic etiam

Omnis potentia sit in secunda specie qualitatis.

B potentiam patiendi: atqui vel partitur genus in species, vel declarat eiusdem speciei differentiam secundùm magis & minùs, & vtrumuis dicatur, in eodem genere ponitur potentia agendi, & potentia bene agendi. Adde quòd potentia refertur ad actum, ergo vt se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam, atqui in eadem categoria est actus currendi, & actus bene currendi, ergo etiam potentia currendi, & potentia bene currendi debent esse in

C eadem categoria. Præterea inquit ibidem Aristoteles in definitione potentiæ bene agendi contineri definitionem potentiæ agendi, & in definitione potentiæ patiendi, cōtineri definitionem potentiæ patiendi, sunt igitur eiusdem generis potentia agendi, & potentia bene agendi: quando enim duo ita se habent, vt vnum sit de quidditate alterius, necesse est ea in eodem genere esse; est autem potentia agendi de quidditate potentiæ bene agendi,

D ergo si vna est qualitas, etiam altera debet esse qualitas. Si quis autem quærat, cur Aristoteles in secunda specie qualitatis non expresserit, nisi potentiam bene agendi, ratio in promptu est, quoniam in eo libro non exquisitè de decem summis generibus loqui voluit, sed pingui Minerua pro adolescentibus, ideò sæpè dimissis difficilioribus faciliora in medium adduxit; quum igitur hic excessus,

E quo aliquam potentiam dicimus esse bene agendi, faciat eam euidentiorem, ita vt inde sumatur nominatio; cursorem enim dicimus non omnem, qui currere aptus sit, sed eum tantùm, qui bene currere possit, ideò Aristoteles solius potentię bene agendi mentionem fecit, sed non ob id negauit eam potentiam tum agendi absolutè, tum patiendi esse in secunda specie qualitatis, hanc enim eius sententiam fuisse iam demonstrauimus. Sed ad

F probandum non posse potentiam & actum esse verè relatiua, vt est cōmunis opinio, non potest efficacius argumentum sumi, quam ex proprijs conditionibus relatiuorum; relatiua enim sunt simul natura, & vtrouis posito alterum necessariò ponitur, & vtrouis ablato alterum necessariò auferrur; at positā potentiā, non ponitur actus, neque actu posito, ponitur potentia, imò è contrario dum potentiam ponimus, auferimus actum, & dum ponimus actum, auferimus potentiam, nam adueniente actu potentia interimitur; ergo non sunt

Quòd potentia, & actus non sint relatiua.

A relatiua; reuera enim si potentia respicit actū, respicit ipsum vt non existentem, quæ est conditio contraria conditioni relatiuorum, quæ est vt vno existente alterum quoque existat: dicere igitur cogimur, potentiam esse primò quiddam absolutum, cui respectus aliquis superueniat. Sumitur præterea ab actu argumentum efficacissimum: nam si potētia ideò est verè relatiuum, quia refertur ad actum, oportet non minùs actum, quàm potentiam es-

B se in categoria relationis; hoc tamen est manifestè falsum, actus enim est maximè in categoria substantiæ, & nullam notat relationem ad potentiam, licèt potentia referatur ad actum, at eorum, quæ verè sunt relatiua, debet reciproca esse relatio. Illud autem quod multos decepit, fuit (vt ego puto) quædam similitudo, quum enim potentia & actus sint opposita, putarunt esse relatiuam oppositionē, quum tamen sit alia oppositio: est enim (vt

Potentia & actus opponuntur priuatiuè.

C ego arbitror) oppositio priuatiua, nam potentia semper habet annexam priuationē actus, qua ratione opponitur actui: imò videntur idem reipsa esse potentia & priuatio, distingui autem ratione, ab vtralibet enim hæc duo denotantur, absentia actus, & aptitudo ad illum: sed differunt, quòd potentia primò notat aptitudinem, secundò connotat absentiam, priuatio autem primò notat absentiam, secundo aptitudinem: potentia igitur ratio-

Potentia & priuatio sunt idem re, & differunt ratione.

D ne absentiæ connotatæ opponitur actui, vt priuatio habitui, at ratione aptitudinis primò significatæ, est qualitas secundæ speciei, nec videtur hac ratione esse opposita actui, sed potius similis & amica, quum notet propensionem ad illum. Non videtur ab hac sententia alienus Auerroes, nam in Commentario 5. lib. 9. Metaphysic. inquit, potentiam & actum opponi inter se, deinde hanc oppositionem declarans, subiungit, ea non posse esse

Auerrois sententia.

E simul, quia se mutuò interimunt, quare non putat esse opposita relatiuè, nam relatiua non se mutuò destruunt, sed potiùs se mutuò statuunt, atque conseruant. Est etiam considerandum id, quod Auerroes dicit 12. Metaphysicorum, Comment. 37. actum cognosci per se, potentiam verò per actum, quod etiam ex Aristotele & Auerroë colligimus nono Metaphysicorum vigesimo; sed quis non videat, hoc non competere relatiuis, sed esse pro-

F priam conditionem eorum, quæ priuatiuè opponuntur? nam priuatio cognoscitur, ac definitur per habitum, sed non habitus per priuationem; vt ait idem Auerroes in sua præfatione in librum Posteriorum, quæ conditio non aptatur alicui alij oppositioni, nisi priuatiuæ: nam contradictorium non pendet à suo contradictorio, neque definitur per illud, similiter neque contrarium per suum contrarium; relatiuum autem pendet quidem à suo correlatiuo, & per ipsum definitur, sed ea pendentia est mutua atque reciproca: in sola oppositione

positione priuatiua est pendentia non ìe ipso ca, pendet enim priuatio ab habitu, non habitus à priuatione, itaq; si potentia & actus opponuntur, & potentia pendet ab actu, non actus à potentia, non potest eorum oppositio esse alia, quàm priuatiua. Sed proferit etiam clarè hanc sententiam Auerroes 5 Metaphys. 19 dicens potentiam habere coniunctam priuationem, ratione cuius opponitur actui; & 9. Metaphys. Commentario 3. vbi dicit: [*potentia significat aliquem modum priuationis*] & in initio sui Commentarij in librum de Somno & vigilia inquit: [*id. quod est in potentia, est priuatio eius, quod est in actu*] & in Epitome Metaphysica tractatu primo, vbi agit de potentia & actu, dicit potentiam esse de speciebus priuationis: in his igitur omnibus locis clara esse videtur Auerrois sententia, quòd potentia opponatur actui non alio modo, quàm vt priuatio habitui. Cæterùm quid ad Auerroem dicemus, alijs in locis asserentem ea esse opposita relatiuè? non est credendum, Auerroem sibi contradicere, sed potius dicendum est relatiua esse duplicia, alia secundùm esse, quæ sunt verè relatiua, & propriè constituunt categoriam relatiuorum; alia verò non secundùm esse, sed secundùm dici, quæ non sunt reuera in categoria relationis, sed in alijs; quæ distinctio est ipsiusmet Aristotelis in cap. de relatiuis: vera quidem relatiua nil habent absoluti, sed tota ipsorum essentia posita est in relatione ad aliud; at relatiua secundùm dici sunt illa, quæ reuera non sunt in genere relatiuorũ, sed in aliquo alio, mens tamen ea refert, & dicit esse alterius, eaque vocatur relatio rationis, vt quum dicimus caput esse alicuius caput; & in hac relatione euenit, vt vnum dicatur ad aliud, nec tamen è conuerso illud ad hoc, qua de re loquitur Auerroes in Epitome Metaphysica, tract. 1. dum agit de relatione. Dico igitur Auerroem ponentem potentiam & actum inter relatiua, non intelligere aliam relationem, quàm secundùm dici, & sumere latè atque impropriè nomen relationis, vt etiam sumit in Epitome Metaphysica, tract. 3. cap. 4. vbi dicit hanc relationem esse in omnibus prædicamentis, & fieri ab anima, ita vt si anima non esset, hæc quoque relatio non esset: Aristoteles quoque in contex. 6. lib. 1. de Anima dicit, potentiam & actum amplecti omnes categorias, & in omnibus locum habere; & ibi Auerroes inquit esse differentias entis, quoniam quælibet categoria diuiditur per potentiam & actum; at si essent verè relatiua, non possent esse in omnibus generibus, neq; etiam esset conueniens sumere vera relatiua vt differentias diuidentes aliquod genus, sumitur enim relatiuum in definitione sui correlatiui, at differentia non potest sumi in definitione alterius oppositæ differentiæ. Patet igitur Auerroem existimasse, potẽtiam & actum esse relatiua secundùm dici, & habere relationem non realem, sed rationis, quum fiat ab anima, ideoque hanc relationem non esse rei ipsorum, refertur enim potentia ad actum, sed non actus ad potẽtiam. Sunt etiam notanda Auerrois verba loco prædicto, quæ sunt hæc [*actus & potentia quamuis sint opposita, sunt tamen ex relatiuis*] nam dictiones illæ aduersantes, quamuis, & tamen, indicant alio modo esse opposita, quàm relatiuè, quamobrem alijs quoque in locis, quando Auerroes ait ea esse opposita, non intelligit relatiuè, sed aliquo alio modo. Sententia igitur mea est, potentiam materiæ sumi & pro absoluto & pro respectiuo, non ita tamen, vt sumpta pro absoluto sit idem, quod ipsamet materia, sed sit qualitas distincta ab essentia materiæ, cui superuenit relatio rationis, qua mens nostra eam refert ad actum, sed non actum ad potentiam, vt iam ostensum est. Argumentum autem Thomæ, quo probat potẽtiam sumptam pro absoluto esse ipsammet materiam, debile est, abutitur enim illa propositione Aristotelis, potentia & actus in eodem genere sunt, quæ vera quidẽ est, dum potentiam & actum attribuimus effectui; nam homo, qui nunc est actu, & antea erat potestate, non solùm genere idem est, sed etiam numero: sic quælibet alia res est eadem numero, dum potestate est, quæ postea fit actu; sed hoc minimè verum est, si potentia secundùm se & formaliter accipiatur, quantitas enim per accretionem acquisita actus quidam est, ad quem res aucta potestatem prius habebat, illa tamen potestas non erat quantitas, neq; est ipsum subiectum potens, illud enim est substantia; quum igitur actus quantitatis sit quantitas, potẽtia tamen ad eum non sit quantitas, etiam potentia materiæ potest esse qualitas, licèt actus, quem respicit, sit in categoria substantiæ, vel in aliqua alia; dicere quidem possumus, potentiam ratione priuationis connotatæ esse per quandam reductionem in eo genere, in quo est habitus oppositus, at certè ipsa aptitudo nil aliud est, quàm qualitas secundę speciei, quemadmodum dictum est: quæ verò pro Thoma hac de re dicuntur à Iauello in sua prima quęstion. 9. Metaphys. ita leuia sunt, vt commemorari non mereantur.

Sensio ad sententia Auerrois verba.

Relatiua sint duplicia.

Solutio arg. Thomæ.

De duplici Materiæ potentia.

Cap. X.

Natura potẽtiæ ita declarata, antequam consideremus, an sit de essentia materiæ, nécne, distinctionem nosse oportet, tum duplicis essentialis, tum duplicis potentiæ, quæ primæ materiæ attribui solet. Essentiale sumitur duobus modis, vt Auerroes docet in Commẽtario 31. primi Posteriorum, alia namque sunt attributa essentialia vt essentiam subiecti constituentia, alia verò vt subiecti essentiam consequentia; idem alijs verbis dicamus, alia de subiecto prædicantur

Essentiale est duplex.

per se primo modo, vt rationale de homine, alia per se secundo modo, vt risibile de homine, ideò accidentia propria vocantur essentialia, non vt essentiam subiecti constituentia, sed vt eam consequentia. Potentia verò materiæ duplex est, vna vniuersalis, altera particularis, & est satis trita & vulgaris distinctio: potentia vniuersalis est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè, ideò dicitur libera & indifferens ad opposita, hæc enim est conditio potentiæ passiuæ, vt sit æquè apta ad vtrumque oppositum recipiendum; hanc indifferentiam multi significare solent dicendo, potentiam æquè receptiuam formæ, atque oppositæ priuationis, sic loquitur Alexander in lib.2.Natural.quæst.cap.7.& Auerroes 1 Physic.comment.79. multi etiam eam significant dicendo potentiam recipiendi omnes formas æqualiter: sed vtrique idem dicunt per diuersa, & eandem significant materiæ potentiam, quæ vocatur vniuersalis; iam enim diximus, priuationem esse formam quatenus est coniuncta cum quadam forma, quæ per similitudinem vocatur contraria; quamobrem dicere, materiam habere potẽtiam æquè formam hominis, atque eius priuationem recipiendi, est dicere, potentiam recipiendi formam hominis, & formam seminis, seu formam hominis, & formam cadaueris; nam duplex est priuatio, vt ait Simplicius in contex.58.lib.1. Physic. vna, quæ formam præcedit, & est terminus generationis à quo; altera, quæ formã insequitur, & est terminus ad quem ipsius interitus; & vtraque coniunctam habet aliquam formam; quo fit vt formæ humanæ contraria dicatur & forma seminis, & forma cadaueris, qualiscunque hæc esse statuatur: quoniam igitur quælibet forma locum habet priuationis respectu formæ aduenturæ, dicere potentiam ad formam & ad priuationem, est dicere potentiam ad omnes formas; ita Auerroes loquitur in lib. suo de Substantia orbis, cap. 3. dum inquit, materiam per hanc potentiam vniuersalem recipere omnes formas; priuationes enim non nominat, quia hæ cum formis contrarijs coniunctæ sunt; & hæc est maximè propria loquutio, per quam multa dubia tolluntur, præsertim hoc, quod non leue est; quum enim hæc potentia vniuersalis sit ille appetitus materiæ, de quo loquitur Aristoteles 10 part.81.lib.1.Physic. est enim naturalis propensio materię ad formas indistinctè, ideò quemadmodum potentia materię æquè est ad formam atque ad priuationem, ita videretur etiam appetitum materiæ æquè ad formam & ad priuationem dirigi, quod tamẽ dicendum non est, quia priuatio nec bonum nec appetibile est, quum sit turpitudo, vt ibi Aristoteles ait. Sed dubium hoc per ea, quæ diximus, facilè tollitur: nam potentia materiæ est indifferens ad formam & priuationem, id est, ad formam, & ad formam contrariam; & appetitus materiæ similiter, priuationem enim materia appetit, non vt priuationem, sed vt alteram formam; quamuis enim ipsa per se priuatio non sit appetibilis, est tamẽ appetibilis forma, cui iuncta est: dum igitur dicimus, per potentiam vniuersalem, materiam esse aptam recipere omnes formas, omnem hac in re difficultatem euitamus, in quam videmur incidere, dum dicimus formam & priuationem. Potentiam hanc vniuersalem manifestum est æternam esse apud Aristotelem, qui materiam æternam esse voluit; quum enim non omnes simul formas materia recipiat, sed vnam tantũmodò post aliam, remanet semper in materia potestas, & propensio ad alias formas, quas non habet, quare materia nunquam est sine hac potentia vniuersali. Potentia verò particularis ea dicitur qua materia ita hanc formam respicit, vt non, alias, seu magis hanc, quàm alias; hæc autem potentiæ coarctatio & determinatio non fit à natura materiæ, siquidẽ hæc æquè omnes formas appetit, & apta est recipere; sed fit ab agẽte ita materiam præparante ad hanc formam recipiendam, vt non sit apta recipere alias: fit etiã à forma præsente, seu à qualitatibus eam insequentibus, iam enim diximus cum forma humani seminis quasdam esse coniunctas qualitates, quæ materiam reddunt magis aptam recipere formam hominis, quàm formam lapidis; hæc igitur potentia particularis dicitur, quia respicit aliquam statutam formam, non alias. Hanc potentiam non posse æternam esse manifestum est, quia interit necessariò in aduentu formæ, quatenus est particularis potentia illam tantùm formam respiciens. Quoniam igitur in materia potest vtraque hæc potentia considerari, vtraque cum materia est conferenda tum in prima, tum in secunda notione accepta, vt videamus quomodo vtraq; ad materiam referatur.

[Margin: Potentia materiæ duplex. — Priuatio duplex. — Dubium. — Appetitus materiæ qd. — Solutio. — Potentia vniuersalis æterna. — Potentia particularis. — Potentia particularis non est æterna.]

Quomodo potentia vniuersalis ad Materiam se habeat in prima notione acceptam. Cap. XI.

TOtam huiusce rei veritatem ego quidem in tribus dictis consistere arbitror, quæ singillatim referam, & comprobabo. Primum hoc est: si prima materia in prima notione, & secundùm propriam substantiam consideretur, potentia vniuersalis patiendi non est ei essentialis, vt essentiam eius constituens, sed est ei essentialis, vt essentiam consequens; priorem huius dicti partem probare facile est, nullum enim accidens potest esse de essentia alicuius substantiæ, atqui potentia est accidens, materia verò substantia, ergo potentia non potest essentiam materiæ constituere: sed illud annotare debemus, essentiam materiæ quandoque nomine potentię significari, sed tunc non sumi potentiam

[Margin: Primum dictum.]

tiam pro aptitudine, quæ est qualitas, sed pro materia ipsa, quam imperfectam esse significare volentes, potentiam appellamus; sicut etiam in alijs rebus essentiam occultiorem solemus nomine proprietatis euidentioris significare: at potentia propriè sumpta pro aptitudine ad formam, quum sit qualitas, nō est de essentia materiæ. Addo etiam alterum argumentum: materia vocatur apta, & potens, hoc autem est, habens aptitudinem, & potentiam; ergo non est ipsamet potentia & aptitudo: nihil enim dicitur habere seipsum, nec potest de eodem prædicari concretum & abstractum. Quòd autem hæc potentia sit essentialis materiæ, vt essentiam consequens, sicuti risibile dicitur essentiale homini, probatur constituto hoc fundamento sumpto ex Aristotele libro 9. Metaphysicorum, contextu 2. pati est propter materiam, & omne patiens ideò patitur, quia materiam habet, hinc fit vt formæ materiales (vt ait ibi Auerroes) patiantur per accidēs, nempe propter materiam, in qua sunt, formæ vero à materia abiunctæ sint omnino impatibiles; idem legimus apud Aristotelem libro primo de Ortu & Interitu, particula ... itaq; sic argumentemur: præter materiam quicquid patitur, propter materiam patitur, ergo soli materiæ per se cōpetit pati, necesse est enim omne tale per aliud reduci ad aliquod per se tale, & illud est per se tale, per quod alia sunt talia; quoniam igitur potentia passiua competit alijs propter materiā, competit materiæ per se; vel igitur per se primo modo, vel per se secundo; at non primo, vt modò ostensum est, ergo secundo, quocirca hæc potentia est proprietas materiæ manans ab interna eius natura, quemadmodum ex natura hominis risibilitas. Hanc sententiam significauit Auerroes multis in locis: nam in illo Commentario secundo libri noni Metaphysicorum inquit, in definitione omnis potentiæ passiuæ sumi potentiam primæ materiæ, indicans primam materiam esse reuera primam radicem omnis patibilitatis. In Commentario etiam septuagesimonono libri primi Physicorum inquit, nec formam, nec priuationem esse de natura materiæ, sed vtramq; ... accidere, ipsam autem materiam esse quasi compositam ex esse, & non esse: per hæc significans potentiā materiæ liberam, & æquè respicientē opposita habere essentialem connexum cum natura materiæ, non quòd insit ei per se primo modo, non enim dicit absolutè materiam esse compositam ex hac potentia ad esse, & non esse, sed esse quasi compositam, quia non includitur hæc potentia in natura materiæ, sed eam consequitur vt proprietas, proinde inest ei per se secūdo modo. Clariùs hoc idē significauit Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis, quando dixit materiam substantiari per posse, & potentiam esse eius differentiam substantialem; quem locum multi perperam intellexerunt. Marcus Antonius Genua Præceptor meus dicebat Auerroem sumere potentiam impropriè pro ipsamet materia, & nil aliud significare dicendo materiā substantiari per posse, quàm imperfectionem naturæ materiæ; sic etiam Thomas inquit, potentiam sumi pro absoluto, & significare ipsam materiam; sic etiam Gandauensis potentiam pro subiecto potente, & abstractum pro concreto: hoc autē modo sumptam potentiam certum est nō solùm esse de essentia materiæ, sed esse ipsammet materiam. Attamen hæc non potest esse Auerrois mens in eo loco, qui statim subiungit, hanc potētiam esse diuersam à natura subiecti, quod substantiatur per ipsam, quare non sumit potentiam pro ipsamet materia. Alij verò dixerūt, Auerroem sumere materiam in secunda notione, quatenus enim est principium rerum, eatenus potentia est de essentia materiæ. Sed neq; hæc interpretatio conueniens est, quum cum locum legentibus pateat, Auerroem loqui de materia in prima notione, dicit enim materiam esse vnum ex entibus per se existentibus, & de eius essentia loquitur absolutè considerata. His ergo expositionibus reiectis, melius est, vt dicamus, Auerroem intelligere, potentiam esse essentialem materię in secundo modo dicendi per se, & eius proprietatem, per quam natura materiæ declaratur: quia, vt idē Auerroes docet in secūdo Posteriorum, commentario vigesimo, & in quarto de Cœlo, cōmentatio quadragesimo, sumuntur quandoque propria loco differentiarum ad rei essentiam declarandam, quando differentiæ sunt ignotæ: sic igitur dicit Auerroes potentiam significare naturam materiæ loco differentię constituentis; & ne credamus esse reuera de essentia materię, subiungit potentiam esse diuersam à natura materiæ, quasi admonēs eam esse proprietatem, non differentiam substantialem. Ad hunc sensum trahenda sunt verba Simplicij in contextu 82. libri primi Physicorum, dicentis essentiam materiæ constitutam esse in ipsa potentia; sic etiam verba Alexandri in secundo libro Quæstionū naturalium, capite septimo, quando dicit omnem formā, & omnem priuationem accidere materiæ, quia natura materiæ est constituta in potentia receptiua omnium formarum, & omnium priuationum; intelligit enim potentiam esse proprietatem, per quam sumptam loco differentiæ ipsa materiæ essentia declaratur. Hoc etiam significauit Aristoteles in particula octuagesimaprima libri primi Physicorum, quando dixit materiam appetere formam

Margin notes: Pati est propter materiā. — Auerroes. — Quomodo materia substantietur per posse. — Expositio Genuæ. — Confutatio. — Expositio aliorum. — Confutatio. — Expositio vera.

secundùm suam ipsius naturam, is namq; appetitus est ipsa materiæ potentia recipiendi omnes formas indistinctè, quæ inest materiæ secundùm eius naturam, quia ipsam insequitur vt proprietas, quemadmodum homo dicitur esse risibilis secundùm propriam naturam, quia propriam naturam hominis insequitur risibilitas.

Appetitus materiæ.

Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt, & eorum solutiones. Cap. XII.

Aduersus ea, quæ modò dicta sunt, dubia quædam oriuntur, quæ soluere oportet. Primum quidem; si potētia vniuersalis esset essentialis materiæ in secundo modo dicendi per se, & in ea inhæreret necessariò, & ab ea inseparabilis esset, hoc tamen falsum videtur, nam Themistius in sua digressione inquit, materiam in prima notione non habere potentiam, igitur potentia essentiam materiæ non insequitur. Alterum dubium est: potentia opponitur actui, ergo perit adueniente actu, non est igitur æterna, neq; necessariò in materia inhæret, proinde nullo modo est illi essentialis. Tertium dubium: diximus suprà cum Themistio, materiam in prima sua notione ἄποιον, id est, expertem omnis qualitatis, ergo non habet potentiam, quia si eam haberet, esset qualis, quum potētia sit qualitas. Quartum dubium est: non videtur verum id, quod diximus, potentiam esse materiæ proprietatē, per quam declaretur natura materiæ, loco differentiæ ignotæ, nam Aristoteles 7. Metaphys. contex. 8. definit materiam absq; vlla potentiæ mentione, igitur etiā sine potentia natura materiæ declaratur. Ad primum horum dubiorum dicūt aliqui, Themistium loqui de potentia particulari, hanc enim materia non habet in prima notione accepta, & hac eadem responsione secundum quoq; dubium solui arbitrantur. Attamē difficultatem non tollunt, quia legentibus Themistij verba manifestum est, eum negare in materia etiam potentiam vniuersalem, distinguit enim primam materiæ notionē à secunda tanquam absolutam à respectiua, vtraque autem potentia notat respectum ad actum, ergo si materia in prima notione nullum habet respectum, nullam etiā debet habere potentiam, nec vniuersalem, nec particularem, itaq; dubium viget. Ego aliter dico, subiectū posse abstrahi mente ab accidente proprio, & essentiali, licèt non reipsa, nam accidens propriū est re inseparabile à suo subiecto; quamuis enim non possit re separari ab homine risibilitas, concipi tamen potest natura humana non concepta risibilitate; sic igitur potentia est inseparabilis à materia, quum eius essentiam insequatur, tamē quum sit quiddam

Primum dubium.

Secundum.

Tertium.

Quartum

Ad primum responsio aliorum.

Confutatio.

Responsio vera

A diuersum à materiæ essentia, vt ait Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis. & materia sit prior natura suis proprietatibus, potest considerari materiæ essentia mente abiuncta à potentia; hoc igitur vult denotare Themistius, quando dicit materiam in prima sua notione non habere potentiam, nimirum ipsam secundùm se consideratam materiæ essentiam, non includere potentiam, quemadmodum & hominis essentia non includit risi-

B bilitatem; hanc esse Themistij mentem aperiet ipsius verba considerantibus, inquit enim [*hæc res, quam vocamus materiam, est quædam subiectum, cui accidit in eius natura vt sit receptaculum oppositorum*] quum enim dicat accidit denotat potentiam esse accidens materiæ, quum autem dicat [*in eius natura*] significat esse accidens essentiale, quod habet cōnexionem cū natura materiæ: inquit præterea Themistius ibidem, non esse facile ita materiam,

C & eius essentiam absolutam abstrahere mente à potentia, & ab omni respectu, esse tamen possibile, si quis efficaciter nitatur, & aciem mentis exacuat; sic autē significat potentiam esse reuera inseparabilem à materia: nam si esset separabilis, nullo negotio posset essentia materiæ sine potentia considerari, ipse tamen inquit esse admodum difficile, quia loquitur de mentali abstractione. Ad secundum dubium, vt in præsentia concedamus potentiam

D hanc vniuersalem opponi actui, hoc enim postea diligentiùs expendetur, dicimus tamen eam non opponi huic formæ, vel illi, sed vniuerso generi formarum materialium; ob id quūm materia non possit simul recipere omnes formas, sed vnam post aliam, sequitur non posse vnquam impleri totam hanc materiæ potētiam, proinde nec interire vnquam, quoniam in materia habente hanc formam seruatur potentia recipiendi alias omnes: neq; est

E quòd aliquis dicat, in omnibus simul sumptis materiæ portionibus inesse actu omnes formas; siquidem nunc de essentia materiæ loquimur, quamobrem ea, quę de ipsa dicimus, cuilibet etiam portioni competere debent, & nullum in hoc discrimen est totius materiæ, & partium; totam enim materiam habere omnes formas, esset ita habere, vt tota à qualibet forma informaretur, proinde & portio qualibet ab omnibus simul formis, non vt

F pars vnam formam haberet, & alia aliam, per hoc enim non interit potentia, sed æterna seruatur in omnibus materiæ portionibus, quoniam in qualibet portione est vna rātum forma, & potētia ad alias omnes; quare est à materia inseparabilis hæc potentia vniuersalis. Præterea vt etiam admittamus illud esse habere omnes formas, tamen non esset habere omnes indiuiduas, sed omnes secundùm speciem

Ad secundum.

Potent a vniuersalis non opponitur formæ.

ciem tantùm, maneret igitur in materia pote- A stas recipiendi saltem alias indiuiduas posterius aduenturas; non igitur interit potentia vniuersalis. *Ad tertium.* Ad tertium dicimus, duplicē esse qualitatem; vnam, quæ restringit, & coarctat materiam ad statutam, ac certam alicuius rei naturam; alteram verò, quæ nullam coarctationem materiæ facit: quando igitur Themistius & Alexander dicūt, materiam secundùm propriam naturam esse *ἄποιον*, quod etiam ex Aristotele colligimus in contex. 54. primi Phy B sicorum, intelligunt sperpetem earum tātummodò qualitatum, quæ materiam coarctent, atq; determinēt: cuius ratio est, quoniam omnes formæ, & omnes qualitates certam entis naturam determinantes continentur sub obiecto adæquato primæ materiæ, quo fit vt nulla harum possit esse essentialis materiæ, neque vt constituens, neque vt consequens, nulla enim determinatio potest insequi naturam materiæ: quòd si aliqua forma, siue C substantialis, siue accidentalis, comprehensa sub obiecto adæquato primæ materiæ esset ipsi essentialis, non posset amplius materia aliquam aliam recipere, quoniam intus apparens probibet alienum, vt dicitur in 4. contextu. lib. de Anima, quam rem optimè declarat Plotinus in 4. libro 2. Enneadis, cap. 8. sed qualitas, quæ materiam non coarctet, neque ad aliquam certam naturam restringat, non cōtinetur sub obiecto adæquato primæ D materiæ, ideò potest absque vlla repugnantia attribui materiæ vt essentialis, nec reddit eam qualem illa qualitate, quam omnes Philosophi respexere, qui materiam *ἄποιον* esse asseruerunt: huiusmodi qualitas est potentia hæc vniuersalis, quæ tantum abest vt materiam coarctet ad aliquam certam naturam, vt potiùs eam reddat liberam, & aptam ad omnes *Ad quartum primæ rationis.* indistinctè recipiendas. Ad quartū sumptum ex cōtextu 8. septimi Metaphysicorum, E respondere possumus, eam non afferri ab Aristotele ve definitionem materiæ, neque enim eius consilium ibi est materiam definire, sed solùm dubitandi gratia ostendere materiam esse rei essentiam, quod postea reprobaturus erat, & ostensurus essentiam esse formam: at *Cōfutatio responsionis.* quoniam illa, quæ ibi dicuntur de materia, dicuntur ad modum definitionis, & ab Aristotele vt vera proferuntur, & ita ab omnibus vt vera recipiuntur, etsi consequens, quod inde infertur, materiam esse rei essentiam, fal- F sum est, ideò nos quoque eam vt definitionem quandam materię recipientes, aliter solutionem *Responsio ab Auerroe.* dubium hoc demus. Videtur nonnullis cum Auerroe dici posse Aristotelem in ea definitione non omisisse potentiam, quod enim Aristoteles dicit [*est enim quiddam, de quo singula [illegible] predicantur*] Auerroes ita videtur interpretari, vt dicat, his verbis significari potentiam recipiendi omnes formas, quandoquidem non alia ratione est subiectum, quam per potentiam patiendi: attamē ea neque *Confutatio.* Auerrois mens est, neq; Aristotelis; Auerroes enim non illa prædicta verba Aristotel. interpretatur, sed declarat alia præcedentia: quum enim Aristoteles dicat, materiā non esse quid, nec quantum, nec quale, nec aliud vllum ex decem generibus. Auerroes ad horum verborum declarationem, quasi rationem adducēs inquit [*quoniam est impotentia omnia ista, vt dictum est in Physicis*] quæ verba profert Auerroes ex seipso, non vt contenta in definitione Aristotelis; ipse verò Aristoteles absq; dubio in ea definitione potentiam non accipit, sed essentiam materiæ abstrahit à potentia, & à respectu, quum dicat materiam esse omnium subiectum, cuius essentia diuersa est ab essentijs omnium rerum: nam dicere materiam habere potentiam ad omnia, est potiùs eam dicere omnia, quàm esse quid distinctum ab omnibus; ergo dicere eam esse quoddam ab omnibus diuersum, est non considerare potentiam: dubium igitur viget, & à nobis aliter soluendum est. Ego puto solutionem petendam *Responsio vera.* esse ex Themistio in sæpe memorata ipsius digressione: quum enim dicat, materiā in sua prima notione non habere potentiam, & dicat difficile admodum esse ita materiam concipere animo sine vllo respectu ad alia, non esse tamen impossibile, si quis aciē mentis efficaciter intendat, significat vtilem quidem esse potentiam ad materiæ essentiam significandam, non esse tamen necessariam: illi enim qui magno ingenij acumine præditi sunt, ducentur quidem in cognitionem essentiæ materiæ per potentiam, sed eam postea concipient etiam non considerata potentia, & in sua prima notione absque vllo respectu ad alia: illi verò, qui non ita valent ingenio, non poterunt quidem materię essentiam complecti sine potentia, qua respicit formas, & vtentur potentia loco differentiæ, poterunt tamen non ignorare potentiam esse accidens, cui subest ipsa materiæ natura ab illo accidente distincta, licēt naturā illam vt absolutam, & sine illa potentia concipere nequeant, adeò vt, si per potentiam definiant materiam, intelligant se sumere potentiam loco differentiæ, quam penetrare cognitione non possunt: vnde colligimus, necesse esse ad primæ materiæ cognitionem, hoc ordine progredi, vt primo loco eam cognoscamus vt materiam, hoc est, in secunda notione, & prout refertur ad alia; postea verò, si possimus, ad primam quoque eius notionem perueniamus, & eius substantiam absque vllo respectu contemplemur; quocirca in primæ materiæ in-

lapide homo generari: obid quum priuatio secundùm se sit nihil, significari solet nomine formæ coniunctæ quælibet propria cuiusque formæ priuatio, quæ alioqui nullum ex se nomen haberet; legimus hoc in contextu 62. libri 1. Physic. vbi Aristoteles significare volens propriam materiam, ex qua res quælibet generatur (propria autem est, quæ habet propriam illius rei generandæ priuationem) dixit generari plantas, & animalia ex semine, non enim sumpsit ibi semen vt cõstans ex materia & forma, sed vt constans ex materia & priuatione respectu plantę vel animalis generandi; quamuis enim semen per suam formam sit semen, ita vt dicentes semen dicamus formam, tamen ibi Aristoteles non sumit formam seminis vt formam, sed vt significantem propriam sibi annexam priuationem formæ animalis, vel plantæ, quidquid enim fit, ex materia priuata fit. Ex his colligimus, dici posse absque vlla absurditate, priuationem illam, quam Aristoteles statuit tertium principium, & terminum generationis à quo, esse substantialem formam alteri formæ contrariam, vt priuationem formæ humanæ esse form̃ã humani seminis; hæ namque ea tantùm ratione dicuntur contrariæ, quòd simul in eadem materia existere nequeunt, & vna alteram pellit; necessariò enim forma hominis adueniens materiæ formam seminis pellit, & cum forma seminis est necessariò coniuncta priuatio formæ hominis, & potestas proxima recipiendi eam. Hoc certè verissimum est, si sano modo intelligatur, non enim dicimus formam seminis secundùm se, & quatenus est forma, esse formæ humanæ priuationem, sed per quandam necessariam comitantiam, quia necessariò habet comitantem absentiam formæ humanæ, cum potentia proxima ad eam: itaque priuatio formaliter est absentia formæ, & est nihil, sed per necessariam comitantiam est alia forma, à qua solet priuatio cuiusq; rei propria nominari; dicimus enim, ex cibis sanguinem fieri, & ex sanguine carnem, & ex semine hominem, vel plantam, nil aliud per hæc denotantes, quàm proprias singulorum materias priuatas, ex quibus fiunt. Hoc significauit absque dubio Aristoteles in contex. 15. lib. 2. Physic. quando dixit, priuationem esse quodãmodo formam, & naturam, iure enim dixit [quodammodo] quia priuatio non est essentialiter forma, sed per comitantiam, vt dictum est. Hoc etiam significauit Auerroes in 2. tractat. Epitomes Metaphysic. cap. 12. & hanc eandem sententiam tribuit Alexandro Simplicius in contex. 58. lib. 1. Physic. & eam refutauit, quia ipsam non intellexit, inquit enim, Alexandrum dixisse priuationem significare alteram formam positiuam: aduersus quam sententiam ita argumẽtatur, si id verum esset, sequeretur priuationis esse aliam priuationẽ, & illius aliam, & sic in infinitum; at cõsequens falsum est, quoniam priuationi opponitur forma, non alia priuatio; consequentia autem patet, quia forma seminis est priuatio formæ hominis secundùm Alexandrum, atqui forma seminis habuit ipsa quoque suam priuationem, igitur priuationi opponeretur priuatio. Ego autem miror, quomodo Simplicius in hanc Alexandri sententiam ita sit inuectus, quum ipsemet in memorato contex. 15. hanc sequutus sit, & locum illum Aristotelis optimè interpretatus, dicens priuationem esse formam, quatenus habet aliam formam coniunctam; quare vel sui immemor fuit, vel Alexandrum non intellexit; ipsius autem argumentum nihil roboris habet, nam forma seminis potest duobus modis considerari, vno modo vt forma, qua semen est semen, altero modo vt respicit formam hominis generandam; primo modo dicitur opposita priuationi suæ præcedenti, non formæ humanæ, quia sic non est priuatio, sed forma; secundo autem modo opponitur formæ hominis, non vt forma alteri formæ, sed vt priuatio formæ non enim opponitur ei quatenus secundùm se est forma, sed quatenus habet annexam, & comitantem priuationem formæ humanæ, primo quidem modo est terminus generationis ad quẽ, quia ex sanguine fit semen, secundo autem modo est terminus generationis à quo, quia ex semine fit homo; itaque nec forma est formaliter priuatio, nec priuatio formaliter est forma, sed per necessariam connexionem tum forma est priuatio, tum priuatio est forma: quando igitur Simplicius ait, forma seminis habet suam priuationem, ergo priuationis est priuatio, negandum est consequens, quia forma seminis habet suam priuationem, quatenus est forma, non quatenus est priuatio; quatenus autẽ est priuatio, non habet priuationem oppositam, sed formam; quare idem diuersis rationibus est forma, & priuatio. & terminus generationis tum à quo, tum ad quem, sed nõ eiusdem generationis: malè igitur à Simplicio carpitur Alexander, cuius sententia verissima est, & eam apud ipsum Alexandrum claram legimus in 2. lib. Natural. quæst. cap. 11. quoniam autem in eadem materia hæc tria coniuncta sunt, forma seminis, priuatio formæ humanæ, & potentia proxima ad eam, in his nullus est ordo temporis, sed est ordo naturæ, nam forma seminis est natura prior alijs, constituit enim tum propriam formæ humanæ priuationem, tum potestatem proximam recipiendi formam humanam; quare & amica videtur formæ humanæ, & inimica; amica quidem, quatenus facit propensionem ad formam humanam; inimica verò, quatenus constituit proprium contrarium formæ humanę; quo fit, vt ipsa forma seminis dicatur humanæ formæ contraria, & hominem ex semine fieri sit apud Aristotel. fieri contrarium ex contrario; non sic dicentur contrariæ forma hominis, &

Priuatio est quodammodo forma.

Declaratio contex. 15. libri 2. Physic.

Alexander à Simplicio confutatur.

Defensio Alexandri.

Solutio arg. Simplicij.

A nis, & forma lapidis, quia non pellit vna alteram de eodem subiecto, nec vbi vna desinit, incipit altera, hæc enim est contrariorum conditio, quam pulcherrimè notauit apud Platonem Socrates in Phædone, dicens, contraria esse modo quodam inter se coniuncta extremitatibus, ita vt desinente vno incipiat alterum. Ex his colligimus, errasse illos, qui dixêre duplicem esse priuationem; vnam remotã, alteram propinquam; in lapide quidem esse B semotam priuationem formæ hominis, in semine verò propinquam: quum enim non contingat vt ex lapide homo fiat, Aristoteles non diceret esse in lapide priuationem illam, quæ est generationis hominis principium, & terminus à quo, sed in solo semine, ex quo immediatè fit homo. Hac igitur ratione contrarietatem præ se ferunt forma seminis, ac forma hominis, quanquam verè contrariæ non sunt, nempe quatenus simul in eadem materia existere nequeunt, & vna habet coniunctam pri- C uationem alterius, & quando desinit, incipit altera: non eadem autem ratione est forma & amica, & inimica alteri formæ, sed inimica est secundùm se; quia quum sit forma, non potest simul cum altera forma existere in materia; amica verò non secundùm se, sed ratione qualitatum, quas habet coniunctas, hæ namque materiam illam præparant ad formam hominis recipiendam; retinet enim semen qualitates quasdam illius animalis, à quo deflu- D xit, quæ faciunt vt materia non possit aliam formam recipere, quàm illius animalis, vel semen in elementa dissoluatur, si quid prohibeat animal generari; hoc fortasse respexit Aristoteles in 2. lib. Natur. auscult. quando dixit, in semine animalis inesse illius animalis naturam, non quidem vt formam, sed vt artificem: sed hæc consideratio à præsenti loco aliena est; sat est, si ex ijs, quæ dicta sunt, habea- E mus, quòd priuatio, etsi formaliter sumpta nihil est, tamen connotat formam, quæ dicitur forma contraria, idque respexit Aristoteles in contextu 15. libri 2. Physic. proponens quæstionem illam, & insolutam dimittens, an in generatione substantiarum priuatio denotet etiam contrarium positiuum formæ generandæ: nam priuatio, quæ formaliter accepta est oppositum formæ solùm priuatiuè, notat etiam contrarium positiuum, quatenus con- F notat aliam formam coniunctam, sed quia in formis substantialibus non est vera contrarietas, qualis est in accidentibus, ideò Aristoteles ibi iure dubitat, an forma positiua, quæ cum priuatione est coniuncta, sit verè contraria formæ generandæ, nécne, reuera enim non est ibi contrarietas, sed similitudo tantùm quædam contrarietatis. Si quis autem definire priuationem velit, assignari ipsius poteset definitio talis: priuatio est contrarium, ex quo recedente res fit, siue, priuatio est absentia formæ in materia cum potentia proxima

Contrariorum conditio.

Nonnullorum error de priuatione gemina.

Declaratio context. 15. libri 2. Physic.

Priuationis definitio.

A ad eam; vtroque enim modo iam dicimus, nam in eo ex quo res fit, necesse est inesse potentiam proximam ad illam, & in quo inest potentia proxima ad rem, ex eo res fit; sic contrarium formæ est ipsa formæ absentia coniuncta alteri formæ, quæ hac ratione vocatur contraria. Hinc patet ratio, cur priuatio formæ humanę appellari non possit illa eius formæ absentia, quæ est in lapide, sicuti aliqui dixerunt: oportet enim non solùm esse cum il- B la absentia aliquam potentiam in illa materia ad formam hominis, sed etiam potentiam illam esse constitutam à forma coniuncta cum illa absentia, quod quidem de forma lapidis dicere non possumus, quia nulla ibi est particularis propensio ad formam hominis, sed solùm illa vniuersalis potestas, quam materia suapte natura habet respectu omnium formarum, non quæ formam ipsam lapidis consequatur; igitur illa absentia humanę formæ nõ C est priuatio, sed potius negatio: hoc significauit Auerroes in Comment. 19. lib. 5. Metaphysic. dicens, potentiam eatenus esse priuationem, quatenus est præparatio: non est igitur priuatio formę, nisi vbi est pręparatio ad eam. Sumitur ex his ratio differentiæ à Themistio adductæ in sua digressione inter priuationem & negationem; inquit enim latius patere negationem, quàm priuationem, quia negatio nullam qualitatem in materia ponit quate- D nus est negatio, priuatio autem reddit materiam qualem quatenus necessariò annexam habet aliam formam, quæ materiam afficit; neque vllo pacto attribui potest priuatio ipsi materiæ nudæ & inaffectæ, sed formatæ, & quali, quemadmodum dictum est: negatio verò, quum nullam formam, nullam qualitatem in materia postulet, tribuitur primæ materiæ sumptæ in prima notione absq; vlla alicuius formæ, aut affectionis consideratione; quan- E do enim dicimus eam esse naturam materiæ, vt secundùm se non sit substantia, nec quantum, nec quale, nec aliud ens determinatum, hoc est, vt nullam sibi formã, seu statutam naturam præscribat, declaramus naturam materiæ per negationẽ, non per priuationem; quia potius repugnat naturæ priuationis, vt sit absentia vniuersalis omnium formarũ: qua in re multi decepti sunt, qui priuationem à negatione distinguere nesciuerũt, in quo errore vi- F detur fuisse Plotinus in 4. lib. 2. Enneadis, cap. 14. dum Platonem tueri nititur ab obiectione Aristotelis; quum enim Aristoteles Platonem reprehendat, quòd materiam cum priuatione confuderit, quasi idem sit, non solùm re, sed etiam ratione. Plotinus ostendere volens materiam & priuationem idem esse etiam ratione, inquit materiam definiri per infinitum, & hoc significare priuationẽ, proinde priuationem esse ipsammet essentiam materiæ: sed vel cæcus videre potest, hanc non esse priuationem illam, de qua Aristoteles in primo lib. Physicæ

Plotini error in non distinguenda negatione a priuatione.

auscultationis loquitur, & quam statuit tertium principium rerum naturalium; sed esse negationem vniuersalem omnium formarū, per quam ipse quoq; Aristoteles in 7. lib. Metaphys. materiam definiuit, vt etiam censuit Themistius in sua digressione prædicta, & Alexand. 2 lib. quæst. natural. cap. 7. quare manifestum est, Plotinum in ambiguo laborasse, & pro priuatione negationem sumpsisse, idque est clarissimum cuique eum librum legenti, quare tota ipsius aduersus Aristotelem B disputatio inefficax, & vana est. Quid igitur sit priuatio, quæ est tertium principium generationis, manifestum est. De forma verò prout est principium corporis naturalis, nil dicendum relinquitur præter illa, quæ dicta sunt; est enim terminus generationis ad quem, ex quo tanquam actu & perfectione, & ex materia res constat; vberius autem de ipsa loquitur diuinus Philosophus; ideò pauca de hac dicuntur ab Aristotele in primo libro Physicæ C auscultationis; in secundo autem plura quidem de forma ac de materia dicuntur, quatenus respiciunt motum, & appellantur nomine naturæ: sed hæc est alia consideratio, ideò in præsentia dimittatur.

De Priuatione ad Materiam relata.

Cap. IIX.

Priuatione declarata, considerandum est, quomodo ad materiam se habeat priua- D tio, nempe an sit de essentia ipsius materiæ, an materiæ accidat; agit hac de re Themistius in sua digressione, & ad vtramq; partem argumentatur: primùm probat priuationem non esse de essentia materiæ hunc in modum; si priuatio esset de materiæ essentia, materia in aduentu formæ interiret, quum priuatio tunc intereat, vtpote contraria formæ. Quòd autem sit de essentia materiæ, ita probat; essentia materiæ in potestate cōsistit, ipsa E igitur potestas est de essentia materiæ; at eum potestate est necessariò coniuncta priuatio, non enim diceretur habere potestatem, nisi careret actu, itaque etiam priuatio est de essentia materiæ. Ad soluendam hanc difficultatem distinguit Themistius duas materiæ notiones, quas antè declarauimus, & tandem inquit, priuationem non esse de essentia materiæ, nec in prima, nec in secunda notione acceptæ; in prima enim notione materia nec F formam, nec compositum respicit, sed est natura quædam absoluta, quare nullam habet potentiam, proinde nec priuationē; illa namque vniuersalis absentia omnium formarum non est priuatio, sed negatio, quæ non est quidem ipsa materiæ essentia, sed per eam tamen essentia materiæ declaratur; quæ propter exilem & absconditam eius naturam declarari aliter nequit: in secunda verò notione accepta materia habet quidem potentiam & priuationem, & priuatio est ei necessaria ad generationem, non est tamen de eius essentia; quòd enim sit ei necessaria, patet, quia nisi materia esset priuata, nihil ex ea generaretur, nisi enim priuationem formæ haberet, necessariò formam ipsam haberet; iam igitur res esset, quare nullum haberet locum generatio: attamen non est materiæ necessaria priuatio tanquam de ipsius essentia, sed tāquam natura quædam alia alij naturæ accidens, habet enim materia potestatem recipiendi æquè formam ac priuationem, quocirca vtraq; materiæ accidere dicitur, & extra eius essentiam esse, quum intereat vtraque in materia, & materia sine vtralibet esse possit: est igitur priuatio tanquam accidens materiæ, accidens tamē necessarium, nec absolutè necessarium, sed propter generationem, quacunque enim priuatione constituta potest materia esse sine illa, attamen necessarium est, vt materia illam priuationem habeat, si ex ea debeat res illa, cuius est priuatio, generari; necessarium enim est vt quidquid generatur, generetur ex materia priuata. Sed quæ de potestate materiæ à Themistio dicuntur, egent exquisitiore examine, & posteriùs considerabuntur; illa verò, quæ de priuatione dicit, vera & manifesta sunt; quum enim priuatio apud Aristotelem sit tertium generationis principium à materia distinctum, non potest ipsius materiæ essentiam constituere; quod Aristoteles ex eo ostendit, quòd materia seruatur in re genita, nec vnquā interit; priuatio autem in aduentu formæ recedit, quare aliud est terminus generationis à quo, aliud est subiectum cōmune vtriusque termini deferens mutationem; dicere autem priuationem esse necessariam materiæ propter generationem, nihil aliud est, quàm dicere, materiam esse quidem generationis principium, at non solam, sed alia quoque principia postulari, sine quibus ex sola materia nihil generaretur; præstant enim singula propriam operam, sed singulum requirit operam aliorum, quare omnia principia in generatione requiruntur: eadem autem ratione dicere possemus, materiam esse necessariā priuationi propter generationem, quoniam ex priuatione sine materia nihil fieret; sic necessaria est materia formæ, & forma materiæ, nullum tamen horum principiorum est de essentia aliorum; quæ igitur de priuatione à Themistio dicuntur, manifesta sunt. Ex his autem, quæ de priuatione diximus, corollarium quoddam colligimus, quod licèt videatur implicare cōtradictionem, verissimum tamen est: prima materia, ex qua res omnes naturales generarentur, debuit esse ἄμορφος, hoc est, omni qualitate, & omni forma carens, debuit etiam esse affecta, & formata, & qualis, nam diuersa respiciendo verum est vtrumque, dum enim materiam in prima notione secundùm suam essentiam consideramus, dicimus eam esse ἄμορφον non quòd ita sine vlla affe-

Priuatio non est de essentia materia.

Quomodo priuatio sit necessaria materia.

Materia debuit esse informata, & non affecta.

affectione existat, sed quia in eius essentia nulla forma, nulla qualitas inest; sic enim solam materiæ essentiam spectamus, & quamuis semper formata, & qualis existat, dicimus tamen, omnem formam, & omnem qualitatem esse extra materiæ essentiam, quæ nullam includit affectionem, & ne potentiam quidem ipsam, vt postea dicemus: at si materiam in secunda notione, & vt principium est sumamus, oportet eam esse formatam, & qualem, quia necesse est inesse ipsi priuationem, & potentiam, si debeat ex ea quippiam generari; priuatio autem habet necessariò coniunctam aliam formam, ita vt modo quodam forma vocari possit, sicut etiam Aristoteles appellauit: ex materia igitur nuda & penitus inaffecta, si daretur, nil generari posset, neque enim apta esset ad sustinendam actionem agentis, neq; haberet priuationem, quam ipsi ad generationem necessariam esse cum Themistio diximus.

Ex materia nuda nihil posse generari.

De Potentia Materiæ quid sit. Cap. IX.

Post priuationem consideranda est materiæ potentia, quæ nunquam à priuatione seiungi videtur; de hac duo declaranda proponuntur, vnum quid ipsa sit, alterum verò, quomodo ad materiam referatur, videlicet an sit de essentia materiæ, an insit ei vt accidens. Vt videamus quid sit potentia, distinguendæ sunt inprimis nominis significationes: potentia duplex est, vt ex Aristotele colligimus quinto Metaphysicorum, contextu 17. & nono Metaphysicorum secundo, vna actiua, altera passiua, ad quarum alteram reduci omnem potentiam necesse est; aut enim dicimus agens posse agere, aut patiens posse pati: tribuimus quidem etiam effectibus potentiam, non tamen ab his duobus distinctam; dicimus enim effectum esse potestate, quando nondum est actu, esse tamen potest, quia est impotentia actiua agentis, & in potentia passiua materiæ, quare tunc nil aliud significamus, quàm dari causas, à quibus produci potest. Sciendum præterea est, vtramq; potentiam sumi duobus modis, vt Aristoteles docet in libro de Interpretatione; propriè namque sumitur pro illa potentia, quæ præcedit actum tanquam illi opposita, & ipso aduueniente interit; impropriè autem quandoque sumitur, & (vt inquit ibi Aristoteles) æquiuocè pro illa potentia, quæ est simul cum actu, vt si dicamus, Cœlum posse moueri, & Deum posse mouere; impropriam enim esse hanc acceptionem, patet ex ipsis effectis; non enim dicimus effectum esse potestate, nisi quando non est actu, quare etiam materia & agens tunc propriè dicuntur habere potentiam, quando non habent actum siue patiendi, siue agendi. Nos in præsentia loquimur de sola potentia passiua, talis enim est materiæ potentia, & de propriè accepta, quæ præ-

Potentia duplex.

Vtraque potentia sumitur duobus modis.

A cedit actum; materiam enim consideramus antequam recipiat formam, & quærimus, quum potentiam habeat recipiendi, quidnam sit ista potentia: talem enim Aristoteles quoque in 9. Metaphysic. considerat, & in contextu 5. incipit reprobare sententiam Megaricorum, qui nullam existere potentiam dicebant, nisi quando est actus, vbi Auerroes inquit, hoc asserere esse destruere omnem potentiam: quoniam existente actu non est

B vera potentia. Hanc plurimi considerantes, & eius naturam scrutantes, dixerunt, eam esse & absolutum quiddam, & respectiuum, sed vt absolutum non distingui ab ipsamet materiæ essentia, nec esse aliquid ipsi materiæ superadditum, nisi vt respectiuum, & ita potentiam, prout à substantia materiæ distinguitur, esse in categoria relationis, & inter potentiam & actum esse relationem realem, non tantùm rationis: hæc enim esse videtur propria huius

Multorum opinio de potentia quid sit.

C vocis significatio, quæ nil aliud notat, quàm quoddam respiciens actum. In hac sententia videtur fuisse Auerroes, qui 9. Metaphys. tc. inquit, potentiam & actum opponi relatiuè, quod etiam ita ostendit, quoniam vnum definitur per alterum, quæ est relatorum propria conditio; hoc idem apud eum legimus in Epitome Metaphysica, tractatu 3. capite 4. Thomas autem ad probandum potentiam materiæ, dum sumitur pro absoluto, à sub-

Argum. Thomæ.

D stantia materiæ non distingui, hoc argumento vtitur; potentia & actus sunt in eadem categoria, atqui actus, quem potentia materiæ respicit, est substantia, ergo etiam potentia debet esse substantia; non est igitur nisi materia ipsa. Hanc sententiam, etsi omnium ferè communem, ego probare non possum, credo enim potestatem omnem tam agendi, quàm patiendi esse in categoria qualitatis in secunda specie; quum enim in ea posuerit A-

Opinionis reprobatio.

Omnis potentia est in secunda specie qualitatis.

E ristoteles potentiam naturalem, nec vlla detur alia potentia præter actiuam, & passiuam, oportet aut vtramque, aut alteram constituere secundam speciem qualitatis; legentibus autem ibi Aristotelem patet, ipsum in illa specie locare tam agendi, quàm patiendi potentiam: omnem igitur potentiam censuit esse in secunda specie qualitatis. Huic sententiæ videntur quidem nõnulli recentiores subscripsisse, sed neque eam firma ratione com-

F probarunt, neque omnino in ea persistere visi sunt, quum modò dixerint, potentiam materiæ esse qualitatem secundæ speciei, modò esse relatiuum, & nihil notare absolutum superadditum substãtiæ materiæ, quæ fuit aliorum communis opinio, vt prædiximus. Nobis igitur nitendum est (si fieri possit) huiusce rei intima penetrare, & valida ratione veritatem demonstrare. Primùm quidem dicere aliquis fortasse posset, Aristotelem in cap. de qualitate non absolutè omnem agendi ac patiendi potentiam in secunda specie collocasse, sed

Propria opinio.

Omnis potentia est in secunda specie qualitatis.

solùm potentiam facilè agendi, & potentiam non facilè patiendi, non enim idem est currere, ac bene currere. Sed hoc dici non potest, quia differentia secundùm magis & minùs non variat speciem, multò autem minùs potest variare genus, quare si potētia bene agendi est qualitas, etiam potentia agendi absolutè debet esse qualitas: asserit etiam hoc Aristoteles 9. Metaphys. contextu 2. dum diuidit potentiam agendi in potentiam agendi absolutè, & potentiam bene agendi, sic etiam potentiam patiendi: atqui vel partitur genus in species, vel declarat eiusdem speciei differentiam secundùm magis & minùs, & vtrumuis dicatur, in eodem genere ponitur potentia agendi, & potentia bene agendi. Adde quòd potentia refertur ad actum, ergo vt se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam, atqui in eadem categoria est actus currendi, & actus bene currendi, ergo etiam potentia currendi, & potentia bene currendi debent esse in eadem categoria. Præterea inquit ibidem Aristoteles in definitione potentiæ bene agendi contineri definitionem potentiæ agendi, & in definitione potentiæ patiendi, cōtineri definitionem potentiæ patiendi, sunt igitur eiusdem generis potentia agendi, & potentia bene agendi: quando enim duo ita se habent, vt vnum sit de quidditate alterius, necesse est ea in eodem genere esse; est autem potentia agendi de quidditate potentiæ bene agendi, ergo si vna est qualitas, etiam altera debet esse qualitas. Si quis autem quærat, cur Aristoteles in secunda specie qualitatis non expresserit, nisi potentiam bene agendi, ratio in promptu est, quoniam in eo libro non exquisitè de decem summis generibus loqui voluit, sed pingui Minerua pro adolescentibus, ideò sæpè dimissis difficilioribus faciliora in medium adduxit; quum igitur hic excessus, quo aliquam potentiam dicimus esse bene agendi, faciat eam euidentiorem, ita vt inde sumatur nominatio; cursorem enim dicimus non omnem, qui currere aptus sit, sed eum tantùm, qui bene currere possit, ideò Aristoteles solius potentię bene agendi mentionem fecit, sed non ob id negauit eam potentiam tum agendi absolutè, tum patiendi esse in secunda specie qualitatis, hanc enim eius sententiam fuisse iam demonstrauimus. Sed ad

Quòd potentia, & actus non sint relatiua.

probandum non posse potentiam & actum esse verè relatiua, vt est cōmunis opinio, non potest efficacius argumentum sumi, quam ex proprijs conditionibus relatiuorum; relatiua enim sunt simul natura, & vtrouis posito alterum necessariò ponitur, & vtrouis ablato alterum necessariò aufertur; at positâ potentiâ, non ponitur actus, neque actu posito, ponitur potentia, imò è contrario dum potentiam ponimus, auferimus actum, & dum ponimus actum, auferimus potentiam, nam adueniente actu potentia interimitur; ergo non sunt

A relatiua; reuera enim si potentia respicit actū, respicit ipsum vt non existentem, quæ est conditio contraria conditioni relatiuorum, quæ est vt vno existente alterum quoque existat: dicere igitur cogimur, potentiam esse primò quiddam absolutum, cui respectus aliquis superueniat. Sumitur præterea ab actu argumentum efficacissimum: nam si potētia ideò est verè relatiuum, quia refertur ad actum, oportet non minùs actum, quàm potentiam esse

B se in categoria relationis; hoc tamen est manifestè falsum, actus enim est maximè in categoria substantiæ, & nullam notat relationem ad potentiam, licèt potentia referatur ad actum, at eorum, quæ verè sunt relatiua, debet reciproca esse relatio. Illud autem quod multos decepit, fuit (vt ego puto) quædam similitudo, quum enim potentia & actus sint opposita, putarunt esse relatiuam oppositionē, quum tamen sit alia oppositio: est enim (vt

Potentia & actus opponuntur priuatiuè.

C ego arbitror) oppositio priuatiua, nam potentia semper habet annexam priuationē actus, qua ratione opponitur actui: imò videntur idem reipsa esse potentia & priuatio, distingui autem ratione, ab vtralibet enim hæc duo denotantur, absentia actus, & aptitudo ad illum: sed differunt, quòd potentia primò notat aptitudinem, secundò connotat absentiam, priuatio autem primò notat absentiam, secundò aptitudinem: potentia igitur ratio-

Potentia & priuatio sunt idem re, & differunt ratione.

D ne absentiæ connotatæ opponitur actui, vt priuatio habitui, at ratione aptitudinis primò significatæ, est qualitas secundæ speciei, nec videtur hac ratione esse opposita actui, sed potius similis & amica, quum notet propensionem ad illum. Non videtur ab hac sententia alienus Auerroes, nam in Commentario 5. lib. 9. Metaphysic. inquit, potentiam & actum opponi inter se, deinde hanc oppositionem declarans, subiungit, ea non posse esse

Auerrois sententia.

E simul, quia se mutuò interimunt, quare non putat esse opposita relatiuè, nam relatiua non se mutuò destruunt, sed potiùs se mutuò statuunt, atque conseruant. Est etiam considerandum id, quod Auerroes dicit 12. Metaphysicorum, Comment. 37. actum cognosci per se, potentiam verò per actum, quod etiam ex Aristotele & Auerroë colligimus nono Metaphysicorum vigesimo; sed quis non videat, hoc non competere relatiuis, sed esse pro-

F priam conditionem eorum, quæ priuatiuè opponuntur? nam priuatio cognoscitur, ac definitur per habitum, sed non habitus per priuationem; vt ait idem Auerroes in sua præfatione in librum Posteriorum, quæ conditio non aptatur alicui alij oppositioni, nisi priuatiuæ: nam contradictorium non pendet a suo contradictorio, neque definitur per illud, similiter neque contrarium per suum contrarium; relatiuum autem pendet quidem à suo correlatiuo, & per ipsum definitur, sed ea pendentia est mutua atque reciproca: in sola oppositione

positione priuatiua est pendentia non reciproca, pendet enim priuatio ab habitu, non habitus à priuatione, itaq; si potentia & actus opponuntur, & potentia pendet ab actu, non actus à potentia, non potest eorum oppositio esse alia, quàm priuatiua. Sed protert etiam clarè hanc sententiam Auerroes 5. Metaphys. 19 dicens potentiam habere coniunctam priuationem, ratione cuius opponitur actui; & 9. Metaphys. Commentario 3. vbi dicit: [*potentia significat aliquem modum priuationis*] & in initio sui Commentarij in librum de Somno & vigilia inquit: [*id, quod est in potentia, est priuatio eius, quod est in actu*] & in Epitome Metaphysica tractatu primo, vbi agit de potentia & actu, dicit potentiam esse de speciebus priuationis: in his igitur omnibus locis clara esse videtur Auerrois sententia, quòd potentia opponatur actui non alio modo, quàm vt priuatio habitui. Cæterùm quid ad Auerroem dicemus, alijs in locis asserentem ea esse opposita relatiuè? non est credendum, Auerroem sibi contradicere, sed potius dicendum est relatiua esse duplicia, alia secundùm esse, quæ sunt verè relatiua, & propriè constituunt categoriam relatiuorum; alia verò non secundùm esse, sed secundùm dici, quæ non sunt reuera in categoria relationis, sed in alijs; quæ distinctio est ipsiusmet Aristotelis in cap. de relatiuis: vera quidem relatiua nil habent absoluti, sed tota ipsorum essentia posita est in relatione ad aliud; at relatiua secundùm dici sunt illa, quæ reuera non sunt in genere relatiuorũ, sed in aliquo alio, mens tamen ea refert, & dicit esse alterius, eaque vocatur relatio rationis, vt quum dicimus caput esse alicuius caput; & in hac relatione euenit, vt vnum dicatur ad aliud, nec tamen è conuerso illud ad hoc, qua de re loquitur Auerroes in Epitome Metaphysica, tract. 1. dum agit de relatione. Dico igitur Auerroem ponentem potentiam & actum inter relatiua, non intelligere aliam relationem, quàm secundùm dici, & sumere latè atque impropriè nomen relationis, vt etiam sumit in Epitome Metaphysica, tract. 3. cap. 4. vbi dicit hanc relationem esse in omnibus prædicamentis, & fieri ab anima, ita vt si anima non esset, hæc quoque relatio non esset: Aristoteles quoque in contex. 6. lib. 1. de Anima dicit, potentiam & actum amplecti omnes categorias, & in omnibus locum habere; & ibi Auerroes inquit esse differentias entis, quoniam quælibet categoria diuiditur per potentiam & actum; at si essent verè relatiua, non possent esse in omnibus generibus, neq; etiam esset conueniens sumere vera relatiua vt differentias diuidentes aliquod genus, sumitur enim relatiuum in definitione sui correlatiui, at differentia non potest sumi in definitione alterius oppositæ differentiæ. Patet igitur Auerroem existimasse, potentiam & actum esse relatiua secundùm dici, & habe-

Responsio ad aduersantia Auerrois verba.

Relatiua sunt duplicia.

A re relationem non realem, sed rationis, quum fiat ab anima, ideoque hanc relationem non esse reciprocam, refertur enim potentia ad actum, sed non actus ad potentiam. Sunt etiam notanda Auerrois verba loco prædicto, quæ sunt hæc [*actus & potentia quamuis sint opposita, sunt tamen ex relatiuis*] nam dictiones illæ aduersantes, quamuis, & tamen, indicant alio modo esse opposita, quàm relatiuè, quamobrem alijs quoque in locis, quando Auerroes B ait ea esse opposita, non intelligit relatiuè, sed aliquo alio modo. Sententia igitur mea est, potentiam materiæ sumi & pro absoluto & pro respectiuo, non ita tamen, vt sumpta pro absoluto sit idem, quod ipsamet materia, sed sit qualitas distincta ab essentia materiæ, cui superuenit relatio rationis, qua mens nostra eam refert ad actum, sed non actum ad potentiam, vt iam ostensum est. Argumentum autem Thomæ, quo probat potẽtiam sumptam C pro absoluto esse ipsammet materiam, debile est, abutitur enim illa propositione Aristotelis, potentia & actus in eodem genere sunt, quæ vera quidẽ est, dum potentiam & actum attribuimus effectui; nam homo, qui nunc est actu, & antea erat potestate, non solùm genere idem est, sed etiam numero: sic quælibet alia res est eadem numero, dum potestate est, quæ postea fit actu; sed hoc minimè verum est, si potentia secundùm se & formaliter ac- D cipiatur, quantitas enim per accretionem acquisita actus quidam est, ad quem res aucta potestatem priùs habebat, illa tamen potestas non erat quantitas, neq; est ipsum subiectum potens, illud enim est substantia; quum igitur actus quantitatis sit quantitas, potẽtia tamen ad eum non sit quantitas, etiam potentia materiæ potest esse qualitas, licèt actus, quem respicit, sit in categoria substantiæ, vel in aliqua alia; dicere quidem possumus, potentiam ra- E tione priuationis connotatæ esse per quandam reductionem in eo genere, in quo est habitus oppositus, at certè ipsa aptitudo nil aliud est, quàm qualitas secundę speciei, quemadmodum dictum est: quæ verò pro Thoma hac de re dicuntur à Iauello in sua prima quęstion. 9. Metaphys. ita leuia sunt, vt commemorari non mereantur.

Solutio arg. Thomæ.

De duplici Materiæ potentia.

Cap. X.

F Natura potẽtiæ ita declarata, antequam consideremus, an sit de essentia materiæ, nécne, distinctionem nosse oportet, tum duplicis essentialis, tum duplicis potentiæ, quæ primæ materiæ attribui solet. Essentiale sumitur duobus modis, vt Auerroes docet in Commẽtario 31. primi Posteriorum, alia namque sunt attributa essentialia vt essentiam subiecti constituentia, alia verò vt subiecti essentiam consequentia; idem alijs verbis dicamus, alia de subiecto prædicantur

Essentiale est duplex.

per se primo modo, vt rationale de homine, alia per se secundo modo, vt risibile de homine, ideò accidentia propria vocantur essentialia, non vt essentiam subiecti constituentia, sed vt eam consequentia. Potentia verò materiæ duplex est, vna vniuersalis, altera particularis, & est satis trita & vulgaris distinctio: potentia vniuersalis est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè, ideò dicitur libera & indifferens ad opposita, hæc enim est conditio potentiæ passiuæ, vt sit æquè apta ad vtrumque oppositum recipiendum; hanc indifferentiam multi significare solent dicendo, potentiam æquè receptiuam formæ, atque oppositæ priuationis, sic loquitur Alexander in lib. 2. Natural. quæst. cap. 7. & Auerroes 1 Physic. comment. 79. multi etiam eam significant dicendo potentiam recipiendi omnes formas æqualiter: sed vtrique idem dicunt per diuersa, & eandem significant materiæ potentiam, quæ vocatur vniuersalis; iam enim diximus, priuationem esse formam quatenus est coniuncta cum quadam forma, quæ per similitudinem vocatur contraria; quamobrem dicere, materiam habere potētiam æquè formam hominis, atque eius priuationem recipiendi, est dicere, potentiam recipiendi formam hominis, & formam seminis, seu formam hominis, & formam cadaueris; nam duplex est priuatio, vt ait Simplicius in contex. 58. lib. 1. Physic. vna, quæ formam præcedit, & est terminus generationis à quo; altera, quæ formā insequitur, & est terminus ad quem ipsius interitus; & vtraque coniunctam habet aliquam formam; quo fit vt formæ humanæ contraria dicatur & forma seminis, & forma cadaueris, qualiscunque hæc esse statuatur: quoniam igitur quælibet forma locum habet priuationis respectu formæ aduenturæ, dicere potentiam ad formam & ad priuationem, est dicere potentiam ad omnes formas; ita Auerroes loquitur in lib. suo de Substantia orbis, cap. 1. dum inquit, materiam per hanc potentiam vniuersalem recipere omnes formas; priuationes enim non nominat, quia hæ cum formis contrarijs coniunctæ sunt; & hæc est maximè propria loquutio, per quam multa dubia tolluntur, præsertim hoc, quod non leue est; quum enim hæc potentia vniuersalis sit illæ appetitus materiæ, de quo loquitur Aristoteles in part. 81. lib. 1. Physic. est enim naturalis propensio materię ad formas indistinctè, ideò quemadmodum potentia materię æquè est ad formam atque ad priuationem, ita videretur etiam appetitum materiæ æquè ad formam & ad priuationem dirigi, quod tamē dicendum non est, quia priuatio nec bonum nec appetibile est, quum sit turpitudo, vt ibi Aristoteles ait. Sed dubium hoc per ea, quæ diximus, facilè tollitur: nam potentia materiæ est indifferens ad formam & priuationem, id est, ad formam, & ad formam contrariam; & appetitus materiæ similiter, priuationem enim materia appetit, non vt priuationem, sed vt alteram formam; quamuis enim ipsa per se priuatio non sit appetibilis, est tamē appetibilis forma, cui iuncta est: dum igitur dicimus, per potentiam vniuersalem, materiam esse aptam recipere omnes formas, omnem hac in re difficultatem euitamus, in quam videmur incidere, dum dicimus formam & priuationem. Potentiam hanc vniuersalem manifestum est æternam esse apud Aristotelem, qui materiam æternam esse voluit; quum enim non omnes simul formas materia recipiat, sed vnam tantūmodò post aliam, remanet semper in materia potestas, & propensio ad alias formas, quas non habet, quare materia nunquam est sine hac potentia vniuersali. Potentia verò particularis ea dicitur qua materia ita hanc formam respicit, vt non, alias, seu magis hanc, quàm alias; hæc autem potentiæ coarctatio & determinatio non fit à natura materiæ, siquidē hæc æquè omnes formas appetit, & apta est recipere; sed fit ab agēte ita materiam præparante ad hanc formam recipiendam, vt non sit apta recipere alias: fit etiā à forma præsente, seu à qualitatibus eam insequentibus, iam enim diximus cum forma humani seminis quasdam esse coniunctas qualitates, quæ materiam reddunt magis aptam recipere formam hominis, quàm formam lapidis; hæc igitur potentia particularis dicitur, quia respicit aliquam statutam formam, non alias. Hanc potentiam non posse æternam esse manifestum est, quia interit necessariò in aduentu formæ, quatenus est particularis potentia illam tantùm formam respiciens. Quoniam igitur in materia potest vtraque hæc potentia considerari, vtraque cum materia est conferenda tum in prima, tum in secunda notione accepta, vt videamus quomodo vtraq; ad materiam referatur.

Potentia materiæ duplex. — *Priuatio duplex.* — *Dubium.* — *Appetitus materiæ qd.* — *Solutio.* — *Potentia vniuersalis æterna.* — *Potentia particularis.* — *Potentia particularis non est æterna.*

Quomodo potentia vniuersalis ad Materiam se habeat in prima notione acceptam. Cap. XI.

Totam huiusce rei veritatem ego quidem in tribus dictis consistere arbitror, quæ singillatim referam, & comprobabo. Primum hoc est: si prima materia in prima notione, & secundùm propriam substantiam consideretur, potentia vniuersalis patiendi non est ei essentialia, vt essentiam eius constituens, sed est ei essentialis, vt essentiam consequens; priorem huius dicti partem probare facile est, nullum enim accidens potest esse de essentia alicuius substantiæ, atqui potentia est accidens, materia verò substantia, ergo potentia non potest essentiam materiæ constituere: sed illud annotare debemus, essentiam materiæ quandoque nomine potentię significari, sed tunc non sumi potentiam

Primum dictum.

tiam pro aptitudine, quæ est qualitas, sed pro materia ipsa, quam imperfectam esse significare volentes, potentiam appellamus; sicut etiam in alijs rebus essentiam occultiorem solemus nomine proprietatis euidentioris significare, at potentia propriè sumpta pro aptitudine ad formam, quum sit qualitas, nō est de essentia materiæ. Addo etiam alterum argumentum: materia vocatur apta, & potens, hoc autem est, habens aptitudinem, & potentiam; ergo non est ipsamet potentia & aptitudo; nihil enim dicitur habere seipsum, nec potest de eodem prædicari concretum & abstractum. Quod autem hæc potentia sit essentialis materiæ, vt essentiam consequens, sicuti risibile dicitur essentiale homini, probatur constituto hoc fundamento sumpto ex Aristotele libro 9. Metaphysicorum, contextu 2. pati est propter materiam, & omne patiens ideo patitur, quia materiam habet, hinc fit vt formæ materiales (vt ait ibi Auerroes) patiantur per accidēs, nempe propter materiam, in qua sunt, formæ vero à materia abiunctæ sint omnino impatibiles, idem legimus apud Aristotelem libro primo de Ortu & Interitu, partic. [illegible] itaq; sic argumentemur; præter materiam quicquid patitur, propter materiam patitur, ergo soli materiæ per se cōpetit pati, necesse est enim omne tale per aliud reduci ad aliquod per se tale, & illud est per se tale, per quod alia sunt talia; quoniam igitur potentia passiua competit alijs propter materiā, competit materiæ per se; vel igitur per se primo modo, vel per se secundo; at non primo, vt modò ostensum est, ergo secundo, quocirca hæc potentia est proprietas materiæ manans ab interna eius natura, quemadmodum ex natura hominis risibilitas. Hanc sententiam significauit Auerroes multis in locis: nam in [illegible] Commentario secundo libri noni Metaphysicorum inquit, in definitione omnis potentiæ passiuæ sumi potentiam primæ materiæ, indicans primam materiam esse reuera primam radicem omnis patibilitatis. In Commentario etiam septuagesimonono libri primi Physicorum inquit, nec formam, nec priuationem esse de natura materiæ, sed vtramq; illi accidere, ipsam autem materiam esse quasi compositam ex esse, & non esse; per hæc significans potentiā materiæ liberam, & æquè respicientē opposita habere essentialem connexum cum natura materiæ, non quòd insit ei per se primo modo, non enim dicit absolutè materiam esse compositam ex hac potentia ad esse, & non esse, sed esse quasi compositam, quia non includitur hæc potentia in natura materiæ, sed eam consequitur vt proprietas, proinde est ei per se secūdo modo. Clariùs hoc idē significauit Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis, quando dixit materiam substantiari per posse, & potentiam esse eius differentiam substantialem; quem locum multi perperam intellexerunt. Marcus Antonius Genua Præceptor meus dicebat Auerroem sumere potentiam impropriè pro ipsamet materia, & nil aliud significare dicendo materiā substantiari per posse, quàm imperfectionem naturæ materiæ; sic etiam Thomas inquit, potentiam sumi pro absoluto, & significare ipsam materiam; sic etiam Gandauensis potentiam pro subiecto potente, & abstractum pro concreto: hoc autē modo sumptam potentiam certum est nō solùm esse de essentia materiæ, sed esse ipsammet materiam. Attamen hæc non potest esse Auerrois mens in eo loco, qui statim subiungit, hanc potētiam esse diuersam à natura subiecti, quod substantiatur per ipsam, quare non sumit potentiam pro ipsamet materia. Alij verò dixerūt, Auerroem sumere materiam in secunda notione, quatenus enim est principium rerum, eatenus potentia est de essentia materiæ. Sed neq; hæc interpretatio conueniens est, quum eum locum legentibus pateat, Auerroem loqui de materia in prima notione, dicit enim materiam esse vnum ex entibus per se existentibus, & de eius essentia loquitur absolutè considerata. His ergo expositionibus reiectis, melius est, vt dicamus, Auerroem intelligere, potentiam esse essentialem materię in secundo modo dicendi per se, & eius proprietatem, per quam natura materiæ declaratur: quia, vt idē Auerroes docet in secūdo Posteriorum, commentario vigesimo, & in quarto de Cœlo, cōmentario quadragesimo, sumuntur quandoque propria loco differentiarum ad rei essentiam declarandam, quando differentiæ sunt ignotæ: sic igitur dicit Auerroes potentiam significare naturam materiæ loco differentię constituentis; & ne credamus esse reuera de essentia materię, subiungit potentiam esse diuersam à natura materiæ, quasi admonēs eam esse proprietatem, non differentiam substantialem. Ad hunc sensum trahenda sunt verba Simplicij in contextu 82. libri primi Physicorum, dicentis essentiam materiæ constitutam esse in ipsa potentia; sic etiam verba Alexandri in secundo libro Quæstionū naturalium, capite septimo, quando dicit omnem formā, & omnem priuationem accidere materiæ, quia natura materiæ est constituta in potentia receptiua omnium formarum, & omnium priuationum; intelligit enim potentiam esse proprietatem, per quam sumptam loco differentiæ ipsa materiæ essentia declaratur. Hoc etiam significauit Aristoteles in particula octuagesimaseptima libri primi Physicorum, quando dixit materiam appetere formam

Marginalia: Pati est propter materiā. — Auerroes. — Quomodo materia substātietur per posse. — Expositio Genuæ. — Confutatio. — Expositio aliorum. — Confutatio. — Expositio vera.

F

secundùm suam ipsius naturam, is namq; appetitus est ipsa materiæ potentia recipiendi omnes formas indistinctè, quæ inest materiæ

Appetitus materiæ.

secundùm eius naturam, quia ipsam insequitur vt proprietas, quemadmodum homo dicitur esse risibilis secundùm propriam naturam, quia propriam naturam hominis insequitur risibilitas.

Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt, & eorum solutiones. Cap. XII.

Aduersus ea, quæ modò dicta sunt, dubia quædam oriuntur, quæ soluere oportet.

Primum dubium.

Primum quidem; si potētia vniuersalis esset essentialis materiæ in secundo modo dicendi per se, & in ea inhæreret necessariò, & ab ea inseparabilis esset, hoc tamen falsum videtur, nam Themistius in sua digressione inquit, materiam in prima notione non habere potentiam, igitur potentia essentiam

Secundum.

materiæ non insequitur. Alterum dubium est: potentia opponitur actui, ergo perit adueniente actu, non est igitur æterna, neq; necessariò in materia inhæret, proinde nullo

Tertium.

modo est illi essentialis. Tertium dubium: diximus suprà cum Themistio, materiam in prima sua notione ἄποιον, id est, expertem omnis qualitatis, ergo non habet potentiam, quia si eam haberet, esset qualis, quum potē-

Quartum.

tia sit qualitas. Quartum dubium est: non videtur verum id, quod diximus, potentiam esse materiæ proprietatē, per quam declaretur natura materiæ, loco differentiæ ignotæ, nam Aristoteles 7. Metaphys. contex. 8. definit materiam absq; vlla potentiæ mentione, igitur etiā sine potentia natura materiæ declaratur.

Ad primum responsio aliorum.

Ad primum horum dubiorum dicūt aliqui, Themistium loqui de potentia particulari, hanc enim materia non habet in prima notione accepta, & hac eadem responsione secundum

Confutatio.

quoq; dubium solui arbitrantur. Attamē difficultatem non tollunt, quia legentibus Themistij verba manifestum est, eum negare in materia etiam potentiam vniuersalem, distinguit enim primam materiæ notionē à secunda tanquam absolutam à respectiua, vtraque autem potentia notat respectum ad actum, ergo si materia in prima notione nullum habet respectum, nullam etiā debet habere potentiam, nec vniuersalem, nec particularem,

Responsio vera.

itaq; dubium viget. Ego aliter dico, subiectū posse abstrahi mente ab accidente proprio, & essentiali, licèt non reipsa, nam accidens propriū est re inseparabile à suo subiecto; quamuis enim non possit re separari ab homine risibilitas, concipi tamen potest natura humana non concepta risibilitate; sic igitur potentia est inseparabilis à materia, quum eius essentiam insequatur, tamē quum sit quiddam

A diuersum à materiæ essentia, vt ait Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis, & materia sit prior natura suis proprietatibus, potest considerari materiæ essentia mente abiuncta à potentia; hoc igitur vult denotare Themistius, quando dicit materiam in prima sua notione non habere potentiam, nimirum ipsam secundùm se consideratam materiæ essentiam, non includere potentiam, quemadmodum & hominis essentia non includit risi-

B bilitatem; hanc esse Themistij mentem patet ipsius verba considerantibus, inquit enim [*hæc res, quam vocamus materiam, est quoddam subiectum, cui accidit in eius natura vt sit receptaculum oppositorum*] quum enim dicat [*accidit*] denotat potentiam esse accidens materiæ; quum autem dicat [*in eius natura*] significat esse accidens essentiale, quod habet cōnexionem cū natura materiæ: inquit præterea Themistius ibidem, non esse facile ita materiam,

C & eius essentiam absolutam abstrahere mente à potentia, & ab omni respectu, esse tamen possibile, si quis efficaciter nitatur, & aciem mentis exacuat; sic autē significat potentiam esse reuera inseparabilem à materia: nam si esset separabilis, nullo negotio posset essentia materiæ sine potentia considerari, ipse tamen inquit esse admodum difficile, quia loquitur de mentali abstractione.

Ad secundū.

Ad secundum dubium, vt in præsentia concedamus potentiam

D hanc vniuersalem opponi actui, hoc enim postea diligentius expendetur, dicimus tamen

Potentia vniuersalis non opponitur formæ.

eam non opponi huic formæ, vel illi, sed vniuerso generi formarum materialium; ob id quum materia non possit simul recipere omnes formas, sed vnam post aliam, sequitur non posse vnquam impleri totam hanc materiæ potētiam, proinde nec interire vnquam, quoniam in materia habente hanc formam seruatur potentia recipiendi alias omnes: neq; est

E quòd aliquis dicat, in omnibus simul sumptis materiæ portionibus inesse actu omnes formas; siquidem nunc de essentia materiæ loquimur, quamobrem ea, quæ de ipsa dicimus, cuilibet etiam portioni competere debent, & nullum in hoc discrimen est totius materiæ, & partium; totam enim materiam habere omnes formas, esset ita habere, vt tota à qualibet forma informaretur, proinde & portio quælibet ab omnibus simul formis, non vt

F pars vnam formam haberet, & alia aliam, per hoc enim non interit potentia, sed æterna seruatur in omnibus materiæ portionibus, quoniam in qualibet portione est vna tātùm forma, & potētia ad alias omnes; quare est à materia inseparabilis hæc potentia vniuersalis. Præterea vt etiam admittamus illud esse habere omnes formas, tamen non esset habere omnes indiuiduas, sed omnes secundùm spe-

cicm

ciem tantùm, maneret igitur in materia potestas recipiendi saltem alias indiuiduas posteriùs aduenturas; non igitur interit potentia vniuersalis. Ad tertium dicimus, duplicē esse qualitatem; vnam, quæ restringit, & coarctat materiam ad statutam, ac certam alicuius rei naturam; alteram verò, quæ nullam coarctationem materiæ facit: quando igitur Themistius & Alexander dicūt, materiam secundùm propriam naturam esse ἄποιον, quod etiam ex Aristotele colligimus in contex. 54. primi Physicorum, intelligunt expertem earum tātummodò qualitatum, quæ materiam coarctent, atq; determinēt: cuius ratio est, quoniam omnes formæ, & omnes qualitates certam entis naturam determinantes continentur sub obiecto adæquato primæ materiæ, quo fit vt nulla harum possit esse essentialis materiæ, neque vt constituens, neque vt consequens, nulla enim determinatio potest insequi naturam materiæ: quòd si aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis, comprehensa sub obiecto adæquato primæ materiæ esset ipsi essentialis, non posset amplius materia ad quam aliam recipere, quoniam intus apparens prohibet alienum, vt dicitur in 4. contextu 3. lib. de Anima, quam rem optimè declarat Plotinus in 4. libro 2. Enneadis, cap. 8. sed qualitas, quæ materiam non coarctet, neque ad aliquam certam naturam restringat, non cōtinetur sub obiecto adæquato primæ materiæ, ideò potest absque vlla repugnantia attribui materiæ vt essentialis, nec reddit eam qualem illa qualitate, quam omnes Philosophi respexere, qui materiam ἄποιον esse asseruerunt: huiusmodi qualitas est potentia hæc vniuersalis, quæ tantum abest vt materiam coarctet ad aliquam certam naturam, vt potiùs eam reddat liberam, & aptam ad omnes indistinctè recipiendas. Ad quartū sumptum ex cōtextu 8. septimi Metaphysicorum, respondere possumus, eam non afferri ab Aristotele vt definitionem materiæ, neque enim eius consilium ibi est materiam definire, sed solùm dubitandi gratia ostendere materiam esse rei essentiam, quod postea reprobaturus erat, & ostensurus essentiam esse formam: at quoniam illa, quæ ibi dicuntur de materia, dicuntur ad modum definitionis, & ab Aristotele vt vera proferuntur, & ita ab omnibus vt vera recipiuntur, etsi consequens, quod inde infertur, materiam esse rei essentiam, falsum est, ideò nos quoque eam vt definitionem quandam materię recipientes, aliter soluere dubium hoc demus. Videtur nonnullis cum Auerroe dici posse Aristotelem in ea definitione non omisisse potentiam, quod enim Aristoteles dicit [*est enim quiddam, de quo singula horum prædicantur*] Auerros ita videtur interpretari, vt dicat, his verbis significari potentiam recipiendi omnes formas, quandoquidem non alia ratione est subiectum, quam per potentiam patiendi: attamē ea neq; Auerrois mens est, neq; Aristotelis; Auerroes enim non illa prædicta verba Aristotel. interpretatur, sed declarat alia præcedentia: quum enim Aristoteles dicat, materiā non esse quid, nec quantum, nec quale, nec aliud vllum ex decem generibus. Auerroes ad horum verborum declarationem, quasi rationem adducēs inquit [*quoniam est impotentia omnia ista, vt dictum est in Physicis*] quæ verba profert Auerroes ex seipso, non vt contenta in definitione Aristotelis, ipse verò Aristoteles absq; dubio in ea definitione potentiam non accipit, sed essentiam materiæ abstrahit à potentia, & à respectu, quum dicat materiam esse omnium subiectum, cuius essentia diuersa est ab essentijs omnium rerum: nam dicere materiam habere potentiam ad omnia, est potiùs eam dicere omnia, quàm esse quid distinctum ab omnibus; ergo dicere eam esse quoddam ab omnibus diuersum, est non considerare potentiam: dubium igitur viget, & à nobis aliter soluendum est. Ego puto solutionem petendam esse ex Themistio in sæpe memorata ipsius digressione: quum enim dicat, materiā in sua prima notione non habere potentiam, & dicat difficile admodum esse ita materiam concipere animo sine vllo respectu ad alia, non esse tamen impossibile, si quis aciē mentis efficaciter intendat, significat vtilem quidem esse potentiam ad materiæ essentiam significandam, non esse tamen necessariam: illi enim qui magno ingenij acumine præditi sunt, ducentur quidem in cognitionem essentiæ materiæ per potentiam, sed eam postea concipient etiam non considerata potentia, & in sua prima notione absque vllo respectu ad alia: illi verò, qui non ita valent ingenio, non poterunt quidem materię essentiam complecti sine potentia, qua respicit formas, & vtentur potentia loco differentiæ, poterunt tamen non ignorare potentiam esse accidens, cui subest ipsa materiæ natura ab illo accidente distincta, licèt naturā illam vt absolutam, & sine illa potentia concipere nequeant, adeò vt, si per potentiam definiant materiam, intelligant se sumere potentiam loco differentiæ, quam penetrare cognitione non possunt: vnde colligimus, necesse esse ad primæ materiæ cognitionem, hoc ordine progredi, vt primo loco eam cognoscamus vt materiam, hoc est, in secunda notione, & prout refertur ad alia; postea verò, si possimus, ad primam quoque eius notionem perueniamus, & eius substantiam absque vllo respectu contemplemur; quocirca in primæ materiæ in-

Margin notes: Ad tertium. — Ad quartum prima responsio. — Confutatio responsionis. — Responsio aliquorum. — Confutatio. — Responsio vera.

lapide homo generari: ob id quum priuatio A secundùm se sit nihil, significari solet nomine formæ coniunctæ quælibet propria cuiusque formæ priuatio, quæ alioqui nullum ex se nomen haberet; legimus hoc in contextu 62. libri 1. Physic. vbi Aristoteles significare volens propriam materiam, ex qua res quælibet generatur (propria autem est, quæ habet propriam illius rei generandæ priuationem) dixit generari plantas, & animalia ex semine, non enim sumpsit ibi semen vt cōstans ex ma B teria & forma, sed vt constans ex materia & priuatione respectu plantę vel animalis generandi; quamuis enim semen per suam formam sit semen, ita vt dicentes semen dicamus formam, tamen ibi Aristoteles non sumit formam seminis vt formam, sed vt significantem propriam sibi annexam priuationem formæ animalis, vel plantæ, quidquid enim fit, ex materia priuata fit. Ex his colligimus, dici posse absque vlla absurditate, priuationem illam, C quam Aristoteles statuit tertium principium, & terminum generationis à quo, esse substantialem formam alteri formæ contrariam, vt priuationem formæ humanæ esse formā humani seminis; hæ namque ea tantùm ratione dicuntur contrariæ, quòd simul in eadem materia existere nequeunt, & vna alteram pellit; necessariò enim forma hominis adueniens materiæ formam seminis pellit, & cum forma seminis est necessario coniuncta priuatio for- D mæ hominis, & potestas proxima recipiendi eam. Hoc certè verissimum est, si sano modo intelligatur, non enim dicimus formam seminis secundùm se, & quatenus est forma, esse formæ humanæ priuationem, sed per quandam necessariam comitantiam, quia necessariò habet comitantem absentiam formæ humanæ, cum potentia proxima ad eam: itaque priuatio formaliter est absentia formæ, & est nihil, sed per necessariam comitantiam est a- E lia forma, a qua solet priuatio cuiusq; rei propria nominari; dicimus enim, ex cibis sanguinem fieri, & ex sanguine carnem, & ex semine hominem, vel plantam, nil aliud per hæc denotantes, quàm proprias singulorum materias priuatas, ex quibus fiunt. Hoc significauit absque dubio Aristoteles in contex. 15. lib. 2. Physic. quando dixit, priuationem esse quodāmodo formam, & naturam, iure enim dixit [*quodammodo*] quia priuatio non est essentia- F liter forma, sed per comitantiam, vt dictum est. Hoc etiam significauit Auerroes in 2. tractat. Epitomes Metaphysic. cap. 12. & hanc eandem sententiam tribuit Alexandro Simplicius in contex. 58. lib. 1. Phycis. & eam refutauit, quia ipsam non intellexit, inquit enim, Alexandrum dixisse priuationem significare alteram formam positiuam: aduersus quam sententiam ita argumēratur, si id verum esset, sequeretur priuationis esse aliam priuationē, & illius aliam, & sic in infinitum; at cōsequens

Priuatio est quodammodo forma.

Declaratio contex. 15. libri 2. Physic.

Alexander à Simplicio confutatur.

falsum est, quoniam priuationi opponitur forma, non alia priuatio; consequentia autem patet, quia forma seminis est priuatio formæ hominis secundùm Alexandrum, atqui forma seminis habuit ipsa quoque suam priuationem, igitur priuationi opponeretur priuatio. Ego autem miror, quomodo Simplicius in hanc Alexandri sententiam ita sit inuectus, quum ipsemet in memorato contex. 15. hanc sequutus sit, & locum illum Aristotelis optimè interpretatus, dicens priuationem esse formam, quatenus habet aliam formam coniunctam; quare vel sui immemor fuit, vel Alexandrum non intellexit; ipsius autem argumentum nihil roboris habet, nam forma seminis potest duobus modis considerari, vno modo vt forma, qua semen est semen, altero modo vt respicit formam hominis generandam; primo modo dicitur opposita priuationi suæ præcedenti, non formæ humanæ, quia sic non est priuatio, sed forma; secundo autem modo opponitur formæ hominis, non vt forma alteri formæ, sed vt priuatio formæ non enim opponitur ei quatenus secundùm se est forma, sed quatenus habet annexam, & comitantem priuationem formæ humanæ; primo quidem modo est terminus generationis ad quē, quia ex sanguine fit semen, secundo autem modo est terminus generationis à quo, quia ex semine fit homo; itaque nec forma est formaliter priuatio, nec priuatio formaliter est forma, sed per necessariam connexionem tum forma est priuatio, tum priuatio est forma: quando igitur Simplicius ait, forma seminis habet suam priuationem, ergo priuationis est priuatio, negandum est consequens, quia forma seminis habet suam priuationem, quatenus est forma, non quatenus est priuatio; quatenus autē est priuatio, non habet priuationem oppositam, sed formam; quare idem diuersis rationibus est forma, & priuatio. & terminus generationis tum à quo, tum ad quem, sed nō eiusdem generationis: malè igitur à Simplicio rapitur Alexander, cuius sententia verissima est, & eam apud ipsum Alexandrum claram legimus in 2. lib. Natural. quæst. cap. 11. quoniam autem in eadem materia hæc tria coniuncta sunt, forma seminis, priuatio formæ humanæ, & potentia proxima ad eam, in his nullus est ordo temporis, sed est ordo naturæ, nam forma seminis est natura prior alijs, constituit enim tum propriam formæ humanæ priuationem, tum potestatem proximam recipiendi formam humanam; quare & amica videtur formæ humanæ, & inimica; amica quidem, quatenus facit propensionem ad formam humanam; inimica verò, quatenus constituit proprium contrarium formæ humanę; quo fit, vt ipsa forma seminis dicatur humanæ formæ contraria, & hominem ex semine fieri sit apud Aristotel. fieri contrarium ex contrario: non sic dicentur contrariæ forma hominis, &

Defensio Alexandri.

Solutio arg. Simplicij.

nis, & forma lapidis, quia non pellit vna alteram de eodem subiecto, nec vbi vna desinit, incipit altera, hæc enim est contrariorum conditio, quam pulcherrimè notauit apud Platonem Socrates in Phædone, dicens, contraria esse modo quodam inter se coniuncta extremitatibus, ita vt desinente vno incipiat alterum. Ex his colligimus, errasse illos, qui dixêre duplicem esse priuationem; vnam remotã, alteram propinquam; in lapide quidem esse semotam priuationem formæ hominis, in semine verò propinquam: quum enim non contingat vt ex lapide homo fiat, Aristoteles non diceret esse in lapide priuationem illam, quæ est generationis hominis principium, & terminus à quo, sed in solo semine, ex quo immediatè fit homo. Hac igitur ratione contrarietatem præ se ferunt forma seminis, ac forma hominis, quanquam verè contrariæ non sunt, nempe quatenus simul in eadem materia existere nequeunt, & vna habet coniunctam priuationem alterius, & quando desinit, incipit altera: non eadem autem ratione est forma & amica, & inimica alteri formæ, sed inimica est secundùm se; quia quum sit forma, non potest simul cum altera forma existere in materia; amica verò non secundùm se, sed ratione qualitatum, quas habet coniunctas, hæ namque materiam illam præparant ad formam hominis recipiendam; retinet enim semen qualitates quasdam illius animalis, à quo defluxit, quæ faciunt vt materia non possit aliam formam recipere, quàm illius animalis, vel semen in elementa dissoluatur, si quid prohibeat animal generari; hoc fortasse respexit Aristoteles in 2. lib. Natur. auscult. quando dixit, in semine animalis inesse illius animalis naturam, non quidem vt formam, sed vt artificem: sed hæc consideratio à præsenti loco aliena est; sat est, si ex ijs, quæ dicta sunt, habeamus, quòd priuatio, etsi formaliter sumpta nihil est, tamen connotat formam, quæ dicitur forma contraria, idque respexit Aristoteles in contextu 15. libri 2. Physic. proponens quęstionem illam, & insolutam dimittens, an in generatione substantiarum priuatio denotet etiam contrarium positiuum formæ generandæ: nam priuatio, quæ formaliter accepta est oppositum formæ solùm priuatiuè, notat etiam contrarium positiuum, quatenus connotat aliam formam coniunctam, sed quia in formis substantialibus non est vera contrarietas, qualis est in accidentibus, ideò Aristoteles ibi iure dubitat, an forma positiua, quæ cum priuatione est coniuncta, sit verè contraria formæ generandæ, nécne, reuera enim non est ibi contrarietas, sed similitudo tantùm quædam contrarietatis. Si quis autem definire priuationem velit, assignari ipsius potest definitio talis: priuatio est contrarium, ex quo recedente res fit, siue, priuatio est absentia formæ in materia cum potentia proxima

Contrariorum conditio.

Nonnullorum error de priuatione gemina.

Declaratio context. 15. libri 2. Physic.

Priuationis definitio.

A ad eam; vtroque enim modo iam dicimus, nam in eo ex quo res fit, necesse est inesse potentiam proximam ad illam, & in quo inest potentia proxima ad rem, ex eo res fit; sic contrarium formæ est ipsa formæ absentia coniuncta alteri formæ, quæ hac ratione vocatur contraria. Hinc patet ratio, cur priuatio formæ humanę appellari non possit illa eius formæ absentia, quæ est in lapide, sicuti aliqui dixerunt: oportet enim non solùm esse cum il-
B la absentia aliquam potentiam in illa materia ad formam hominis, sed etiam potentiam illam esse constitutam à forma coniuncta cum illa absentia, quod quidem de forma lapidis dicere non possumus, quia nulla ibi est particularis propensio ad formam hominis, sed solùm illa vniuersalis potestas, quam materia suapte natura habet respectu omnium formarum, non quæ formam ipsam lapidis consequatur; igitur illa absentia humanę formæ nō
C est priuatio, sed potius negatio: hoc significauit Auerroes in Comment. 19. lib. 5. Metaphysic. dicens, potentiam eatenus esse priuationem, quatenus est præparatio; non est igitur priuatio formę, nisi vbi est pręparatio ad eam. Sumitur ex his ratio differentiæ à Themistio adductæ in sua digressione inter priuationem & negationem; inquit enim latius patere negationem, quàm priuationem, quia negatio nullam qualitatem in materia ponit quate-
D nus est negatio, priuatio autem reddit materiam qualem quatenus necessariò annexam habet aliam formam, quæ materiam afficit; neque vllo pacto attribui potest priuatio ipsi materiæ nudæ & inaffectæ, sed formatæ, & quali, quemadmodum dictum est: negatio verò, quum nullam formam, nullam qualitatem in materia postulet, tribuitur primæ materiæ sumptæ in prima notione absq; vlla alicuius formæ, aut affectionis consideratione; quan-
E do enim dicimus eam esse naturam materiæ, vt secundùm se non sit substantia, nec quantum, nec quale, nec aliud ens determinatum, hoc est, vt nullam sibi formã, seu statutam naturam præscribat, declaramus naturam materiæ per negationẽ, non per priuationem; quia potius repugnat naturæ priuationis, vt sit absentia vniuersalis omnium formarũ: qua in re multi decepti sunt, qui priuationem à negatione distinguere nesciuerũt, in quo errore vi-
F detur fuisse Plotinus in 4. lib. 2. Enneadis, cap. 14. dum Platonem tueri nititur ab obiectione Aristotelis; quum enim Aristoteles Platonem reprehendat, quòd materiam cum priuatione confuderit, quasi idem sit, non solùm re, sed etiam ratione. Plotinus ostendere volens materiam & priuationem idem esse etiam ratione, inquit materiam definiri per infinitum, & hoc significare priuationẽ, proinde priuationem esse ipsammet essentiam materiæ: sed vel cæcus videre potest, hanc non esse priuationem illam, de qua Aristoteles in primo lib. Physicæ

Plotini error in non distinguenda negatione à priuatione.

auscultationis loquitur, & quam statuit tertium principium rerum naturalium; sed esse negationem vniuersalem omnium formarum, per quam ipse quoq; Aristoteles in 7. lib. Metaphys. materiam definiuit, vt etiam censuit Themistius in sua digressione prædicta, & Alexand. 2 lib. quæst. natural. cap. 7. quare manifestum est, Plotinum in ambiguo laborasse, & pro priuatione negationem sumpsisse, idque est clarissimum cuique eum librum legenti, quare tota ipsius aduersus Aristotelem disputatio inefficax, & vana est. Quid igitur sit priuatio, quæ est tertium principium generationis, manifestum est. De forma verò prout est principium corporis naturalis, nil dicendum relinquitur præter illa, quæ dicta sunt; est enim terminus generationis ad quem, ex quo tanquam actu & perfectione, & ex materia res constat; vberius autem de ipsa loquitur diuinus Philosophus; ideò pauca de hac dicuntur ab Aristotele in primo libro Physicæ auscultationis; in secundo autem plura quidem de forma ac de materia dicuntur, quatenus respiciunt motum, & appellantur nomine naturæ: sed hæc est alia consideratio, ideò in præsentia dimittatur.

De Priuatione ad Materiam relata.

Cap. IIX.

PRiuatione declarata, considerandum est, quomodo ad materiam se habeat priuatio, nempe an sit de essentia ipsius materiæ, an materiæ accidat; agit hac de re Themistius in sua digressione, & ad vtramq; partem argumentatur: primùm probat priuationem non esse de essentia materiæ hunc in modum; si priuatio esset de materiæ essentia, materia in aduentu formæ interiret, quum priuatio tunc intereat, vtpote contraria formæ. Quòd autem sit de essentia materiæ, ita probat; essentia materiæ in potestate cõsistit, ipsa igitur potestas est de essentia materiæ; at cum potestate est necessariò coniuncta priuatio, non enim diceretur habere potestatem, nisi careret actu, itaque etiam priuatio est de essentia materiæ. Ad soluendam hanc difficultatem distinguit Themistius duas materiæ notiones, quas antè declarauimus, & tandem inquit, priuationem non esse de essentia materiæ, nec in prima, nec in secunda notione acceptæ; in prima enim notione materia nec formam, nec compositum respicit, sed est natura quædam absoluta, quare nullam habet potentiam, proinde nec priuationẽ; illa namque vniuersalis absentia omnium formarum non est priuatio, sed negatio, quæ non est quidem ipsa materiæ essentia, sed per eam tamen essentia materiæ declaratur; quæ propter exilem & absconditam eius naturam declarari aliter nequit: in secunda verò notione accepta materia habet quidem potentiam & priuationem, & priuatio est ei necessaria ad generationem, non est tamen de eius essentia; quòd enim sit ei necessaria, patet, quia nisi materia esset priuata, nihil ex ea generaretur, nisi enim priuationem formæ haberet, necessariò formam ipsam haberet; iam igitur res esset, quare nullum haberet locum generatio: attamen non est materiæ necessaria priuatio tanquam de ipsius essentia, sed tãquam natura quædam alia alij naturæ accidens, habet enim materia potestatem recipiendi æquè formam ac priuationem, quocirca vtraq; materiæ accidere dicitur, & extra eius essentiam esse, quum intereat vtraque in materia, & materia sine vtrahbet esse possit: est igitur priuatio tanquam accidens materiæ, accidens tamẽ necessarium, nec absolutè necessarium, sed propter generationem, quacunque enim priuatione constituta potest materia esse sine illa, attamen necessarium est, vt materia illam priuationem habeat, si ex ea debeat res illa, cuius est priuatio, generari; necessarium enim est vt quidquid generatur, generetur ex materia priuata. Sed quæ de potestate materiæ à Themistio dicuntur, egent exquisitiore examine, & posteriùs considerabuntur; illa verò, quæ de priuatione dicit, vera & manifesta sunt; quum enim priuatio apud Aristotelem sit tertium generationis principium à materia distinctum, non potest ipsius materiæ essentiam constituere; quod Aristoteles ex eo ostendit, quòd materia seruatur in re genita, nec vnquã interit; priuatio autem in aduentu formæ recedit, quare aliud est terminus generationis à quo, aliud est subiectum cõmune vtriusque termini deferens mutationem; dicere autem priuationem esse necessariam materiæ propter generationem, nihil aliud est, quàm dicere, materiam esse quidem generationis principium, at non solam, sed alia quoque principia postulari, sine quibus ex sola materia nihil generaretur; præstant enim singula propriam operam, sed singulum requirit operam aliorum, quare omnia principia in generatione requiruntur: eadem autem ratione dicere possemus, materiam esse necessariã priuationi propter generationem, quoniam ex priuatione sine materia nihil fieret; sic necessaria est materia formæ, & forma materiæ, nullum tamen horum principiorum est de essentia aliorum; quæ igitur de priuatione à Themistio dicuntur, manifesta sunt. Ex his autem quæ de priuatione diximus, corollarium quoddam colligimus, quod licèt videatur implicare contradictionem, verissimum tamen est: prima materia, ex qua res omnes naturales generarentur, debuit esse ἄποιον, hoc est, omni qualitate, & omni forma carens; debuit etiam esse affecta, & formata, & qualis; nam diuersa respiciendo verum est vtrumque, dum enim materiam in prima notione secundùm suam essentiam consideramus, dicimus eam esse ἄποιον non quòd ita sine vlla affe-

Priuatio non est de essentia materia.

Quomodo priuatio sit necessaria materia.

Materia debet esse affecta, & non affecta.

affectione existat, sed quia in eius essentia nulla forma, nulla qualitas inest; sic enim solam materię essentiam spectamus, & quamuis semper formata, & qualis existat, dicimus tamen, omnem formam, & omnem qualitatem esse extra materiæ essentiam, quæ nullam includit affectionem, & ne potentiam quidem ipsam, vt postea dicemus: at si materiam in secunda notione, & vt principium est sumamus, oportet eam esse formatam, & qualem, quia necesse est inesse ipsi priuationem, & potentiam, si debeat ex ea quippiam generari; priuatio autem habet necessariò coniunctam aliam formam, ita vt modo quodam forma vocari possit, sicut etiam Aristoteles appellauit: ex materia igitur nuda & penitus inaffecta, si daretur, nil generari posset, neque enim apta esset ad sustinendam actionem agentis, neq; haberet priuationem, quam ipsi ad generationem necessariam esse cum Themistio diximus.

Ex materia nuda nihil posse generari.

De Potentia Materiæ quid sit. Cap. IX.

Post priuationem considerarda est materiæ potentia, quæ nunquam à priuatione seiungi videtur; de hac duo declaranda proponuntur, vnum quid ipsa sit, alterum verò, quomodo ad materiam referatur, videlicet an sit de essentia materiæ, an insit ei vt accidens. Vt videamus quid sit potentia, distinguendæ sunt inprimis nominis significationes: potentia duplex est, vt ex Aristotele colligimus quinto Metaphysicorum, contextu 17. & nono Metaphysicorum secundo, vna actiua, altera passiua, ad quarum alteram reduci omnem potentiam necesse est; aut enim dicimus agens posse agere, aut patiens posse pati: tribuimus quidem etiam effectibus potentiam, non tamen ab his duobus distinctam; dicimus enim effectum esse potestate, quando nondum est actu, esse tamen potest, quia est impotentia actiua agentis, & in potentia passiua materiæ, quare tunc nil aliud significamus, quàm dari causas, à quibus produci potest. Sciendum præterea est, vtramq; potentiam sumi duobus modis, vt Aristoteles docet in libro de Interpretatione; propriè namque sumitur pro illa potentia, quæ præcedit actum tanquam illi opposita, & ipso adueniente interit; impropriè autem quandoque sumitur, & (vt inquit ibi Aristoteles) æquiuocè pro illa potentia, quæ est simul cum actu, vt si dicamus, Cœlum posse moueri, & Deum posse mouere; impropriam enim esse hanc acceptionem, patet ex ipsis effectis; non enim dicimus effectum esse potestate, nisi quando non est actu, quare etiam materia & agens tunc propriè dicuntur habere potentiam, quando non habent actum siue patiendi, siue agendi. Nos in præsentia loquimur de sola potentia passiua, talis enim est materiæ potentia, & de propriè accepta, quæ præ-

Potentia duplex.

Vtraque potentia sumitur duobus modis.

A cedit actum; materiam enim consideramus antequam recipiat formam, & quærimus, quum potentiam habeat recipiendi, quidnam sit ista potentia: talem enim Aristoteles quoque in 9. Metaphysic. considerat, & in contextu 5. incipit ceprobare sententiam Megaricorum, qui nullam existere potentiam dicebant, nisi quando est actus, vbi Aueroes inquit, hoc asserere esse destruere omnem potentiam: quoniam existente actu non est re-B nera potentia. Hanc plurimi considerantes, & eius naturam scrutantes, dixerunt, eam esse & absolutum quiddam, & respectiuum, sed vt absolutum non distingui ab ipsamet materiæ essentia, nec esse aliquid ipsi materiæ superadditum, nisi vt respectiuum, & ita potentiam, prout à substantia materiæ distinguitur, esse in categoria relationis, & inter potentiam & actum esse relationem realem, non tantùm rationis: hæc enim esse videtur propria huius C vocis significatio, quæ nil aliud notat, quàm quoddam respiciens actum. In hac sententia videtur fuisse Auerroes, qui 9. Metaphys. it. inquit, potentiam & actum opponi relatiuè, quod etiam ita ostendit, quoniam vnum definitur per alterum, quæ est relatiuorum propria conditio; hoc idem apud eum legimus in Epitome Metaphysica, tractatu 3. capite 4. Thomas autem ad probandum potentiam materiæ, dum sumitur pro absoluto, à sub-D stantia materia non distingui, hoc argumento vtitur; potentia & actus sunt in eadem categoria, atqui actus, quem potentia materiæ respicit, est substantia, ergo etiam potentia debet esse substantia; non est igitur nisi materia ipsa. Hanc sententiam, etsi omnium ferè communem, ego probare non possum, credo enim potestatem omnem tam agendi, quàm patiendi esse in categoria qualitatis in secunda specie; quum enim in ea posuerit A-E ristoteles potentiam naturalem, nec vlla detur alia potentia præter actiuam, & passiuam, oportet aut vtramque, aut alteram constituere secundam speciem qualitatis; legentibus autem ibi Aristotelem patet, ipsum in illa specie locare tam agendi, quàm patiendi potentiam: omnem igitur potentiam censuit esse in secunda specie qualitatis. Huic sententiæ videntur quidem nõnulli recentiores subscripsisse, sed neque eam firma ratione com-F probârunt, neque omnino in ea persistere visi sunt, quum modò dixerint, potentiam materiæ esse qualitatem secundæ speciei, modò esse relatiuum, & nihil notare absolutum superadditum substãtiæ materiæ, quæ fuit aliorum communis opinio, vt prædiximus. Nobis igitur nitendum est (si fieri possit) huiusce rei intima penetrare, & valida ratione veritatem demonstrare. Primùm quidem dicere aliquis forrasse posset, Aristotelem in cap. de qualitate non absolutè omnem agendi ac patiendi potentiam in secunda specie collocasse, sed

Multorum opinio de potentia quid sit.

Argum. Thomæ.

Opinionis reprobatio.

Omnis potentia est in secunda specie qualitatis.

Propria opinio.

solùm potentiam facilè agendi, & potentiam non facilè patiendi, non enim idem est currere, ac bene currere. Sed hoc dici non potest, quia differentia secundùm magis & minùs non variat speciem, multò autem minùs potest variare genus. quare si potētia bene agendi est qualitas, etiam potentia agendi absolutè debet esse qualitas: asserit etiam hoc Aristoteles 9. Metaphys. contextu 2. dum diuidit potentiam agendi in potentiam agendi absolutè, & potentiam bene agendi, sic etiam potentiam patiendi: atqui vel partitur genus in species, vel declarat eiusdem speciei differentiam secundùm magis & minùs, & vtrouis dicatur, in eodem genere ponitur potentia agendi, & potentia bene agendi. Adde quòd potentia refertur ad actum, ergo vt se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam, atqui in eadem categoria est actus currendi, & actus bene currendi, ergo etiam potentia currendi, & potentia bene currendi debent esse in eadem categoria. Præterea inquit ibidem Aristoteles in definitione potentiæ bene agendi contineri definitionem potentiæ agendi, & in definitione potentiæ patiendi, cōtineri definitionem potentiæ patiendi, sunt igitur eiusdem generis potentia agendi, & potentia bene agendi: quando enim duo ita se habent, vt vnum sit de quidditate alterius, necesse est ea in eodem genere esse; est autem potentia agendi de quidditate potentiæ bene agendi, ergo si vna est qualitas, etiam altera debet esse qualitas. Si quis autem quærat, cur Aristoteles in secunda specie qualitatis non expresserit, nisi potentiam bene agendi, ratio in promptu est, quoniam in eo libro non exquisitè de decem summis generibus loqui voluit, sed pingui Minerua pro adolescentibus, ideò sæpè dimissis difficilioribus faciliora in medium adduxit; quum igitur hic excessus, quo aliquam potentiam dicimus esse bene agendi, faciat eam euidentiorem, ita vt inde sumatur nominatio; cursorem enim dicimus non omnem, qui currere aptus sit, sed eum tantùm, qui bene currere possit, ideò Aristoteles solius potentiæ bene agendi mentionem fecit, sed non ob id negauit eam potentiam tum agendi absolutè, tum patiendi esse in secunda specie qualitatis, hanc enim eius sententiam fuisse iam demonstrauimus. Sed ad probandum non posse potentiam & actum esse verè relatiua, vt est cōmunis opinio, non potest efficacius argumentum sumi, quam ex proprijs conditionibus relatiuorum; relatiua enim sunt simul natura, & vtrouis posito alterum necessariò ponitur, & vtrouis ablato alterum necessariò aufertur; at posita potentia, non ponitur actus, neque actu posito, ponitur potentia, imò è contrario dum potentiam ponimus, auferimus actum, & dum ponimus actum, auferimus potentiam, nam adueniente actu potentia interimitur; ergo non sunt

Omnis potentia est in secunda specie qualitatis.

Quòd potentia, & actus non sint relatiua.

A

B

C

relatiua; reuera enim si potentia respicit actū, respicit ipsum vt non existentem, quæ est conditio contraria conditioni relatiuorum, quæ est vt vno existente alterum quoque existat: dicere igitur cogimur, potentiam esse primò quiddam absolutum, cui respectus aliquis superueniat. Sumitur præterea ab actu argumentum efficacissimum: nam si potētia ideò est verè relatiua, quia refertur ad actum, oportet non minùs actum, quàm potentiam esse in categoria relationis; hoc tamen est manifestè falsum, actus enim est maximè in categoria substantiæ, & nullam notat relationem ad potentiam, licèt potentia referatur ad actum, at eorum, quæ verè sunt relatiua, debet reciproca esse relatio. Illud autem quod multos decepit, fuit (vt ego puto) quædam similitudo, quum enim potentia & actus sint opposita, putarunt esse relatiuam oppositionē, quum tamen sit alia oppositio: est enim (vt ego arbitror) oppositio priuatiua, nam potentia semper habet annexam priuationē actus, qua ratione opponitur actui: imò videntur idem reipsa esse potentia & priuatio, distingui autem ratione, ab vtralibet enim hæc duo denotantur, absentia actus, & aptitudo ad illum: sed differunt, quòd potentia primò notat aptitudinem, secundò connotat absentiam, priuatio autem primò notat absentiam, secundò aptitudinem: potentia igitur ratione absentiæ connotatæ opponitur actui, vt priuatio habitui, at ratione aptitudinis primò significatæ, est qualitas secundæ speciei, nec videtur hac ratione esse opposita actui, sed potius similis & amica, quum notet propensionem ad illum. Non videtur ab hac sententia alienus Auerroes, nam in Commentario 5. lib 9. Metaphysic. inquit. potentiam & actum opponi inter se, deinde hanc oppositionem declarans, subiungit, ea non posse esse simul, quia se mutuò interimunt, quare non putat esse opposita relatiuè, nam relatiua non se mutuò destruunt, sed potiùs se mutuò statuunt, atque conseruant. Est etiam considerandum id, quod Auerroes dicit 12. Metaphysicorum, Comment. 37. actum cognosci per se, potentiam verò per actum, quod etiam ex Aristotele & Auerroë colligimus nono Metaphysicorum vigesimo; sed quis non videat, hoc non competere relatiuis, sed esse propriam conditionem eorum, quæ priuatiuè opponuntur? nam priuatio cognoscitur, ac definitur per habitum, sed non habitus per priuationem; vt ait idem Auerroes in sua præfatione in librum Posteriorum, quæ conditio non aptatur alicui alij oppositioni, nisi priuatiuæ: nam contradictorium non pendet à suo contradictorio, neque definitur per illud, similiter neque contrarium per suum contrarium: relatiuum autem pendet quidem à suo correlatiuo, & per ipsum definitur, sed ea pendentia est mutua atque reciproca: in sola oppositione

Potentia & actus opponuntur priuatiuè.

Potentia & priuatio sunt idem re, & differunt ratione.

Auerrois sententia.

D

E

F

positione priuatiua est pendentia non reciproca, pendet enim priuatio ab habitu, non habitus à priuatione, itaq; si potentia & actus opponuntur, & potentia pendet ab actu, non actus à potentia, non potest eorum oppositio esse alia, quam priuatiua. Sed præterea etiam clarè hanc sententiam Auerroes 5. Metaphys. 19 dicens potentiam habere coniunctam priuationem, ratione cuius opponitur actui; & 9. Metaphys Commentario 3. vbi dicit: [*potentia significat aliquem modum priuationis*] & in initio sui Commentarij in librum de Somno & vigilia inquit: [*id, quod est in potentia, est priuatio eius, quod est in actu*] & in Epitome Metaphysica tractatu primo, vbi agit de potentia & actu, dicit potentiam esse de speciebus priuationis: in his igitur omnibus locis clara esse videtur Auerrois sententia, quod potentia opponatur actui non alio modo, quàm vt priuatio habitui. Cæterùm quid ad Auerroem dicemus, alijs in locis asserentem ea esse opposita relatiuè? non est credendum, Auerroem sibi contradicere, sed potius dicendum est relatiua esse duplicia, alia secundùm esse, quæ sunt verè relatiua, & propriè constituunt categoriam relatiuorum; alia verò non secundùm esse, sed secundùm dici, quæ non sunt reuera in categoria relationis, sed in alijs; quæ distinctio est ipsiusmet Aristotelis in cap. de relatiuis: vera quidem relatiua nil habent absoluti, sed tota ipsorum essentia posita est in relatione ad aliud; at relatiua secundùm dici sunt illa, quæ reuera non sunt in genere relatiuorũ, sed in aliquo alio, mens tamen ea refert, & dicit esse alterius, eaque vocatur relatio rationis, vt quum dicimus caput esse alicuius caput; & in hac relatione euenit, vt vnum dicatur ad aliud, nec tamen è conuerso illud ad hoc, qua de re loquitur Auerroes in Epitome Metaphysica, tract. 1. dum agit de relatione. Dico igitur Auerroem ponentem potentiam & actum inter relatiua, non intelligere aliam relationem, quàm secundùm dici, & sumere latè atque impropriè nomen relationis, vt etiam sumit in Epitome Metaphysica, tract. 3. cap. 4. vbi dicit hanc relationem esse in omnibus prædicamentis, & fieri ab anima, ita vt si anima non esset, hæc quoque relatio non esset: Aristoteles quoque in contex. 6. lib. 1. de Anima dicit, potentiam & actum amplecti omnes categorias, & in omnibus locum habere; & ibi Auerroes inquit esse differentias entis, quoniam quælibet categoria diuiditur per potentiam & actum; at si essent verè relatiua, non possent esse in omnibus generibus, neq; etiam esset conueniens sumere vera relatiua vt differentias diuidentes aliquod genus, sumitur enim relatiuum in definitione sui correlatiui, at differentia non potest sumi in definitione alterius oppositæ differentiæ. Patet igitur Auerroem existimasse, potentiam & actum esse relatiua secundùm dici, & habe-

Responsio ad aduersantia Auerrois verba.

Relatiua sūt duplicia.

A re relationem non realem, sed rationis, quum fiat ab anima, ideoque hanc relationem non esse reciprocam, refertur enim potentia ad actum, sed non actus ad potentiam. Sunt etiam notanda Auerrois verba loco prædicto, quæ sunt hæc [*actus & potentia quamuis sint opposita, sunt tamen ex relatiuis*] nam dictiones illæ aduersantes, quamuis, & tamen, indicant alio modo esse opposita, quàm relatiuè, quamobrem alijs quoque in locis, quando Auerroes
B ait ea esse opposita, non intelligit relatiuè, sed aliquo alio modo. Sententia igitur mea est, potentiam materiæ sumi & pro absoluto & pro respectiuo, non ita tamen, vt sumpta pro absoluto sit idem, quod ipsamet materia, sed sit qualitas distincta ab essentia materiæ, cui superuenit relatio rationis, qua mens nostra eam refert ad actum, sed non actum ad potentiam, vt iam ostensum est. Argumentum autem Thomæ, quo probat potentiam sumptam
C pro absoluto esse ipsammet materiam, debile est, abutitur enim illa propositione Aristotelis, potentia & actus in eodem genere sunt, quæ vera quidē est, dum potentiam & actum attribuimus effectui; nam homo, qui nunc est actu, & antea erat potestate, non solùm genere idem est, sed etiam numero: sic quælibet alia res est eadem numero, dum potestate est, quæ postea fit actu; sed hoc minimè verum est, si potentia secundùm se & formaliter ac-
D cipiatur. quantitas enim per accretionem acquisita actus quidam est, ad quem res aucta potestatem priùs habebat, illa tamen potestas non erat quantitas, neq; est ipsum subiectum potens, illud enim est substantia; quum igitur actus quantitatis sit quantitas, potentia autem ad eum non sit quantitas, etiam potentia materiæ potest esse qualitas, licèt actus, quem respicit, sit in categoria substantiæ, vel in aliqua alia; dicere quidem possumus, potentiam ra-
E tione priuationis connotatæ esse per quandam reductionem in eo genere, in quo est habitus oppositus, at certè ipsa aptitudo nil aliud est, quàm qualitas secundæ speciei, quemadmodum dictum est: quæ verò pro Thoma hac de re dicuntur a Iauello in sua prima quæstion. 9. Metaphys. ita leuia sunt, vt commemorari non mereantur.

Solutio arg. Thomæ.

De duplici Materiæ potentia.

Cap. X.

F NAtura potentiæ ita declarata, antequam consideremus, an sit de essentia materiæ, necne, distinctionem nosse oportet, tum duplicis essentialis, tum duplicis potentiæ, quæ primæ materiæ attribui solet. Essentiale sumitur duobus modis, vt Auerroes docet in Commētario 31. primi Posteriorum, alia namque sunt attributa essentialia vt essentiam subiecti constituentia, alia verò vt subiecti essentiam consequentia; idem alijs verbis dicamus, alia de subiecto prædicantur

Essentiale est duplex.

per se primo modo, vt rationale de homine, A alia per se secundo modo, vt risibile de homine, ideò accidentia propria vocantur essentialia, non vt essentiam subiecti constituentia, sed vt eam consequentia. *Potentia materiæ duplex.* Potentia verò materiæ duplex est, vna vniuersalis, altera particularis, & est satis trita & vulgaris distinctio: potentia vniuersalis est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè, ideò dicitur libera & indifferens ad opposita, hæc enim est conditio potentiæ passiuæ, vt sit æquè apta ad vtrumque B oppositum recipiendum; hanc indifferentiam multi significare solent dicendo, potentiam æquè receptiuam formæ, atque oppositæ priuationis, sic loquitur Alexander in lib.2.Natural.quæst.cap.7.& Auerroes 1 Physic.comment.79. multi etiam eam significant dicendo potentiam recipiendi omnes formas æqualiter: sed vtrique idem dicunt per diuersa, & eandem significant materiæ potentiam, quæ vocatur vniuersalis; iam enim diximus, C priuationem esse formam quatenus est consuncta cum quadam forma, quæ per similitudinem vocatur contraria; quamobrem dicere, materiam habere potētiam æquè formam hominis, atque eius priuationem recipiendi, est dicere, potentiam recipiendi formam hominis, & formam feminis, seu formam hominis, & formam cadaueris; nam duplex est *Priuatio duplex.* priuatio, vt ait Simplicius in contex.58.lib.1. Physic. vna, quæ formam præcedit, & est ter- D minus generationis à quo; altera, quæ formā insequitur, & est terminus ad quem ipsius interitus; & vtraque coniunctam habet aliquam formam; quo fit vt formæ humanæ contraria dicatur & forma feminis, & forma cadaueris, qualiscunque hæc esse statuatur: quoniam igitur quælibet forma locum habet priuationis respectu formæ aduenturæ, dicere potentiam ad formam & ad priuationem, est dicere potentiam ad omnes formas; ita Auerroes lo- E quitur in lib. suo de Substantia orbis, cap. 1. dum inquit, materiam per hanc potentiam vniuersalem recipere omnes formas; priuationes enim non nominat, quia hæ cum formis contrarijs coniunctæ sunt; & hæc est maximè propria loquutio, per quam multa du- *Dubium.* bia tolluntur, præsertim hoc, quod non leue est; quum enim hæc potentia vniuersalis sit *Appetitus materiæ qd.* illæ appetitus materiæ, de quo loquitur Aristoteles in part.81.lib.1.Physic. est enim natu- F ralis propensio materiæ ad formas indistinctè, ideò quemadmodum potentia materiæ æquè est ad formam atque ad priuationem, ita videretur etiam appetitum materiæ æquè ad formam & ad priuationem dirigi, quod tamē dicendum non est, quia priuatio nec bonum nec appetibile est, quum sit turpitudo, vt ibi *Solutio.* Aristoteles ait. Sed dubium hoc per ea, quæ diximus, facilè tollitur: nam potentia materiæ est indifferens ad formam & priuationem, id est, ad formam, & ad formam contrariam, & appetitus materiæ similiter, priuationem enim materia appetit, non vt priuationem, sed vt alteram formam; quamuis enim ipsa per se priuatio non sit appetibilis, est tamē appetibilis forma, cui iuncta est: dum igitur dicimus, per potentiam vniuersalem, materiam esse aptam recipere omnes formas, omnem hac in re difficultatem euitamus, in quam videmur incidere, dum dicimus formam & priuationem. Potentiam hanc vniuersalem manifestum est æternam esse apud Aristotelem, qui materiam æternam esse voluit; *Potentia vniuersalis æterna.* quum enim non omnes simul formas materia recipiat, sed vnam tantūmodò post aliam, remanet semper in materia potestas, & propensio ad alias formas, quas non habet, quare materia nunquam est sine hac potentia vniuersali. Potentia verò particularis ea dicitur *Potentia particularis.* qua materia ita hanc formam respicit, vt non, alias, seu magis hanc, quàm alias; hæc autem potentiæ coarctatio & determinatio non fit à natura materiæ, siquidē hæc æquè omnes formas appetit, & apta est recipere; sed fit ab agēte ita materiam præparante ad hanc formam recipiendam, vt non sit apta recipere alias: fit etiā à forma præsente, seu à qualitatibus eam insequentibus, iam enim diximus cum forma humani feminis quasdam esse cōiunctas qualitates, quæ materiam reddunt magis aptam recipere formam hominis, quàm formam lapidis; hæc igitur potentia particularis dicitur, quia respicit aliquam statutam formam, non alias. Hanc potentiam non posse æternam esse manifestum est, quia interit necessariò in aduentu formæ, quatenus est particularis po- *Potentia particularis non est æterna.* tentia illam tantùm formam respiciens. Quoniam igitur in materia potest vtraque hæc potentia considerari, vtraque cum materia est conferenda tum in prima, tum in secunda notione accepta, vt videamus quomodo vtraq; ad materiam referatur.

Quomodo potentia vniuersalis ad Materiam se habeat in prima notione acceptam. Cap. XI.

TOtam huiusce rei veritatem ego quidem in tribus dictis consistere arbitror, quæ singillatim referam, & comprobabo. Primum hoc est: si prima materia in pri- *Primum dictum.* ma notione, & secundùm propriam substantiam consideretur, potentia vniuersalis patiendi non est ei essentialis, vt essentiam eius constituens, sed est ei essentialis, vt essentiam consequens; priorem huius dicti partem probare facile est, nullum enim accidens potest esse de essentia alicuius substantiæ, atqui potentia est accidens, materia verò substantia, ergo potentia non potest essentiam materiæ constituere: sed illud annotare debemus, essentiam materiæ quandoque nomine potentiæ significari, sed tunc non sumi potentiam

tiam pro aptitudine, quæ est qualitas, sed pro materia ipsa, quam imperfectam esse significare volentes, potentiam appellamus; sicut etiam in alijs rebus essentiam occultiorem solemus nomine proprietatis euidentioris significare: at potentia propriè sumpta pro aptitudine ad formam, quum sit qualitas, nō est de essentia materiæ. Addo etiam alterum argumentum: materia vocatur apta, & potens, hoc autem est, habens aptitudinem, & potentiam; ergo non est ipsamet potentia & aptitudo: nihil enim dicitur habere seipsum, nec potest de eodem prædicari concretum & abstractum. Quòd autem hæc potentia sit essentialis materiæ, vt essentiam consequens, sicuti risibile dicitur essentiale homini, probatur constituto hoc fundamento sumpto ex Aristotele libro 9. Metaphysicorum, contextu 2. pati est propter materiam, & omne patiens ideò patitur, quia materiam habet, hinc fit vt formæ materiales (vt ait ibi Auerroes) patiantur per accidēs, nempe propter materiam, in qua sunt, formæ verò à materia abiunctæ sint omnino impatibiles: idem legimus apud Aristotelem libro primo de Ortu & Interitu, partie 50. itaque sic argumentemur: præter materiam quicquid patitur, propter materiam patitur, ergo soli materiæ per se cōpetit pati, necesse est enim omne tale per aliud reduci ad aliquod per se tale, & illud est per se tale, per quod alia sunt talia; quoniam igitur potentia passiua competit alijs propter materiā, competit materiæ per se: vel igitur per se primo modo, vel per se secundo; at non primo, vt modò ostensum est, ergo secundo, quocirca hæc potentia est proprietas materiæ manans ab interna eius natura, quemadmodum ex natura hominis risibilitas. Hanc sententiam significauit Auerroes multis in locis: nam in illo Commentario secundo libri noni Metaphysicorum inquit, in definitione omnis potentiæ passiuæ sumi potentiam primæ materiæ, indicans primam materiam esse reuera primam radicem omnis patibilitatis. In Commentario etiam septuagesimonono libri primi Physicorum inquit, nec formam, nec priuationem esse de natura materiæ, sed vtramque illi accidere, ipsam autem materiam esse quasi compositam ex esse, & non esse: per hæc significans potentiā materiæ liberam, & æquè respicientē opposita habere essentialem connexum cum natura materiæ, non quòd insit ei per se primo modo, non enim dicit absolutè materiam esse compositam ex hac potentia ad esse, & non esse, sed esse quasi compositam, quia non includitur hæc potentia in natura materiæ, sed eam consequitur vt proprietas, proinde inest ei per se secūdo modo. Clariùs hoc idē significauit Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis, quando dixit materiam substantiari per posse, & potentiam esse eius differentiam substantialem: quem locum multi perperam intellexerunt. Marcus Antonius Genua Præceptor meus dicebat Auerroem sumere potentiam impropriè pro ipsamet materia, & nil aliud significare dicendo materiā substantiari per posse, quàm imperfectionem naturæ materiæ; sic etiam Thomas inquit, potentiam sumi pro absoluto, & significare ipsam materiam; sic etiam Gandauensis potentiam pro subiecto potente, & abstractum pro concreto: hoc autē modo sumptam potentiam certum est nō solùm esse de essentia materiæ, sed esse ipsammet materiam. Attamen hæc non potest esse Auerrois mens in eo loco, qui statim subiungit, hanc potētiam esse diuersam à natura subiecti, quod substantiatur per ipsam, quare non sumit potentiam pro ipsamet materia. Alij verò dixerūt, Auerroem sumere materiam in secunda notione, quatenus enim est principium rerum, catenus potentia est de essentia materiæ. Sed neque hæc interpretatio conueniens est, quum eum locum legentibus pateat, Auerroem loqui de materia in prima notione, dicit enim materiam esse vnum ex entibus per se existentibus, & de eius essentia loquitur absolutè considerata. His ergo expositionibus reiectis, melius est, vt dicamus, Auerroem intelligere, potentiam esse essentialem materię in secundo modo dicendi per se, & eius proprietatem, per quam natura materiæ declaratur: quia, vt idē Auerroes docet in secūdo Posteriorum, commentario vigesimo, & in quarto de Cœlo, commentario quadragesimo, sumuntur quandoque propria loco differentiarum ad rei essentiam declarandam, quando differentiæ sunt ignotæ: sic igitur dicit Auerroes potentiam significare naturam materiæ loco differentię constituentis; & ne credamus esse reuera de essentia materię, subiungit potentiam esse diuersam à natura materiæ, quasi admonēs eam esse proprietatem, non differentiam substantialem. Ad hunc sensum trahenda sunt verba Simplicij in contextu 82. libri primi Physicorum, dicentis essentiam materiæ constitutam esse in ipsa potentia; sic etiam verba Alexandri in secundo libro Quæstionū naturalium, capite septimo, quando dicit omnem formā, & omnem priuationem accidere materiæ, quia natura materiæ est constituta in potentia receptiua omnium formarum, & omnium priuationum; intelligit enim potentiam esse proprietatem, per quam sumptam loco differentiæ ipsa materiæ essentia declaratur. Hoc etiam significauit Aristoteles in particula octuagesimaprima libri primi Physicorum, quando dixit materiam appetere formam

Margin notes: *Pati est propter materiā.* — *Auerroes.* — *Quomodo materia substātietur per posse.* — *Expositio Genuæ.* — *Confutatio.* — *Expositio aliorum.* — *Confutatio.* — *Expositio vera.*

per se primo modo, vt rationale de homine, alia per se secundo modo, vt risibile de homine, ideò accidentia propria vocantur essentialia, non vt essentiam subiecti constituentia, sed vt eam consequentia. Potentia verò materiæ duplex est, vna vniuersalis, altera particularis, & est satis trita & vulgata distinctio: potentia vniuersalis est propensio materiæ ad omnes formas indistinctè, ideò dicitur libera & indifferens ad opposita, hæc enim est conditio potētiæ passiuæ, vt sit æquè apta ad vtrumque oppositum recipiendum; hanc indifferentiam multi significare solent dicendo, potentiam æquè receptiuam formæ, atque oppositæ priuationis, sic loquitur Alexander in lib. 2. Natural. quæst. cap. 7. & Auerroes 1 Physic. comment. 79. multi etiam eam significant dicendo potentiam recipiendi omnes formas æqualiter: sed vtrique idem dicunt per diuersa, & eandem significant materiæ potentiam, quæ vocatur vniuersalis; iam enim diximus, priuationem esse formam quatenus est coniuncta cum quadam forma, quæ per similitudinem vocatur contraria; quamobrem dicere, materiam habere potētiam æquè formam hominis, atque eius priuationem recipiendi, est dicere, potentiam recipiendi formam hominis, & formam seminis, seu formam hominis, & formam cadaueris; nam duplex est priuatio, vt ait Simplicius in contex. 58. lib. 1. Physic. vna, quæ formam præcedit, & est terminus generationis à quo; altera, quæ formā insequitur, & est terminus ad quem ipsius interitus; & vtraque coniunctam habet aliquam formam; quo fit vt formæ humanæ contraria dicatur & forma seminis, & forma cadaueris, qualiscunque hæc esse statuatur: quoniam igitur quælibet forma locum habet priuationis respectu formæ aduenturæ, dicere potentiam ad formam & ad priuationem, est dicere potentiam ad omnes formas; ita Auerroes loquitur in lib. suo de Substantia orbis, cap. 1. dum inquit, materiam per hanc potentiam vniuersalem recipere omnes formas; priuationes enim non nominat, quia hæ cum formis contrarijs coniunctæ sunt; & hæc est maximè propria loquutio, per quam multa dubia tolluntur, præsertim hoc, quod non leue est; quum enim hæc potentia vniuersalis sit illæ appetitus materiæ, de quo loquitur Aristoteles in part. 81. lib. 1. Physic. est enim naturalis propensio materię ad formas indistinctè, ideò quemadmodum potentia materię æquè est ad formam atque ad priuationem, ita videretur etiam appetitum materiæ æquè ad formam & ad priuationem dirigi, quod tamē dicendum non est, quia priuatio nec bonum nec appetibile est, quum sit turpitudo, vt ibi Aristoteles ait. Sed dubium hoc per ea, quæ diximus, facilè tollitur: nam potentia materiæ est indifferens ad formam & priuationem, id est, ad formam, & ad formam contra- riam; & appetitus materiæ similiter, priuationem enim materia appetit, non vt priuationem, sed vt alteram formam; quamuis enim ipsa per se priuatio non sit appetibilis, est tamē appetibilis forma, cui iuncta est: dum igitur dicimus, per potentiam vniuersalem, materiam esse aptam recipere omnes formas, omnem hac in re difficultatem euitamus, in quam videmur incidere, dum dicimus formam & priuationem. Potentiam hanc vniuersalem manifestum est æternam esse apud Aristotelem, qui materiam æternam esse voluit; quum enim non omnes simul formas materia recipiat, sed vnam tantùmodò post aliam, semanet semper in materia potestas, & propensio ad alias formas, quas non habet, quare materia nunquam est sine hac potentia vniuersali. Potentia verò particularis ea dicitur qua materia ita hanc formam respicit, vt non, alias, seu magis hanc, quàm alias; hæc autem potentiæ coarctatio & determinatio non fit à natura materiæ, siquidē hæc æquè omnes formas appetit, & apta est recipere; sed fit ab agēte ita materiam præparante ad hanc formam recipiendam, vt non sit apta recipere alias: fit etiā à forma præsente, seu à qualitatibus eam insequentibus, iam enim diximus cum forma humani seminis quasdam esse cōiunctas qualitates, quæ materiam reddunt magis aptam recipere formam hominis, quàm formam lapidis; hæc igitur potentia particularis dicitur, quia respicit aliquam statutam formam, non alias. Hanc potentiam non posse æternam esse manifestum est, quia interit necessariò in aduentu formæ, quatenus est particularis potentia illam tantùm formam respiciens. Quoniam igitur in materia potest vtraque hæc potentia considerari, vtraque cum materia est conferenda tum in prima, tum in secunda notione accepta, vt videamus quomodo vtraq; ad materiam referatur.

Potentia materiæ duplex. A *Potentia vniuersalis æterna.* B *Priuatio duplex.* C D *Potentia particularis.* *Potentia particularis non est æterna.* E *Dubium.* *Appetitus materiæ qd.* *Solutio.*

Quomodo potentia vniuersalis ad Materiam se habeat in prima notione acceptam. Cap. XI.

TOtam huiusce rei veritatem ego quidem in tribus dictis consistere arbitror, quæ singillatim referam, & comprobabo. Primum hoc est: si prima materia in prima notione, & secundùm propriam substantiam consideretur, potentia vniuersalis patiendi non est ei essentialis, vt essentiam eius constituens, sed est ei essentialis, vt essentiam consequens; priorem huius dicti partem probare facile est, nullum enim accidens potest esse de essentia alicuius substantiæ, atqui potentia est accidens, materia verò substantia, ergo potentia non potest essentiam materiæ constituere: sed illud annotare debemus, essentiam materiæ quandoque nomine potentię significari, sed tunc non sumi poten- F *Primum dictum.*

tiam

tiam pro aptitudine, quæ est qualitas, sed pro materia ipsa, quam imperfectam esse significare volentes, potentiam appellamus; sicut etiam in alijs rebus essentiam occultiorem solemus nomine proprietatis euidentioris significare: at potentia propriè sumpta pro aptitudine ad formam, quum sit qualitas, nõ est de essentia materiæ. Addo etiam alterum argumentum: materia vocatur apta, & potens, hoc autem est, habens aptitudinem, & potentiam; ergo non est ipsamet potentia & aptitudo: nihil enim dicitur habere seipsum, nec potest de eodem prædicari concretum & abstractum. Quòd autem hæc potentia sit essentialis materiæ, vt essentiam consequens, sicuti risibile dicitur essentiale homini, probatur constituto hoc fundamento sumpto ex Aristotele libro 9. Metaphysicorum, contextu 2. pati est propter materiam, & omne patiens ideò patitur, quia materiam habet, hinc fit vt formæ materiales (vt ait ibi Auerroes) patiantur per accidẽs, nempe propter materiam, in qua sunt, formæ vero à materia abiunctæ sint omnino impatibiles: idem legimus apud Aristotelem libro primo de Ortu & Interitu, partic. 50. itaq; sic argumentemur: præter materiam quicquid patitur, propter materiam patitur, ergo soli materiæ per se cõpetit pati, necesse est enim omne tale per aliud reduci ad aliquod per se tale, & illud est per se tale, per quod alia sunt talia; quoniam igitur potentia passiua competit alijs propter materiã, competit materiæ per se: vel igitur per se primo modo, vel per se secundo: at non primo, vt modò ostensum est, ergo secundo, quocirca hæc potentia est proprietas materiæ manans ab interna eius natura, quemadmodum ex natura hominis risibilitas. Hanc sententiam significauit Auerroes multis in locis: nam in illo Commentario secundo libri noni Metaphysicorum inquit, in definitione omnis potentiæ passiuæ sumi potentiam primæ materiæ, indicans primam materiam esse reuera primam radicem omnis patibilitatis. In Commentatio etiam septuagesimonono libri primi Physicorum inquit, nec formam, nec priuationem esse de natura materiæ, sed vtramq; illi accidere, ipsam autem materiam esse quasi compositam ex esse, & non esse: per hæc significans potentiã materiæ liberam, & æquè respicientẽ opposita habere essentialem connexum cum natura materiæ, non quòd insit ei per se primo modo, non enim dicit absolutè materiam esse compositam ex hac potentia ad esse, & non esse, sed esse quasi compositam, quia non includitur hæc potentia in natura materiæ, sed eam consequitur vt proprietas, proinde inest ei per se secũdo modo. Clariùs hoc idẽ significauit Auerroes in primo capite

Pati est propter materiã.

Auerroes.

A libri de Substantia orbis, quando dixit materiam substantiari per posse, & potentiam esse eius differentiam substantialem: quem locum multi perperam intellexerunt. Marcus Antonius Genua Præceptor meus dicebat Auerroem sumere potentiam impropriè pro ipsamet materia, & nil aliud significare dicendo materiã substantiari per posse, quàm imperfectionem naturæ materiæ: sic etiam Thomas inquit, potentiam sumi pro absoluto, & significare B ipsam materiam; sic etiam Gandauensis potentiam pro subiecto potente, & abstractum pro concreto: hoc autẽ modo sumptam potentiam certum est nõ solùm esse de essentia materiæ, sed esse ipsammet materiam. Attamen hæc non potest esse Auerrois mens in eo loco, qui statim subiungit, hanc potẽtiam esse diuersam à natura subiecti, quod substantiatur per ipsam, quare non sumit potentiam pro ipsamet materia. Alij verò dixerũt, Auer- C roem sumere materiam in secunda notione, quatenus enim est principium rerum, eatenus potentia est de essentia materiæ. Sed neq; hæc interpretatio conueniens est, quum eum locum legentibus pateat, Auerroem loqui de materia in prima notione, dicit enim materiam esse vnum ex entibus per se existentibus, & de eius essentia loquitur absolutè considerata. His ergo expositionibus reiectis, melius est, vt dicamus, Auerroem intelligere, poten- D tiam esse essentialem materię in secundo modo dicendi per se, & eius proprietatem, per quam natura materiæ declaratur: quia, vt idẽ Auerroes docet in secũdo Posteriorum, commentario vigesimo, & in quarto de Cœlo, cõmentario quadragesimo, sumuntur quandoque propria loco differentiarum ad rei essentiam declarandam, quando differentiæ sunt ignotæ: sic igitur dicit Auerroes potentiam significare naturam materiæ loco differentię E constituentis: & ne credamus esse reuera de essentia materię, subiungit potentiam esse diuersam à natura materiæ, quasi admonẽs eam esse proprietatem, non differentiam substantialem. Ad hunc sensum trahenda sunt verba Simplicij in contextu 82. libri primi Physicorum, dicentis essentiam materiæ constitutam esse in ipsa potentia; sic etiam verba Alexandri in secundo libro Quæstionũ naturalium, capite septimo, quando dicit omnem formã, F & omnem priuationem accidere materiæ, quia natura materiæ est constituta in potentia receptiua omnium formarum, & omnium priuationum; intelligit enim potentiam esse proprietatem, per quam sumptam loco differentiæ ipsa materiæ essentia declaratur. Hoc etiam significauit Aristoteles in particula octuagesimaprima libri primi Physicorum, quando dixit materiam appetere formam

Quomodo materia substãtietur per posse.

Expositio Genuæ.

Confutatio.

Expositio aliorum.

Confutatio.

Expositio vera.

secundùm suam ipsius naturam, is namq; appetitus est ipsa materiæ potentia recipiendi omnes formas indistinctè, quæ inest materiæ secundùm eius naturam, quia ipsam insequitur vt proprietas, quemadmodum homo dicitur esse risibilis secundùm propriam naturam, quia propriam naturam hominis insequitur risibilitas.

Appetitus materiæ.

Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt, & eorum solutiones. Cap. XII.

ADuersus ea, quæ modò dicta sunt, dubia quædam oriuntur, quæ soluere oportet. Primum quidem si potētia vniuersalis esset essentialis materiæ in secundo modo dicendi per se, & in ea inhereret necessariò, & ab ea inseparabilis esset, hoc tamen falsum videtur, nam Themistius in sua digressione inquit, materiam in prima notione non habere potentiam, igitur potentia essentiam materiæ non insequitur. Alterum dubium est: potentia opponitur actui, ergo perit adueniente actu, non est igitur æterna, neq; necessariò in materia inhæret, proinde nullo modo est illi essentialis. Tertium dubium: diximus suprà cum Themistio, materiam in prima sua natione ἄποιον, id est, expertem omnis qualitatis, ergo non habet potentiam, quia si eam haberet, esset qualis, quum potētia sit qualitas. Quartum dubium est: non videtur verum id, quod diximus, potentiam esse materiæ proprietatē, per quam declaretur natura materiæ, loco differentię ignotæ, nam Aristoteles 7. Metaphys. contex. 8. definit materiam absq; vlla potentię mentione, igitur etiā sine potentia natura materiæ declaratur. Ad primum horum dubiorum dicūt aliqui, Themistium loqui de potentia particulari, hanc enim materia non habet in prima notione accepta, & hac eadem responsione secundum quoq; dubium solui arbitrantur. Attamē difficultatem non tollunt, quia legentibus Themistij verba manifestum est, eum negare in materia etiam potentiam vniuersalem, distinguit enim primam materiæ notionē à secunda tanquam absolutam à respectiua, vtraque autem potentia notat respectum ad actum, ergo si materia in prima notione nullum habet respectum, nullam etiā debet habere potentiam, nec vniuersalem, nec particularem, itaq; dubium viget. Ego aliter dico, subiectū posse abstrahi mente ab accidente proprio, & essentiali, licèt non reipsa, nam accidens propriū est re inseparabile à suo subiecto; quamuis enim non possit re separari ab homine risibilitas, concipi tamen potest natura humana non concepta risibilitate; sic igitur potentia est inseparabilis à materia, quum eius essentiam insequatur, tamē quum sit quiddam

Primum dubium.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Ad primum responsio aliorum.

Confutatio.

Responsio vera

A diuersum à materiæ essentia, vt ait Auerroes in primo capite libri de Substantia orbis, & materia sit prior natura suis proprietatibus, potest considerari materię essentia mente abiuncta à potentia; hoc igitur vult denotare Themistius, quando dicit materiam in prima sua notione non habere potentiam, nimirum ipsam secundùm se consideratam materiæ essentiam, non includere potentiam, quemadmodum & hominis essentia non includit risi-B bilitatem; hanc esse Themistij mentem patet ipsius verba considerantibus, inquit enim [*hæc res, quam vocamus materiam, est quoddam subiectum, cui accidit in eius natura vt sit receptaculum oppositorum*] quum enim dicat [*accidit*] denotat potentiam esse accidens materiæ; quum autem dicat [*in eius natura*] significat esse accidens essentiale, quod habet connexionem cū natura materiæ: inquit præterea Themistius ibidem, non esse facile ita materiam, C & eius essentiam absolutam abstrahere mente à potentia, & ab omni respectu, esse tamen possibile, si quis efficaciter nitatur, & aciem mentis exacuat; sic autē significat potentiam esse reuera inseparabilem à materia: nam si esset separabilis, nullo negotio posset essentia materiæ sine potentia considerari, ipse tamen inquit esse admodum difficile, quia loquitur de mentali abstractione. Ad secundum dubium, vt in præsentia concedamus potentiam D hanc vniuersalem opponi actui, hoc enim postea diligentiùs expendetur, dicimus tamen eam non opponi huic formæ, vel illi, sed vniuerso generi formarum materialium; ob id quum materia non possit simul recipere omnes formas, sed vnam post aliam, sequitur non posse vnquam impleri totam hanc materiæ potētiam, proinde nec interire vnquam, quoniam in materia habente hanc formam seruatur potentia recipiendi alias omnes: neq; est E quòd aliquis dicat, in omnibus simul sumptis materiæ portionibus inesse actu omnes formas; siquidem nunc de essentia materiæ loquimur, quamobrem ea, quę de ipsa dicimus, cuilibet etiam portioni competere debent, & nullum in hoc discrimen est totius materiæ, & partium; totam enim materiam habere omnes formas, esset ita habere, vt tota à qualibet forma informaretur, proinde & portio qualibet ab omnibus simul formis, non vt F pars vnam formam haberet, & alia aliam, per hoc enim non interit potentia, sed æterna seruatur in omnibus materiæ portionibus, quoniam in qualibet portione est vna tātùm forma, & potētia ad alias omnes; quare est à materia inseparabilis hæc potentia vniuersalis. Præterea vt etiam admittamus illud esse habere omnes formas, tamen non esset habere omnes indiuiduas, sed omnes secundùm speciem

Ad secundum.

Potentia vniuersalis non opponitur formæ.

ciem tantùm, maneret igitur in materia potestas recipiendi saltem alias indiuiduas posteriùs aduenturas; non igitur interit potentia vniuersalis. *Ad tertium.* Ad tertium dicimus, duplicē esse qualitatem; vnam, quæ restringit, & coarctat materiam ad statutam, ac certam alicuius rei naturam: alteram verò, quæ nullam coarctationem materiæ facit: quando igitur Themistius & Alexander dicūt, materiam secundùm propriam naturam esse ἄποιον, quod etiam ex Aristotele colligimus in contex. 54. primi Physicorum, intelligunt expertem earum tātummodò qualitatum, quæ materiam coarctent, atq; determinēt: cuius ratio est, quoniam omnes formæ, & omnes qualitates certam entis naturam determinantes continentur sub obiecto adæquato primæ materiæ, quo fit vt nulla harum possit esse essentialis materiæ, neque vt constituens, neque vt consequens, nulla enim determinatio potest insequi naturam materiæ: quòd si aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis, comprehensa sub obiecto adæquato primæ materiæ esset ipsi essentialis, non posset amplius materia aliquam aliam recipere, quoniam intus apparens prohibet alienum, vt dicitur in 4. contextu 3. lib. de Anima, quam rem optimè declarat Plotinus in 4. libro 2. Enneadis, cap. 8. sed qualitas, quæ materiam non coarctet, neque ad aliquam certam naturam restringat, non cōtinetur sub obiecto adæquato primæ materiæ, ideò potest absque vlla repugnantia attribui materiæ vt essentialis, nec reddit eam qualem illa qualitate, quam omnes Philosophi respexēre, qui materiam ἄποιον esse asseruerunt: huiusmodi qualitas est potentia hæc vniuersalis, quæ tantum abest vt materiam coarctet ad aliquam certam naturam, vt potiùs eam reddat liberam, & aptam ad omnes indistinctè recipiendas. *Ad quartum prima responsio.* Ad quartū sumptum ex cōtextu 8. septimi Metaphysicorum, respondere possumus, eam non afferri ab Aristotele vt definitionem materiæ, neque enim eius consilium ibi est materiam definire, sed solùm dubitandi gratia ostendere materiam esse rei essentiam, quod postea reprobaturus erat, & ostensurus essentiam esse formam: at *Confutatio responsionis.* quoniam illa, quæ ibi dicuntur de materia, dicuntur ad modum definitionis, & ab Aristotele vt vera proferuntur, & ita ab omnibus vt vera recipiuntur, etsi consequens, quod inde infertur, materiam esse rei essentiam, falsum est, ideò nos quoque eam vt definitionem quandam materię recipientes, aliter soluere dubium hoc demus. *Responsio aliquorum.* Videtur nonnullis cum Auerroe dici posse Aristotelem in ea definitione non omisisse potentiam, quod enim Aristoteles dicit [*est enim quiddam, de quo singula horum prædicantur*] Auerroes ita videtur interpretari, vt dicat, his verbis significari potentiam recipiendi omnes formas, quandoquidem non alia ratione est subiectum, quam per potentiam patiendi: attamē ea neq; *Confutatio.* Auerrois mens est, neq; Aristotelis; Auerroes enim non illa prædicta verba Aristotel. interpretatur, sed declarat alia præcedentia: quum enim Aristoteles dicat, materiā non esse quid, nec quantum, nec quale, nec aliud vllum ex decem generibus. Auerroes ad horum verborum declarationem, quasi rationem adducēs inquit [*quoniam est in potentia omnia ista, vt dictum est in Physicis*] quæ verba profert Auerroes ex seipso, non vt contenta in definitione Aristotelis; ipse verò Aristoteles absq; dubio in ea definitione potentiam non accipit, sed essentiam materiæ abstrahit à potentia, & à respectu, quum dicat materiam esse omnium subiectum, cuius essentia diuersa est ab essentijs omnium rerum: nam dicere materiam habere potentiam ad omnia, est potiùs eam dicere omnia, quàm esse quid distinctum ab omnibus; ergo dicere eam esse quoddam ab omnibus diuersum, est non considerare potentiam: dubium igitur viget, & à nobis aliter soluendum est. *Responsio vera.* Ego puto solutionem petendam esse ex Themistio in sæpe memorata ipsius digressione: quum enim dicat, materiā in sua prima notione non habere potentiam, & dicat difficile admodum esse ita materiam concipere animo sine vllo respectu ad alia, non esse tamen impossibile, si quis aciē mentis efficaciter intendat, significat vtilem quidem esse potentiam ad materiæ essentiam significandam, non esse tamen necessariam: illi enim qui magno ingenij acumine præditi sunt, ducentur quidem in cognitionem essentiæ materiæ per potentiam, sed eam postea concipient etiam non considerata potentia, & in sua prima notione absque vllo respectu ad alia: illi verò, qui non ita valent ingenio, non poterunt quidem materię essentiam complecti sine potentia, qua respicit formas, & vtentur potentia loco differentiæ, poterunt tamen non ignorare potentiam esse accidens, cui subest ipsa materiæ natura ab illo accidente distincta, licèt naturā illam vt absolutam, & sine illa potentia concipere nequeant, adeò vt, si per potentiam definiant materiam, intelligant se sumere potentiam loco differentiæ, quam penetrare cognitione non possunt: vnde colligimus, necesse esse ad primæ materiæ cognitionem, hoc ordine progredi, vt primo loco eam cognoscamus vt materiam, hoc est, in secunda notione, & prout refertur ad alia; postea verò, si possimus, ad primam quoque eius notionem perueniamus, & eius substantiam absque vllo respectu contemplemur, quocirca in primæ materiæ in-

Quatuor considerationes primæ materiæ.

uestigatione primus labor est Philosophi naturalis, qui non alio modo eam cognoscit, quàm vt principium generationis corporum naturalium, atq; etiam vt modo aliquo principium motus & quietis in eisdem corporibus: duæ aliæ supersunt primæ materiæ considerationes, ad primum Philosophum attinentes, vna quatenus est principium quoddam, & pars substantiæ compositæ, non considerata ipsius generatione, quæ consideratio habetur in 7. & 8. Metaphysic. nec potest B esse sine potentia: nam docere non possumus, ex forma vt essentia, & ex materia vt vehiculo necessariò vnum compositum existere, nisi cognoscamus materiam habere potentiam naturalem, qua respicit formā, quæ est actus, & ita ex potestate & actu vnum fieri: altera est consideratio materiæ absoluta, de qua modò loquebamur, quam etiam attigit Aristoteles in illo septimo libro in loco prædicto: sed pauca de hac erant dicenda, quoniam res ita C sunt à Philosopho cognoscendæ, vt secūdùm naturam sunt, materia prima est in rerum natura, non vt species entis, sed vt principium, & vt materia specierum entis, quia si consilium naturæ spectemus; materia est propter alia, non propter se, sicut etiam antea dicebamus; de materia igitur agit Aristoteles in prima philosophia propter substantiam compositam, dum de huius essentia loquitur, tangit tamen ibidem etiam naturam materiæ abso- D lutam: idq; facit in contextu illo octauo septimi libri, vbi hoc notare debemus, res omnes posse de materia prædicari vt potestate, at nō posse vt actu, potest enim & affirmari, & negari materiam esse res omnes, affirmari quidem vt potestate, negari autem vt actu: sed huiusmodi affirmatio declarat materiam in secunda tantùm notione, & in respectu cōsideratam: ideò nullam eius mentionem fecit Aristoteles in ea definitione, sed solius negatio- E nis, qua dicimus materiam nullam esse ex entibus, hac enim negatione significat ibi Aristoteles primæ materię naturam in prima notione, quum dicat eam esse quiddam diuersum à rebus omnibus; sed ne crederemus, materiam nihil esse nisi hanc rerū negationem, quum difficile sit eius naturam assequi, ideò subiungere ibidem voluit, materiam non solùm non esse aliquam ex rebus, sed neq; esse earū negationes (quod esset esse nihil) vt inde F cognosceremus huic rerum omnium negationi aliquod positiuum subesse, quæ est ipsa materię natura, licèt explicatu non facilis, ideò per eam definitionem nō cognoscimus tenera quid secundùm se sit materia, sed potiùs quid non sit, cognoscimus tamē esse substantiam quādam subiectam omnium rerum naturis, quę ab his, & ab earū negatione diuersa

Quomodo de materia prædicentur res omnes, & quomodo negentur.

A est, cognoscimus igitur eam esse aliquid substans, & quid illud non sit, sed non omnino quid sit. Per affirmationem verò declaratur materia in secunda notione accepta, idq; fit in primo libro Physicæ auscultationis, dum dicitur materiam esse primum subiectum, ex quo res fiunt, sic enim significatur eam fieri res omnes. Considerandum autem id quoq; est, Aristotelem in illo primo libro distinguere à materia priuationē, de negatione autem B nihil dicere, cōtrà verò in septimo Metaphysicorum, distinguere negationem à materia, de priuatione autem ne verbum quidem facere, propterea quòd materia in prima notione non habet priuationem, sed negationem tantùm, in secunda verò notione priuationē, & Aristoteles in illo 8. contex. septimi Metaphysici materiam in prima tantùm notione considerat, in primo autem Physico in secunda solùm. Per hæc igitur sublata est, ni fal- C lor, omnis difficultas.

Quomodo potentia vniuersalis ad Materiam se habeat in secunda notione acceptam. Cap. XIII.

Declarato primo dicto, secundum sequitur, quod tale est: si materia sumatur in secūda notione, tanquam est principium rerum, potentia vniuersalis inest ei per D se in primo modo dicendi per se, & est illi essentialis vt rationale homini: huius dicti ratio sumitur ex verbis Themistij in digressione prędicta, vbi inquit alia competunt homini secundùm se consideratio, & quatenus est homo, alia vt relato ad aliud, & quatenus est pater, nam habere filiū est illi accidens vt homini, idq; separabile, sed eidem vt patri est essentiale: sic etiam albedo accidit homini secundùm se sumpto, sed est de eius essentia, E quatenus est homo albus, quia locum formæ obtinet, qua est homo albus; non est enim inconueniens, quòd accidens sit de essentia substantiæ, non secundùm se acceptæ, sed secundùm aliquam aliam considerationem. Materia igitur secundùm se, & secundùm propriam naturam considerata, potentia vniuersalis est accidens eius proprium, & essentiam ipsius consequens, vt iam demonstrauimus; sed considerata materia prout refertur ad alia, & vt F est principium rerum, potentia vniuersalis est eius conditio necessaria, tanquam eius naturam constituens, quemadmodum esse rationis participem est conditio necessaria homini vt sit homo, & eius naturam constituit: proprius enim modus, quo materia est principiū rerum naturalium, consistit in hac potentia vniuersali, qua est apta recipere omnes formas, ita vt dicere possimus, potentiam pati- endi

Secundum dictum.

endi esse rationem formalem principij materialis; essentia enim materiæ est secundùm naturam prior hac potentia vniuersali, quia subiectum est natura prius accidēte proprio, & est tanquam eius causa; ipsa verò potentiæ ratio, si bene consideretur, est natura prior ratione principij materialis; non enim quia materia est principium materiale, ideò habet potentiam patiendi, sed è contrario, quia habet potentiam patiendi, ideò est principium materiale; potentia igitur vniuersalis est veluti B forma & ratio materiæ, quatenus est materia rerum, hoc autem est quatenus ad alia refertur vt principium: hoc significauit Aristoteles in 2. lib. de Anima, quando dixit [*materia est δύναμις*] nam sumpta materia, vt est principiũ, quomodo sumit eam Philosophus naturalis, potest vocari potentia in casu recto, quia potentia est eius ratio constitutiua. Est autem animaduertendum, non idem de priuatione, ac de potentia dicendum esse: nam C priuationem sumendo eo modo, quem declarauimus, priuatio est necessaria materiæ propter generationem, non vt conditio materiæ ad recipiendum, sed vt terminus generationis à quo, ob id priuatio est rerũ principium distinctũ essentialiter à materia; nam in generatione alio officio fungitur materia, alio priuatio; & proprius eius modus, quo dicitur principiũ, longè diuersus est ab eo, quo materia principium dicitur: at potentia non D est terminus generationis, sed est solùm conditio necessaria materiæ, vt sit materia, propterea hæc non constituit quartum principium, sed est ratio constituens principiũ materiale. Idcircò errasse mihi videntur nonnulli, qui priuationem necessitatem in eo sitam esse existimarunt, vt sit necessaria propter materiam, hoc argumento ducti, quòd ex materia non priuata nihil generari posset: hoc autem dicentes videntur priuationem ponere inter E conditiones, materiale principiũ constituentes, quo fieret vt priuatio non esset tertium principium, sicut etiam de potentia modò dicebamus. Quamobrem dicendum potiùs est, priuationem esse primùm necessariam propter generationem, tanquam eius terminum à quo, quia de ratione generationis est, vt non esse præcedat esse; deinde verò esse necessariam materiæ eo modo, quem antea declarauimus, nempe quoniam principia præstant F sibi mutuam operam, & quemadmodum ex materia sine priuatione nihil generaretur, ita neque ex priuatione sine materia, neque ex duobus principijs vtcunq; acceptis sine tertio. His igitur duobus modis se habet potentia vniuersalis ad materiam, vt ego arbitror, & per hæc multæ difficultates soluuntur. Sententiam autem nostram testimonium aliquorum comprobasse videtur, qui duo hæc dicta, eorumq; discrimen non intelligentes, ea tamen vtraque protulêre, tanquam ab ipsa veritate coacti: nam quatuor rationes attulerunt, cur hæc potentia sit essentialis primæ materiæ; vna est, quoniam manat immediatè à natura materiæ; secũda, quòd per eam essentia materiæ ad formam dirigitur; tertia, quòd ex materia & forma fit vnum tanquam ex potentia & actu; quarta, quoniam hæc potentia ponitur loco differentiæ substantialis ad declarandam naturam materiæ, quæ aliter declarari non posset. Hæc omnia vera sunt, si bene ac distinctè intelligãtur: nam primus & quartus modi referunt primum dictum nostrum, quo asseruimus potentiam respectu materiæ in prima notione acceptæ esse proprietatem consequentem eius naturam, & sumi loco propriæ differentiæ ad declarandam materiæ naturam, quum sine potentia dicere quidem possimus quid materia non sit, sed non reuera quid sit: secundus verò ac tertius modi referunt secundum dictum nostrum: nam essentia materiæ ad formam recipiēdam dirigitur, dum materiam vt principium consideramus, dirigitur autem per potentiam tanquam per rationem formalem, quod isti confitentur, dum dicunt, per eam, non enim rectè diceretur, per potentiam, si potentia esset solùm quoddam consequens; sed hoc conuenienter dicitur, si potentia est quoddam prius, quod causæ locum obtinet; idem est sensus tertij modi: nam in eo quoq; materia vt principium sumitur, proinde est ei essentialis hęc potentia iuxta primum modum dicendi per se; discrimen solùm est, quòd in secundo illorum modo materia consideratur vt principium generationis corporis naturalis, quæ est consideratio Physica; in tertio autem vt principium substantiæ materialis, quæ est consideratio Metaphysica, & vtroque munere fungitur materia per potentiam, tanquam per rationem formalem. Hi ergò in omnibus verum dixerunt, distinctionem tamen duplicis essentialis non animaduerterunt, sed ea confuderunt, & tanquam vnum & idem pronunciarunt.

Cur potentia non sit quartum principium rerũ naturalium.

Error aliquorum de priuationis necessitate.

Nonnullorũ consideratio de potentia.

De potentia particulari, quomodo ad Materiam se habeat. Cap. XIV.

Tertium dictum.

DEmum tertium dictũ est; potentia particularis est accidentalis materiæ, tam in prima, quàm in secunda notione acceptæ, sumendo accidentale pro eo, quod distinguitur ab vtroque essentiali, hoc est, quod nec primo, nec secundo modo est per se; hoc ita probari potest: illud, sine quo aliud esse potest, & est, accidentale illi est; at sine potentia particulari potest materia existere, & exi-

Prima ratio.

stit, tum vt ens, tum vt principium rerum; igitur hæc potentia est ei accidentalis, tum in prima, tum in secunda notione acceptæ. maior propositio clara est, minor probatur; potentia particularis est illa, quæ hanc tantùm formam respicit, vt formam hominis, non alias; atqui sine hac particulari potentia existere potest materia vt principium aliarum rerum, & existit actu, priusquam hanc potentiā particularem recipiat; patet enim non esse in ligno potentiam particularē ad formam hominis; quoniam igitur potentia hæc particularis non vna est, sed plures pro formarū multitudine, sine qualibet existere potest materia, proinde nulla talis potentia est materiæ

Secunda ratio.

essentialis. Præterea hæc potentia nec primo, nec secundo modo dicendi per se in materia inest, ergo est illi accidentalis: consequentia est Aristotel. in contex. 32. lib. 1. Posteriorum: antecedens facilè probatur: nam si hæc potentia inesset materiæ per se vel primo, vel secundo modo, materia nullam formam recipere posset, neq; enim illam, ad quam potentia illa refertur, neq; aliarum vllam; nō illam, ad quam refertur, quia recepta forma potentia periret; tollitur enim potentia in aduentu actus, attamen interire potentia non posset, quia quicquid inest per se vel primo, vel secundo modo, id necessariò, ac semper inest: non etiam alias, quia ad nullam earum esset peculiariter præparata, sed ad illam solùm; non potest autem materia aliquam formam recipere, nisi priùs ad eam recipiendam præparetur, & habeat potētiam particularem re-

Tertia ratio.

spectu illius. Præterea materia suapte natura est libera, & indeterminata, & æquè respiciens omnes formas; ergo nihil determinatum potest eius essentiam vel constituere, vel consequi; quare neque hæc potentia particularis, quum sit determinata ad respiciendam hanc vnam formam, non ad alias; patet igitur hanc determinationem, & coarctationem non prouenire à natura materiæ, sed ab aliquo alio, vt ab agente, & à forma præsente, quæ respectu formæ aduenturæ locum habet priuationis; hæc enim particularis potentia illa est, quam antea diximus esse cum priuatione coniunctam, siquidem potentia vniuersalis negationi potiùs iuncta est, quàm priuationi. Non est autem ignorandum, duo in hac potentia particulari esse consideranda, vnum ipsam potentiam recipiendi formam quatenus potentia est, alterum verò illam determinationē & restrictionē ad hanc vnam formam respiciendam, & nō ad alias: quatenus igitur est potentia patiendi, eatenus insequitur naturam materiæ, & ita illi est essentialis; sed quatenus est determinata, & coarctata, eatenus est ei accidentalis, nec prouenit à natura materiæ, sed

A ab alio, vt dictum est. Hæc igitur potentia corruptibilis est, quia necesse est accedente actu eam interire, ideò de hac loquitur Auerroes in Commentario 70. primi libri Physicorum, quando dicit, potentiam non esse de essentia materiæ, eo argumento vtens, quòd quum in aduentu formæ hæc potentia intereat, materia simul interiret, si potentia esset illi essentialis; hæc enim Auerrois ratio de potentia vniuersali nihil roboris haberet, quum illa

Potentia particularis corruptibilis est.

B nunquam intereat: hanc etiam respexit Simplicius in contextu 58. eiusdem libri, quando dixit potentiam esse accidentalem materiæ; quare per hanc potentiarum distinctionem dubia multa soluuntur.

Quænam potentia actui opponatur.
Cap. XV.

QVum duplex sit potentia, considerandum manet, an vtraque opponatur actui, an altera solùm: de potentia par-
C ticulari clara res est, habet enim priuationem coniunctam, ratione cuius opponitur actui priuatiuè, vt dictum est suprà. De vniuersali verò potentia dubium est, ea namq; non cum priuatione, sed cum negatione est coniuncta, quamobrem non potest actui opponi vt priuatio habitui, si verum est id, quod antea diximus, potentiam opponi actui ratione priuationis annexæ: præterea hæc poten-

Potentia vniuersalis non opponitur actui.

D tia, quum perpetua sit, & nunquam intereat, non recedit in aduentu formæ, non est igitur contraria formæ, si cum ea manet in materia. Quapropter huius ego sententiæ sum, potentiam vniuersalem non opponi actui, sed de sola particulari id verū esse, quod suprà de oppositione potentiæ & actus dictum à nobis est; potentia namq; vniuersalis nō respicit reuera formam, sed potiùs vniuersam formarum omnium collectionē, seu
E earum infinitam receptionem, quo fit vt nunquam tota impleatur, proinde nunquam intereat, siquidem interire potentiam nil aliud est, quàm totam adimpleri, quod de hac dici minimè potest. Huic potētiæ similis est potentia continui ad diuisionē infinitam, quæ nunquam ad perfectum actū ducitur, sed ad imperfectum, qui cum potentia semper est commistus: hæc est Auerrois sententia in 9. Metaphys. comment. 11. vbi dicit potentiam conti-
F nui ad diuisionē infinitam, & potentiam sumptam in definitione motus, & potentiam primæ materiæ ad infinitas formas, eiusdem esse rationis, quia nūquam ad completum actum ducuntur, sed ad incompletum, qui nunquam seiungitur à potentia: idem legimus apud Auerroem in Comment. 79. libri octaui Physicorum, vbi dicit non dari potentiam actiuam materialem infinitam, dari tamen passiuam:

infinitam, hæc enim est potentia primę materiæ, quæ ab ipsa materia nunquam separatur, licèt alius semper, & alius actus adueniat: sed in illo Comment. 11. libri 9. Metaphysicorum clarè dicit, potentiam hanc infinitam, & perpetuam, quæ est in prima materia, non esse illam, quæ respicit actum; nam potentia, quæ ad actum refertur, est illa, quę opponitur actui, & in aduentu actus destruitur. Hæc igitur potentia vniuersalis non opponitur actui, sed quando restringitur, & contrahitur ad recipiendam aliquam certam formam, tunc fit opposita illi formæ, quia iam facta est particularis, & iuncta priuationi propriè illius formæ. Ex his sumitur solutio cuiusdam dubij, quod multis negotium facessit, cuius mentionē facit Achillinus in primo suo libro de Elementis dubio 13. & Ioannes Gandauensis in quæstione 25. libri primi Physicorum, idque tale est: in singula portione materiæ inest potentia recipiendi formas numero infinitas, iuxta Aristotelis sententiam æternum mundum statuentis, quoniam igitur singulo actui propria potentia respondet, sequitur esse in illa materia particula potentias numero infinitas, & ita dari numerum actu infinitum, quod nullo modo asserendum est. Gandauensis nesciens dubium hoc aliter soluere, concedit esse in illa materia potentias infinitas, quod est absurdum manifestum, ideò & quæ ab ipso & qua .b Achillino hac de re dicuntur, quum vana prorsus, & inutilia sint, dimittantur. Ego verò constanter negandum puto, esse in illa materia potentias infinitas, dico enim vnam esse potentiam vniuersalem, per quam materia respicit indistinctè omnes formas per omne futurum tempus aduenturas; potentias verò particulares esse quidem infinitas, prout respiciunt actus numero infinitos, at non simul omnes existere in eadem materia: singula namque huiusmodi potētia cum priuatione est, & cum propria præparatione ad talem formam, non potest autem eadem materiæ particula esse simul ad omnes formas recipiendas peculiariter præparata, nam dicere ad omnes æquè pręparatam, est dicere ad nullam, & omnino negare in materia potentiam particularem: hæc igitur potentia in eadem materia vel vna tantùm est, vel plures, non tamen infinitæ, sed paucæ, vt in semine humano est potentia particularis, & proxima ad formam hominis recipiendam; est etiam in eodē particularis potentia recipiendi formas elementorum; potest enim tum in hominem conuerti, tum in elementa dissolui; at nulla ibidem est potētia particularis ad alias

Dubium.

Solutio Gandauensis.

Refutatio.

Solutio vera.

A formas posterioribus temporibus aduenturas, vt ad formam auri, vel ad formam lapidis, licèt fieri possit, vt dissoluto semine in elemēta, ex ijs postea generetur lapis, vel aurum: ad illas igitur tantummodò formas materia habet potentiam particularem, quas statim post illam, quam habet, recipere apta est, hę autem plures quidem esse possunt, non sunt tamen omnes, neque infinitæ. Patet igitur potentias particulares, quæ respiciant infinitas formas,
B esse quidem infinitas, nō tamen simul omnes existere in eadem materia, vt in argumento sumebatur, sed vnam post aliam aduenire; sicut etiam formæ vna post aliam de materia educuntur; sunt igitur eo modo infinitæ potentiæ, quo etiam formæ sunt infinitæ, nempe non actu, sed potestate, & successione, quod quidem non est absurdum; sic enim etiā continuum habet potestatem, vt in partes diuidatur successione infinitas; quam continui potentiam si vnam esse dicamus, quæ respiciat
C infinitam diuisionem, ea respondebit potentiæ vniuersali primæ materiæ respicienti indistinctè omnes formas, & infinitas per infinitam successionē aduenturas, licèt ipsa sit vna, illæ verò infinitæ. Sed Gandauensis videns hanc solutionem, quæ ex consideratione potentiæ vniuersalis sumi poterat, eam nititur reprobare, & inquit: si vna numero est potentia respiciens infinitos actus aduenturos, er-
D go si hæc ad actum redigatur per vnius formæ aduentum, necesse est vt simul redigatur ad actum respectu omnium formarum, & ita necesse est, vt adueniente vna forma, aduenīant omnes, & infinitæ eodem temporis momento. Hæc tamen argumentatio vanissima est, quia nos negamus hoc absurdum sequi, & in hoc ipse deceptus est, quòd supposuit potentiam materiæ penitùs adimpleri per vnius formæ receptionem, quod quidem de po-
E tentia vniuersali falsum esse asserimus, ea namque non vnam tantùm formam respicit, sed omnes, ideò vna recepta in materia, non adimpletur tota potentia, sed remanet respiciens alias; sola autem potentia particularis adimpletur per vnius formæ aduentum, sed hæc illam vnam formam respiciebat, non alias, ideò non est necessarium, simul cum illa forma alias omnes formas aduenire: argumentum igitur Gandauensis nihil roboris ha-
F bet, & solutio nostra prædicti dubij firmissima, ac tutissima est: potest autem quisque ea, quæ hactenus diximus, benè considerans, & prædictis distinctionibus vtens, alia quoque, quæ hac de re existunt, dubia facilè soluere.

Obiectio Gandauensis contra solutionem.

Solutio obiectionis.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, DE PRIMA RERVM MATERIA

LIBER SECVNDVS.

Sententia Scoti de actu entitatiuo Materiæ, & eius argumenta. Cap. I.



ACTENVS ea conſiderauimus, quæ primæ rerum materiæ, vt ad alia relatæ competere videntur, ſequitur vt illa tractemus, quæ ad primam eius notionem pertinent, atq; illi ſecundum ſe ſumptæ attribui ab alijs ſolent, quæ eo difficiliora ſunt, quò magis abſcondita, ac tenuis, atq; exilis eſt primę materiæ natura; hinc enim fit, vt longe facilius ſit eam vt ad alia relatam, quàm vt abſolutè acceptam contemplari. Duo autem ſunt, quæ conſideranda proponuntur, & de quibus magna eſſe ſolet inter Philoſophos diſceptatio; vnum, an prima materia ſecundùm ſuam naturam actum aliquem habeat, alterum verò, an ſit per ſe corpus.

Scoti opinio.

Actum in materia ponit Scotus libro 2. Sentẽtiarum, diſtinct. 12. quæſt. 1. & 2. quem vocat actum entitatiuum, & hunc declarans inquit duas dari potentias, proinde & duos actus illis reſpondentes:

Duæ potentiæ apud Scotum.

vnam vocat potentiam ſubiectiuam, quæ tribuitur materiæ; hæc enim potentiam habet, vt omnibus formis ſubijciatur, ideò huic potẽtiæ reſpondet actus formalis, qui eam adimplet: alteram potentiam vocat obiectiuam, eaq; tribuitur non cauſæ, ſed effectui; effectus enim qui non eſt actu, eſſe tamen poteſt, dicitur eſſe in potentia obiectiua reſpectu ſuarum cauſarum, à quibus produci poteſt, vt ante mundi creationem dicimus mundum fuiſſe in potentia obiectiua opificis, à quo produci poterat, ſed nõ in potentia ſubiectiua, quia nulla preerat materia, ex qua mundus generaretur, ſed ex nihilo creatus eſt: homo verò antequam generetur, dicitur eſſe in potentia tum obiectiua reſpectu agentis, à quo produci poteſt, tum ſubiectiua reſpectu materię, ex qua poteſt generari. Potentiæ huic obiectiuæ reſpondere inquit actum entitatiuum; quando enim res eſt actu producta, & iam habet eſſe actu extra ſuas cauſas, tunc dicimus eam habere actum, non quidem formalem, ſed (vt ipſe vocat) entitatiuum; talem igitur actum habuit prima materia, quum primùm à Deo fuit producta, ſine vlla ope formæ, & ita ſecudùm propriam naturam, & ſecundùm primam ſuam notionem habet actum entitatis proprium, & ab actu formali, quem poſtea recipit, diſtinctum. Hæc eſt Scoti ſententia, quam ipſe pluribus argumentis confirmare nititur, quorum primum, quod ex his, quæ modò diximus, colligitur, tale eſt:

Primum argumentum Scoti.

id quod actu reperitur extra ſuas cauſas, habens entitatem realem diſtinctam ab entitatibus omnium aliarum rerum, eſt ens actu, & habet actum entitatiuum: at materia eſt huiuſmodi, vt patet; ergo habet per ſe actum entitatiuum.

Secundum.

Secundo ſic argumentatur: ſi materia non habet actu entitatem realem diſtinctam ab entitate formę, compoſitum non poteſt dici compoſitum, ſed eſt ſimplex, quia non dicitur compoſitum, niſi conſtet ex re & re, & vtraque res ſit actu in illa compoſitione.

Tertium.

Tertium ſumit argumentum ex modo loquendi; dicimus enim materiam eſſe actu principium per ſe rerũ naturalium, eſſe actu materiam, eſſe actu ſubiectam formæ; eſt ergo ens actu; nam ſi detur oppoſitum, non erit actu principium, neq; actu materia, neq; actu ſub forma.

Quartum.

Quartò, materia apud Ariſtotelem eſt id, ex quo præexiſtente, & inexiſtente res fiunt, ergo exiſtente; atqui exiſtentia dicit actum, ergo materia eſt ens actu.

Quintum.

Poſſumus etiam ſententiam Scoti confirmare authoritate Themiſtij in digreſſione prædicta, vbi inquit, materiam in prima ſua notione eſſe aliquid, & eſſe actu.

Secunda concluſio Scoti.

Hoc ita demonſtrato, infert inde Scotus alteram hanc concluſionem: quum materia actum entitatis habeat, poteſt etiam per ſe actu exiſtere ſine vlla forma, quod multis argumentis probat.

Primum argumentum.

Primò ſic: poſitiuum abſolutum diſtinctum ab alio abſoluto, & natura prius illo, poteſt abſque repugnantia ſine illo exiſtere: at materia eſt ens poſitiuum abſolutum diſtinctum à forma, & prius omni forma tam accidentali, quàm ſubſtantiali; ergo materia ſine vlla forma exiſtere poteſt: maior propoſitio clara eſt ex diſcrimine abſoluti & reſpectiui

ctiui; respectiuum enim vt sit, requirit suum correlatiuum, absolutum verò ooo requirit aliquid aliud, quare sine alio esse potest; patet etiam minor, quia materia est ens positiuum, & absolutum, quum sit substantia, & est natura prior omni forma, nam inquit Aristoteles in partic. 52. libri 1. Physic. subiectum est natura prius prædicato. *Secundum.* Secundò, materia comparata cum singula forma potest existere sine illa; ergo etiam sine omnibus simul sumptis, quia si vnam respicit contingenter, omnes quoq; contingenter respiciet. *Tertium.* Tertiò, si materia non posset existere sine forma, præscriberet sibi formam, ergo aliquam statutã formam; at hoc falsum est, quoniam materia nullam sibi certam formam præscribit: consequentiam probat, quia id, quod sibi præscribit genus, certam quoq; aliquam speciem illius generis necessariò sibi præscribit; si quid enim essentialiter est animal, est necessariò aliqua certa species animalis. *Quartum.* Quartò, ad huius sententiæ confirmationem adducere possumus Simplicij & Auerrois testimonium: nam Simplicius in cõtextu 52. libri primi Physicorum inquit, materiam esse posse per seipsam, formam verò non posse. Auerroes aũt in primo capite libri de Substantia orbis dicit, materiam esse actu vnum ex entibus per se existentibus. Quare confiteri manifestè videntur Simplicius & Auerroes, primam materiam posse per se actu existere sine vlla forma.

Confutatio opinionis Scoti. Cap. II.

HAEC Scoti sententia primo quidem aspectu speciem quandam veritatis habet, at si bene cõsideretur, falsa est, tum secundùm Aristotelicam, tum secundùm veram philosophiam; vanum enim est, alium actum ponere præter formalem, quod ostendo tum ex actus, tum ex potentiæ consideratione; vnde etiam Scotus ad probandum actum entitatiuum argumentum sumebat, ante omnia dicere debet Scotus, an actus entitatiuus sit aliquid, an nihil; nam si nihil est, ergo non datur; si verò aliquid, videndum est quidnam sit: igitur ne ipsum cum actu formali confundamus, consideremus illum, qui attribuitur primæ materiæ, quę secundùm se nullum habet actum formalem; actus igitur, quem in prima materia Scotus ponit, si est aliquid, vel est substantia, vel accidens; accidens quidem esse non potest, quia secundùm Scotum nil aliud est actus entitatiuus, quàm entitas realis, entitas autem materiæ nil aliud est, nisi materia ipsa; non potest ergo actus entitatiuus materiæ esse accidens, nisi materia sit accidens, quod quidem Scotus non diceret; est ergo substantia; atqui substantia secundùm Aristotelem diuiditur in materiam,

Non datur alius actus præter formalem.

Actus entitatiui reprobatio.

A & formam, & compositum; forma quidem esse non potest, quum Scotus distinguat maximè actum hunc entitatiuum ab actu formali, multò minùs est aliquod compositum, quia sequeretur in entitate materiæ esse compositionem materiæ cum forma, & actum hunc non esse nisi formalem, quorum neutrũ concederet Scotus, si verò est materia, vel est materia materiæ, & ita materia constaret ex alia materia; vel est ipsamet materia, quod omni-
B no confitendum est; quemadmodum enim ens homo, seu entitas hominis nil aliud est, quàm homo, ita nil aliud est entitas materiæ, quàm ipsamet materia; hanc igitur entitatem actum appellare, ità vanum est, vt ne mente quidem concipi possit, quum potiùs naturæ materiæ contrarium nomen omnes Philosophi attribuerint, nempe nomen potentiæ, & dixerint eius naturam in hoc esse cõstitutam, vt sit ens potestate, potestas autem opponitur
C actui, quare quum materia sit simplex, si eius natura ea est, vt sit potentia, eadem non potest esse actus; quam in sententia Scoti absurditatem optimè notauit Ioannes Bacconius in distinct. 12. lib. 2. Sententiarum. Vel enim potentialitas materiæ est actualitas, vel si re distinguuntur, natura materię non est simplex, quũ per vtramque materiæ natura denotetur. Illud quoq; apud Aristotelem apertè legimus in contextu 2. libri 2. de Anima, vbi materiam
D dicit esse potentiam; & in contextu 8. libri 7. Metaphysicorum, negat de materia omnem determinationem entitatis: illud igitur quod non est aliquod ens determinatum, quomodo potest vocari ens actu? clara est etiam sententia Aristotelis, quòd ens diuidatur per potentiam & actum, & in omni categoria sit potentia & actus, vt videre est in libro 3. Physicorum, part. 3 & 6. & in 1. de Anima, partic. 6 igitur si datur ens potestate, quomodo omne
E ens debet actum denotare? est igitur hic actus commentum Scoti; quòd enim materiam appellet ens, concedimus, sed non ob id est dicenda ens actu, quum secundum se nõ sit ens, nisi potestate, imò neq; propriè dicatur ens, vt antea ostendimus, & vt Aristoteles dixit, sed principium & materia entium, siquidem non est in rerum natura tanquam species aliqua entis, neq; habet certam vllam naturam specialem, sed solum est quoddam incoha-
F mentum specierum entis: quum igitur materia talis sit, eam appellare actum, quatenus est ens; & fingere hunc esse diuersum ab actu formali, arbitraria est appellatio; quæ omni ratione caret, possemusq; eadem ratione materiam appellare asinum, ac dicere nos asinum sumere in significatione diuersa ab illo asino, qui est species animalis: quum potiùs rationi consonum, ac necessarium est, dari in-

rebus aliquid, quod sit pura potestas, nihilq; in se habeat actus, vt sit idoneum rerum omnium inchoamentum, sicuti rectè considerat Ioannes Bacconius in loco prædicto. Sed actus hic efficaciter etiam reprobatur per reprobationem potentię obiectiuæ, quam Scotus excogitauit: nos enim apud Aristotelem duas tantùm potentias inuenimus, actiuam & passiuam, vt patet in nono Metaphysicorũ, & duos actus, primum & secundum, quos ponit in initio secundi libri de Anima, quos ad duas illas potentias optimè refert Thomas in quæstione prima disputata, dicens, potẽtiam passiuam referri ad actum primum, quia materia est receptiua formæ; actiuam autem referri ad operationem, quę est actus secundus: & sicuti primò dictus est actus de operatione, postea verò traductum est nomen etiam ad formam; ita primò dici nomen potentiæ de actiua, deinde attributũ esse etiam passiuæ: & sicuti nihil patitur, nisi ratione potentiæ passiuæ, ita nihil agere nisi ratione actus primi nam pati est materiæ, agere autem formæ; soli namq; formæ potentia actiua attribuitur. Potentia igitur obiectiua nihil esse potest ab his duabus distinctum, idq; facilè ostẽditur: nam si dicamus hominem, qui nondum est genitus, esse in potentia obiectiua, quærendum erit, in quonam ea potentia adhæreat, quum adhuc homo non sit; certè nil aliud responderi potest, nisi eam esse in prima materia; hominis enim generandi nihil tunc existit, nisi materia, quæ ipsius pars futura est; atqui potentia in materia non alia inest, quàm subiectiua; quare potentia illa obiectiua, qua homo potestate esse dicitur, nil aliud est, quàm potentia subiectiua; nam dicere hominem esse in potentia obiectiua, est dicere materiam habere potentiam recipiendi formam hominis, imò nil aliud est potestate homo, nisi ipsamet materia. Idem etiam de potentia actiua considerare possumus: quando enim dicitur, mundum, antequam crearetur, fuisse in potentia obiectiua respectu agentis; tunc non significamus potẽtiam aliquam existentem; quum enim tunc mundus nihil sit, nihil etiã est ista potentia, prout mundo attribuitur, quia nihil existit in quo recipiatur; ideò si benè illa potentia consideretur, nil significat secundum se, nisi non repugnantiam terminorum, hoc est, negationem impossibilitatis, & veritatem huius propositionis; possibile est mundum creari; talem autem potentiã nõ esse aliquid reale docet Aristoteles in contextu 17. libri 5. Metaphysicorum; vanum igitur est, hanc potentiã, quę nihil est, nisi ens rationis, statuere vt re distinctam ab illis potentijs, quæ apud Aristotelẽ sunt entia realia: est tamen hæc potentia obiectiua aliquid reale,

Potentiæ obiectiuæ reprobatio.

A dum sumitur vt idem, quod potentia actiua: quando enim dicimus mundum esse in potentia obiectiua, si quid reale significamus, id non est nisi ipsa potentia actiua Dei, ita vt dicere mundum fuisse tunc in potentia obiectiua, nihil aliud significet, quàm Deum habuisse tunc potẽtiam actiuam creandi mundum, potentia autem Dei Deus ipse est; igitur nihil reale respondet illi potentiæ, nisi Deus ipse, cuius est potentia creatiua; nihil ergò est illa B potentia obiectiua re distinctum à potentia actiua. Hinc colligimus, conuenientius dici, effectum, quando nondum est, esse tamen potest, esse in potentia passiua materiæ, quàm in potentia actiua agentis; quo fit, vt etiam conuenientiùs diceretur in potentia obiectiua respectu materię, quàm respectu agentis; quũ enim vtroq; modo aliquid ipsi effectui attribuamus, inaniter id attribuimus, quatenus ille effectus nihil est: vanum ergo est attribuere C mundo potentiam obiectiuam respectu opificis, dum ipse mũdus nil penitus est, quum nulla prorsus mundi pars præexistat: at si diceremus hominem generandum præexistere in potentia obiectiua, id est, subiectiua materiæ, rectiùs loqueremur; materia enim præexistit, quæ futura est pars substantiæ hominis generandi, proinde potestate homo iure appellatur; aliquo igitur modo tunc homo existit, cui attribuamus vt sit in potentia ob-D iectiua, sed quia homo ille non est nisi materia ipsa, nil aliud est potentia obiectiua, quæ tribuitur homini, quàm ipsa potentia subiectiua materiæ, vt antè dictum est. Ex his igitur patet, potentiam obiectiuam nihil esse distinctum ab actiua, & à passiua, & omnia argumenta, quæ à sectatoribus Scoti pro suæ opinionis defensione adducuntur, vana & sophistica sunt: ea quidem multa sunt, sed in præsentia satis sit duo in medium afferre. E Vnum est: potẽtia subiectiua materiæ vna est, potentiæ verò obiectiuæ, quæ effectibus attribuuntur, sunt plurimæ; nam dicimus hominem esse in potẽtia obiectiua, respectu materiæ, sic asinum, sic lapidem, & alias res; plurimæ igitur sunt potentiæ obiectiuæ effectibus attributæ, vna autem est potentia subiectiua materiæ, ergo re distinguuntur. sic potentia actiua vna in agente est, obiectiuæ autem plures, quia plures effectus ab eodem a-F gente produci possunt. Alterum argumẽtum est: subiectum generationis est re distinctum ab vtroq; termino, ideò si generetur, aër terminus à quo mutationis illius est aër potestate, terminus autem ad quem, est aër actu, igitur materia distinguitur à termino à quo, ergo & potentia subiectiua ab obiectiua, nam subiectiua attribuitur materiæ; obiectiua autem termino à quo. Sed vtrumq; argumẽtum leuis-

Duo argumenta Scotistarũ. Primum argumentum.

Secundum.

Solutio primi.

leuissimum est. Ad primum enim dicimus, nil aliud per illud ostendi, nisi potentiam actiuam eandem, quæ respectu ipsius agentis vna est, fieri multiplicem, vt relatam ad plures effectus, quos producere potest: sic potentiam passiuam, quæ respectu materiæ vna est recipiendi omnes formas, fieri multiplicem vt relatam ad varias formas, quas respicit; est igitur eadẽ potentia re, quæ fit plures secundum rationem.

Solutio secundi.

Ad secundum dico, terminũ à quo generationis formaliter non esse aerem potestate, sed potiùs non aërem, id est, priuationẽ, & non esse ipsius aeris: & quamuis priuatio connotet potestatẽ ad aërem, illa tamen potestas est cõditio materiæ subiectæ, vt antea demonstrauimus, nõ terminus à quo generationis, qui est tertium principium à subiecto distinctum: igitur potentia aër est potiùs ipsa materia, quàm priuatio, & res ita manifesta est vt mirum sit, quòd illi sint ausi his cauillis tenebras offundere veritati; quum enim Aristoteles trium principiorum necessitatem collegerit ex necessaria distinctione duorum contrariorum terminorum, à quo, & ad quem, & subiecti tertij, quod vtrisque substernitur, isti terminum à quo, cum subiecto confuderunt, dum potentiã attribuere termino à quo, quũ potiùs subiecto, vt eius necessaria cõditio, attribuẽda sit. Quoniam igitur manifestum est, non dari potentiã obiectiuã distinctã re ipsa ab actiua, & à passiua, sequitur vanũ esse etiam actum entitatiuum vt distinctum à formali: quum enim ex potentia illa obiectiua induxerit Scotus huius actus necessitatem, ea sublata hunc quoq; actum corruere, vel ab actu formali non distingui necesse est: reuera enim non datur alius actus, quàm formalis; & hic vnus respondet omni potentiæ, tam actiuæ, quàm passiuę: de passiua quidẽ concedit Scotus, ego verò de actiua quoq; ostẽdo, tum iuxta Aristotelis sententiã, tum secundùm veram philosophiam:

Solus actus formalis respondet vtrique potentiæ secundũ Aristotelem.

apud Aristotelem clarum est, materiam esse æternam, & nullum esse agens, à quo sit vnquam creata, vel creari possit; nunquam igitur materia fuit in potentia obiectiua secundùm Aristotelis opinionem, qui putauit nullum dari agens tantæ potentiæ, vt possit totam rem producere absque vlla materia præsupposita, sed solùm ex præexistente materia: quamobrem nil remanet, quod ab aliquo agente produci possit, nisi sola forma; hanc enim educens de potentia materiæ præexistẽtis, sic rem producere dicitur: quemadmodum igitur potentiæ passiuæ, ita etiam actiuæ nullus respondet alius actus, nisi formalis, neque aliud est obiectum vtriusq; potentiæ, nisi actus formalis: nam quælibet res actu existens, existit per formam: hanc igitur producens agens dicitur rem ipsam produ-

A cere: formam enim equi, vel asini de potentia materiæ educere, est equum, vel asinum producere, & è conuerso equũ producere, est formam equi de materia educere: hoc significauit Auerroes libro 8. Metaphys. comment. 16. dicens, agens non largitur multitudinem, sed perfectionem, & libro 12. Metaphysic. comment. 18. agens reuera non congregat duo inter se, formam, & materiam, sed ex materia præexistente formam, quæ potestate erat, in

Agens non largitur multitudinem, sed perfectionem.

B actum educit; quæ verba perperam interpretatur Scotus in prædicta distinctione 12. lib. 2. Sententiarum, quæstione 1. contrarium enim habent sensum illi, quẽ eis ipse attribuit: nam agens largiretur multitudinem, si totam rem produceret: cuius nulla pars priùs extitisset; sic enim augeret rerum numerum, quia produceret rem illam, quæ priùs non erat: nec video, quomodo hoc negare possit Scotus, & asserere id non esse multitudinem largiri: sed

Praua interpretatio Scoti.

C materiæ iam existenti, & aliquam formam amittenti, aliam formam tribuere, non est numerum rerum augere, sed perfectionem mutare, & materiæ tribuere nouã perfectionem loco alterius amissæ perfectionis: congregare autem diceretur, si materiam & formam separatim priùs existentes cõiungeret, sic enim nihil produceret: solam igitur formam producit, quæ est perfectio, & actus vtrique simul potentiæ respondens. De ipsius ergo Ari-

D stotelis sententia nullum esse dubium potest. Maiorem veritatis speciẽ habet opinio Scoti secundùm Christianam Theologiam, quæ docet, primam materiam vnà cum alijs rebus à Deo fuisse creatam; quoniam enim, antequam crearetur, erat solùm potestate, necessarium videtur, vt statim creata extiterit actu, tanquam ens aliquod ante receptionem formæ, & ita habuerit ex se actum entitatis, sed non actum formalem. Attamen sic quoque,

Idem ostenditur secundùm Theologiam Christianam.

E si res bene intelligatur, opinio Scoti falsa est: nam propriè loquendo, materia non fuit à Deo creata vt res quædam, sed potiùs rebus concreata, quia non est aliquid per se determinatum in specie, sed est inchoamentum omnium specierum corporalium; non fuit igitur ita creata, vt nuda, & absque vlla forma per aliquod tempus extiterit, sed solùm sub forma, vt optimè Thomas sensit, nisus præcipuè argumento, quo Auerroes vtitur

Materia non fuit creata, sed cõcreata.

F in commentario 12. libri 2. Physicorum, si materia prima existeret sine forma, sequeretur, id, quod non est actu, esse actu, quæ est contradictio: quoniam igitur secundùm Theologos, Deus facere non potest, vt duo contradictoria sint simul vera, hinc Thomas colligit, Deum non potuisse creare materiam primam existentem sine forma, quia si existeret, iam haberet determinatam naturam, pro-

inde & actum formalem, quum tamen suapte natura nullum habeat actum formalem, nullamq; naturam determinatam. Alio quoque argumento idem confirmari potest: agens enim potens totum aliquem effectum producere, nisi impediatur, producit perfectissimũ, quantum producere potest; hanc maiorem propositionem negare Scotus non potest, quum sæpe ea vtatur: at Deus à nullo potest impediri, ne quamlibet rem perfectissimam in genere suo producat; quãlibet igitur perfectam produxit: ergo non materiam nudam, quia materia est imperfectè res omnes: quare materiam primò nudam creare, & illi postea formam imponere, repugnat perfectioni diuinæ, quæ imminueretur, si Deus priùs imperfectè res creasset, postea verò formas imponendo perfectionẽ indidisset: res igitur primùm absolutissimas, ac perfectissimas produxit, proinde materiam nõ informẽ, sed sub formis. Ex his igitur patet, obiectum potentiæ creatiuæ Dei nunquam fuisse materiã, sed formam, id est, res ipsas vt formatas; hęc enim idem sunt apud eos, qui rectè philosophari, non cauillari volunt: ideò optimè illos sentire arbitror, qui dicunt, non esse in mẽte diuina ideam primæ materiæ distinctam ab idea cõpositi, propterea quòd prima materia non est in entib. numerãda, nisi vt pars, & inchoamentum omnium. patet igitur materiam per se nunquam fuisse in potentia obiectiua, proinde nullum ex se actum habere, quia non datur alius actus, quàm formalis. Sed hac de re Theologicam disputationẽ dimittamus; hæc enim res apud multos Thomæ sectatores luculentissimè tractata, & examinata cõtra Scotum legi potest: consilium meũ est non Theologicè, sed Aristotelicè disputare; quæ autem fuerit Aristotelis sententia, iam dictum est; ipse enim nullum cognouit actum, nisi formalem & hunc solum omni potentiæ, tam passiuæ, quàm actiuę respondere existimauit, ita vt nihil sit in potentia obiectiua, seu respectu materiæ, sed respectu agentis, nisi forma, siue (quod idem est) compositum, quòd per formam existit. Altera verò Scoti conclusio multò euidentiùs repugnat Aristoteli, & veritati; nempe qua asserit materiam posse per se absque vlla forma existere; hęc enim satis superq; reprobatur argumento Auerrois pręcdicto, sequeretur enim, id, quod non est actu, esse actu, quæ est implicatio contradictionis. Addere etiam aliud argumentum possumus tale: formæ aliquæ non sufficiunt vnà cum materia ad tribuendam existentiam actualem, ergo multò minùs sola materia est apta per se existere; consequentia est satis manifesta, quia si aliqua determinatæ naturæ accedentes ipsi materiæ adhuc non possunt rem actu existentem constituere, multò minùs id præstare sine illis nuda materia potest; clarũ etiam antecedens, nam anima nutritiua, & anima sensibilis sunt formæ substantiales, quæ secundùm Aristotelem in 2. libro de Anima, sunt actus primi corporis naturalis, & constituunt hoc aliquid, nec tamen possunt tribuere existentiam, quemadmodum nulla alia forma generalis sine forma speciali, quia non datur viuens, quod non sit aliqua statuta species animalis, vel stirpis, nec datur animal, quod non sit aliqua certa species animalis. Videtur etiã hoc asserere Aristoteles in 2. contextu 2. lib de Anima, dum inquit, materiam secundùm se non esse hoc aliquid, nam si per se existeret, vt Scotus putat, esset substantia indiuidua demonstrabilis digito; igitur maximè esset hoc aliquid, quod Aristoteles negat. Quòd si asserat Scotus, se id non dicere iuxta Aristotelis sententiam, sed solùm secundùm veram philosophiam, considerata omnipotentia Dei, sic quoq; falsum dicit; siquidem à Deo nil effici potest, quod implicet contradictionem; implicat autem hoc, quia si materia existeret actu sine vlla forma, iam necessariò haberet determinatam & actualem naturam; hoc aũt repugnat naturæ materiæ; hæc enim à Deo est creata talis naturæ, vt nullam habeat in entibus determinatã naturam, sed recipere possit omnes rerum naturas; itaq; si Deus id faceret, faceret id esse actu, quod nõ est actu, quod Auerrois argumentũ fuit & Thomæ in 1. part. Summæ, quæst. 66. artic. 1.

Idea primæ materiæ.

Contra secundam conclusionem Scoti.

Nulla forma generica potest dare existentiam.

Declaratio quarundam distinctionum ad omnes soluendas difficultates.
Cap. III.

Ad plenam veritatis intelligentiam, omniumq; dubiorum solutionem, quędam sunt notandæ distinctiones. Primùm quidẽ ratio erroris Scoti, ac totius huc in re veritatis, ex hac distinctione sumi videtur: ens seu entitas sumi potest duob. modis, nam & essentiã, & existentiam significare potest; dum enim ens pro genere rerum omniũ sumitur, essentiã significat, nam animal quoq; significat essentiam hominis, & aliarum specierum suarum; dum autem sumitur pro existentia, non significat genus, sed accidens quoddam intentionale, vt aliàs diximus in initio 2. Poster. existentia enim est quoddam additum essentiæ: quo fit, vt plura requirantur ad existentiã tribuendam, quàm ad essentiam rei constituendam; essentiam enim propriam quælibet res habet per se ipsam, at non quælibet res apta est per se ipsam existere, sed multa sunt, quæ alio egent, per quod existant: nomen ergo entitatis ambiguum est, & tum pro essentia sumi potest, tum pro existentia, quod

Entitas sumitur & pro existentia, & pro essentia.

quod acceptionum discrimen manifestum est A in eadem propositione, quæ eodem tempore vera est vno modo, & altero falsa: vt hæc propositio; cometa est ens, nunc dum nullus existit cometa, falsa est, sumendo ens pro existentia; vera tamen est, sumendo ens pro genere: sicut hæc quoque vera est: cometa est halitus siccus in sublimi accensus, etiam nullo existente cometa: hac enim solam cometę essentiam exprimimus, nihil dicimus de existētia.

Actus sumitur multifariam. Nomen quoq; actus multifariā sumi solet; su- B mitur enim & pro forma, & pro effectu formæ: pro forma quidem sumi manifestum est, quū forma dicatur actus, vt videre est in initio secundi libri de Anima; quando aūt formam vocamus actū, nihil aliud significamus, quàm perfectionē propriā, qua aliquid in specie seu subalterna, seu infima cōstituitur; hoc autem nō fit sine restrictione, ac determinatione: necesse enim est omnē formam, siue generalem, siue specialē contrahere materiam ad aliquā C certam naturam, & esse rei perfectionem, & actum. Sumitur aūt pro effectu formę, quando sumitur pro existentia, propterea quòd actus existendi non est forma, sed effectus formæ, quum formæ proprium munus sit, rem existentem constituere, non quidem omnis formæ, sed solùm formæ vltimæ, quæ ad nullam aliam formā dirigitur: talis enim forma iuncta reali materiæ, constituit rem singularem per se existētem: vtramq; acceptionem simul D

Hoc aliquid duo significat. complexus est Aristoteles in 2. cōtextu 2. libri de Anima, dicens, hoc aliquid; nam hoc aliquid, non solùm significat singulare existens, ac demōstrabile, sed etiam determinatam naturam, quia forma vtroq; modo facit hoc aliquid: tum enim materiam cōtrahit ad certam quandam speciem entis, tum etiam constituit singulare existens, cum hoc tamen discrimine, quod illud omnis forma præstat, hoc verò sola forma vltimæ speciei: propriam enim na- E turam omnis forma constituit, tam generalis, quàm specialis; existentiam autem actu non

Nō omnis forma dat existentiam, sed sola specifica. omnis forma præbet, sed sola vltima, quia hęc non eget alia forma. Sumitur autem nomen actus non modo ad denotandam existentiam rei simpliciter acceptæ, vt quum dicimus, equum actu esse, sed etiam ad significādam existentiam rei complexæ, id est, veritatem propositionis: dicimus enim, chimæra est actu non ens, quæ est vera enunciatio, nec alius est F eius sensus, nisi quòd vera est hæc propositio, chimæra est non ens, ob id ex ea non licet inferre, ergo chimæra est actu, neque ergo chimæra est, sicut Aristoteles docet in libro de Interpretatione: quum enim de non ente possit aliquid verè enunciari, non licet ex veritate enuntiationis inferre eius subiectum esse ens, quia potest esse non ens.

Collectio totius veritatis quinque assertionibus. Cap. IV.

Ex his aliquæ assertiones, seu conclusiones deducuntur, per quas tota rei veritas declaratur, & contraria argumenta soluuntur, suntq; omnes vel per se manifestæ, vel satis demonstratæ per ea, quæ hactenus dicta sunt. Prima est: si entitas sumatur pro essentia, materia habet propriam entitatem distinctā ab entitate formæ: nemo enim est, qui ignoret aliam esse materiæ essentiam, aliam formæ: quum enim sit substātia, propriam essentiam habeat necesse est. Secunda assertio est: si entitas pro existentia sumatur, materia non habet entitatem propriam, sed solius cōpositi proprium est existere: materia verò, & forma coexistere potiùs composito, quàm existere dicuntur: materia quidem, vt quæ existentiam recipit, forma verò vt quæ dat: hæc iam fuit antea demonstrata: nam si non omnis forma existentiam habet per se: non enim forma generis, sed sola forma vltimæ speciei, quatenus constituit rem existentem, existere per se dicitur, multò minùs materia apta per se est existere, sed eget forma, quæ illi existentiam largiatur. Tertia cōclusio est: prima materia secundùm se non habet actū primo modo sumptum: ratio huius clara est, quoniā ita habere actum est habere determinationem, & contractionem ad certam naturam, hæc aūt non fit nisi à forma; sola igitur forma est actus, quare si materia secundùm se nullam habet formam, manifestum est, eam secundùm se actum ita acceptum non habere. Quarta conclusio est: si sumatur actus secūdo modo pro eo, quod est actu existere, quē formę effectum esse diximus, materia prima non per se est actu, sed per formā, quæ ipsam perficit, & constituit hoc aliquid, hæc facilè probatur, nam existentia insequitur formam, eamq; non omnem, sed præstantem, & perfectam, quare necessariò præsupponit actum primo modo acceptum: idque cuilibet consideranti manifestum est; nihil enim potest existere, cuius non sit determinata natura, secus enim ne mente quidem concipi, aut fingi alicuius rei existentia potest: quoniam igitur materia secundùm se non est aliqua determinata natura, multò minùs existit actu secundum se, siquidem plura ad existentiam requiruntur, quàm ad determinationem certæ naturæ: hanc enim omnis forma præbet, illam verò sola forma vltimæ speciei. Quinta demum conclusio ex his omnibus deducitur talis: materia prima in sua essentia nullum continet actum, sed solam potentiam, ita tamē, vt nomine potentiæ non qualitatem significemus, sed substantiam quandam, quæ est fons, seu radix huius quali-

Prima conclusio. *Secunda conclusio.* *Tertia conclusio.* *Quarta conclusio.* *Quinta conclusio.*

tatis, nempe substantiam quandam imperfectissimam, incompletam secundùm speciem, & inchoamentum omnium specierum, nam huiusmodi natura satis congruè videtur potentiæ nomine significari: hæc clarè ostenditur Aristotel. testimonio in multis locis; nam in 2. libro de Anima, contextu 2. inquit, materiam secundùm se non esse hoc aliquid; quod significat eam non habere vllam certam naturam, nec vllam determinationem in specie, & addit ipsam esse potentiam. Sic 7. Metaphysic contextu 8. inquit, materiam nō esse vllum ex entibus determinatæ naturæ, sed subiectū omnium, quare sententia Aristotelis est, materiam non esse modo vllo ens actu, nomen enim actus notat determinationem, quæ aliena est à natura materiæ: quare vanum est Scoti inuentum, quòd omne ens, quatenus est ens, sit actu, quandoquidem secundùm Aristotelem non omne ens est actu ens, sed datur etiam ens potestate, cuiusmodi maximè est prima materia, cui secundùm propriam naturam nulla conuenit appellatio actus; quod *Plotinus.* etiam Plotinus optimè demonstrat in 5. libro 2. Enneadis, cap. 4. & 5.

Solutio argumentorum Scoti. Cap. V.

Ad primum. Per hæc facile est soluere argumenta Scoti. Ad primum enim dicimus, si entitatem pro essentia sumat, negandam esse maiorem; non enim quicquid habet realem entitatem, id est, essentiam, id habet actum entis, sed aliquid est, cuius essentia sit pura potestas, qualem materiæ naturam esse iam diximus: si verò entitatem pro existentia sumat, negamus minorē; sic enim materia propriam *Ad secundū.* entitatem non habet. Ad secundum dicimus, si entitas pro essentia sumatur, totū esse concedendum; nam si materia essentiam propriam ab essentia formæ distinctam non haberet, vtique id, quod materia & forma constat, non esset compositum, sed simplex, quia non constaret ex re & re: si verò entitas pro existentia sumatur neganda est consequentia, quia nec forma, nec materia existentiam propriam habet extra compositum, sed vna est compositi existentia, qua & materia, & forma existant, nec ob id totum dicitur simplex, sed constat ex re & re. Dico præterea tantū abesse, vt hoc argumento ostendatur, materiam habere actum aliquem, vt potiùs demonstretur, nullum habere actum, quandoquidem ex duobus actibus non fit vnum, sed ex potestate, & actu, vt ait Aristoteles in context. 7. lib. 2. de Anima, & fusiùs in 7. & 8. lib. Metaphys. igitur si compositum tanquam vnum ex materia & forma constat, & forma est actus, necesse est materiam non esse actum, sed potesta- *Ad tertium.* tem. Ad tertium negare possumus cōsequentiam: quando enim dicitur, materia est actu principium, nil aliud denotatur, quàm veritas huius propositionis; materia est principium, vnde non licet inferre, ergo materia est actu per seipsam: possumus etiam omnia cōcedere; nam materia est actu principium, & est actu subiecta formę, & est actu ens, non tamen ex se, sed per formam; dicere enim materiam esse actu principium, est dicere esse principium actu existens, idq; verè dicitur, actu namq; existit, at non per se, sed per formā; nullus enim actus competit materiæ secundùm suam naturam; in omnibus autem quæ competunt materiæ secundùm propriam naturam, si dicuntur illi inesse actu, actus ille non est secundùm naturam materiæ, sed merito formę. Sic etiam ad quartum omnia con- *Ad quartū.* cedimus: non posset enim materia existere, vel præexistere, nisi existeret, & nisi esset actu ens; est autem actu ens per formam, nunc quidem per formam huius compositi, priùs verò per formam alterius, quod interijt. Sic etiam *Ad quintū.* dicendum est ad Themistium in digressione dicentem, materiam in sua prima notione esse aliquid, & esse actu, quod etiam apud Simplicium legimus in contex. 58. lib. 1. Physicorum; nil enim aliud significare voluerunt, nisi materiam habere propriā essentiam distinctam ab essentia formæ, & eam actu existere distinctam ab essentia formæ, ita tamen vt existere illi competat per formam; non enim sumunt ita materiam in prima notione, vt statuant eam sine forma existentem, sed materiæ sub forma existentis essentiam considerant, & dicunt esse propriam quandam materiæ essentiam existentē sub forma; existere namq; materiam, & ipsam materiæ essentiam; qualiscūque ea sit, actu existere nemo negat, dicimus tamen eam non per se, sed per formam existere. Alia quoq; Scoti argumenta facilè soluuntur, quibus ostendere nititur, posse materiam absq; repugnātia existere per se, siue vlla forma. *Ad primum pro secunda conclusione Scoti.* Ad primum neganda est propositio maior; ea namq; vera est solùm de essentia rei, ac de mentali abstractione, at non de existentia actu, ac de separatione reali: si quid enim est absolutū prius natura altero absoluto, id ab illo non pendet secundùm essentiam; ideò mente concipi, & abstrahi ab illo potest, id est definiri & considerari absque illius consideratione; non est tamen necessariū, vt etiam existere actu sine illo possit; animal enim est absolutum, & natura prius omnibus speciebus suis, nec ob id aptum est sine illis omnibus existere actu, sed solùm potest definiri, & considerari absq; vlla illarum consideratione: sic etiam subiectum est natura prius accidente proprio, vt homo risibilitate, & est ens absolutum, quo fit, vt possit mente abstrahi à risibi-

risibilitate, & definiri sine illa, non tamen sine illa existere potest. Sic igitur materia, quum sit substantia, est quiddam absolutum, prout absolutum distinguitur à relatiuo, & est natura prior omnibus formis, quocirca essentia materiæ à forma non pendet, & mente abstrahi potest ab omni forma, non tamen reipsa existere actu sine forma; multa enim requiruntur ad existentiam rei, quæ non requiruntur ad essentiam constituendam. Patet itaque falsam esse maiorem Scoti. Ad probationem autem, quam sumit à discrimine absoluti, & respectiui, dicimus hoc discrimen in eorum essentia esse constitutum, quemadmodum ab Aristotele declaratur in lib. Categoriarum: nam relatiui tota essentia cõsistit in relatione ad aliud, quo fit vt relatiuũ nequeat definiri, aut cõsiderari, aut cognosci sine suo correlatiuo: absoluti aũt essentia nullum habet respectum ad aliud: hoc eorum discrimen est, in alijs non necesse est vt differant: nam si existentiam spectemus (de hac enim nunc sermo est) relatiuum nõ potest existere, nisi etiam suum correlatiuum existat; hoc enim in relatiuis est necessarium: at non ob id fit, vt contraria esse debeat omnium absolutorum conditio, quia non in hoc est positum eorum discrimen, sed datur absolutũ, quod sine alio absoluto existere potest, vt homo sine equo; datur etiam absolutum, quod sine alio absoluto non potest existere, etiamsi eo sit prius secundùm naturã, vt animal sine speciebus suis omnibus: sic igitur materia nõ potest existere sine omni forma, non est tamen relatiuum, sed absolutum, & omni forma prius secũdùm naturam.

Ad secundũ. Ad secundum neganda est consequentia: non enim si materia existere potest sine qualibet forma seorsum, potest etiam existere sine omnibus coniunctim acceptis. Ad probationem autem dicimus, materiam secundùm suam essentiam respicere contingenter tum singulam formam, tum omnes simul sumptas: non sic tamen secundùm existentiam; vt enim existat, respicit quidem contingenter singulam formam, at formam absolutè sumptam non respicit contingenter, sed necessariò; quia necessaria est illi forma ad existendum, non quidem hæc, vel illa, sed forma indistinctè. Argumentum itaq; Scoti, si quid habet roboris, habet solùm de essentia materiæ, quia si nulla forma seorsum accepta de essentia materiæ est, vtique nec omnes simul sumptæ: sic etiam si non est de essentia oculi color aliquis seorsum acceptus, patet neque omnes simul sumptos de essentia oculi esse; tamen secus est de actuali visione: oculus enim vt videat, refertur contingenter ad singulum colorem, quia potest videre sine singulo, sed non contingẽter refertur ad vniuersum genus colorum, hoc enim est eius obiectum adæquatum, nec potest oculus videre, nisi colorem aliquem: similiter obiectum adæquatum, ad quod recipiendum directa est prima materia à natura, vt existat, est totum genus formarum, non forma hæc, aut illa, ideo sine singula existere potest: at non sine forma absolutè: sic etiam dicimus, animal genus respicere contingenter secundùm suam essentiã, & singulam speciem, & omnes simul, quia sunt omnes extra essentiam animalis; attamen ratione suæ existentiæ respicit quidem contingenter singulam, omnes autem necessariò, quia non potest existere sine omnibus. Eadem responsione ter-

Ad tertium. tium quoque argumentum soluitur: nam illa Scoti propositio: quicquid sibi præscribit genus, præscribit etiam sibi certam aliquam illius speciẽ, vera est tantummodò de essentia: nam quicquid secundùm essentiã suam præscribit sibi genus, id est, essentialiter in illo est, necesse est, vt sit determinatè aliqua species illius generis, vt quicquid essentialiter est animal, est necessariò aliqua species animalis; at non est vera de determinatione extra essentiam: oculus enim ad operandum determinat sibi colorẽ absolutè, at non sibi determinat aliquam certam speciem coloris, sic propria aliqua affectio animalis præscribit sibi animal genus tanquam subiectũ propriũ, & illi necessarium ad existendum, non tamen sibi præscribit aliquam certam speciem animalis, sed aliquam indistinctè; sic igitur prima materia vt existat, præscribit sibi formam absolutè sumptã, & genus ipsum formarum, nec tamen oportet vt sibi prescribat aliquam statutã formam. Quare hæc Scoti argumenta sunt potiùs cauilli, quàm solidæ rationes, quæ vel demonstrent, vel perturbare hac in re

Ad quartũ. aliquem debeant. Ad Simplicium aũt in contextu 52. lib. 1. Physic. dicentẽ, posse materiam esse per seipsam, minimè verò formam, dicimus, Simplicium non accipere per seipsam esse pro eo quod est existere sine forma, sed ibi sumere esse per seipsum, prout distinguitur ab eo, quod est esse in alio, vt in subiecto; hic enim est sensus consentaneus verbis & sententiæ Aristotelis eo in loco, & verba ipsa Simplicij hunc manifestè significant, inquit enim, materia potest esse per seipsam, contraria verò inhærent in alio, itaq; esse per seipsum nil aliud ibi significat, quàm non inesse in alio. Ad Auerroem autem in primo capite libri de Substantia orbis dicẽtem, materia est vnum entium existentium per se, dicimus, non eam esse Auerrois mentem, vt dicat materiam sine forma existere posse, siquidem id apertè negauit in lib. 2. Physic. auscultationis, commentario 12. sed de sola materiæ essentia ibi Auerroes loquitur, eamque dicit

esse distinctam tum à forma, tum à potentia: quare his verbis nil aliud significare vult, nisi primam materiam habere realē essentiam distinctam ab essentia formę, & ab essentijs omnium rerum, quod etiam Aristoteles dixit in cōtextu 8. lib. 7. Metaphys. sępe à nobis citato.

Contraria sententia de prima Materia, an sit per se quanta. Cap. VI.

Corpus duplex.

Considerandum manet, an prima materia per se corporea sit: & quia duplex est corpus; vnum, quod esse dicitur supremum genus in Categoria substantiæ; alterum, quod est species quanti continui, & nil aliud est, quàm trina dimensio, longitudo cū latitudine ac profunditate; ideò huius considerationis duæ erunt partes; vna, an ipsa secundùm se sumpta prima materia sit corpus de genere substantiæ, altera verò, an sit per se quanta, hoc est, longa, lata, ac profunda; illa quidem est secundùm naturam prior, quum substantia sit prior quantitate, nos tamen facilioris doctrinæ ordinem sequentes, ab hac posteriore ordiemur, quoniam absq; huius declaratione difficilis admodum, atq; ardua altera contemplatio foret. Sunt hac in re duæ contrariæ opiniones; vna Auerrois, ad quam accedere videtur Simplicius in contextu 69. libro 1. Physic. & Ioan. Grammaticus in lib. 11. contra Proclum; altera Thomæ, illi penitùs contraria. Auerroes in comment. 63. lib. 1. Physic. & in calce 2. tract. Epit. Metaph. & in 1. cap. libri de substantia orbis, & alijs in locis asserit primam materiam secundùm se, & ante receptionem formæ esse quātam, & habere tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, tanquā accidens perpetuum, & inseparabile, eas tamen nullis certis terminis circumscriptas, sed interminatas, quæ postea à diuersis formis varios terminos recipiunt, prout variæ naturalium corporum naturę requirunt; adeò vt intereunte per recessum formæ corpore aliquo naturali, dimensiones non intereant, sed earū tantummodò termini destruantur, & alij accedant, qui ab aduenīente forma præscribuntur. Contrariam sententiam tuetur Thomas, qui pluribus in locis, præsertim verò in opusculo 32. nititur ostendere, nullam esse in prima materia quantitatem æternam, sed omnes naturalium corporum quantitates insequi formas, & à formis tribui, proinde generari & interire, prout ipsæ quoq; naturales formæ oriūtur, & intereunt. Plotinus quoq; huius sententię fuisse videtur, qui in libro 4. secūdę Enneadis ostendit, primam materiam esse secundùm se penitùs incorpoream, & carere omni dimensione, suscipere autem omnes dimensiones à forma. Albertus quoq; in lib. de quatuor Coæuis, &

Auerrois opinio de primæ materię quātitate.

Opinio Thomæ.

A in 3. Metaphys. tract. 2. cap. 3. ponit quidē in prima materia formā quādam substantialē æternam, quam vocat ipse inchoationē formarum alij verò formam corporeitatis; at corporeitatem de genere quantitatis in prima materia nullam ponit coæternā ipsi materiæ, quia putat pręter primam materiam, & formam illam corporeitatis nil aliud esse in naturali corpore æternum, sed omnia generationi & interitui obnoxia esse. Hoc idem sensisse videtur

B Auicēna, vt colligere possumus ex primo suæ sufficientiæ, cap. 2. & ex 2. tract. Metaphysico, cap. 2. ponit enim in prima materia formam illam corporeitatis de genere substantiæ coæternā materiæ, sed nullam ponit corporeitatem de genere quantitatis æternam, idq; est quod Auerroes dicit in 1. cap. libri de substantia orbis, Auicennam non distinxisse dimensiones interminatas à terminatis. Sententia hæc pluribus argumentis defenditur à

C Thoma in prędicto loco, & alia quoq; ab eius sectatoribus in confirmationem adducuntur, sed nos ea tantùm, quæ efficaciora esse videntur, alijs omissis, in medium afferemus.

Argumenta Thomæ aduersus opinionem Auerrois de quantitate interminata. Cap. VII.

Primum argumentum.

Primum ita argumentatur Thomas, aut quantitas interminata eadem est numero cum terminata, aut sunt duę distinctę:

D si eadem, ergo accidentia rei præcedent tempore infinito; nam propria hominis quantitas pręcedet infinito tempore ipsum hominem, si eadem numero est cū quantitate materiæ interminata, quæ ponitur esse æterna, sed consequens aduersatur Aristoteli, qui in context. 4. libri 7. Metaphys. inquit, substantiam accidente priorem esse & natura, & cognitione, & tempore: sequeretur etiam eandem

E esse hominis quantitatem, & formicæ; nam vtraq; est idem quantitati interminatæ, quæ autem sunt idem alicui tertio, ea inter se idem esse necesse est; si verò duæ sint distinctæ quantitates, ergo quantitas in eodem corpore erit bis, siquidem quantitas interminata nunquam perit, quare dabitur penetratio dimensionum, quam omnes Philosophi negāt.

Secundum.

Secundò, si daretur hęc quantitas interminata æterna in prima materia, ens potestate esset

F subiectum accidentis, quod ab Aristotele negatur in 5. Physic. & ab ipsomet Auerroe in commenr. 63. lib. 1. vbi dicit, subiectum accidentium esse ens actu, & ex materia & forma constans; sic enim ipsum distinguit à subiecto formatum substantialium, quod est ens potestate. Tertiò, prius est esse simpliciter, quàm esse secundùm quid; at forma substantialis dat esse simpliciter, accidens autem omne dat

Tertium.

dat esse secundùm quid, ergo forma substantialis præcedit omnia accidentia in materia; quòd si quãtitas interminata præcederet formam substãtialem, hæc priùs daret ipsi materiæ esse secundùm quid, quàm forma substantialis det eidem esse simpliciter, quod est absurdum. *Quartum.* Quartò, sequeretur, id quod est vnũ per accidens, præcedere illi, quod est vnũ per se, hoc autem similiter absurdum est, & communi omnium consensioni aduersatur; dicũt enim, id, quod est per accidẽs, necessariò præsupponere id, quod est per se: consequentia probatur, quoniam ex subiecto & accidente fit vnũ per accidens, ex materia autem & forma vnum per se, prius autem erit vnum constans ex materia, & quantitate interminata, quàm vnum cõstans ex materia, & forma substantiali. *Quintum.* Quintò, vel hæ dimensiones interminatæ essentiales sunt primæ materiæ, vel accidẽtales; si essentiales, ergo prima materia esset essentialiter quantitas, non substantia; si verò accidentales, ergo separabiles, proinde non æternæ. *Sextum.* Sextò, sequeretur, quatuor esse principia rerum naturalium, nõ tria tantùm, quoniam huic quantitati interminatæ competerent omnes conditiones, quæ secundùm Aristotelem in primis principijs postulantur: quum enim æterna sit, non fit ex alio, neq; ex reliquis principijs, & ex hac omnia fiunt; quæ autem sunt huiusmodi, ea sunt prima principia; quamobrem principia quatuor erunt, forma, priuatio, materia, & quantitas interminata. *Septimum.* Septimò, per hanc quantitatem interminatam materia vel fit actu diuidua, vel potestate, quorum neutrum dici potest: non enim actu, quia facta actu diuisione materię, distingueretur eius pars ab alia parte, hoc autem esse non potest, quia omnis distinctio fit à forma, materia verò secundùm se est prorsus informis; si verò potestate, ergo hæc quantitas interminata frustra est, quia materia etiam sine hac est diuidua potestate, fitq; postea actu diuidua per aduentum formæ. *Octauum.* Postremò, si daretur hæc quantitas interminata, ea esset in aliqua categoria, at in nulla esse potest, ergo non datur: nam si in aliqua Categoria est, certè est in Categoria quãti, in hac tamen nõ est quũ Aristot. in capite de quãto dicat omne quantũ significare certam, ac terminatam rei quantitatem, quantitas igitur interminata in Categoria quanti non est, ergo in nulla.

Argumenta pro Auerroe ad comprobandam quantitatem interminatam.

Cap. IIX.

Primum argumentum. EX altera parte pro Auerroe valida argumenta non desunt. Primum sumitur ex ipsa rei natura; quantitas non est generabilis, ergo non generatur, ergo æterna est: assumptum probatur, quia nullum est agens, à quo generari possit; non enim à forma, nec ab alia quãtitate, nec ab vlla qualitate; non à forma, quia forma secundùm se non est quanta, nec diuidua, ergo non apta ad producendam quantitatem; præterea quantitas potest mente abstrahi ab omni forma naturali, ergo est natura prior formis, ergo à nulla forma produci potest, quia non potest causa esse posterior suo effectu: non à quantitate, quia quantitas non est actiua: nõ etiam à qualitate, quia omnis qualitas est natura posterior quantitate, quare eius causa esse non potest. *Secundum.* Secundum argumẽtum, quo præcipuè innititur Auerroes, tale est: si prima materia non esset secundùm propriam naturam quanta, id, quod ex materia & forma cõstat, non posset esse diuiduum, sed esset instar puncti indiuiduum; quod probatur sumptis ex Aristotele duobus fundamentis: vnum sumitur ex contextu 18. lib. 5. Metaphys. vbi inquit, diuisionem, & diuisibilitatem esse propriam quanti, & nihil esse diuisibile, nisi quantum vel merito quanti, ita vt solum quantum sit per se diuiduum, cætera verò per quantum: alterum sumitur ex contex. 2. lib. 6. Physic. vbi Aristoteles ait, non fieri quantum, neque diuiduum ex pluribus indiuiduis; nam si decem millia punctorum simul iungantur, non fiet ex eis nisi punctum vnum; his ita cõstitutis, sic argumentor: si materia prima ante receptionem formæ secundùm suam naturam non est quanta, ergo per prius fundamentũ est indiuidua; atqui forma quoque secundùm se indiuidua est, vt omnes dicunt; ergo per posterius fundamentum necesse est id, quod ex ambabus conflatur, esse indiuiduum; nam si ponatur diuiduũ, constabit diuiduum ex non diuiduis, & quantum ex non quantis, quod Aristoteli aduersatur: nec potest aliquis ad hoc confugere, vt dicat Aristotelem loqui de partibus tantùm integrantibus, proinde hoc argumento de solis partibus quanti integrantibus ostendi, quòd debeant esse quantæ, non de partibus essentialibus, de quibus in præsentia sermo est; nam si bene rem consideremus, eadem viget ratio in omnibus partibus, è quibus totum actu constet; qualescunq; enim partes sint, necesse est, si omnes sint indiuiduæ, vt totum diuiduum esse non possit: præterea non habet locum hæc partium distinctio, quando sumuntur vt indiuiduæ, vt ibi sumit Aristotel. dum ait ex non quantis, & non diuiduis non fieri quantum; dum enim sumuntur vt indiuiduæ, non possunt dici integrãtes; dictum igitur Aristotelis est vniuersè verum, ex pluribus non quantis vtcunq; compositis nõ posse fieri quantũ. Neq; etiam dici potest forma, licèt ipsa quanta non sit, causam tamen esse quantitatis, ita vt eam propria rei quantitas insequatur; etenim indiuisibile non potest esse causa diuisibilitatis: præterea eadem difficultate dictum quoq; illud Aristotelis vrgeretur, dicere namque possemus, licèt nulla partium diuidua sit,

tamen vel ex earũ aliqua, vel saltem ex earum A collectione prodire quantitatem in toto coniuncto. Tertio argumẽto sic Auerrois opinio comprobatur: si quantitas interiret, haberet contrarium; quicquid enim interit, à suo contrario interimitur; atqui non habet quantitas contrarium, vt legimus in lib. Categor. ergo interire non potest. Quartò, idem confirmatur sumpto ex Aristotele hoc fundamẽto in 2. lib de Ortu & interitu; in elementum habens symbolam qualitatem facilior est alterius ele- B menti mutatio, propterea quòd illa symbola qualitas nõ interit, sed eadem seruatur in genito, quæ fuit in corrupto; huius autem ratio est, quoniam accidentia conuenientia formæ generandæ, & illi necessaria non debent de materia pelli, si in ea iam insunt, imò neque possunt pelli, quandoquidem non pellitur aliquid à simili, sed à contrario: eadem itaque ratione argumentemur: quantitas & extensio est necessaria omnib⁹ corporibus naturalib⁹, C & cõmunis est conditio omniũ formarum naturalium, vt in materia extendantur; non debet igitur, neq; potest interire quantitas; ergo æterna est, & soli ipsius termini mutari & interire possunt. Tandẽ id confirmat Auerroes testimonio sensus; quando enim ex aqua generatur aër, videmus quantitatem aquæ non perire, sed potiùs ad maiorẽ molem, & ad nouos terminos ampliores extendi; ipsa igitur quantitas in omnib⁹ manet incolumis, & soli D eius termini mutantur prout diuersæ naturales formæ varios terminos postulãt. Videntur etiam omnes, etiam aduersarij, hoc confiteri, dum dicunt formam extendi ad extensionem materiæ, & fieri diuiduã diuisione materiæ; sic enim affirmant materiam secundùm se diuiduã esse ante formæ receptionẽ: dicũt præterea accidentium omnium alia ad materiam pertinere, alia ad formam, & qualitates quidẽ ad formam, quantitatem verò ad materiam, E quod est ipsam Auerrois sententiam approbare.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Sententiæ Auerrois declaratio & confirmatio. Cap. IX.

Qvum ego veram hac in re esse putem opinionem Auerrois, ductus tum argumentis prædictis, tum Aristotelis aliorumq; authoritate, vt mox ostendam, ante omnia optimè declarandam esse hanc sententiã arbitror; quia ipsa bene intellecta videtur F suam veritatem patefacere, & contraria argumenta facilè diluere. Dico igitur huiusce rei veritatẽ in hoc potissimùm fundamento consistere, quòd quũ cuiusq; rei quantitas sit terminata, hæc nec solam materiam insequitur, nec solam formam, sed vtramque simul; nam quantitas ipsa seclusis mente omnibus terminis à sola materiæ natura emanat, & est eius proprietas inhærens ipsi per se secundo modo, sicut homini risibilitas; termini verò quantitatis præscribuntur à forma, quatenus quælibet forma certos quosdam, ac proprios terminos postulat; hoc certè ex ipsa loquendi consuetudine satis cõprobatur; idem enim significare videmur dicẽdo magnitudinẽ, & corporeum, & materiale, & has dictiones sæpe vt idem significantes confundimus, dum à rebus incorporeis has corporeas, & materiales secernere volumus; sic aũt denotamus à natura materiæ prouenire, vt res dicantur & magnitudines, & corporeæ. At statuere terminos magnitudini est solius formæ officium, quia nulla determinatio à materia prouenire potest, & rationi consonum est, vt forma, quemadmodũ naturam ipsam materiæ coarctat, & ad certam speciem contrahit, facitque hominem, & equum, & asinum; ita etiam quantitati materiæ, quæ secundùm se terminis caret, certos aliquos fines largiatur. Duplices autem terminos forma præstat, externos, & internos: externi sunt illi, qui non sunt de genere quantitatis, vt figura, quæ est in quarta specie qualitatis, & nil aliud est, nisi quidam partiũ quanti inter se concentus, & harmonia; interni verò illi sunt, qui sunt de genere quanti, & certam quanti speciem constituunt, vt bicubitũ, tricubitum, & huiusmodi: vtrosque terminos quantitati materiæ forma præbet; at quantitatem ipsam præbere non potest, quia sicuti forma hominis nõ potest sine materia hominem constituere, ita neque tantum facere potest, nisi in materia quanta, & extensa recipiatur, quum ipsa secundùm se forma non sit quanta, neque diuidua: de qualitatibus verò secus est; hæ namque incorporeæ per se sunt, & indiuiduæ, quæ tribui à forma possunt, quia materia secundùm se his omnibus caret. Hinc colligimus, formam & materiam sibi mutuam operam præstare: forma enim quæ secundùm se indiuidua est, recipit à materia extẽsionem, & quantitatem; materia verò sumit à forma terminos suæ quantitatis: hanc veritatem confiteri omnes videntur, inscij tamen, & ab ipsamet re ad ita loquẽdum inducti, dum in gymnasijs frequenter dicunt, formam extendi ad extensionem materiæ; sic enim afferunt propriam materiæ esse extensionem, formam verò eam accipere à materia: dicere tamen possumus, non modò formam extendi ad extensionem materiæ, sed etiam materiam ad formæ extensionem extendi, verum enim vtrunque est alia & alia ratione; illud enim verum est de extensione absolutè accepta, quam forma sumit à materia, hoc autem de limitibus, ac finibus extensionis; nam eousque materia extenditur, quousq; forma præscribit, & imperat: simili quadam ratione dicere solemus cum equos trahentes currum, tum etiam aurigam tantum itineris peregisse; equos quidem absolutè loquendo; ipsi enim sunt, qui ambulant, non auriga; aurigam verò tãquam eum, qui certos limites, ac fines itineri statuit, quum equi nullum sibi certum ite. minũ proponant.

Quomodo quantitas materiam insequatur.

Quomodo quantitas formam.

Termini quantitatis duplices.

Materia extenditur ad extensionem formæ, & forma ad extensionem materiæ.

ponant, proinde tota hæc determinatio tribuatur aurigæ. Hanc sententiam colligit Auerroes ex Aristotele in contextu 15. libro 4. Physic. dicente locum videri esse materiam, quatenus est magnitudinis dimensio, siquidem materia est dimensio magnitudinis; vocat autem ibi magnitudinem Aristoteles eam tantùm, quæ terminata est, certamque habet quantitatem, dimensionem verò græcè dictam διάστημα vocat ipsam materiæ quantitatem, seclusis terminis; quum igitur dicat Aristoteles, locum ea ratione videri esse materiam, quatenus est dimensio, absq; dubio materiam per se dimensam ponit, quum præsertim postea materiam hanc dimensam distinguat à forma, dicês eam sub forma contineri tanquam sub superficie, ac termino; forma enim dat terminos extensioni materiæ, materia verò suapte natura quanta, & extensa est, imò Aristot. ibi eam vocat dimẽsionẽ ipsam: quamobrem rectè ibi Auerroes colligit ex Aristotele materiam per se habere dimensiones interminatas, quæ nec re, nec imaginatione separari à materia possunt; quod quidem verissimum est, dum enim mente materiam sine formis concipimus, fieri non potest, vt eam non quantã imaginemur, sed necessariò imaginamur quantam, ac veluti vastam quãdam magnitudinem, nullisque certis terminis circumscriptam; idq; Aristoteles eo ipso in loco satis clarè pronuntiare videtur, dum inquit; si à corpore amoueantur terminus, & affectiones, nil remanet, nisi materia, non enim dicit, si amoueatur quantitas, sed dicit, si amoueatur terminus; quare putat propriam, & naturalem materiæ esse quantitatem, at non terminos. Talem materiam significauit Chaos illud Anaxagoræ corporeũ, in quo omnia inesse dicebat; est enim materia moles quædam indistincta, in qua insunt omnia, non quidem actu, vt Anaxagoras dicere visus est, sed potestate solùm. Plotinus quoq; eiusdem sententiæ fuit in 4. lib. 2 Ennead. licèt ei contraria opinio attribui soleat: ibi namq; longo sermone ostendit materiam secundùm se incorpoream esse, & quantitatem non habere, sed apertè etiam declarat de quanam quantitate loquatur; de sola enim terminata loquitur, vt omnia eius exempla testantur; dicit enim quantitatem insequi formam; quoniã aliam quãtitatem forma hominis postulat, aliam forma bouis, aliam forma canis, quarũ nullã materia in se habet; igitur hoc tantùm ex Plotino ibi sumi potest in cap 8. eius lib. idq; nos non inficiamur; sed in cap. 11. manifestè ponit in prima materia quãtitatem interminatam, quũ dicat materiam esse quandam veluti molem, ac dimensionem vacuam, & declaret nõ esse aliud hãc vacuitatem, quàm negationem terminorum, seu interminationem; vnde colligit materiam esse molem, & non molem; molem quidem, quatenus extensa est, nõ molem verò, quatenus non est terminata; exponit etiam ibidem Platonis de materia prima sententiam, qui non dixit eam magnam, neque dixit paruam, sed vocauit simul magnum & paruum, vt tum quantam significaret, tum interminatam & aptam indistinctè ad quoscunque terminos suscipiendos: præterea in cap. 6. volens ostendere Plotinus elementa ex materia & forma constare, inquit; si elementa essent sola forma sine materia, quomodo magnitudinem ac molem haberent? molem igitur, ac magnitudinem corporibus à materia prouenire, & materiam insequi censuit, non formam, solos autem terminos tribui à forma.

Chaos Anaxagoræ.

Plotinus.

Plato.

Reprobatio praui sensus, Auerroi à nonnullis attributi. Cap. X.

NOn est hîc silentio prætereundus nonnullorum error, qui sententiam Auerrois in prauũ sensum trahentes, in eam postea inuecti sunt; putârunt enim has dimensiones interminatas apud Auerroem esse illas, quæ actu existunt extra animam, diciq; interminatas ratione terminorum præscribendorum à forma generanda; dimensiones enim quæ sunt in semine humano, etsi proprios terminos habẽt, dici tamen possunt interminatæ respectu terminorum tribuendorum à forma hominis aduentura, quos nondum habent; qua ratione existerent actu interminatæ extra animam, quatenus carentes terminis formæ generandæ. Sed ab hac sententia alienissimus Auerr. fuit, qui nunquam dixit, dimensiones interminatas existere actu vt interminatas, sed in cõment. 15. lib. 4. Physic. & in calce 2. tract. Epit. Metaph. apertè dixit, has dimensiones interminatas non esse actuales, sed potentiales; interminatas enim intelligit, non ratione terminorum tantùm formæ generandæ, sed ratione omnium terminorum, qui à qualibet forma præscribi possunt, imò etiam eorum, quos habent à forma præsente: quamuis enim existant vt terminatæ, & nunquam vt interminatæ, terminos tamen non ex se habent, neq; ex propria natura materiæ, sed à forma; quare nõ ideò dicuntur interminatæ, quòd reperiantur vnquam sine terminis, sed quia secundùm propriam materiæ naturam, quam insequũtur, nullos certos terminos habent præscriptos: sic enim ipsam quoq; materiã dicimus secundùm se esse informem, & omni actu carẽtem, quamuis semper habeat formam, nec possit vnquã existere sine forma: nil enim aliud per hoc significare volumus, quàm naturam materiæ nullam sibi certam formam præscribere. Quemadmodũ igitur dum solam materiæ essentiam spectamus, eamq; mente ab actu existendi abiungimus, informem penitùs esse dicimus; dum autem eandem vt existentem cõsideramus, dicimus semper esse formatã: sic etiam eius quã-

Prauus sensus attributus Auerroi.

Confutatio.

Verus sensus.

titatem dum secundùm se sumptam respici- mus, interminatam vocamus quia secundùm se nullis certis terminis est addicta; dum autem eandem vt actu existentem respicimus, semper habere terminos dicimus, & nunquã existere actu sine terminis; siquidẽ ponere eam actu existentem vt interminatam, esset ponere actu magnitudinẽ infinitam, quæ dari nullo modo potest: non igitur eam vocamus interminatam, quòd terminorum negationem requirat, sed quia terminos, quos habet, & quos habere potest, non à se, neque à natura materiæ præscriptos habet, sed ab alio, nempe à forma terminante; ob id Auerroes has dimensiones materiæ vocat potentiales, non actuales, quia interminatæ non existunt actu, sed dum mente à terminis abiungũtur, cognoscuntur esse secũdùm se interminatę, & potestatem habere quoscunq; terminos recipiendi; hoc igitur modo intelligẽdum est id, quod Auerroes dicit, quantitatem hanc interminatam nõ existere actu, sed potestate; non enim negat eam existere, sed solùm vult eius imperfectionem, atq; interminationem significare, quia nullum ex propria natura terminum habet. Non est etiam ignorandum, quantitatem interminatam nõ differre numero à terminata; eadem enim est, quæ secũdùm se terminis carens, eos postea sumit à forma, & fit terminata; ideò idem est vtriusq; subiectum inhærentiæ, nempe ipsa prima materia, at non est idem subiectum attributionis, seu denominationis; nam interminata attribuitur materiæ, terminata verò toti composito: simili ratione etiam imago à pictore leuiter adumbrata nõ differt numero ab ipsa iam absoluta, sed solùm vt id, quod priùs potestate, atq; imperfectum est, postea verò fit actu, atq; perfectum.

Quantitas interminata est eadem numero cũ terminata.

Solutio argumentorum pro Thoma adductorum. Cap. XI.

Ad primum. Restat vt contraria argumenta, quæ pro Thoma adducta sunt, soluamus. Ad primum dicimus, quantitatem interminatam eandem esse numero cum terminata: quando autem infertur, ergo accidentia rei præcedunt ipsam rei substãtiam tempore infinito, dicimus, si sumatur quantitas, vt hominis propria, & vt humanis terminis circũscripta, negandum esse consequens, quia hæc, quatenus talis est, non præcessit hominem; si verò sumatur quantitas absolutè, seclusis terminis, negandam esse falsitatem consequentis, quia sicuti materia hominis secundùm Aristotelem præcessit hominem tempore infinito, ita quantitas illa vt interminata præcessit per infinitum, nec ob id vllum absurdum sequitur, quia non propterea aliquod hominis propriũ præcedit hominem; siquidem materia non est magis hominis materia, quàm aliarum rerum; ad probationẽ verò sumptam ex Aristotele, qui in contextu 4. libri 7. Me-

A taphysic. dicit substantiam esse accidentibus priorem naturâ, cognitione, & tempore, multi multa dicunt, & locus ille magna difficultate nõ caret, quia de tẽpore videtur dictum Aristotelis falsum esse: nam si hoc intelligamus de qualibet substantia, respectu accidentium suorum, non est tempore prior omnibus suis accidentibus, non enim accidẽtibus proprijs, quum hæc simul oriantur cum subiecta substantia, vt simul cum homine risibilitas; si ve-

Quomodo substantia sit tẽpore prior accidentibus.

B rò intelligatur etiam de omnibus accidentib. tam illius rei, quàm aliarum, adhuc falsum est; dantur enim secundùm Aristotelem accidentia æterna, qualia sunt accidentia Cœli, quæ sunt tempore priora omnibus substantijs caducis, & nullam habent substantiam tempore priorẽ, ne ipsam quidem substantiam Cœli, quum & ipsa sint æterna; ideò locus ille multorum animos torsit, qui varijs modis illum exponere sunt interpretati; ego hac occasione hic

C pauca quædam dicam; id tamen præmonere velim, argumentũ hoc nõ magis nobis, quam aduersarijs obesse; vt enim secundùm Auerroem poni videtur accidens tẽpore prius forma substantiali, quod Aristot. aduersatur, ita secundùm Thomam ponitur quantitas rei simul oriri cum forma, quod similiter Aristoteli aduersatur, quia si dictum illud Aristotelis verum esse debeat, oportet accidens nec prius tempore existere, quàm substantiã, nec simul

D cum illa, sed posterius tempore; omittere igitur poterant aduersarij argumentum hoc, tanquam ab eo, de quo nũc agitur, alienum, quod ad aliam quandã difficultatem pertineat, nec minùs Thomæ, quàm Auerrois sententiã oppugnare videatur. Agit hac de re Zimara in theoremate nono, & reprobat interpretationem à Scoto adductam in 2. quæst. lib. 7. Metaphysicæ vt ibi legere possumus: affert etiam expositionem Auerrois, quam nec approbat,

E nec reprobat, sed aliam ipse propriam adducit, quæ ipsi mirum in modum placuit: Auerrois quidem sentẽtia est, Aristot. ibi loqui de substantijs tantùm caducis, ac de earum accidentibus, nõ de æternis, quare cessat dubium de accidẽtibus Cœli, inferiorum autem corporum accidentia omnia habent substantiam tempore priorem; vel enim substantia composita, quæ illis subiecta est, præcedit ea tempore, vel saltem prima materia, quæ illius sub-

Expositio Auerrois.

F stantiæ pars est, quantitas verò materiæ interminata non existit vt interminata, sed semper sub terminis, nec differt numero a terminata; quum igitur Aristot. ibi loquatur de accidentibus, quæ extra animam actu existunt, rectè dicit omnia esse tempore posteriora substantia, in qua inhærent; sic dubiũ soluitur secundùm Auerroem. Zimara verò inquit, verba illa Aristot. ita esse intelligenda, vt coniunctio pro disiunctione sumatur, & sensus eorum sit, substantia est accidente prior vel tempore, vel saltem naturâ, sic enim tollitur omnis difficultas.

Expositio Zimaræ.

difficultas: nam quantitas interminata non est comparanda cum composito, sed cum prima materia, quæ ipsius subiectum est inhærentiæ, & attributionis; materia verò prior illa quantitate est, si non tempore, saltem natura. *Confutatio.* Ego quidem aliàs Auerrois solutionem secutus sum, quum viderem solutionem Zimaræ, non satis accommodari verbis Aristot. qui coniunctione vtitur, non disiunctione: sed quum postea solutionem quoq; Auerrois diligentiùs considerauerim, vidi eam quoq; nõ carere difficultate, quãdoquidem non est obscurum, Aristot. eo in loco loqui de sola substantia composita, & hanc vocare substantiam, & dicere priorem accidentibus naturâ, & tempore, nempe accidentibus suis, non accidentib. alienis, de quibus nihil certum statui potest, quum accidentia hominis senioris præcedant tempore substantiam alterius hominis iunioris; itaq; non videtur esse ad materiam confugiendum, quæ accidentibus prior tempore esse dicatur, sed ostendendum, quomodo substantia composita tempore prior sit omnibus accidentibus suis, hoc est illis, quæ ipsimet tanquam subiecto attribui solent, si verba illa Aristot. eum sensum habent, quem aduersarij nobis obijciunt; id tamen nec ipsi, nec alius vllus ostendere potis est, quũ sit manifestum, quamlibet substãtiam compositam aliqua habere accidẽtia necessaria, quæ simul cum illa, non posteriùs, oriuntur, vt propria cuiusq; quantitas, & alia complura; hunc igitur sensum falsum esse certum est, nec verbis Arist. attribuendum. *Expositio propria.* Quamobrem quum ego tem hanc diligenter cõsiderauerim, semperq; existimauerim, quærendam semper esse ante omnia cuiusq; rei veritatem, deinde illa cognita, ad eam, si fieri possit, verba Aristot. trahenda esse, non è contrario, quod multi faciunt; viderim autem hanc esse manifestissimã huiusce rei veritatem (etiamsi id non asseret Aristot.) substantiam esse naturâ priorem omnibus accidentibus suis, non omnibus tamen tempore, sed aliquibus; dicendum censui, necesse esse vt Aristot. vel hoc idem dicat, vel falsum dicat: quòd hoc idem dicat, tueri possumus, si ipsam quidem Zimaræ sententiam recipiamus, quam dicere possumus non ab eo fuisse inuentam, sed ab ipsamet te osten di omnibus, ac patefieri; verborum tamen Arist. meliorem interpretationem adinueniamus, constat enim interpretationem Zimaræ illis accommodari non posse, quum Aristot. nõ disiunctione vtatur, sed cõiunctione, sitq; arbitraria expositio, & satis impropria locutio coniunctionem accipere pro disiunctione. Propterea ego dico, defendi posse sensum illorum verborum etiam coniunctum, nempe vt Aristot. hoc solum dicere velit, substantiam esse accidẽtibus priorem, vtcunq; id sit, postea verò modos declaret huius prioritatis, & dicat priorem esse his omnibus modis,

A ratione, cognitione, naturâ, ac tempore, non quidem semper his omnib[us] simul, sed modò omnibus, modò aliquibus, sat enim est, si hi omnes sint modi, quibus solet substantia esse accidente prior, nec alius detur præter hos: sic nos aliàs sumus interpretati verba illa Aristot. in definitione naturæ [*motus & quietis*] vt coniunctio non pro disiunctione sumatur, sed pro coniunctione, nec ob id dicere oporteat, naturam in quolibet naturali corpore esse causam vtriusque: hoc igitur modo conueniens

B est loquutio coniunctiua, incõueniens autem disiunctiua: quemadmodũ enim natura non est causa alterius tantùm, sed vtrisque, ita hic dicendum non est, modum, quo substãtia est accidente prior, esse aut hunc, aut illum, sed esse hos omnes, tametsi non simul; accidens enim nullo illorum modorũ potest esse prius substantia sibi subiecta, imò neq; simul, nisi tempore solùm; substãtia verò omnis est suis accidẽtibus prior & definitione, & naturâ, &

C cognitione distincta, etenim hi modi reipsa in idem cadunt; tempore autem prior est multis suis accidẽtibus, quibusdam tamen si non est prior, non est saltem posterior, sed simul. Hanc esse puto mentem Aristot. eo in loco. Ad argumentum igitur dico, quantitatẽ terminatam referendam esse ad substantiã compositam, cui vt subiecto attribuitur, interminatam verò non ad compositum, sed ad materiam; itaq; sat esse, si, vt compositum quan-

D titate terminata, sic materia quantitate interminata sit prior, si non tempore, saltem naturâ: quantitatem autem interminatam comparare cum composito, & illo priorem dicere absurdum est, perinde enim est ac dicere accidentia huius hominis esse tẽpore priora substantiã alterius hominis, quod incongruum est, & alienum à mente Aristot. eo in loco, qui substantiam cum suis tantùm accidentibus comparat, nõ cum alienis, imò nec vllam sub-

E stantiam ibi considerat, nisi compositam, & perfectam, & nulla accidentia, nisi terminata, & actu existentia: quod verò addebatur, ergo eadem esset hominis quantitas, ac formicæ, negandum est; quoniam axioma illud, quæ sunt idem alicui tertio, sunt idem inter se, verum est comparando inter se illa, quæ sunt actu; sed non est verum, si fiat comparatio eius, quod est potestate, cum eo, quod est actu, quia hæc non omnino sunt idem, sed differunt per

F potestatem, & actum; lignum enim est potestate idem numero lectus, qui postea fit actu, est etiam illud idem lignum arca potestate, & eadem arca numero quæ potest ex eo fieri actu, nec propterea sequitur vt arca sit idem quod lectus: sic materia prima est idem quod homo, qui ex ea fieri potest, cum hoc tamen discrimine, potestate, & actu; & eadem materia est idem quod equus, qui potest ex ea fieri, nec ob id homo est idem quod equus, nisi sic intelligamus, eadem materia est potestate

homo, & potestate equus, ita vt esse idem in eo tantùm consistat, quod est potestate, sed non in eo, quod est actu: sic igitur quãtitas interminata primæ materiæ est potestate quantitas hominis terminata, & potestate quantitas formicæ, quoniam apta est recipere vtrosque terminos, sed hi inter se nõ sunt idem.

Ad secundum. Ad secundum argumentum dicimus, subiectum accidentium terminatorum, ac perfectorum esse ens actu, & de his tantùm loquuntur Aristot. & Auerroes, non de accidentibus interminatis, quæ possunt habere subiectũ ens potestate.

Ad tertium. Ad tertium sunt qui respondeant, primam materiam ex se habere esse simpliciter, nõ à forma, propterea quòd habet propriam existentiam: sed hanc opinionem nos antea confutauimus, & ostendimus primam materiam non per se existere, sed per formam, quæ constituit hoc aliquid. Nos igitur dicimus, aliud esse existentiam, aliud essentiam, & vtrouis modo hi sumant esse, argumentum nihil habere roboris. Nam si intelligant esse essentiæ, nõ sequitur, quòd esse secundùm quid sit prius, quàm esse simpliciter; ipsa enim materiæ essentia indeterminata prior est, quàm essentia quantitatis interminatæ: si verò essentiam sumant vt determinatam per formam, quod appellari solet esse specificũ, hæc comparanda est cum quantitate terminata ipsam insequente, non cũ interminata, quæ soli primæ materiæ comparanda est; forma verò substantialis dans rei esse simpliciter, id est, constituẽs ipsam in aliqua specie substantię, prior est quantitate consequente, quæ non dat rei esse simpliciter, sed esse secundùm quid; quia constituit eam in categoria accidẽtis. Si verò esse pro existentia accipiatur, hãc dare potest sola forma substãtialis, quare nequit aliquod accidens formam præcedere, quod vllo pacto rei præbeat existentiam: itaq; nullũ modum video, quo sit prius esse secundũ quid, quàm esse simpliciter; nam quantitas interminata non dat esse secundùm quid, quod sit coarctatum ad aliquã certam quantitatem, hoc enim vtiq; esset absurdũ, nempè rem esse priùs determinatam secundùm speciem aliquã accidentis, quàm in specie vlla substantiæ; at quãtitas interminata dat quidem materiæ esse secundùm quid, sed indeterminatè, & eo prius est esse materiæ substantiale, quod similiter est indeterminatum: quoniam igitur prius est in materia esse substantiam, quàm esse quantã interminatè, esse verò determinatũ, quod tribuitur à forma, est prius omni accidẽte terminato, quod tribuit esse secũdum quid, manifestum est, nunquam esse prius esse secundùm quid, quàm esse simpliciter.

Ad quartũ. Ad quartũ concedimus, ex materia, & quantitate interminata fieri vnũ per accidens, quod prius est composito constante ex materia & forma, & vno per se; satis enim est, si illud vnum per accidens habeat priorem se saltem substantiam materiæ, quæ dici potest vnum per se, prout distinguitur ab vno per accidens: videtur itaq; hic cauillus in hoc consistere, quòd comparat quantitatem interminatã cum forma, cum qua non debet comparari: congrua enim fit comparatio formæ substantialis acquisitæ cum accidentibus similiter acquisitis, quæ his omnibus, vt antea diximus, prior est; & primæ materiæ apud Aristot. æternæ cum quantitate interminata similiter æterna, & eius naturam insequente, proinde posteriore secundùm naturam. Similis fuit deceptio in argumento præcedente, à quo hoc parum discrepat.

Ad quintũ. Ad quintum dicimus, quantitatẽ interminatam neq; esse essentialem materiæ vt per se in primo modo dicendi per se, neq; etiam penitus accidentalẽ; sed esse illi essentialem vt per se in secũdo modo dicendi per se, essentiam enim materiæ insequitur quãtitas, sicut essentiam hominis risibilitas; quare nec separabilis est à materia, nec materia est essentialiter quantitas.

Ad sextum. Ad sextũ dicimus, quantitatem hanc interminatam non posse quartũ rerum principiũ appellari, neq; ex ea res fieri, praua enim & incongrua est hæc locutio, res fiunt ex quantitate interminata, sed solùm dicimus, ex duob. contrarijs; & ex subiecta materia res fieri; ex materia enim & forma fiunt res, & constant; ex priuatione autẽ fiunt tanquam ex termino à quo: ratio autẽ est, quoniam hæc singula proprias habent principij rationes, forma vt terminus, ad quẽ mutatio tendit, & vi suo aduentu rem constituens; priuatio tanquã termin⁹, à quo recedit, in omni mutatione necessarius; materia verò vt subiectum deferens mutationẽ, & in re genita permanens: ipsa verò secundùm se quantitas interminata nullã habet principij rationem, sed est conditio quædam materiæ, quæ subijci nõ potest, nec suo officio fungi nisi sit quanta. sic etiam materiæ potentia, de qua antè loquuti sumus, nullam habet propriam rationẽ principij, sed est conditio constituens principium materiale; quantitas verò dici potest eiusdem conditio, non tamen vt cõstituens, sed vt sine qua non.

Quantitas non est quartum principium generationis.

Ad septimũ. Ad septimum dicimus, incongruam esse interrogationem, an per quantitatem interminatam materia fiat actu diuidua, an potestate, siquidem diuiduũ, seu diuisibile significat manifestè potestatem, non actum; nam diuisibile vocamus non id, quod actu diuiditur, sed quod habet potestatẽ vt diuidatur; nisi fortasse dicãt actu diuisibile esse id, quod habet potestatem proximam vt diuidatur, potestate autem diuisibile id, quod habet potestatem remotiorem; quoniam enim agens non agit nisi in subiecto bene præparato, & idoneo ad recipiendum, ideo illud subiectum, quod nondum est bene præparatum, dici potest habere patiẽdi potestatem remotiorem; vt si ceram dicamus diuiduam esse, & ferrum diuiduum, sed ceram actu, ferrũ verò potesta-

te; co-

etcera nanq; diuidi statim potest, ferrum autem non statim, sed aliqua adhibita præparatione. Hoc igitur modo si intelligant actu diuisibile, & diuisibile potestate, dicimus primã materiam, quum sit per se quanta, habere primam radicem, & rationem præcipuam diuisibilitatis, & ita fieri diuiduam, non tamen actu, sed potestate; distat enim aliquantũ à diuisione, & præparatione indiget, quia diuidi præsupponit rem esse actu, id enim quod non est actu, non est aptũ sustinere actionem agentis: oportet igitur materiã priùs fieri actu per formam, vt recepta forma sit diuisibilis actu, seu potestate propinquiore; quare per quantitatem interminatam materia fit diuisibilis potestate remota: quod verò illi dicunt, ergo illa quãtitas est frustra, quia etiam sine illa est materia diuisibilis potestate, hoc negandum est; dicimus enim materiam sine quantitate diuiduam dici non posse, hoc est, nec actu, nec potestate, quia neq; à forma, neque ab vllo agente potest quantitatem recipere, nisi eam habeat suapte natura, quare nunquam fiet diuidua. *Ad vltimũ.* At postremum argumentum dicimus, quantitatem interminatam esse in categoria quanti; quum enim quælibet categoria diuidatur per potestaté, & actum, vt inquit Arist. in contextu 6. primi libri de Anima, & in contex. 3 & 6. tertij Physic. est quidem præcipuè in categoria illud, quod iam est actu, idq; respiciens Aristot. in cap. de quanto dixit, quantum esse illud, quod denotat certam rei quantitatem, per hoc significans, solum quantum terminatum esse propriè, ac directè in categoria quanti; attamen non negaret etiam quantitatem interminatam pertinere ad eandem categoriam, & in ea esse per quandam reductionem, & secundariò: sic etiam in categoria substantiæ non solum est homo actu, & perfectus, sed etiam homo potestate; nam prima materia est potestate homo, & potestate omnia, & ponitur in categoria substantiæ per reductionem, tanquam omnium substantiarum inchoamentum; ideò dicere solent, substantiam compositam, & actualẽ propriè, & præcipuè in genere substantiæ collocari, materiam verò & formã, quæ sunt substantiæ simplices, in eodem esse secundariò, & tanquam partes substantiæ compositæ.

An prima Materia sit corpus de genere substantiæ, opiniones variæ. Cap. XII.

HActenus ostensum est, primam materiam esse per se quantam, & ita esse corpoream quatenus habet tres dimensiones, quæ constituunt corpus de genere quantitatis; considerandum restat, an secundùm propriam naturam, & ante aduentum formæ sit etiam corpus de genere substantiæ. Hac de re tres ad summum inuenio aliorum sententias. *Primæ opinio.* Prima est illorum, qui in materia ponunt formam quandam substantialem æternam, quam alij vocãt inchoatiuum formarum, alij formam corporeitatis, à qua habent omnia naturalia corpora vt sint corpora, ita vt ea sit natura communis respondens corpori, quod est supremum genus in categoria substantiæ; sententiam hanc sequutus est Auicenna in primo sufficientiæ cap. 2. & in 2. tractatu Metaphys. cap. 2. & Albertus Magnus, & Linconiensis, & Ioannes Gandauensis, & Augustinus Suessanus, & meis temporibus M. Antonius Genua præceptor meus, qui ostendere nisus est, dari hanc formam inseparabilem à prima materia, & ab Arist. significatam nomine priuationis tanquam omnium formarum imperfectissimam. *Secunda opinio.* Secunda est sententia, quam tuetur Ioannes Grammaticus in lib. suo 11. contra Proclum, vbi ostendit primam materiam secundùm se esse corpus, quia est ipsamet trina dimensio, ita vt trina dimensio in materia non sit accidens, sed substantia, & nil aliud sit substantia ipsa materiæ, quàm triplex dimensio, longitudo, latitudo, & crassities. *Tertia opinio.* Tertia est opinio communis, in qua videntur cæteri omnes philosophi cõsensisse, quòd prima materia secundùm suam naturam non sit corpus corporeitate substantiali, sed illa solùm, quæ est de genere quantitatis, quũ sit per se quanta, vt iam demonstrauimus; corpus enim de genere substantiæ dicunt esse illud solum, quod ex materia & forma cõstet. *Quarta opinio propria.* Ego verò his omnibus sententijs consideratis, atq; reiectis, ostendam primam materiam in sua prima notione, & in suæ naturæ puritate acceptam nil aliud esse, quàm corpus de categoria substantiæ, non quidem per formam illam æternam, quam prima illa secta tuetur, neque quia sit idem quod trina dimensio, vt Ioannes Grammaticus; sed quia secundùm propriam suam naturam est corpus substantiale simplex, trinæ dimẽsioni subiectum: & quemadmodum non dubito, quin hæc sententia primo ipso aspectu à plerique παράδοξον, & absurda iudicanda sit, ita etiam non despero, literatos & ingenuos viros, postquam ipsa veritatis fundamenta perceperint, aut in nostram sententiam venturos, aut saltem iudicaturos, me nõ temerè, sed valida, & efficaci ratione ductum, in hanc sententiam venisse.

Argumenta illorum, qui dicunt primam Materiam esse corpus per formam corporeitatis æternam. Cap. XIII.

EXpendenda primo loco est illorum opinio, qui primam materiam dicunt esse corpus per formam substantialẽ illi perpetuò inhærentem, & inseparabilem: hi pluribus ad hanc comprobandam argumentis nituntur, sed nos reliquis omissis duo tan-

tùm præcipua in medium afferemus, quorum consideratio ob ea, quæ mox dicenda sunt, magno nobis vsui futura est. Vnum est, nisi hæc forma admittatur, dabitur creatio ex nihilo, imò illa, quæ solet vocari generatio, creatio erit: consequens est falsum non modò apud Aristotel. sed etiam apud Theologos nostros, qui negant, naturã posse aliquid creare, quum hoc ad solum Deum pertineat; consequentiam ita probant; forma, quæ producitur, tota producitur, nulla sui parte præsupposita, at id, quod totum producitur nulla præsupposita sui parte, creari dicitur, ergo forma creatur; hac autem forma admissã, quæ sit omnium formarũ inchoamẽtum, creationem formarũ vitamus, quia hæc forma ab agente elaborata ad varias perfectiones ducitur, & fit forma specifica modò huius rei, modò illius. Secundum argumentum tribus nititur fundamẽtis, quæ illi ante omnia statuunt; primum est, veram esse sententiam Auerrois in Porphyrium in cap. de specie, quòd supremũ genus vniuocum in categoria substantiæ est corpus, quod sola caduca corpora complectatur; secundò sumũt genus vniuocum id solum dici, cui respondeat extra animam aliqua vna cõmunis natura, quæ à pluribus speciebus æquè participetur, nec sit sola vox pluribus naturis cõmunis, hæc enim ambigua, seu æquiuoca dicitur; tertiò accipiunt, nõ posse talem cõmunem naturam, à qua in rebus existente sumatur vniuocatio, esse nisi formam, hæc enim esse videtur Auerrois sententia in 2. Physic. Comment. 28. & in 1. Metaphys. 17. & in 7. Metaphys. 43. & in 8. Metaphys. 6. & in 2. tractatu Epitom. Metaphys. cap. 13. in his enim omnibus locis loquit, partes omnes definitionis esse formas; genus quidem esse formam vniuersalem, differentiam verò esse formam particularem: his iactis fundamentis ita argumentantur; corpus, quod est supremum genus in categoria substantiæ, est vniuocum genus omnium caducorum corporum, ergo ei respõdet in rebus aliqua vna forma ab omnibus talibus corporibus participata, datur igitur forma corporis, si autẽ datur, ergo æterna est; quia quicquid in re intereũte inest, quod etiam in re generanda inesse necessarium sit, id non debet interire, sed in re genita idem seruari; at corporis natura nulli rei generandæ repugnat, imò est omnibus necessaria; ergo interire nunquam debet, si verum est id, quod ab Aristotel. dicitur de symbolis elemẽtorum qualitatibus in 2. libro de generatione; nam si mutetur aqua in aërem, inquit Aristoteles humiditatem aquæ nõ interire, sed eandem in aëre seruari, quum ambo sint elementa humida; imò non solùm non debet interire, sed neque potest interire, quicquid enim intetit, à suo contrario interimitur; at formę corporis nulla est contraria forma, quũ omnes eam complectantur, imò & necessariò

Primum argumentum.

Secũdum argumentum.

A eam requirant; igitur nec debet, nec potest forma corporis vnquam interire.

Dictæ sententiæ impugnatio.
Cap. XIV.

Aduersus hanc sententiam, quum iam sit ab omnibus explosa, pauca dicere satis erit; impugnat eam multis in locis Auerroes disputans contra Auicennã, qui eam tutatus est, præsertim verò in Cõment. B 63. primi Physic. & in Epitome Metaphys. tractatu 2. cap. vltimo, & vtitur argumento tali: si in prima materia esset hæc forma æterna, sequeretur, non posse vllam aliam formam in materia recipi, sed sola accidentia, quoniam per hanc formam materia fieret ens actu; enti autem actu non potest aliqua substãtialis forma aduenire, sed accidentia tantũmodò; nulla igitur dabitur substantiæ generatio, sed solùm mutatio in accidentibus. Verùm aliqui C Auerroistæ huius sententiæ sectatores facilè se existimarunt, non modò hoc argumentum soluere, sed etiam ostendere Auerroem eiusdem fuisse opinionis; dixerũt enim duplicem esse formam substantialem, vnam specificam, &(vt eorũ vocabulo vtamur) vltimatam, quæ est forma vltimę speciei, vt hominis, equi, bouis; alterã verò cõmunem & generalem, qua non species infima constituitur, sed genus aliquod vt forma corporis, forma viuentis, forma D animalis; huiusmodi forma nõ potest existentiam tribuere, sed sola forma specifica id facere potest, propterea quòd forma generalis dat quidem actum, sed imperfectum, & cũ potestate cõmistum; at forma specifica dat actum perfectum, & nulla alia forma ind gentem ad existendum: dicunt igitur, Auerroem non negasse formam corporis æternam in prima materia, sed eam posuisse vt generalem, non vt specialem, ideoque Auicennæ sententiam E reprobasse, qui talem formam tanquam specificam statuebat, quod ex ipsomet Auerr. argumento colligitur: nam si materia habeat aliquam formam generalem, non impeditur ne aliam formam recipere queat, sed solùm si habeat formam specificam; idque asserit manifestè Auerroes in Commentario 17. primi Metaphys. vbi dicit materiam priùs recipere formas vniuersales, & imperfectiores, postea verò particulares, & perfectiores; F itaque argumentum Auerrois de sola forma speciali efficacitatem habet, non de generali, materia enim habens formam specialem non potest manente illa aliam formam recipere, sed sola accidentia; at formæ generalĩ potest alia forma substantialis superuenire, quare per formam corporis generalem non tollitur generatio. Sed hi neq; Auerrois, neque Auicennæ mentem penetrarunt. Auicenna quidem fatuus fuisset, si posuisset in prima materia formam specificam æternam, quomodo enim posset materia esse libera ad omnes

Primum argumentum.

Solutio aliquorum.

Forma duplex.

Solutionis impugnatio.

omnes formas recipiendas? & quomodo non fuit posita ab Auicenna vt generalis, si fuit ab eo appellata forma corporis, & corpus est generalissimum in categoria substantiæ? nullam certè formam putauit Auicenna esse generalem, si formam corporis generalem esse negauit: talem igitur opinionem de forma generali æterna attribuit Auerr. Auicennæ, eamque refellit, idque apertè legere apud eum possumus in secundo tractatu Epitomes Metaphysicæ, capite vltimo, quare ipse nullam in prima materia formam æternam admisit, neque vt specialem, neque vt generalem; ostendamus igitur, quomodo contra hanc formam argumentum Auerrois sit efficacissimum, & eorum solutio vana sit: negari certè non potest formam hanc aut esse essentialem materiæ, aut extraneam, quamuis ei semper inhærentem, quemadmodum & aliæ formæ, quæ adueniunt materiæ, & ab ea recedunt, extraneæ illi esse dicuntur: si dicant esse extraneam, ergo materia ad eam se habet vt potentia passiua; sed potentia passiua, vt ait Aristoteles in 9. Metaphys. est potentia contradictionis, & æquè respiciens opposita; ergo materia & habere & non habere hanc formam poterit; atqui potentia naturalis non potest esse frustra, sed necesse est vt aliquando ad actum ducatur; ergo materia erit aliquando sine hac forma, sicut etiam existit sine qualibet alia; non est igitur æterna forma hæc, sed necesse est (si datur) vt intereat possit, & habeat formam contrariam, à qua aliquando pellatur de materia, iuxta dictum Aristot. in lib. de longitudine & breuitate vitæ, fieri non potest, quin materiã habens habeat contrarium, ob idq; omnis forma materialis interitui obnoxia est. Quamobrem cognouit Auerroes hanc formam non posse statui æternam, & simul extraneam naturæ materiæ, sed ex necessitate poni essentialem materiæ, dum ponitur illi coæterna; hoc igitur cõstituto, argumẽtum Auerrois est efficacissimum, quando dicit, ergo nulla daretur substantialis generatio, sed sola alteratio, quia materia ita formata non poterit aliam formam recipere, huius enim ratio sumitur ex Aristot. in 4. contex. 3. libri de Anima, vbi dicit, intus apparens prohibet alienum, & ibi Auerroes ait, omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti; quod quidem dictum non ita intelligendum est, vt recipiens aliquam formam carere omni forma debeat, hoc enim falsum est etiam de intellectu nostro possibili, de quo ibi Arist. loquitur; is enim habens aliquam rerum cognitionem, potest aliarum quoque rerum notitiam adipisci, imò ex principiorum cognitione in conclusionis scientiam ducitur, tantum abest vt eam recipere prohibeatur; sed sensus verborum Arist. hic tantùm est; illud, quod est proprium receptiuum alicuius generis recepribilis, non debet intus, id est, in sua essentia includere aliquid illius generis; mens igitur nostra debet suapte natura esse expers omnium conceptuum rerum cognoscendarum; & quodlibet aliud receptiuum debet in sua essentia carere toto genere sui proprij obiecti, ad quod recipiendum dirigitur, quia si quid eius in sua essentia contineat, aliud amplius recipere prohibetur; quare totũ genus obiectum debet suo receptiuo esse extraneum, & nihil eius potest illi esse essentiale: de conceptib. verò extraneis, & aduentitijs id minimè verum est; vnus enim vel plures in intellectu recepti non prohibẽt ne alij recipiantur; ob id non dixit Arist. omne inhærens vtcunq; sed dixit intus apparens, id est, insitum in ipsa essentia recipientis, facere ne reliqua eiusdem generis in eo recipi possint. Sic igitur non ignorauit Auerroes, loquendo de formis materiæ extraneis & aduentitijs, aliquam formam receptam non impedire ne aliæ recipiantur; nam tantum abest, vt formæ vniuersales, & imperfectiores materiam prohibeant receptione aliarum, vt potiùs eam præparent, & aptam reddant, imò & necessariæ illi sint ad alias perfectiores recipiendas: at si in ipsa materiæ essentia includi poneremus formam aliquam de genere formarum materialium, ea esset absque dubio æterna; sed siue generalis, siue specialis poneretur, omnino materiam impediret, ne vllam aliam formam recipere posset, & ita nulla daretur substantialis generatio; quare argumentum Auerrois optimum est de forma, quæ sit de essentia materiæ, qualem cognouit esse ex necessitate formã illam corporis apud Auic. dum æterna esse ponitur: hanc esse Auerr. mentẽ clarè legimus in Comment. 79. primi Physic. vbi dicit, si materia in sua natura esset formata, non reciperet alias formas; iure enim dicit in sua natura, quia non putauit impedimẽtum fieri nisi ab illa forma, quæ de materiæ essentia esse statuatur. Præterea contra eandem opinionẽ possumus ita argumentari: vana est omnis forma, quæ formæ officio nõ fungatur, huiusmodi autem est hæc forma corporis; etenim quum formæ officium sit materiam restringere, & coarctare, hæc tamen nullam materię coarctationem facit, quia ad nullam determinatam naturã eam contrahit, sed eam relinquit in tota sua amplitudine, & in vniuersali potestate recipiendi omnes formas, imò neq; ipsam corporis naturã constituit, quia mox ostendemus ipsammet materiam sua natura, & absq; hac forma egregiè illa omnia præstare, quorum gratia illi formam hanc æternam introduxisse videntur, nam sufficit sola materiæ natura ad vitandam omnem creationẽ, & ad faciendam vniuocationem corporis; frustra igitur hæc forma ponitur, quæ nullo formæ officio fungitur; quò etiam fit, vt, etiam si daretur, nullo argumento cognosci à nobis posset, quum ob nullum formæ officium necessaria, atq; æter- *Secũdum argumentum.*

na sit; nam in rebus cognoscimus materiæ & formæ compositionem, dum manente materia formam interire, & aliam generari consideramus; at si forma aliqua statueretur æterna, nulla esset ratio, qua illam materiæ cum forma compositionem mente penetrare, & cognoscere vnquam possemus: quo argumento ego vti soleo etiam aduersus eos, qui dicunt Cœleste corpus ex materia & forma constare, qua de re alibi loquemur. Possumus etiam ita argumentari, hæc forma corporis aut est reipsa distincta a forma specifica, vt hominis, vel equi, aut sit vna & eadem cum illa; si distincta, ergo aduersarij ipsomet suo argumēto vrgentur, quoniam non euitatur creatio formæ ex nihilo, etsi enim hæc forma ante hominis generationem supponitur; forma tamen hominis diuersa est ab illa, & tota producitur, proinde creatur, quia forma corporis non est pars aliqua formæ humanæ. Si verò sit vna & eadem forma, ergo formæ substātiales intenduntur, & remittuntur; quia si forma illa imperfecta perfici debet, oportet modò magis, modò minùs intendi eius perfectionem, prout diuersæ sunt rerum naturæ, & perfectiones: sequitur præterea formam hominis, & formam equi esse eandem substantiam, quum vtraque sit hæc forma corporis perfectionem adepta; nam si quid ei additum est, quo differant, id vel substantia est, vel accidens: si substantia, ergo forma est quid compositum, & ex diuersis substantijs constans, quod minimè dicendum est; si verò accidens, ergo homo & equus accidentali tantùm differentia discrepant, quod est absurdissimum. Hæc igitur sententia reijcienda est. Soluenda essent argumenta pro hac opinione priùs adducta, sed hæc post veritatis declarationem, & comprobationem clariùs, ac firmiùs soluentur.

Tertium argumentum.

Argumenta Ioan. Grammatici ad probandum, quòd prima Materia sit trina ipsa dimensio. Cap. XV.

Considerãda est secundo loco opinio Ioannis Grammatici, qui in libro 11. contra Proclum nititur demonstrare, primam materiam natura sua esse corpus, non quidem per formam aliquam, sed quia nil aliud est, quàm trina dimensio, adeo vt trina dimensio sit ipsa prima materia, ex qua omnia fiunt; hæc eadem sententia Stoicorum fuit, & hanc sequens Ioannes refutat efficaciter opinionem aliorum, qui materiam secundùm se incorpoream penitus esse censuerunt, nec sententiam tantùm suam argumentis comprobat, sed considerat etiam, ac soluit argumenta aduersariorum. Vtitur ipse tribus argumentis, quorum primum est: illud statuendum est primum materiale principium omnium rerum naturalium, ad quod nos ducit ratio Aristot. in 1. lib. Physic. auscultationis sumpta à generatione substantiali, atqui ratio illa nos ducit ad corpus, ergo prima materia est corpus: maior manifesta est, minor probatur: in generatione omnium corporum naturalium tria requiri Aristot. ostendit, duo contraria, & subiectum tertium; horum autem nullum æternum est, nisi subiectum, nam contraria se mutuò interimunt, quo fit, vt nihil in hoc mundo inferiore æternum sit, nisi prima materia; atqui sola corporis natura in hoc mundo inferiore nunquam interit, quia præter hanc reliquæ omnes res oriuntur, & occidunt, & fit qualibet ex non tali, & mutatur in non talem, vt homo ex non homine, & in non hominem, & sic de reliquis; corpus verò in non corpus, aut ex non corpore nunquã mutatur, nullum enim corpus interit quatenus corpus, quum similiter in genito maneat natura corporis, fit enim homo ex non homine, corpus tamen ex corpore, quare corpus non interit; idq; non absque ratione; nulla enim res naturalis abhorret à corpore, nec vllum habet contrarium, nec vlli repugnat natura corporis, imò est omnibus necessaria; quare nec debet, nec potest interire: quoniam igitur sola materia in rebus inferioribus æterna est, æterna autem est natura corporis, sequitur nil aliud esse primam materiam, quàm corpus ipsum, & id, quo corpora hæc omnia dicuntur corpora. Secundò sic Ioannes argumentatur: prima materia talis est statuenda, per quam idonea reddatur causa effectuum naturalium, & econtrariò, non est ponenda talis, ex qua non possit effectuum naturalium ratio idonea assignari; at ponendo materiam incorpoream, nulla aliquorum effectuum naturaliũ reddi ratio potest, quorum tamen optima assignatur ponendo materiam corpoream; materia igitur corporea est ponenda: minor ita probatur: certum est inter particulas elementorum esse statutam quandam rationem, seu proportionem, vt ex tanto volus tantum alterius generetur, non plus, neque minus; vt si statuta quædam aquæ portio sumatur, quæ in aërem mutari debeat, statuta etiam est aëris quantitas, quæ ex tanta aqua gigni potest, nam si quantumcunq; aëris ex ea fieri diceretur, posset etiam ex minima aquæ particula generari quæuis magna aëris moles, quod tamen non videmus; huius igitur proportionis nulla afferri ratio potest, dum materia ponitur incorporea, ipsa enim forma aquæ non potest esse causa, vt ex ea tantus aër generetur, quia hæc in aduentu formæ aëris interijt; sed neque forma aëris, quia certum est, aëris naturam non postulare eam statutam quantitatem, quum & cum maiore, & cum minore seruari possit; materia quoque, si sit incorporea, non potest esse causa huius proportionis, quia si secundùm se nullam quantitatem, nullamque extensionem habet, sed omnem extensionem ab alio recipit, ita potest ad maiorem, vt ad minorem quantitatem extendi.

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

tendi. At si materia secundùm se quanta, & extensa ponatur, clara huius proportionis causa adducitur; nam tanta materia, quæ est in aqua vnius ollæ, quum secundùm se possit extendi, quia corpus est, habet etiam certam extensionem respectu formæ aëris recipiendæ, ita vt si illa aqua in aërem muranda sit, tantam aëris quãtitatem ex ea generari oporteat, non maiorem, neque minorem: prouenit enim hoc ab illo respectu, qui est densitatis aquæ ad raritatem aëris, sed is respectus non potest hoc efficere, nisi vtriq; eadem materia, vel saltem æqualis substernatur. Tertium argumentum Ioannis est: si prima materia quanta, & extensa non esset, indiuisibilis esset; hoc tamen est falsum, quia videmus eam in multas portiones diuisam sub diuersis formis existere; est igitur diuidua, proinde corporea secundùm propriam naturam.

Tertium argumentum.

Argumenta contra Ioannem ad probandum primam Materiam secundùm se non esse corpus, quæ est communis opinio. Cap. XVI.

PRo contraria sententia, qua ponitur materia secundùm se penitus incorporea, multas contra se rationes Ioannes adducit, & eas singulas soluit: nos verò in præsentia ipsas tãtùm rationes proponemus, simulq; alias, quæ contra eum à posterioribus philosophis adducuntur, postea verò & argumenta ipsa, & Ioannis solutiones diligenter expendemus. Primùm quidem Ioannes contra se ita argumentatur: quandocunque corpus aliquod perit, experientia docet, simul eius dimensiones interire, & quando generatur corpus aliquod, simul videmus in eo generari nouas dimensiones, nec vllam in hoc mundo inferiore videmus dimensionẽ æternam; at materia æterna est, ergo non habet dimensiones secundùm propriam naturam. Secundò sic; dimensiones sunt essentialiter in categoria quantitatis, ergo si materia esset ipsæmet dimensiones, esset essentialiter quantitas; hoc tamen est falsum, quia materia est substantia. Tertiò, sequeretur, materiam non esse informem, & inaffectam, cuiusmodi eam posuerūt omnes philosophi; nam esse trinam dimensionem, & esse quantam, est esse affectam, & habere propriam quandam naturam. Quartò, si materia esset corpus, aut esset finitum, aut infinitum; at neutrum esse potest, ergo nullo modo est corpus; non est corpus infinitum, quoniam infinita moles non datur; nec finitum, quia sic materia esset proprijs terminis circumscripta, quod dicendum non est, ponenda enim est materia nullis certis terminis alligata, sed libera, & apta ad omnes recipiendos, vt coacti videntur confiteri. Præter hæc argumenta à Ioanne contra se adducta, etiam alia complura à posterioribus afferuntur, ad probãdum primam materiam secũdùm suam substantiam corpus dici non posse: sed quoniam magna eorum pars nullã efficaciam rem habent, vt ipsimet fatentur, ideò cæteris omissis, duo tantùm proponam, in quibus illi magnam vim faciunt. Alterum profitentur se ex Plotino accepisse in 4. lib. 2. Ennead. quod tale est: aliud est quantum, aliud quantitas, sic aliud est magnum, aliud ipsa magnitudo; similiter aliud est corpus, aliud corporeitas; nomen enim concretum significat quiddam diuersum ab eo, quod significatur per nomen abstractum; quantum enim significat id, quod habet quantitatem; magnũ significat id, quod habet magnitudinem; corpus significat id, quod habet corporeitatem: atqui nihil dicitur habere seipsum, habens enim debet esse aliud ab eo, quod habetur; itaq; si prima materia est corpus, habet corporeitatem, proinde est quid diuersum à corporeitate, & à magnitudine, ergo non est ipsa corporeitas, & magnitudo, sed est subiectum corporeitatis, & magnitudinis; non est igitur dimensiones sed subiectum dimensionum; proinde si mente ab eis abstrahatur, erit secundùm suam naturam penitus incorporea. Deinde argumentum sumunt ex verbis Aristot. qui & in 6. Physicæ auscultationis agens de corpore, & in 2. libro eiusdem operis, & in principio primi ac tertij de Cœlo numerans corpora naturalia, nullam primæ materiæ mentionem facit; sed sola composita, quæ ex materia & forma constant, corpora vocat; materiam igitur non putauit esse corpus, sed solummodò causam internam, & primum principium corporum naturalium. Præterea sæpe Aristotel. quatuor elementa vocat simplicia corpora, quoniam, etsi ex materia & forma constant, tamen simplicia sunt vt corpora, quum ex alijs simplicioribus corporibus non constituantur: at si prima materia corpus esset, non bene elementa vocarentur simplicia corpora, quia daretur corpus simplicius elemẽtis. His igitur omnibus Aristotel. testimonijs ostenditur, primam materiam secundùm suam naturam non esse corpus. His modi argumentis recentiores omnes asserunt, materiam non habere aliam corporeitatem, quàm illam, quæ est accidens de categoria quanti; substantiam verò ipsius nulla ratione posse dici corpus, sed esse substantiam incorpoream; quæ fuit tertia opinio à nobis proposita ab initio.

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

Quintum argumentum.

Sextum argumentum.

Propria sententiæ declaratio, & comprobatio. Cap. XVII.

QVum hactenus omnes aliorum sententias exposuerimus, singulorumq; argumẽta retulerimus, iam ad veritatis declarationem accedendum est. Ego puto primam materiam secundùm propriam naturã, & seclusa omni forma esse corpus de categoriæ substãtiæ: quam sententiam, quanquam à

Opinio propria.

nullo recentiorum receptam, nitar & ratione, A & antiquorum philosophorum testimonio comprobare. Illud inprimis manifestum est, & ab ipsismet aduersarijs concessum, corpus latissimè acceptum, quod caduca corpora omnia & sola complectatur, esse supremum genus vniuocum in categoria substantiæ; huic necessarium est vnam aliquam naturam communem respondere ab omnibus caducis corporibus æquè participatam, vnde sumatur huius summi generis vniuocatio, & ratio corporis in cunctis corporib. inferioribus; quemadmodum in alijs eiusdem categoriæ generibus & speciebus inspicimus: ratio enim qua viuens est viuens, & qua est genus vniuocum, est anima vegetans; hac quicquid participat, in genere viuentis constituitur: ratio, qua animal est animal, & qua est vniuocum, est anima sensibilis: sic ratio, qua homo est homo, & commune vniuocum, est anima rationalis. Ratio igitur corporis in quonam est constituta? quodnam est illud, quod in rebus naturæ existens facit eas esse corpora de categoria substantiæ? certè necessarium est, vt omnia corpora vnâ & eâdem ratione sint corpora, sicut animalia omnia habent à sensu vt sint animalia: hæc ratio corporis necesse est vt sit vel materia, vel forma, vel nexus formæ cum materia, vel accidens aliquod. Accidens quidem dici non potest, quoniam accidens non est aptum substantiæ essentiam constituere. Forma aliqua dici non potest, iam enim reiecimus illorum sententiam, qui formam corporis æternam in materia statuebant, eaq; his temporibus ita est à communi omnium consensu reprobata, & explosa, vt superuacaneum sit, aduersus eam aliquid præterea dicere, sed pro comperto constituendum sit, nullam dari formam corporis. Restat igitur, vt ratio corporis vel sit materia, vel nexus formæ cum materia; illi quidem, qui & formam corporis negant, & materiam secundùm se incorpoream esse dicunt, in solo nexu formæ cum materia rationem corporis constitutam esse arbitrantur; proinde, nec materiam solam, nec formam solam, sed ipsarum compositionem esse rationem omnis corporeitatis, vt quicquid materia & forma constat, id corpus esse dicatur: hæc plurimorum Latinorum, & omnium recentiorum sententia est, quam si falsam esse ostenderimus, sola materia relinquetur, qua omne corpus dicatur corpus, & quæ sit natura communis ab omnibus inferiorib. corporibus æquè participata, quæ respondens corpori summo generi in categoria substantiæ faciat illud esse vniuocum. Primùm igitur contra illam communem sententiam ita argumentor: ex componentibus incorporeis non potest compositum prouenire corporeum, at secundùm eos non minùs materia quàm forma est incorporea, compositum igitur non potest esse corpus: maior clara est, quia neutrum componentium potest alteri dare corporeitatē, quum ipsum eam non habeat; quare nulla ratio apparet, cur eorum nexus possit facere corpus, imò ratio adest manifesta, cur non possit. Præterea ratio, à qua sumitur vniuocatio cuiuslibet siue generis, siue speciei, debet esse natura aliqua simplex, quæ illi extra animam respondeat, vt patet omnia considerando: nam ratio viuentis est simplex forma, anima nutriens; sic ratio animalis est anima sensibilis; sic ratio hominis est anima rationalis; sic ratio equi est forma ipsa equi, sic dico de alijs omnibus; vtamur igitur argumento tali: magis videtur ratio, qua homo est homo, esse compositio, vel natura aliqua composita, quàm ratio corporis, quia species maiorem habet compositionem, quàm genus; attamen ratio hominis non est compositio aliqua, sed simplex forma; ergo multò minùs ratio corporis debet esse compositio, sed debet esse aliqua natura simplex, atqui nulla est in rebus substantia simplex, nisi forma, & materia; ergo duarum altera statuenda est ratio corporis: forma quidē statui non potest; vel enim erit vna aliqua forma generalis, vel cuiusque propria, quæ specifica vocatur, quorum neutrum dici potest; nam generalem corporis formam iam refutauimus, eamq́ue ipsi quoque aduersarij non admittunt; forma verò specifica facit quidem tale corpus, at non facit absolutè corpus, nam à forma ignis habet ignis vt sit tale corpus, nempe ignis, sed non vt absolutè sit corpus; sic animal à sensu habet vt sit tale corpus, quod animal dicitur, non vt omnino sit corpus; quandoquidem omnis eiusmodi forma materiam restringit, eaque restrictio repugnat naturæ corporis, quod coarctandum non est, si cuncta naturalia corpora complecti debeat: præterea ab vna forma prouenit vnum esse, non plura; ergo si forma animalis dat esse animal, non potest eadem dare esse corpus: adde quòd ratio hæc vniuocationis, de qua in præsentia loquimur, vna tantùm, & adæquata esse debet; quare si ratio corporeitatis consisteret in forma animalis, solum animal esset corpus, vel omne corpus esset animal, sic dico de alijs singularum specierum siue specialissimarum, siue subalternarum proprijs formis: si enim aliqua earum daret esse corpus, similiter quælibet aliarū daret esse corpus. quod quidem absurdum est; quia nulla statuum esset adæquata ratio, qualem in præsentia quærimus, à qua tanquam vna vniuocatio corporis desumatur: quòd si dicant, aliam corporeitatem prouenire à forma animalis, aliam a forma lapidis, vt illa solis animalibus det vt sint corpora, hęc verò solis lapidibus, iam non erit corpus genus vniuocum, quum non vna illi in rebus naturæ respondeat, sed alia ratione hæc res dicatur corpus, alia verò illa; vt enim corpus sit vniuocū, oportet vna & eadem ratione omnia dici corpora. Quoniā igitur ratio corporis

Corpus est generalissimum.

Primum argumentum.

Ratio vniuocationis debet esse simplex.

B C D E F

poris neque accidens aliquod esse potest, neque forma vlla, nec compositio formæ cum materia, relinquitur eam nullam esse aliam, nisi solam primæ materiæ naturam, vt quicquid materiam habeat, ab eadem habeat, vt sit corpus de categoria substantiæ; reuera enim in corpore, vt communi genere conuenire nil aliud est, quàm conuenire in participatione eiusdem materiæ; quare materia non modò corporea est, sed corpus ipsum, quod in categoria substantiæ summum genus ponitur,

Materia est ratio corporeitatis.

B idque significare visus est Aristoteles in contextu 54. primi libri de Ortu & interitu, quando dixit, materiam liberam ad opposita esse veluti genus. Argumentũ etiam sumere possumus à corpore de genere quantitatis: quum enim duplex sit corpus, vnum de categoria substantiæ, alterum de categoria quanti, ex natura vtrius duci possumus in cognitionem naturæ alterius, nam accidentia sunt euidentiora substantijs; ideò corpus de genere quanti,

Secundum argumentum.

C videlicet trina dimensio, est euidentius corpore de genere substantiæ, & ex eo in huius notitiam peruenire possumus, quum vnum ab altero inseparabile sit; nam corpus vllum de categoria substantiæ dari, quod dimensiones non habeat, neque possibile, neq; (vt mihi videtur) excogitabile est: sed neque trina dimensio esse potest absque substantia corporea, in qua inhæreat, accidens enim sine subiecto existere nequit; substantijs autem in-

D corporeis dimẽsiones nõn inesse manifestum est, solis igitur corporeis; quid ergo aliud dicere possumus, quàm substantiale corpus esse illam substantiam, quæ tribus dimensionibus subiecta est? etenim substantiam, quæ dimensiones non habeat, nemo vocaret corpoream, & eam in qua sint tres dimensiones, corpoream omnes vocant; videtur namque nomen corporis præcipuè dimensiones significare, & inde factum esse vt subiectum ab eo nomen

E sumpserit, & sit appellatum corpus de categoria substantiæ, quod nil aliud est, quàm substantia trinæ dimensioni subiecta; hæc si ita vera sunt, vt negari non possint, tali argumento vtamur: illud est primum corpus de categoria substantiæ ordine originis, à quo primo emanat corpus de categoria quanti, & in quo primo inhæret tanquam proprium illius accidens; at prima materia est primum subiectum corporis de categoria quanti, idque ex ipsius

F materiæ natura primò emanat; ipsa igitur materia est primum corpus de categoria substantiæ. Maiorem propositionem modò declarauimus, minor verò fuit antea diffusè & abundè demonstrata. Clarissimum certè hoc est, ita mihi quidem res ipsa loqui videtur: quia si materiam mẽte contemplemur abiunctam à formis, nil aliud concipere possumus, nisi corpus quoddam vastum, & indistinctum, & molem quandam vacuam, vt dicebat Plotinus: at formam dum sine materia considera-

A mus, concipimus vt quoddam incorporeum, & indiuisibile, quod postea in materia quanta extendatur: quòd si alij tanto sunt ingenij acumine præditi, vt valeant ipsam quoq; materiam incorpoream imaginari, ego tamen (vt meam ruditatẽ fatear) id facere minimè possum; imò non solùm à natura corporis abiungere mẽte naturam materiæ nequeo, sed eandem esse puto naturam corporis, & naturam materiæ, hoc enim & ratio, & res ipsa mihi

B efficaciter persuadet.

Eiusdem sententiæ confirmatio ex plurium antiquorum Philosophorum auctoritate. Cap. XIIX.

Sententiam hanc multorum auctoritate confirmare possumus. Primùm quidem non dubito, in eadem fuisse Plotinum, idq; manifestum est legentib. 4. librum 2. Enneadis, cuius verba aliqua antè considerauimus, quum de dimensionib. materiæ loquebamur, reliqua apud ipsum alijs legenda relinquo: materiam enim corpoream absq; dubio ponit, & significat ita se habere substantiam materiæ ad dimensiones interminatas, vt corpus perfectũ se habet ad determinatas, & necessarium esse vt dimensiones inhæreant substantiæ corporeæ, interminatæ quidem, & potentiales corpori indeterminato, & potentiali, quæ est primæ materiæ natura; terminatæ verò, & actuales corpori determinatæ naturæ, & actuali, & perfecto; reuera enim neq; corpus de categoria quanti existere potest sine corpore de categoria substantiæ, neq; hoc sine illo. Alexander quoq; in 2. libro quæstionum naturalium, cap. 3. apertè dicit, materiã, quæ secundùm se omnis qualitatis, & figuræ est expers, esse corpus sine actu. Hæc eadem sententia Simplicij fuit, qui in primo Physicæ auscultationis contextu sexagesimo nono probare nititur, materiam esse corpus indeterminatum, & potentiale, & vtitur hoc argumento: illud, per quod differunt materialia ab immaterialibus, est ipsa materia; at per molem, & corporeitatem differunt materialia ab immaterialibus; ergo materia prima est corpus; quæ Simplicij argumentatio est optima, & eadem visus est Aristot. in 2. lib. Physicæ auscultationis ad inuestigandum quid sit natura, & in secundo de anima ad indagandũ quid sit anima; illud enim est natura, per quod naturalia à non naturalibus distinguuntur; & illud est anima, quo differunt animata ab inanimatis; sic igitur illud est materia, quo differunt materialia ab immaterialibus. Adducit etiam Simplicius locum Arist. à nobis antea consideratum in 4. Physic. auscultationis part. 15. vbi Arist. dicit, materiam esse extensionem quandam, & molem: neque dicere possumus, Simplicium eo modo id intellexisse, quo Ioannes Grammaticus intellexit, nempe mate-

Plotinus.

Alexander.

Simplicius.

riam esse ipsasmet dimensiones, etenim ipse in contextu 22. primi libri de Cœlo eam Ioannis opinionem impugnat; quare non de dimensionibus loquitur, sed de ipsa materiæ substantia dimensionibus subiecta, & ad hunc sensum locum illum Aristot. trahit; sed argumentum quoque illud Simplicij, quod exposuimus, ad substantiam materiæ pertinet; qua enim ratione Aristotel. essentiam declarat & naturæ, & animæ, eâdem Simplicius declarat essentiam materiæ, eamque dicit nil aliud esse, quàm corpus indeterminatum, quare non potest intelligere materiam corpoream corporeitate accidentali, quia hæc essentiam materiæ non constituit, neque per hanc primò differunt substantiæ materiales ab immaterialibus: sed quisquis in memorato loco verba Simplicij legat, apertè videbit, eum de substantia materiæ loqui, & eam probare esse corpus. Sed & Ioan. Grammatici opinio sententiam nostram confirmat, nam aliorū omnium proximè ad veritatem Ioannes accessit; vidit enim sub nube veritatem, neq; eam ita est assequutus, vt se prorsus ab errore immunem seruauerit; nam cognouit substantiam materiæ esse corpus; sed quia non distinxit corpus de categoria quaod à corpore de categoria substantiæ, vnam putauit esse corporeitatem, quæ in dimensionibus consistit, eamque in compositis accidens esse dixit, in materia verò esse substantiam, & ipsammet substantiam materiæ, quum potius debuerit ex dimensionibus, & corporeitate accidentali duci ad cognoscendum substantiale corpus illis subiectum, & ab illis diuersum; quem errorem notasse videtur Auerroes in calce secundi tractatus Epitomes Metaphysicæ, quando dixit, aliquos existimasse corporeitatem, quæ est in prima materia, esse substantiam: itaq; si Ioannes dixisset, primam materiam ita esse corpus de categoria substantiæ, vt esset substantia dimensionibus subiecta, non vt esset ipsæmet dimensiones, nihil esset, in quo eum reprehendere hac in re possemus; in hoc tamen eius confessionem accipimus, quòd dicit primam materiam esse corpus de categoria substantiæ, quod nos quoque asserimus. Auerroes quoq; idem sensit, vt ostendere possumus multa eius dicta perpendendo in varijs locis: primùm quidem consideranda sunt duo Auerrois dicta, quæ pugnare inter se videntur, nam in 3. Metaphys. Comment. 11. & in 8. Metaphys. vltimo. & in Epitome Metaphysica tractat. 2. cap. 13. inquit, genera esse composita, & ex materia & forma constare: contrà verò in 2. Physicæ auscultationis Cōmentario 28. & in primo Metaphysic. 17. & in 7. Metaphysicorum 43. & in octauo Metaphysicorum 6. & in eodem loco Epitomes Metaphysicæ dicit omnes partes definitionis esse formas, genus esse formā vniuersalem, differentiam verò esse formam particularem; quæ duo dicta contraria videntur, quia si genus est forma, non potest ex materia & forma constare: non sunt tamen contraria, quia simul vtrumque verum est; diuersis enim modis genus dici potest & forma, & materia, & constans ex forma & materia; ipsum quidem secundùm se compositum est, cōstat enim animal ex forma animalis, & materia illi formæ subiecta, ideò etiam Alexander in secundo libro quæstionum naturalium, capite vltimo dicit, animal significare formā in materia, & eam formam vocat cōmunem; hinc autem fit, vt modò materia, modò forma appelletur: dum enim consideramus ipsum esse talem per formam, non per materiam, dicimus genus significare formam; animal enim non per materiam, sed per formam suam est animal, & ita significare dicitur formam vniuersalem: verùm quia animal respectu formæ specificæ locum habet materiæ, ideò animal est in homine tanquam materia, vt ait Porphyrius in capite de differentia, licèt secundùm se sit per formam animal, & licèt ex materia & forma constet. Cæterùm Auerroes quando in memoratis locis inquit, genera esse composita, excipit solum generalissimum, quod dicit esse simplex, quum omnia subalterna genera sint composita, vnde colligit generalissimum non habere definitionem: quæ Auerrois sententia de supremo genere est rationi maximè consentanea, quia esse supremum genus, & ex materia & forma constare implicant contradictionem, & simul existere nequeunt, nam omne habens formam informantem, & restringentem ipsam materiam, habet necessariò differentiam constituentem, proinde etiam necessariò habet genus, quare non potest esse supremum: itaq; si omne genus ex materia & forma constare diximus, procedemus in infinitum in generibus, nec ad summum vnquam perueniemus. Quum igitur manifestum sit, Auerroem putasse supremum genus vniuocum in categoria substātiæ esse corpus, idque dicat esse simplex, necessarium omnino est, vt sit vel sola forma, vel sola materia; forma sola esse non potest, quia forma sola non patitur, nec recipit, summum autem genus patibile maximè est, & recipit omnes inferiores differentias diuidentes, sicuti materia recipit formas: adde quòd si esset forma, non esset forma abiuncta à materia, sed forma materialis, esset igitur forma in materia, sicut alia quoq; inferiora genera, quare nō esset simplex, neq; supremū, siquidem omnis forma materialis materiam præsupponit, vtpote natura priorem; restat igitur vt sit sola materia, eaq; est Auerrois sententia in prædicto loco Epitomes Metaphysicæ, vbi ait [*genus generalissimum non habet definitionem, & nihil est eo propinquius primæ materiæ*] & in Cōment. 43. septimi Metaphys. inquit, genera distingui inter se quatenus alia sunt similiora formæ, alia verò materiæ, quum enim officium formæ sit coar-

Ioan. Grammaticus. *Auerroes.* *Genera sunt composita.* *Genus variis modis forma & materia, & compositum dici potest.* *Solum genus supremum simplex est.*

sit coarctare, ac distinguere, sequitur vt inferiora genera tanquam restrictiora, & distinctiora magis habeant rationem formæ, superiora verò, & communiora magis habeant rationem materiæ; etenim genus inferius in categoria nobilius, ac perfectius est genere superiore, est namque tanquam materiæ formam superaddit, quare ad illud eam habet rationem, quam forma habet ad materiam, & perfectio ad perfectibile, & actus ad potestatem: quamobrem necessarium videtur, vt, quoniam ad genera superiora ascendentes, quantò magis ascendimus, tantò ad materialiora, & magis potentialia transimus, neque in infinitum ascendimus, desinamus tandem in supremo, quòd sit pura materia, hac enim nihil in genere substantiæ potentialius, atq; imperfectius datur: rectè igitur Auerroes dixit generalissimum esse proximũ, & simillimum primæ materiæ, & esse simplex, genera verò subalterna habere compositionem, atque ex materia, & forma constare. Cæterùm quærere aliquis posset, cur Auerroes dixerit, corpus supremum genus esse proximum primæ materiæ, nec dixerit esse materiam ipsam, si nil aliud significat nomen corporis, nisi ipsammet materiam. Ad hoc facilis erit responsio, si materiæ & generis tum discrimen, tum conuenientiam intellexerimus: loquitur hac de re Alexander in 2. lib. naturalium quæstionũ, cap. vlt. sed ea quæ ab ipso ibi dicuntur, adeò leuia sunt, vt ad propositum nihil conferant; sumit enim Alexander genus logicè potiùs, quàm naturaliter, nempe vt est in animo, & vocatur vniuersale post multa, non vt significat naturam communem, quæ extra animam in rebus existit, diciturq; vniuersale in multis; autem facile ipsi fuit generis & materię discrimen considerare; nos verò non de conceptione animi loquimur, sed de ipsa re, quæ extra animam conceptui generis respondet, & quærimus quomodo genus hoc, realis hæc natura ab ipsa materia distinguatur. Rem hanc doctissimè, ac profundissimè declarat Auerroes in 6. Comment. 8. Metaphys. & docet materiam, & genus esse idem re, sed ratione distingui; animal enim quod est in speciebus, est tum materia, tum genus specierum, genus quidem, quatenus est id, quod respondet conceptui in animo existenti, & ita sumitur ad modum totius; materia verò, dum sumitur ad modum partis; si enim sumatur vt hominis pars essentialis, hoc modo non est hominis genus, nec de homine prædicatur, quia nulla pars de suo toto prædicatur in casu recto, & nullum totum est sua pars, proinde possumus dicere non esse veram hanc propositionem, homo est animal, dum sumitur animal vt materia, & pars hominis, homo enim non est sua materia; patet igitur animal acceptum ad modum partis esse materiam hominis, non genus: si verò sumatur animal non vt pars hominis, sed vt totus homo potestate, & confusè consideratus, hæc propositio est vera, homo est animal, & animal sumitur pro genere, pars ad modum totius, non ad modum partis; ideò Arist. in context. 5. & vlt. 8. Metaphysicorum dixit materiam & formam idem significare, cum discrimine tamẽ actus & potestatis; nam materia hominis est potestate idem homo, qui postea per formam fit homo actu; & Auerroes dicit, materiam non prædicari de ente composito quatenus est eius materia, sed quatenus est eius genus, & sumitur ad modum totius, nempe vt est potestate totum compositum; eadem ergo est res, quæ alia ratione vocatur materia, alia genus. Ad hanc generis & materiæ conuenientiam respexit Arist. in context. 54. primi lib. de ortu & interitu, quando dixit materiam esse veluti genus, & in eodem lib. in cap. de accretione, dum materiam sæpe vocauit genus commune. Hæc omnia, quæ in animali considerauimus, si supremo generi corpori applicemus, tota rei veritas de prima materia in lucem prodibit; corpus enim significat ipsam primã materiam, & ipsi tanquam generi nil aliud in rebus respondet, nisi prima materia, sed sumi potest corpus & ad modum partis, & ad modum totius; vt respectu elementi corpus est tum materia, tum genus; est enim genus ignis quatenus est potestate ignis, & totum ignem significat confusè, materia verò quatenus est altera pars substantiæ ipsius ignis, quæ potentiam habet recipiendi formam, per quam fiat ignis actu, qua ratione corpus non est genus ignis, nec de ipso prædicatur in recto, sed est ipsamet prima materia, nempe corpus nulla differẽtia constituente coarctatũ, sed simplex, & omni carens compositione; ideò eadem differentia vocatur diuisiua respectu generis considerati quatenus est genus, hoc est, quatenus est totum quoddam commune; & vocatur constitutiua, dum idem genus cõsideratur vt illi substratum tanquam materia, quæ à forma perficitur. Possumus autem ex ipsa elemẽti natura sumere pro hac sententia argumentum validum: nam si ab aliqua specie auferatur mente differentia constituens, remanet natura communior, quæ vocatur genus, vt si demantur ab homine rationalitas, remanet animal, & sic de singulis; ignis autem ex prima materia, & propria forma constat, ideò si propria ignis differentia, quæ ipsius forma est, auferatur, remanet eius genus, atqui ablata forma ignis nil remanet nisi prima materia, ergo prima materia est genus ignis; non est autẽ aliud ignis genus, nisi corpus, ergo prima materia est corpus, nec reuera dicere aliud possum⁹; ignis enim & ignis est, & absolutè corpus, habet autẽ à sua forma vt sit ignis, quare nõ habet ab eadem vt sit corpus; hoc igitur habet à materia, quum nihil in igne sit præter propriã formam, & primã materiã. Ratio igitẽ manifesta est, cur dixerit Auerr.

Dubium.

Solutio.

Differentia inter genus, & materiam secundum Alexand.

Differentia secundum Auerroem.

Corpus alio modo est genus generalissimum, alio modo est prima materia.

nihil esse primæ materiæ propinquius, quàm A generalissimum, nec dixerit generalissimũ esse ipsammet materiam; quamuis enim eadẽ res sit, alio tamen modo dicitur materia rerum omnium, alio genus generalissimũ res omnes complectens: dum enim sumitur ad modum partis, est prima omnium rerum materia, quę est potestate res omnes, & fit singula res per receptionem formæ; dum autem sumitur ad modum totius, & vt confusè omnia complectitur, & de omnibus prædicatur, ita est o- B mnium genus; neq; ob aliam rationem dicitur genus habere in se differentias potestate, non actu, & species omnes esse in genere potestate, nisi quia genus est materia; etenim materia potestate habet omnes formas, ad quas recipiendas dirigitur, & est potestate omnia, quæ ex ea fieri possunt: ob hanc igitur considerationum diuersitatem non dixit Auerr. genus generalissimum esse primã materiam, sed dixit nihil eo esse propinquius primæ mate- C riæ: hæc omnia ex Auerrois verbis colliguntur in illo 6. Cõment. 8. Metaphysic. dum docet, quomodo genus differat à materia: quem locum Ioannes Gandauensis certè non vidit; quia si vidisset, non profiteretur, se huius distinctionis inuentorem fuisse, vt in 7. Physicorum quæstione vltima gloriatur. Ponitur etiam clarè tota hæc veritas ab Auerroe in 2. tractatu Epitomes Metaphys. cap. vlt. vbi non omnino reprobat Auic. sententiam, quòd ma- D teria sit corpus, sed solùm si ab Auicẽna id non rectè sumatur: nam (inquit) quum dicimus materiam esse corpus, duobus modis id possumus intelligere; primò, vt sit corpus per formam corporis æternam, & distinctam à formis elementorum, quo quidem modo quisquis dicat materiam esse corpus, decipitur, quia materia sic non est corpus: altero modo potuit Auicenna intelligere non quidem formam aliquam in prima materia distinctam à E formis elementorum, sed naturam inclinationis aduenientis primæ materiæ, quæ est veluti genus formis elementorum, qua ratione si Auicenna intellexit materiam esse corpus (inquit Auerroes) dictum eius verum est, ita me Dij ament; & hinc infert statim corpus esse amplissimum genus vniuocum, quod in indiuiduis substantiæ reperiatur. His Auerrois verbis tota rei veritas pulcherrimè, & apertissimè continetur; nam concedit Auerr. F materiam esse summum genus in categoria substantiæ, si modò sumatur vt genus, id autem est, si sumatur vt inclinata ad formas elementorum, quod est eam sumere ad modum totius, & quatenus potestate est ipsa elementa tota; vnde colligit corpus esse genus vniuocum, cui respondet in rebus vna cõmunis natura, quæ est natura primæ materiæ; hoc igitur modo non negat Auerroes materiam esse corpus, idque ita apertè, vt nullus cauillandi locus relinqui videatur. Notandum autem

Nota alia Auerrois verba.

A est, Auerroem ibi solas elementorum formas nominare, non quòd neget corpus esse genus etiam mistorum, sed quia materia primùm recipit formas elementorum, deinde per eas etiam formas mistorum, ideo satis habuit formas elementorum nominare, ad quas materia est immediatè propensa. Præterea aduertendum est, Auerroem non absque artificio dicere corpus esse supremum genus vniuocum, quod reperiatur in indiuiduis substan- B tiæ, nec dicere in categoria substantiæ, quia ipsum considerat non prout est conceptus animi, & vniuersale post multa, sed prout est natura communis extra animam existens in indiuiduis, & illi conceptui respondens, quæ dicitur vniuersale in multis; per hanc enim fit, vt corpus sit genus vniuocum, sicut antea dictum est. Ex his obiter colligere possumus Latinorum errorem, qui distinguunt genus physicum à genere prædicamentali, quod vo- C cant genus logicum; genus enim physicũ inquiunt esse genus subiectum, id est, materiam vnam; genus autem logicum esse genus prædicabile; quare putant substantiam æternam, & substantiam caducam in genere physico non conuenire, quia communem materiam non habent, ideoque dicunt has substantias differre inter se plusquàm genere, nempe physico, conuenire tamen in genere logico, hoc est, in vno communi conceptu vniuocè præ- D dicabili de omni substantia tam æterna, quàm caduca: quæ sententia iure à Zimara refellitur in Theorem. 62. quoniam hæc duo genera re distinguenda non sunt, quum non detur vnum sine altero, & sint vnum re, duo autem ratione; nam genus prædicabile non potest vocari vniuocum, nisi ei extra animã vna communis natura respondeat, proinde vanus est ille conceptus, cui nulla respondeat in rebus communis natura; propterea substantiæ à ma- E teria abiunctæ, & corpora cœlestia, & corpora inferiora nullum habent commune genus prædicabile vniuocum; quum enim in materia non conueniant, in nulla communi natura participata conuenire possunt, sed supremum genus in categoria substãtiæ vniuocum est corpus sola inferiora complectens; quia hæc communi materia participant, à qua hæc vniuocatio prouenit. Volo etiam ad nostræ sententiæ comprobationem verba quædam F Thomæ, & Caietani adducere: quum enim Thomas in 1. parte Summæ, quæst. 15. artic. 3. dicat in Deo esse ideam primæ materiæ, non tamen aliam ab idea compositi, ibi Caietanus quærit, cuiúsnam compositi idea sit idea primæ materiæ iuxta Thomæ sententiam; & respondet hanc esse ideã corporis, quod est genus in categoria substantiæ: vel igitur veritatem hanc cognouit Caietanus, corpus de categoria substantiæ esse ipsammet materiæ naturam, vel ipsa rei veritas ipsum ad ita loquendum induxit.

Latinorum error de genere logico distincto à genere physico.

Caietanus.

Distin-

Distinctio trium acceptionum corporis, & cuiusdam dubij solutio. Cap. XIX.

VEritate ita declarata, ac demonstrata, vt omnia aduersantia argumenta facilè soluantur, sciendum est, corpus de categoria substantiæ accipi duobus modis, sed altero in duos diuiso, tres oriuntur: primùm enim sumitur pro corpore perfecto, & existentiæ actum per se habente, quod quidem non modò est corpus, sed etiam tale corpus, & certæ alicui naturæ alligatum, & hoc ex necessitate est compositum ex materia & forma constans; quæ prima acceptio dici potest præcipua, & prima primitate euidentiæ, ac perfectionis: secundo modo sumi potest corpus pro corpore indeterminato, & nulli certæ naturæ alligato, quod sit tantùmmodò corpus, sed non tale corpus, idq; significat primam materiam; & hæc quoque acceptio dici potest præcipua & prima, sed alio modo, nempe primitate causæ & originis: hic modus diuidi potest in duos: vnus est, vt sumatur nomine corporis significetur materia sumpta vt materia; non vt genus, nempe considerata ad modum partis, & de nullo naturali corpore perfecto prædicata in recto, quæ dicetur secunda corporis acceptio: alter verò est, vt sumatur materia vt genus, & ita nomen corporis significabit corpus secūdùm se indeterminatum, sed potestate determinatū, quatenus est potestate omnia naturalia corpora perfecta, & de ijs prædicatur, & sumitur ad modum totius, ita vt vera sit hæc enunciatio; homo est corpus, quæ erit tertia acceptio corporis. Hac distinctione multas difficultates soluemus: nam si primo modo sumatur corpus, fatemur primam materiam ita corpus non esse, quippe quæ non est perfectum corpus, sed est tamen ratio, & inchoatio omnis corporeitatis in rebus, ex qua omnia corpora sublunaria dicuntur corpora, licèt non sit corpus actu per se existens, & nobis euidens: secundo tamen, ac tertio modo materia dici potest corpus, scilicet imperfectissimum, & nulli certæ naturæ alligatū, vt iam dictum est. Soluitur autem per hæc quoddam exoriens dubium: nam dicere solent substantias positas in linea media categoriæ substantiæ esse solas compositas, quum substantiæ simplices in lateribus potiùs, quàm in linea media collocentur; quomodo igitur corpus, quod est supremum genus, potest esse simplex, quum in linea media contineatur? ad hoc dicere possumus esse quidem compositas omnes substantias, quæ in media categoriæ linea ponuntur, nempe omnia genera & species, sed vno excepto generalissimo, quod ex necessitate est simplex, vt antea & Auerr. testimonio, & ratione demonstrauimus: quòd verò dicitur substantias simplices in lateribus esse ponendas, verum est de solis formis, non est verum de materia; manifestum enim est in lateribus so-

Prima acceptio corporis.

Secunda acceptio.

Tertia acceptio.

Dubium.

Solutio prima.

A las differentias poni, quæ non sunt nisi formæ; genera verò, quæ respectu specierum locum habent materiæ, in linea media collocari: qui verò diceret, materiam in altero latere locandam esse, ridiculum se omnibus præberet, quia sic diceret eam fungi officio differentiæ, quod repugnat penitus naturæ materiæ, quæ nec certam rei naturam constituere, nec tem à re distinguere apta est: nullus igitur in categoria substantiæ relinquitur materiæ conB ueniens locus, nisi qui supremus omnium in media linea est, quatenus materia est corpus, & cōmunissima natura participata ab omnibus in illa categoria, & de omnibus prædicata, in qua omnia conueniunt. Dicere tamen etiam possumus hoc quoque supremum modo aliquo esse compositum: quanquam enim secundùm suam naturam simplex est, potestate tamen est compositum, quatenus est potestate omnes suæ species, quarum quælibet C ex materia & forma constat: sic autem in gradibus categoriæ substantiæ optimus ordo seruatur; nam species infima est actu composita, neq; in ea remanet potestas vlla ad maiorem compositionem, quia iam habet vltimum actum; genera verò intermedia composita quidem sunt, sed actu imperfecto, & misto cum potestate, & aptitudine ad alium præstantiorem actum, & ad aliam compositionem: restat igitur vt supremū genus sit compositum D potestate solùm, non actu; quia si esset actu compositum, non esset supremum, sed aliud supra se genus haberet. Hoc igitur modo prima materia locatur in media linea categoriæ substantiæ, & locum habet supremum, & dicitur corpus, idque simplex secundùm propriam naturam, potestate tamen cōpositum, quia potest quamlibet specierum suarum formam recipere, & ita ad quamlibet contrahi, & fieri tale corpus.

Solutio secunda.

Nota ordinem in gradibus prædicamenti substantiæ.

E *Solutio omnium argumentorū pro aliorum opinionibus adductorum.* Cap. XX.

RElìquum est vt omnia trium dictarum sectarum argumenta soluamus. Prima secta ad probandam in materia prima formam illam corporis æternam, vtebatur primùm tali argumento; nisi hæc forma detur, fiet creatio ex nihilo: ad hoc neganda est consequentia: ad probationem autem dicimus, F productionem esse composito attribuendam, non formæ; id enim quod propriè generari dicitur, non est forma, sed compositum; ideò ad euitandam creationem satis est, si compositum ex præsupposita materia producatur; forma verò non est ens per se cōpletum, quod produci dicatur, sed est perfectio alterius quæ si tota producitur, non ob id creatur, quia ad euitandam eius creationem satis est si præsupponatur materia, è qua educatur: quò si hoc modo creatio non euitatur, ne ipsi quidē aducisarij eam euitare possunt, vt supra conside-

Ad primum pro forma corporeitatis.

rauimus, quando argumentum hoc aduersus eos retorsimus: necesse enim est, si res aliqua sit generanda, vt producatur ab agente noua perfectio, quæ prius non fuerit, itaq; hæc creabitur, si illa est creatio; non est tamen creatio, quia sic agens non producit rem aliquam nouam, dum de potestate materiæ formam educit, sed potiùs rei, quæ præerat, nouam perfectionem largitur; hæc autem apud Aristotelem est generatio, non creatio, quia præsupponitur materia, ex qua educatur forma: de forma quidem abiuncta à materia argumentum esset efficacissimũ; hæc enim si ab agente produceeretur, vtiq; creari diceretur, vt nos Christiani asserimus, Angelos olim à Deo fuisse creatos, & humanas animas quotidie à Deo creari, non de potestate materiæ educi; sed huiusmodi productio Aristoteli cognita non fuit. Ad secundum argumentum, quum dicitur, corpus est genus vniuocum, ergo illi vna realis natura respondet, concedimus hoc: quum verò additur, hæc est forma corporis, hoc negandum est; negamus enim tertium illud ab ijs iactum fundamentum, quo statuebant, rationem vniuocationis semper esse formam; fatemur quidem cum Auerroe, genus esse formam vniuersalem, sed excepto solo supremo genere, quod est sola materia; ipsam enim Auerr. iam expressè excepit, vt iam ostendimus; per materiam enim istis superq; seruatur id, quod illi dicunt, nam hæc non interit vnquam, quia nulli rei naturali corporis natura repugnat; patet igitur, solam primæ materiæ naturam & vitare creationẽ formarum, & corporis vniuocationem constituere; cuius natura in rerum generatione & interitu nunquã interit, quia est omnibus necessaria. Ioannis autem Grãmatici argumenta solutione non egent; ijs enim nil aliud ostenditur, nisi materiam esse corpoream, & habere trinam dimensionem ab ea inseparabilem, quod nos quoq; asserimus: at nõ probant materiam esse essentialiter trinam dimẽsionem: ideò si consequens hoc ipse ex ijs argumentis deducat, negandum est; nam est quidem materia corpus trinæ dimensioni subiectum, sed non est ipsamet trina dimensio. Consideranda manẽt argumenta pro tertia secta, quæ omnino negat materiam esse substantiale corpus, sed incorpoream penitùs esse dicit; horum aliqua ab ipso Ioanne contra se adducta & soluta sunt, aliqua verò ab illius sententiæ sectatoribus proposita, quæ omnia expendenda à nobis sunt. Primum Ioannis ab ipsomet optimè soluitur, dicendo in interitu corporum naturalium non dimẽsiones ipsas interire, sed terminos tantũ dimensionum, vt nos iam declarauimus. Ad secundum respondet Ioannes, dimensiones in corporibus perfectis esse accidentia, sed in ipsa materia esse substantiam, idque non esse absurdum, quum etiam in alijs hoc idem videamus, nam calor in mistis est qualitas, in igne autem substantia, quia est forma ipsa ignis. Hæc Ioannis responsio omnino reijcienda est, quum innitatur falso fundamento, quòd possit eadem res in hoc esse accidens, & in illo substantia; id enim quod secundùm propriam naturam est quantitas, vel qualitas, non potest non vbique eandem conditionem seruare; nec video quî fieri possit, vt calor idem in misto manens, qui in elemento fuerat, non mutet speciem, mutet tamen genus, hoc enim ne imaginabile quidem est. Nos igitur dicimus, argumẽtum hoc contra Ioannem esse efficacissimum, & insolubile, sed nobis non officere, quippe qui non asserimus, substãtiam materiæ esse ipsasmet dimensiones, sed dimensiones dicimus esse accidens, & proprietatem insequentem substantiam materiæ, & ab illa diuersam. Ad tertium negat Ioannes falsitatem cõsequentis, & longo sermone nititur demõstrare, materiam debere esse affectam, si ex eâ debeant omnia fieri, quia si esset penitùs informis, & inaffecta, esset nihil, & exprimi nullo modo posset: fatetur igitur, materiam dici modo quodam affectam atque formatam, dum dicitur esse trina dimensio, neque hoc repugnare naturæ ipsius materiæ, quæ non debet esse nihil, sed aliquid. Hæc Ioannis responsio meliùs est declarãda; ipse namq; non videtur rei veritatem plenè fuisse assequutus, ideò nec bene eam exprimere potuit: duobus modis solet accipi nomen formæ; vno modo pro illa, quæ est altera pars compositi, & informat materiam; altero modo pro quidditate & essentia cuiusque rei, siue compositæ, siue simplicis; primo igitur modo materia est informis, sed non secundo; quum enim omnis forma materiam informans restringat ipsam, & reddat alligatam alicui certæ naturæ, omnis talis formæ ipsa materia essentia expers esse debet, & ita est informis; habet tamen formam secundo modo, quia habet propriam essentiam, & proprium quid est, vt nos antea demõstrauimus; siquidem non debet esse nihil, sed aliquid; & hæc materiæ essentia non est alligata alicui certæ naturæ, quare non repugnat materiæ hoc modo formam habere: affecta etiam potest esse materia, dummodo non tali affectione, seu tali accidente, quo eius natura coarctetur, & alligata significetur; at trina dimensio interminata non coarctat materiam ad vllam certam naturam, quum sit accidens communissimum, & necessarium omni corpori naturali, per quod materia manet libera ad omnes formas indistinctè recipiendas. Quod igitur dici solet, materiam secũdùm essentiam suam esse informem, & inaffectam, id ita intelligendum est, vt solùm negetur eam habere talem formam, vel talem affectionem, per quam materia ad certam aliquam naturam restringatur. Ad quartum Ioannes optimè respondet, materiam esse secundùm se corpus infinitum, non

Marginal notes (left): *Ad secundum.* — *Ad argumenta Io. Grammatici.* — *Ad arg. pro opinione communi.* — *Ad primum responsio Ioannis.* — *Ad secundum responsio Ioannis.*

Marginal notes (right): *Responsio impugnatur.* — *Responsio vera.* — *Ad tertium responsio Ioannis.* — *Responsionis correctio.* — *Forma duplex accipitur.* — *Quomodo materia secundùm se habeat formam & affectionem.* — *Ad quartum responsio Ioannis.*

non quidem infinitum actu, quia tale infinitum non datur, sed infinitum per mentalem abstractionem à finibus ac terminis; semper enim est actu sub terminis, & finita; sed quia secundùm propriam naturam nullos sibi certos fines præscribit, ea ratione vocatur corpus infinitum, hoc est, non ex seipso finitum, qua de re antea plura diximus, quum de materiæ dimensionibus loqueremur. Hæc sunt argumenta à Iohanne contra se adducta, & soluta, quibus tertia illa sententia comprobatur, quòd materia secundùm se incorporea sit.

Ad quintũ. Soluenda manent alia argumenta à recentioribus adiecta, ad eiusdem sententiæ confirmationem. Ad primum sumptum à corpore & corporeitate, tanquam à concreto, & abstracto, dicimus nomine corporis duo in præsentia posse significari: vel enim vtrumque simul corpus denotamus, vnum de categoria substantiæ, alterum de categoria quanti, simul iuncta, hoc est, substantiam quantam: vel solam subiectam substantiam absque dimensionum consideratione: si primo modo sumatur corpus, vtique aliud est corpus, aliud corporeitas; corpus enim dicitur totum coniunctũ, corporeitas verò solas denotat dimensiones, quæ in illo habent locum formæ, licet ex eis & substantia subiecta non fiat vnum nisi per accidens; in tali autem vno aliud est quidditas, aliud est id, cuius est quidditas, vt ait Arist. in contex. 20. lib. 7. Metaph. & ita aliud est corpus, aliud corporeitas; corpus enim significat substantiam quãtam, corporeitas verò solam quantitatem. At si secũdo modo materiã dicamus corpus, substãtiam simplicẽ dicimus, quæ est vnũ per se, quare corporeitas nil aliud significabit, q̃ ipsammet essentiam materiæ; quærere igitur an differãt corpus, & corporeitas, est quærere, an in eo, quod est vnum per se, differat quidditas ab habente quidditatẽ. Aristot. quidem in 7. Metaphys. cõtex. 20. & 21. inquit idẽ esse quidditatem, atq; habẽs quidditatem, nempe in eo, quod sit vnũ per se, sed nõ in vno per accidens: tamen in 3. lib. de anima, contex. 9. & in 1. de Cœlo 92. dicere videtur aliud esse quidditatem, aliud habens quidditatem. Sed hac de re nobis in præsentia disputãdum non est: satis esse debet, si dicamus, quando materia hoc modo vocatur corpus, ita se habere corpus illud ad corporeitatem, vt Cœlum ad Cœleitatem; nomine enim cœleitatis significamus ipsam Cœli quidditatẽ, siue sit idem quod Cœlum, siue non idem; ita igitur nomine corporeitatis quidditatem materiæ significamus, quia ponimus materiam essentialiter esse corpus: vtrum autẽ illa corporeitas differat ab habente corporeitatem, nihil ad rem, quia neque id asserere, neq; negare nobis obest, dum sumitur corporeitas ꝓ ipsa materiæ essentia distincta à dimensionibus; quoniam ad nos non attinet quærere, an differant quidditas, & habens quidditatem,

A præsertim in simplicibus substantijs, cuiusmodi & Cœlũ & materia prima esse statuuntur. Postremum argumentum, quod ex verbis Aristotelis in varijs locis sumitur, facilè *Ad sextum.* soluitur: quòd enim sæpe naturalia corpora numerans nullam materiæ mẽtionem faciat, hoc certè nihil est; solet enim Aristoteles sola corpora perfecta, & actu existentia enumerare, quia cum horum numeratione simul materia numeratur; quum materia non sit aliud

B corpus ab his perfectis corporibus distinctum, sed sit hæc omnia, quia nunquam reperitur nisi formata: sic neq; genus aliquod existit extra species suas, proinde earum numeratione dicitur numerari, vt in illis apud Aristotelem locis notare possumus; nominat enim in corporibus naturalibus, stirpes, & animalia, non tamen nominat viuens commune earum genus: quid igitur? nominátne ibi omnia viuentia, an non omnia? absque dubio nominat o-

C mnia, licèt non nominet viuens genus, quia omnium specierum nominatione numeratum, & comprehensum genus esse intelligitur: itaque dicendum est, non nominari ibi corpus, quod est omnium genus materiam primam significans; quia sat est omnes eius species nominari, in quibus generis natura comprehenditur: esset quidem mancus Aristot. si in illa enumeratione aliquam speciem non nominasset, alijs eiusdem generis nominatis, quoniam

D vna in alijs non continetur; sed nominans omnes species omisso genere, mancus dici non potest. Elementa verò solent appellari simplicia corpora respectu aliorum perfectorum, & actu existentium corporum: mista namq; in elementa dissoluuntur, hæc verò non amplius in alia, quæ per se existant actu; itaq; dicuntur simplicia comparatione omnium inter se specierum corporis, non comparatione generis: idque ita est manifestum, vt puerilis

E admodum hæc argumentatio dicenda sit; etenim dimissa etiam hac nostra de prima materia opinione, nónne secundùm omnes commune est elementorum genus corpus? nónne quodlibet genus specie sua simplicius est, quum species præter genus differentiam habeat adiectam; igitur si efficax eorum argumentum est, datur etiam secundùm ipsos corpus simplicius elemẽtis, quod est eorum commune genus: quare ab ipsis quoque aduersa-

F rijs soluendum est argumentum, quum eius non minùs, quàm nobis officere videatur.

Epilogus omnium, quæ de prima Materia dicta sunt. Cap. XXI.

HAec omnia, quæ de prima rerum materie à nobis declarata fuêre ordine seruato à notioribus, & facilioribus cognitu ad ignotiora, ac difficiliora, si epilogo colligere velimus ordine naturæ seruato, ab ipsa materiæ natura, & substãtia ordiemur, deinde ad proprietates, quæ ab ea emanãt, & insepara-

biles sunt, & ab his demum ad ea, quę ipsi materiæ accidunt, & sunt ab ea separabilia, progrediemur; dicemus enim, primam materiam suapte natura esse corpus de categoria substantiæ indeterminatum, nulli certæ naturæ alligatum, & aptum omnia fieri, quod significat corpus generalissimum in categoria substantiæ, & ipsum vniuocum esse facit; ideò in ipsa materiæ natura nullus actus inest, sed est substantia quædam indeterminata, potestatem habens recipiendi quemlibet actum. Ab hac materiæ natura duæ proprietates emanant, quæ ab ipsa nunquam separantur: vna, est quantitas nullum secundùm se terminum habens; prima enim radix & fons, à quo in rebus naturalibus quantitas, ac dimensio deriuatur, est ipsa natura materiæ: altera verò, est potestas illa vniuersalis recipiendi omnes formas indistinctè; quæ si ad materiam referatur vt absolutè, & in prima notione acceptam, est proprietas eius naturam consequens: si verò consideretur materia cum respectu ad alia, & vt principium, & materia aliorum est, hæc eadem potestas vniuersalis de essentia materiæ est, quia est ratio formalis, constituens primum materiale principium. Demum acci- A dunt materiæ priuatio, & potestas particularis, quæ cum priuatione est coniuncta; priuatio enim connotat alteram formam, quæ est generationis terminus à quo; quare in aduentu formæ recedit & interit, & simul etiam interit potestas particularis, quæ illam tantummodò formam, quæ acquisita est, respiciebat: hæ itaque neque de essentia materiæ sunt, neque eam consequuntur, sed et prorsus accidunt, & ab ea possunt separari. Hoc tamen B in his omnibus est discrimen, quòd sola priuatio meretur nomen principij distincti à principio materiali, sed non quantitas, neque potentia materiæ; nam priuatio propriam principij rationem habet, distinctam à ratione materialis principij; est enim terminus generationis à quo, & est illud non esse, quod ex necessitate omnem generationem præcedit; ratio autem principij materialis est, vt sit subiectum generationi, quod idem maneat C sub vtroque contrario termino: quantitas verò, & potestas materiæ nullam habent propriam principij rationem, sed sunt subiectæ materiæ conditiones necessariæ, ideò nullum principium à materiali principio distinctum constituunt.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber

DE NATVRA.

Quid sit Natura. Cap. I.



DE rebus naturalib. diffusè, ac diligenter acturus Arist. non absq; ratione in ipsomet naturalis philosophiæ limine de natura agere constituit, quandoquidem nihil est naturalius natura ipsa; & affirmare etiam absq; dubio possumus, totum philosophi naturalis negotium consistere in contemplatione naturæ, quod Arist. ipse significauit, dum frequenter eam disciplinam vniuersam appellauit scientiam de natura. Quoniam igitur magni momenti est, imò & summopere necessarium philosopho naturali nomen naturæ intelligere, de hoc ego aliqua dicere, & quæ ab Arist. in 2. Phys. hac de re traduntur, quum præsertim ab aliorum opinione dissentire me ipsa ratio cogat, quantum in me est, explanare constitui. Duo autem sunt, in quo- D rum consideratione in tota hac mea disputatione versatus sum; vnum est, quid sit natura; alterum verò, quænam sit. Quid sit natura, ab Arist. declaratum habemus hac definitione; Natura est principium motus & quietis in eo, in quo primò inest, per se, non per accidens: in qua definitione verba singula, & multa, quæ satis trita atque vulgata sunt, consultò prætereibo; id potissimùm censeo esse animaduertendum, naturam in rebus naturalib. causam esse motus, non solùm in eo ipso corpore, in quo inest, quam immanentem motum vocant, verùm etiam in alio, & extra, quem transeuntem appellant; motus enim ignis à medio prouenit ab ipsa ignis natura, tanquam ab interno principio, & dicitur operatio immanens, quoniam in ipsomet igni recipitur: at calefactio, qua extra ignem aliud aliquod corpus incalescit, quæ dicitur operatio transiens, non minùs prouenit à natura ignis; sicut enim ignis per suam naturam ascendit, ita per suam naturam calfacit alia: Aristot. autem per solas operationes immanentes definire naturam

Definitio naturæ.

Natura est causa motus & in eodem, & in alio.

ram voluit; nempe per motum & quietem in eo ipso corpore, in quo natura inest; non quòd negauerit eiusdem operationes transeuntes; negari etenim non possunt, sed quia per trãseuntes non distinguitur natura ab arte, neq; declaratur quid sit natura, quum ars quoq; sit principium motus recepti in alio: quoniam igitur naturæ proprium est, motum per se producere in illo met, in quo ipsa inest, corpore, neque id vnquam competit arti, nisi per accidens, videns Arist. per hoc optimè declarari quid sit natura, & distingui naturam ab arte, per hoc solum, neglecto altero, naturam definire constituit; nec tamen negauet naturam esse principium, & causam motus etiam in alio. Est igitur natura per se principium motus in eo, in quo ipsa est: proinde naturale illud esse intelligitur, quod tale in se principium habet, hoc est, internam propensionem ad motum; quare is quoque motus vocatur alicui corpori naturalis, qui proueniat ab interno principio, hoc est, qui fiat cum interna propensione illius corporis ad talem motum.

An Natura sit principium motus actiuum, an passiuum, opinio Auicennæ, & eius confutatio. Cap. II.

IN hac naturæ definitione plura essent considerãda, quæ missa facimus, quia tum ab interpretibus Aristotelis declarantur, tum enim fortassis aliquando à nobis declarabuntur, si datum fuerit, vt in libros physicos possimus edere commentarios; nunc illud explicandum est, cuius potissimùm gratia hæc de natura scribere cõstituimus, vtrum in hac naturæ definitione principium motus sit intelligendum actiuum, an passiuum; de hoc enim non idem omnes sensisse videntur. Auicenna putauit, actiuum tantùm principium intelligendum esse, id enim videtur significasse Aristotel. qui statim post allatam hanc definitionem separans per eam naturalia à non naturalibus inquit, arte facta non habere in seipsis factionis principium, quum igitur per hoc separet naturalia à non naturalibus, vult naturalia habere in se actiuũ principium motus, nam factionis principium non est nisi actiuum. Consueuit etiam Aristoteles causam efficientem appellare principium vnde motus; credibile ergo est in hac definitione principium motus sumi pro principio actiuo.

Pro Auicenna primum argumentũ.

Secundum.

Hæc tamen sententia non est consona verbis Aristotelis, qui postea inquit, non solam formam, sed etiam materiam dici naturam: materiæ autem nullam tribui posse actionem certum est, sed passionem tantummodo; non potest igitur materia esse principium motus nisi passiuum, proinde in ea definitione necesse est significari etiam principium passiuũ. Præterea Aristotel. in contex. 32. lib. 8. inquit, elementa habere in se principium motus non

Opinionis cõfutatio.

Primum argumentum.

Secundum.

A actiuum, sed passiuum, & loquitur de ipsorum motu naturali, ergo putat, naturam esse etiam principium motus passiuum. Sumitur etiam cõtra Auicennam argumentum à cœlesti corpore, in quo negare non possumus, inesse naturam vt internum principium motus, qui cœlo dicitur naturalis, id enim asserit Aristoteles manifestè in contex. 5. lib. 1. de Cœlo; attamen nulla est in eo corpore natura, quæ sit actiuum principium motus, sed solùm, quæ est principium passiuum, vt alio in loco demonstrabimus; ergo fatendum est, naturam esse principium motus passiuum, quia hoc negato non esset in Cœlo natura, proinde non esset Cœlum corpus naturam habens, nec species corporis naturalis, neq; motus Cœli posset vocari naturalis, quæ omnia veritati & Aristoteli aduersantur, quare Auicennæ opinio reijcienda est.

Tertium.

In lib. de natura cœli.

Opinio Simplicij cum argumentis. Cap. III.

COntrà verò Simplicius pluribus in locis, præsertim verò in context. 16. libri 2. Physic. & in procemio librorum de anima dixit, naturam non esse motus principium actiuum, sed solùm passiuum, & in hoc separat naturam ab anima, quam sub natura contineri, & naturam esse omnino negat: ideò non defuêre qui Simplicium accusauerint inconstantiæ & contradictionis, quoniam in context. libri secundi Physicorum, declarans illam naturalium corporum propriam conditionem, quòd habent in se principium motus, exposuit principium actiuum: sed ipsemet Simplicius se ab hoc crimine vindicauit, nam postea in expositione context. 16. eiusdem libri asseruit, se antea pingui Minerua esse loquutum; quocirca ibi diligentiùs rem hanc perpendens, statuit naturam esse tenera principium motus passiuum tantùm, non actiuum, & ad hoc probandum tribus argumentis vtitur. Primum est: si natura dicatur principium motus actiuum, non distinguetur natura ab anima, quum anima sit principium motus actiuum, & hoc sit proprium animæ, vt ait Aristoteles in contextu 29. libri 8. Physicorum; quoniam igitur anima non est natura, & ea est propria animæ conditio, non est eadem attribuenda naturæ. Vtitur etiam authoritate Aristotelis, quam suprà aduersus Auicennam adduximus, in context. 32. eiusdem 8. libri, vbi dicit, grauia & leuia, & inanimata omnia habere in se principium motus passiuum tantùm, non actiuũ: quare dum constituimus, separandam esse naturam ab anima, & naturale ab animato, clarum esse videtur illud Aristotelis testimonium, quòd natura non sit principium motus actiuum, sed passiuum tantummodò. Tandem perpendit Simplicius, in definitione naturæ Aristotelem vti verbo passiuo, nõ verbo actiuo, quum

Contradictio in verbis Simplicij.

Defensio.

Primum argumentum Simplicij.

Secundum.

Tertium

dicat naturam esse principium τοῦ κινεῖσθαι, non dicat, τοῦ κινεῖν, quod significat naturā esse principium patiendi, non principium agendi. Quoniam autem validissimum esse putauit Simplicius ad suam opinionem tuendam argumentum illud, quod sumitur à discrimine naturæ & animæ, hoc ipse stabilire voluit, & pluribus argumentis ostendere nisus est, animam non esse naturam, vt apud eum legere possumus tum in t. & in 16. contextu libri 2. Physicorum, tum in suo proœmio in libros de anima. Primùm argumentatur à definitionibus naturæ, & animæ sic: quorum diuersæ sunt definitiones, illa inter se diuersa sunt; atqui alia est naturæ definitio, alia animæ; nam anima est actus corporis naturalis organici, natura verò est actus non corporis organici, atque heterogenei, sed potiùs simplicis, & homogenei; ergo neque natura est anima, neque anima est natura, proinde reipsa distinguuntur natura & anima, quare etiam naturale & animatum. Secundò ex eadem definitione animæ sic quoque argumentatur: Aristoteles dicit animam esse actum corporis naturalis, ergo putat animam esse actum superadditum corpori naturali, proinde superadditum etiam naturæ; itaque significat animam non esse naturam. Tertiò inquit: anima est causa motuum oppositorum, & ad omnes partes indistinctè tendentium; natura verò est causa statuti alicuius motus, & ad vnam tantùm partem, non ad contrarias, vt terra est naturaliter propensa ad descendendum solùm, & ignis ad ascendendum; anima igitur non est natura, quum diuersorum motuum causæ sint anima & natura. Quartò sic argumentatur: natura est in subiecto, anima non est in subiecto, ergo anima non est natura: maior est Aristotel. in contextu 4. libri 2. Physicorum, vbi dicit, naturam semper esse in subiecto; minorem ita probat, anima rationalis est æterna, & immunis à nexu materiæ, ergo non est in subiecto. Alia quoq; argumenta adducit in memoratis locis Simplicius, quæ quoniam vnica solutione omnia corruunt, omittenda existimaui. Nusrest etiam Simplicius soluere difficultates, quibus suam opinionem vrgeri opinabatur. Primùm quidem illi officere videbantur verba Aristotelis in initio 2. Physic. vbi in corporibus naturalibus numerat animalia, & stirpes; dicens enim animata esse naturalia, asserit etiam animam esse naturam. Sed ad hæc respondet Simplicius, animata ibi vocari naturalia, non quatenus animam habent, sed quatenus constant ex elementis, & sunt grauia & leuia. Vidit præterea eodem in loco Aristotel. nominare accretionem vt motum à natura prodeuntem; attamen hæc est propria animatorum, & fit ab anima, ergo putat Aristoteles animam esse naturam. Ad hoc quoque respondet, Aristotelem non nominare motum accretionis vt proprium animatorum, sed vt latè acceptum, & inanimatis quoque competentem, quia adhuc dubium erat, quibus insit ille motus, multi namque existimabant eum igni quoque competere; quæ sententia si admittatur, non prouenit ille motus ab anima, sed à natura illius elementi. Præterea videbatur ei refragari dictum illud Aristotel. in contextu 80. libri secundi Physic. araneus propter aliquem finem telam texit, & hirundo propter aliquem finem nidum facit; quum enim hoc dicat Aristoteles, vt ostendat naturam agere propter finem, asserit animam esse naturā, quum manifestum sit, opera illa prodire ab anima. Ad hoc respondet Simplicius, dicens exempla illa non esse reuera ad propositum accommodata, & Aristotelem sumere exempla animatorum pro exemplis naturalium; negat tamen non posse, melius fuisse accipere exempla in operibus naturæ, quàm in operibus animæ; quoniam ad scopum Aristotelis magis fuissent accommodata.

Primum argumentum, quod anima non sit natura.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Simplicij responsio ad plures obiectiones.

Ad primam.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Confutatio sententiæ Simplicij, quòd Anima non sit Natura. Cap. IIII.

Haec Simplicij opinio ab alijs impugnatur, nec iniuria; quia falsa est, & Aristoteli aduersatur; & quia in duobus demonstrandis potissimum laborauit Simplicius; nempe naturam esse principium motus passiuum tantùm, & animam non esse naturam: nos vtrunq; falsitatem separatim ostendemus, ab hoc posteriore ordientes. Primùm quidem adsunt contra Simplicium prædicta Aristotelis testimonia, ad quæ ipse non rectè respondit. Quòd enim primo loco ait, Aristotelem in initio lib. 2. Physic. animata vocare naturalia, non quatenus sunt animata, sed quatenus grauia & leuia; hoc certè vanissimum est: quia vnumquodq; est tale per suam formam, non per suam materiam, quo fit, vt apud Arist. quum dicimus Cœlum, vel hominem, vel equum, dicamus formam, forma autem animatorum est anima, materia verò elementa; nominans ergo Aristoteles animata, respexit formam, quæ est anima: quod si putasset, animata esse naturalia ratione tantùm elementorum, è quibus constant, animata nominare non debuisset, sed satis fuisset, sola elementa nominare, si sola sunt per se naturalia, & alia omnia per illa. Quod verò ad secundum respondet Simplicius de motu accretionis, falsum est: quoniam Aristoteles non solam accretionem nominat, sed etiam contrariam imminutionem; at igni non competit imminutio, quæ dici possit motus naturalis, & factus ab interno principio, sed animatis tantùmmodò; in his ergo solis considerat Aristoteles accretionem, & imminutionem, vel saltem hæc non excludit; neque enim verisimile est, Aristotelem loqui secundùm mentem tantùm aliorum, non secundùm mentem propriam;

Impugnatio primæ responsionis.

Impugnatio secundæ.

priam; imò etiam si loquatur secundùm mentem aliorum, sumere debet accretionem latè, vt competit etiam animatis, hæc enim augeri nemo negauit; atque adeò euidentius omnibus est animata augeri, quàm inanimata, quum illud omnes affirment, hoc verò non omnes: non est ergo credibile, Aristotelem id excludere, quod est omnibus manifestum, & id solùm accipere, quod est obscurius; quamobrem vel propriè sumit accretionem vt solis animatis competentem, vel saltem communiter vt competentem omnibus, quibus competere potest, seu propriè, seu impropriè, ita vt accretio animatorum nullo pacto excludatur; hæc autem in viuentibus non fit à formis elementorum, sed ab anima; quare sententia Aristotelis est, quòd anima sit natura. Ad tertium quoque acceptum ex contextu 80. eiusdem libri leuissima est Simplicij responsio, imò nec vllo pacto recipienda, quum sit potiùs impugnatio Aristot. quàm verborum eius loci interpretatio: nam si anima non est natura, & Aristoteles pro natura animam sumit, quum naturam sumere deberet, nullius roboris est illa Aristotelis argumentatio; probat enim animam agere propter finem, non probat naturam, quod probandum erat. Sed ibi considerans hæc omnia Simplicius, tandem veritate coactus concedit Aristotelem animam vocare naturam. Clara præterea est sententia Aristotelis in context. 7. & in 13. eiusdem 2. libri, vbi dicit: si effodiatur lectus, ita vt germinet, producet lignum, non lectum, & eam inquit esse operationem naturæ, est tamen operatio animæ, quare animam vocat naturam. Hoc idem sumitur ex Aristotele in contextu 27. libri 8. Physicorum, vbi ait, animalia habere in se principium sui motus, cúmque dicit fieri à natura, nec aliud principium considerat, quàm animam; ergo animam vocat naturam. Idem confirmatur alio Aristotelis testimonio in 1. libro de Partibus animalium, cap. 1. vbi concedit animam esse naturam; quamuis enim de mente dubitet, an sit natura, & principium motus, de nutriente tamen, ac de sentiente animæ parte non dubitat eas esse principium motus, & nomine naturæ participare, vnde colligit pertinere ad philosophiam naturalem loqui de aliqua saltem anima; vult igitur aliquam saltem animam esse naturam. Sumitur etiam ex ipsa naturæ definitione argumentum validissimum contra Simplicium: cui enim competit definitio, de eodem prædicatur etiam nomen definitum; atqui animæ competit definitio naturæ; negari enim non potest animam esse principium motus & quietis in eo, in quo primò inest, per se, non per accidens; igitur anima est natura. Id autem quod Simplicium in errorem duxit, fuit multiplex significatio huius vocis, natura; sumitur enim tribus modis. Vno modo amplissimè pro essentia rei, qua

Impugnatio tertia.

Alia ratio contra Simplicium.

Alia ratio.

Alia ratio.

Alia ratio.

A ratione etiam rebus supernaturalibus tribuimus quandoque nomen naturæ; dicimus enim naturam Dei, id est, essentiam Dei; quæ significatio ad nos in præsentia non pertinet. Secundo modo sumitur natura strictissimè pro quadam facultate coarctata, & restricta ad alteram tantùm partem oppositionis, prout distinguitur à facultate cognoscente, quæ potest agere vtrumlibet contrariorum: hoc modo natura distinguitur ab anima, & naturale
B ab animato, imò ex aduerso ei opponitur, quia naturale in hoc sensu significat inanimatum. Tertiò sumitur natura modo quodam medio, prout significat totum genus rerum variabilium, ac mutabilium; & ita naturale sumitur pro mutabili quomodocunque, natura verò pro interna propensione ad mutationem. Simplicius ergo secundam significationem accepit, quum tertiam potius accipere debuerit; patet enim Aristotelem ita acce-
C piam naturam definiuisse, quæ animam quoque complectitur; non enim definiuit naturam vt oppositam facultati cognoscenti, sed vniuersè vt significat internum principium motus, cuiusmodi esse animam quoque manifestum est, quum ei competat definitio naturæ, sicut prædiximus.

Natura sumitur tripliciter.

Confutatio opinionis Simplicij, quòd Natura sit principium motus passiuum tantùm. Cap. V.

D

QVod verò attinet ad alterum Simplicij dictum, de quo præcipuè sermo est in præsentia, nempe naturam esse principium motus passiuum tantùm, hoc videtur satis esse reprobatum ex ipsamet confessione Simplicij: quum enim ipse asserat animam esse principium motus actiuum, nos verò iam ostenderimus, animam esse naturam, & ei
E competere definitionem naturæ, manifestum est, naturam esse principium motus etiam actiuum. Sumitur etiam ex Aristotele argumentum contra Simplicium ex ijs, quæ dicuntur in libro secundo Physic. à 7. contextu vsq; ad 15. ibi enim docet Aristoteles formam esse præcipuè naturam, & magis, quàm materiam; sed formæ est agere, & materiæ est pati; ergo natura est principium motus actiuum, quia non potest forma esse natura quin
F sit principium actiuum motus. Præterea Aristoteles in 3. context. eiusdem libri declarans definitionem naturæ a se traditam inquit, se dixisse [*per se, & non per accidens*] propter Medicum sanantem seipsum: quia licèt ars quoque videatur esse principium motus in eo, in quo est, id tamen est per accidens, non per se; sola autẽ natura est per se principium motus in eo, in quo est: at certum est Medicum esse principium actiuum sanationis, siue in seipso, siue in alio; ergo etiam naturam intellexit Aristoteles esse principium motus actiuũ, quia

Primum argumentum.

Secundum.

nisi hoc esset, non oportebat excludere Medicum sanantem seipsum, quoniam ex eo nullum dubiũ oriebatur, quum Medicus sit principium actiuum, natura verò solùm passiuũ: postea verò etiam clariùs Aristoteles ibidem dicit, arte facta nõ habere in se factionis principium, vt etiam antè pro Auicennæ sententia considerauimus; affirmat autem de naturalibus vult id, quod de arte factis negat; ergo censet naturalia habere in se actiuum motus principium. Sunt etiam qui contra Simpliciũ adducant verba Aristotelis paulò antè à nobis considerata in contex. 80. eiusdem libri, quando dicit; araneus propter aliquem finẽ telam texit, & hirũdo propter aliquem finem nidum facit; hæc enim dicit ad probandum naturam agere propter finem, ergo asserit naturam esse principium motus actiuum, quãdoquidem araneus agendo texit telam, & hirundo agendo facit nidum. Hanc tamen obiectionem vidit eo ipso in loco Simplicius, & ad eam respondit, Aristotelem non intelligere naturam esse verè agentem, sed modo quodam coadiuuare actionem; nam passiua quoq; propensio actionem agentis quodammodo adiuuare dicitur, quamuis non propriè agat. Sed hęc Simplicij solutio vana est, licèt argumentum illorum debile sit, & facilem habeat solutionem, quam Simplicius non vidit: Simplicij quidem responsio quòd sit vana, manifestum est, quum pateat hirundinem esse verè effectricem causam nidi, & araneum telæ, & Aristoteles ibi veram efficientiam intelligat, qua agens efficit aliquid propter finem; finis enim mouet efficiens ad agendum, non mouet materiam, quare si philosophus probat naturam agere propter finem, sumit naturam vt verè agentem; & mirum est, quomodo hoc ausus sit negare Simplicius. Argumentum autem aliter soluendum est, quia reuera nullam habet efficacitatem aduersus opinionem Simplicij: iam enim diximus, Aristotelem non negare naturæ actionem in alio, quam transeuntem appellant, nec tamen per hanc definire naturam voluisse, sed per solã immanentem: dicere ergo debebat Simplicius, nil aliud hoc argumento ostendi, nisi naturam esse principium actiuum operationum transeuntium; has tamen ad definitionem naturæ non pertinere, neq; ob id probari, quòd etiã motuum immanentium natura sit causa effectrix: Aristoteles enim, ad probandum naturam agere propter finem, satis habuit accipere actiones naturæ transeuntes, per quas id facilè demonstratur, nec opus habuit considerare operationes immanentes, per quas naturam definiuerat.

Quartum.

Aliorum argumentum contra Simplicium.

Responsio Simplicij.

Impugnatio responsionis.

Responsio ad arg. melior.

Quòd Natura sit principium motus tum actiuum, tum passiuum, & quid vtrunq; sit. Cap. VI.

PEr ea, quę hactenus & contra Auicennam, & contra Simplicium dicta sunt, satis vi-
A detur esse demonstratum, naturam esse principium motus non modò actiuũm, vt putauit Auicenna, nec solùm passiuum, vt Simplicius, sed & actiuum, & passiuum, vt alij complures existimârunt. Sed veritas manifestior fiet, si declarauerimus, quid sit tum actiuum, tum passiuum principium motus: de actiuo quidem principio clara res esse videtur; illud enim à quo efficitur motus, dicitur actiuum motus principium, vt in animalibus anima; hoc e-
B nim significauit Aristot. in 8. lib. Physic. auscult. quando dixit animalia a seipsis moueri, hoc est, internam habere causam effectricem sui motus; sic etiam si elementa à formis suis mouentur, vt multi putant, formæ elementorum sunt actiua principia motuum naturaliũ. De passiuo autem principio non ita manifestum est, quomodo sit intelligendum; quum enim potentia passiua sit oppositorum, nec magis apta per se sit vnum, quàm alterum re-
C cipere, potest tamen ab aliquo ita restringi, & coarctari, vt fiat apta ad vnum, nõ ad alterum recipiendum; vt potentia passiua materiæ respicit quidem cõtrarias formas æqualiter, attamen dum sit particularis, & vnã tantum formam respicit, non ob id desinit esse potentia passiua, propterea quod non ab ea prouenit hæc determinatio, sed ab aliquo alio: dubium ergo oritur, an naturam vt principium motus passiuum sumenda sit potentia libera recipiendi
D æquè vtrumlibet oppositum motum, an potiùs restricta, & contracta ad alteram tantùm recipiendum; vt exempli gratiã, an in elemento graui sit natura vt principium motus passiuum, æquè apta moueri ad medium, atque à medio; an potiùs ad determinatum modum recipiendum propensa, vt ad motum descensionis, non ad motum ascensionis. Plurimi (vt ego video) priorem sensum accipiunt, dum dicunt, materiam in rebus naturalibus esse prin-
E cipium motus passiuum, formam verò actiuum; nam certum est, materiam habere potestatem patiendi liberam, & æquè respicientem contraria, nec magis vnum, quàm alterũ; quæ sicut æquè apta est recipere omnes formas, ita & omnes motus. Sed hanc communem sententiam ego quidem recipere nunquam potui; ipsam enim, si ita ruditer, & inconsiderate accipiatur, vt eam alij videntur accipere, magna & manifesta absurditas seq-
F tur, quòd omnis motus erit naturalis, etiam ille, quem contra naturam, ac violentum appellare solemus; nam si terra proiecta ascendat, negari non poterit, quin ille motus dicatur illi corpori naturalis ratione saltem principij passiui; sic omnes motus artificiosi erunt naturales, vt motus nauis per aquam, & motus lignorum, quando ab artifice elaborantur; quamuis enim non fiant ab interno principio actiuo sed ab externo, tamẽ principium passiuum internum habent, quia prima materia ad omnes motus recipiendos æque apta est secundùm

Actiuum motus principiũ quid sit.

Passiuum motus principiũ quid sit.

Opinio communis.

Confutatio.

dùm propriam naturam. Quoniam igitur hęc dicere nefas est, fateri oportet, principiū motus passiuum, quod dicatur natura, non esse accipiendum liberum, & contrarios motus æquè respiciēs, sed coarctatum ad vnum statutum motū recipiendum, qui solus dicatur illi rei esse naturalis; hoc ex Aristotele sumitur manifestè in contextu 32. lib. 8. Physicorum; quum enim priùs distinxisset motū grauium & leuium violentum ab eorundem motu naturali, loquens ibi de solo naturali inquit, grauia & leuia habere in seipsis principium motus passiuum tantùm, non actiuum; passiuum autem intelligit respectu vnius tantùm motus, qui dicitur naturalis, non respectu contrarij, quem violentū esse, & ab externo principio fieri iam dixerat: quoniam igitur Arist. ibi negat violentū elementi motum fieri modo vllo ab interno principio siue actiuo, siue passiuo; motum autem naturalem inquit habere internum principium passiuum tantùm, & ea ratione dici naturalē; manifestissimum est, passiuum principium ab Aristotele intelligi restrictum ad vnum certum motum, qui solus dicatur naturalis cuique rei; non principium passiuum liberum, & anceps ad recipiendos contrarios motus: sic enim fieret, vt etiam motus, quem ibi vocat violentum, haberet internum principium passiuum; & ita id, quod est contra naturam, esset secundùm naturam, quod minimè dicendum est.

Opinio propria.

Quæ sit Natura, & quomodo materia, & quomodo forma sit Natura.

Cap. VII.

Vt omnis hac in re difficultas tollatur, & veritas perspicua fiat, declarandum est, quodnam sit in corpore naturali principiū motus, quod vocamus naturā; sic enim alterū initio a nobis propositum manifestum reddetur; quum enim iam docuerimus, quid sit natura, considerandum relinquitur, quænam sit; id enim non ita, vt plerique putant, facile explicatu est. sed plena res difficultatis; nam Aristoteles dicere videtur, tam formam, quàm materiam esse naturam, eamq; sententiam nunc omnes sequuntur; attamen si vera illa sunt, quæ modò diximus, nō appatet, quomodo materia possit vocari natura; siquidem natura certum quēdam, ac statutum motum respicit, qui dicitur naturalis; materia verò est libera, & æquè apta ad contrarios motus recipiendos; hoc autem si dixerimus sola forma erit natura, quod Aristoteli aduersari videtur, dicenti, materiam quoque esse naturam: præterea verò sequetur, naturam esse principium motus actiuum tantùm, quia formæ est agere, materiæ verò pati; quomodo igitur dicere antea potuimus, naturam esse principium motus etiam passiuum? & quomodo Arist. in context. 32. lib. 8. Physicorum, hoc idem manifestè affirmauit? ab hoc mihi videntur plures in hunc errorem ducti fuisse, vt putauerint & materiam & formam esse naturam, & formam quidem esse actiuum principiū motus, materiam verò passiuum. Ego tamen puto eos in hoc esse deceptos, & secundùm Aristotelem solam formam esse naturam, & principium motus tam actiuum, quàm passiuum; tum quia materia secundùm se libera est, & æquè apta ad oppositos motus patiendos, nec dici potest principium alicuius determinati motus, ita vt non alterius illi contrarij; tum etiam quia, quum vna sit omnium materia, sequeretur, omnium rerum naturalium vnam & eandem esse naturam, quod tamen vult Aristoteles: quum enim non vnus & idem sit rerum omnium naturalium motus naturalis, natura quoque non debet omnium vna & eadem esse; quod etiam ex verbis Aristotelis in lib. 2. Physicæ auscultationis satis apertè colligitur; etenim censuit naturam, de qua ibi loquitur, non esse quid vnum & idem numero in cunctis rebus naturalibus, sed communem solùm prædicatione, quia vult vniuscuiusque rei propriam & peculiarem esse naturā, quæ non sit aliarum rerum natura; idq́ue per se manifestum esse videtur, alia namque est hominis natura, alia equi, alia leonis; significauit hoc Aristoteles in context. 11. & 12. eius libri dicens vnamquamque rem tunc habere suam naturam, quando est actu, non quando potestate; non diceret enim hoc Aristoteles, nisi propria cuiusque rei esset natura. Præterea in context. 5. eiusdem libri declarans, quomodo accidentia naturalia dicantur esse secundùm naturam, inquit [*vt igni ferri sursum*] loquitur ergo de propensione ad propriū motalem motū, qui non est idem in omnibus, proinde neq; eius principium idem est, quocirca etiam in definitione naturæ sumendus est motus non pro quolibet indistinctè, sed pro illo tantùm, qui sit cuiuslibet rei motus naturalis. Ex his possumus hanc rationem colligere: vnius rei vna debet esse natura, nō plures, quemadmodum vnius rei vnus est actus; non enim diceremus naturam ignis, naturam terræ, naturam hominis, nisi cuiusque rei vna esset natura; attamen si tam materiam quàm formam esse naturā rei Aristoteles existimasset, duæ essent vnius rei naturæ, quod nullo pacto dicendum est. Duo igitur a nobis declaranda sunt, vt omne hic in re dubium tollatur; vnum, quomodo forma sit principium motus & actiuum, & passiuum; alterum verò, quomodo dixerit Aristoteles materiam esse naturam, si sola forma est natura. De forma quidem, quòd sit principium motus passiuū, satis est manifestum ex memoratis Aristotelis verbis in context. 32. lib. 8. Physicorum. quum enim dicat elementa habere in se principium motus passiuum tantùm, non actiuum, non potest nisi formam intelligere; nam si mate-

Sola forma est per se natura.

Quomodo forma principiū passiuum sit.

nisi hoc esset, non oportebat excludere Medicum sanantem seipsum, quoniam ex eo nullum dubiũ oriebatur, quum Medicus sit principium actiuum, natura verò solùm passiuũ: postea verò etiam clariùs Aristoteles ibidem dicit, arte facta nõ habere in se factionis principium, vt etiam antè pro Auicēnæ sententia considerauimus; affirmat autem de naturalibus vult id, quod de arte factis negat; ergo censet naturalia habere in se actiuum motus principium. Sunt etiam qui contra Simplicium adducant verba Aristotelis paulò antè a nobis considerata in contex. 80. eiusdem libri, quando dicit; araneus propter aliquem finẽ telam texit, & hirũdo propter aliquem finem nidum facit; hæc enim dicit ad probandum naturam agere propter finem, ergo asserit naturam esse principium motus actiuum, quãdoquidem araneus agendo texit telam, & hirundo agendo facit nidum. Hanc tamen obiectionem vidit eo ipso in loco Simplicius, & ad eam respondit, Aristotelem non intelligere naturam esse verè agentem, sed modo quodam coadiuuare actionem; nam passiua quoq; propensio actionem agentis quodammodo adiuuare dicitur, quamuis non propriè agat. Sed hęc Simplicij solutio vana est, licèt argumentum illorum debile sit, & facilem habeat solutionem, quam Simplicius non vidit: Simplicij quidem responsio quòd sit vana, manifestum est, quum pateat hirundinem esse verè effectricem causam nidi, & araneum telæ, & Aristoteles ibi veram efficientiam intelligat, qua agens efficit aliquid propter finem; finis enim mouet efficientẽ ad agendum, non mouet materiam, quare si philosophus probat naturam agere propter finem, facit naturam vt verè agentem; & mirum est, quomodo hoc ausus sit negare Simplicius. Argumentum autem aliter soluendum est, quia reuera nullam habet efficacitatem aduersus opinionem Simplicij: iam enim diximus, Aristotelem non negare naturæ actionem in alio, quam transeuntem appellant, nec tamen per hanc definire naturam voluisse, sed per solã immanentem: dicere ergo debebat Simplicius, nil aliud hoc argumento ostendi, nisi naturam esse principium actiuum operationum transeuntium; has tamen ad definitionem naturæ non pertinere, neq; ob id probari, quòd etiã motuum immanentium natura sit causa effectrix: Aristoteles enim, ad probandum naturam agere propter finem, satis habuit accipere actiones naturæ transeuntes, per quas id facilè demonstratur, nec opus habuit considerare operationes immanentes, per quas naturam definiuerat.

Quartum. — *Aliorum argumentum contra Simplicium.* — *Responsio Simplicij.* — *Impugnatio responsionis.* — *Responsio ad arg. melior.*

Quòd Natura sit principium motus tum actiuum, tum passiuum, & quid vtrunq; sit. Cap. VI.

PEr ea, quę hactenus & contra Auicennam, & contra Simplicium dicta sunt, satis vi-
A detur esse demonstratum, naturam esse principium motus non modò actiuum, vt putauit Auicenna, nec solùm passiuum, vt Simplicius, sed & actiuum, & passiuum, vt alij complures existimarũt. Sed veritas manifestior fiet, si declarauerimus, quid sit tum actiuum, tum passiuum principium motus: de actiuo quidem principio clara res esse videtur; illud enim à quo efficitur motus, dicitur actiuum motus principium, vt in animalibus anima; hoc e-
B nim significauit Aristot. in 8. lib. Physic. auscult. quando dixit animalia a seipsis moueri, hoc est, internam habere causam effectricem sui motus; sic etiam si elementa à formis suis mouentur, vt multi putant, formæ elementorum sunt actiua principia motuum naturaliũ. De passiuo autem principio non ita manifestum est, quomodo sit intelligendum; quum enim potentia passiua sit oppositorum, nec magis apta per se sit vnum, quam alterum su-
C scipere, potest tamen ab aliquo ita restringi, & coarctari, vt fiat apta ad vnum, nõ ad alterum recipiendum; vt potentia passiua materiæ respicit quidem cõtrarias formas æqualiter, attamen dum fit particularis, & vnã tantùm formam respicit, non ob id desinit esse potentia passiua, propterea quod non ab ea prouenit hæc determinatio, sed ab aliquo alio: dubium ergo oritur, an natura vt principiũ motus passiuum sumenda sit potentia libera suscipiendi
D æquè vtrumlibet oppositum motum, an potiùs restricta, & contracta ad alterum tantùm recipiendum; vt exempli gratiã, an in elemento graui sit natura vt principium motus passiuum, æquè apta moueri ad medium, atque à medio; an potiùs ad determinatum modum suscipiendum propensa, vt ad motum descensionis, non ad motum ascensionis. Plurimi (vt ego video) priorem sensum accipiunt, dum dicunt, materiam in rebus naturalibus esse prin-
E cipium motus passiuum, formam verò actiuum; nam certum est, materiam habere potestatem patiendi liberam, & æquè respicientem contraria, nec magis vnum, quàm alterũ; quare sicut æquè apta est recipere omnes formas, ita & omnes motus. Sed hanc communem sententiam ego quidem recipere nunquam potui; ipsam enim, si ita audiretur, & inconsideratè acceptatur, vt eam alij videntur accipere, magna & manifesta absurditas se-
F quitur, quòd omnis motus erit naturalis, etiam ille, quem contra naturam ac violentum appellare solemus; nam si terra proiecta ascendat, negari non poterit, quin ille motus dicatur illi corpori naturalis ratione saltem principij passiui; sic omnes motus artificiosi erunt naturales, vt motus nauis per aquam, & motus lignorum, quando ab artifice elaborantur; quamuis enim non fiant ab interno principio actiuo sed ab externo, tamẽ principium passiuum internum habent, quia prima materia ad omnes motus recipiendos æquè apta est secundùm

Actiuum motus principiũ quid sit. — *Passiuum motus principiũ quid sit.* — *Opinio communis.* — *Confutatio.*

Opinio propria.

dùm propriam naturam. Quoniam igitur hęc dicere nefas est, fateri oportet, principiũ motus passiuum, quod dicatur natura, non esse accipiendum liberum, & contrarios motus æquè respiciẽs, sed coarctatum ad vnum statutum motũ recipiendum, qui solus dicatur illi rei esse naturalis; hoc ex Aristotele sumitur manifestè in contextu 32. lib. 8. Physicorum; quum enim priùs distinxisset motũ grauium & leuium violentum ab eorundem motu naturali, loquens ibi de solo naturali inquit. grauia & leuia habere in seipsis principium motus passiuum tantùm, non actiuum; passiuum autem intelligit respectu vnius tantùm motus, qui dicitur naturalis, non respectu contrarij, quem violentũ esse, & ab externo principio fieri iam dixerat: quoniam igitur Arist. ibi negat violentũ elementi motum fieri modo vllo ab interno principio siue actiuo, siue passiuo; motum autem naturalem inquit habere internum principium passiuum tantùm, & ea ratione dici naturalẽ; manifestissimum est, passiuum principium ab Aristotele intelligi restrictum ad vnum certum motum, qui solus dicatur naturalis cuique rei; non principium passiuum liberum, & anceps ad recipiendos contrarios motus: sic enim fieret, vt etiam motus, quem ibi vocat violentum, haberet internum principium passiuum; & ita id, quod est contra naturam, esset secundùm naturam, quod minimè dicendum est.

Quæ sit Natura, & quomodo materia, & quomodo forma sit Natura.

Cap. VII.

VT omnis hac in re difficultas tollatur, & veritas perspicua fiat, declarandum est, quodnam sit in corpore naturali principiũ motus, quod vocamus naturã; sic enim alterũ initio a nobis propositum manifestum reddetur; quum enim iam docuerimus, quid sit natura, considerandum relinquitur, quænam sit; id enim non ita, vt plerique putant, facile explicatu est, sed plena res difficultatis; nam Aristoteles dicere videtur, tam formam, quam materiam esse naturam, eamq; sententiam nunc omnes sequuntur; attamen si vera illa sunt, quæ modò diximus, nõ apparet, quomodo materia possit vocari natura; siquidem natura certum quẽdam, ac statutum motum respicit, qui dicitur naturalis; materia verò est libera, & æquè apta ad contrarios motus recipiendos; hoc autem si dixerimus sola forma erit natura, quod Aristoteli aduersari videtur, dicenti, materiam quoque esse naturam: præterea verò sequetur, naturam esse principium motus actiuum tantùm, quia formæ est agere, materiæ verò pati; quomodo igitur dicere antea potuimus, naturam esse principium motus etiam passiuum? & quomodo Aristot. in contex. 32. lib. 8. Physicorum, hoc idem ma-

A nifestè affirmauit? ab hoc mihi videntur plures in hunc errorem ducti fuisse, vt putauerint & materiam & formam esse naturam, & formam quidem esse actiuum principiũ motus, materiam verò passiuum. Ego tamen puto eos in hoc esse deceptos, & secundùm Aristotelem solam formam esse naturam, & principium motus tam actiuum, quàm passiuum; tum quia materia secundùm se libera est, & æquè apta ad oppositos motus patiendos, nec

Sola forma est per se natura.

B dici potest principium alicuius determinati motus, ita vt non alterius illi contrarij; tum etiam quia, quum vna sit omnium materia, sequeretur, omnium rerum naturalium vnam & eandem esse naturam, quod tamen vult Aristoteles: quum enim non vnus & idem sit rerum omnium naturalium motus naturalis, natura quoque non debet omnium vna & eadem esse, quod etiam ex verbis Aristotelis in lib. 2. Physicæ auscultationis satis apertè col-

C ligitur; etenim censuit naturam, de qua ibi loquitur, non esse quid vnum & idem numero in cunctis rebus naturalibus, sed commune solùm prædicatione, quia vult vniuscuiusque rei propriam & peculiarem esse naturã, quæ non sit aliarum rerum natura; idque per se manifestum esse videtur, alia namque est hominis natura, alia equi, alia leonis; significauit hinc Aristoteles in context. 11. & 12. eius libri dicens vnamquamque rem tunc habere

D suam naturam, quando est actu, non quando potestate; non diceret enim hoc Aristoteles, nisi propria cuiusque rei esset natura. Præterea in contex. 5. eiusdem libri declarans, quomodo accidentia naturalia dicantur esse secundùm naturam, inquit [*vt igni ferri sursum*] loquitur ergo de propensione ad propriũ naturalem motũ, qui non est idem in omnibus, proinde neq; eius principium idem est, quocirca etiam in definitione naturæ sumendus

E est motus non pro quolibet indistinctè, sed pro illo tantùm, qui sit cuiuslibet rei motus naturalis. Ex his possumus hanc rationem colligere: vnius rei vna debet esse natura, nõ plures, quemadmodum vnius rei vnus est actus; non enim diceremus naturam ignis, naturam terræ, naturam hominis, nisi cuiusque rei vna esset natura; attamen si tam materiam quàm formam esse naturã rei Aristoteles existimasset, duæ essent vnius rei naturæ, quod nullo

F pacto dicendum est. Duo igitur a nobis declaranda sunt, vt omne hac in re dubium tollatur; vnum, quomodo forma sit principium motus & actiuum, & passiuum; alterum verò, quomodo dixerit Aristoteles materiam esse naturam, si sola forma est natura. De forma quidem, quòd sit principium motus passiuũ, satis est manifestum ex memoratis Aristotelis verbis in context. 32. lib. 8. Physicorum. quum enim dicat elementa habere in se principium motus passiuum tantùm, non actiuum, non potest nisi formam intelligere; nam si mate-

Quomodo forma principiũ passiuum sit.

riam intelligeret, relinqueretur formam elementi naturã dici non posse, & nullius motus principium esse formam; & præterea vnum & eundem esse omnium elementorum motum naturalem, sicut vna est omnium materia: attamen falsa hæc omnia sunt; neq; enim dicendum est, formam elementi non esse naturam, & nullius esse motus principium, quum Aristoteles in lib. 2. Physicorum dixerit, magis naturam esse formam, quàm materiam; neq; omnium elemẽtorum vnus & idem est naturalis motus, nisi dicamus, quẽlibet motum indistinctè cuilibet elemento esse naturalem, & nullum esse violentum, quod quidem iam diximus Aristoteli eo in loco, imò & omnium consensioni manifestè aduersari: quoniam igitur necessarium est, confiteri, formam elementi esse naturam, & magis etiam naturam, quàm materiam, & Aristoteles ibi dicit elementum non habere in se principium motus, nisi passiuum, asserit absque dubio formam esse principium motus passiuum: huius autem ratio sumitur ex ijs, quæ antea dicta sunt; quum enim principium passiuum hic non intelligatur respectu cuiuscunque motus indistinctè, sed respectu determinati motus, qui solus dicatur naturalis, & omnis determinatio proueniat à forma, necesse est formam dici principium passiuum motus, quatenus materiæ potentiam coarctat, quæ secundùm se libera erat; & facit propensionem ad certum aliquem naturalem motum, ita vt non ad alium: etenim à quonam habet ignis propensionem ad recipiendum motum ascensionis tantùm, non descẽsionis? non à materia, quia materia est æquè propensa ad omnes motus; ergo à sola forma; sola enim forma ignis restringit potentiam materiæ passiuam ad motum à medio, quæ secundùm se æquè omnes motus respiciebat: principium ergo passiuũ recipiendi huius determinati motus est forma quatenus actuans, ac determinans materiam: & hoc est quod ait Auerroes in 3. lib. de Cœlo, comment. 28. & in 4. de Cœlo 22. forma mouet quatenus est forma, mouetur autem quatenus est in materia; quum enim formæ, quatenus est forma, officium sit agere, materiæ verò pati, forma, quatenus est forma, est principium motus actiuum, & eadem est etiam principium passiuum, quatenus est in materia; quia cùm proprium materiæ sit pati, quicquid est in materia, est patibile propter materiam: alia igitur ratione forma est actiuum principium motus, alia passiuum, idq; similiter dicimus, habere locum in omnibus naturalibus corporibus materia & forma constantibus; in animali enim certum est animam esse principium actiuum proprij motus animalis, quum ab anima moueatur animal, sed necesse est eãdem animam esse etiam principium passiuum eiusdem motus: quia si quæratur, cur animal sit naturaliter propẽsum ad recipiendum determinatè motum progressionis, nil aliud responderi potest, nisi quia est animatum; ipsum enim corpus seclusa anima non habet naturalem propensionem ad illum motum, sed ideò eam habet, quia habet animam: sic de alijs naturalibus corporibus dicendum est, etiam de elementis, nam (vt inquit ibi Auerroes) forma elementi mouet vt forma, & mouet vt est in prima materia, qua de re alibi est à nobis disputandum: propterea principium motus actiuum, & passiuum non possunt separari, in his saltem inferioribus corporibus (de Cœlo enim fortasse aliud dicendum est) vbi enim est compositio materiæ & formæ, ibi necesse est formam tum determinare materiam, & ita esse principiũ motus passiuum, quatenus est in materia; tum etiam esse principium actiuum eiusdem motus, quatenus est forma, quia formæ est agere.

Indub. de motu grauium & leuium.

Principium actiuum & passiuum nõ possunt separari.

Quòd verò ad materiam attinet, totius difficultatis solutio sumitur ex ipsomet Aristot. in context. 11. & 12. lib. 2. Physicorum, & in 5. Metaphys. materiam enim dicit esse naturam, non quidem secũdùm se vt alteram naturam à forma distinctam, sed vt eandem: quoniam enim in context. 3. & vlt. libri 8. Metaphysic. inquit Aristoteles, materiam esse idem potestate, quod forma actu; ideò materia eatenus est natura, quatenus potestatem habet recipiendi formam, quæ est rei natura: quemadmodũ enim quum dicimus lignum rude esse arcam potestate, deinde per formã fieri arcam actu, non dicimus propterea duas arcas, sed vnam & eandem numero, quæ priùs erat potestate sola in materia, deinde fit actu per formam; ita de natura dicẽdum est; vna enim est vnius rei natura, non duæ, sed naturam rei potestate significamus per materiam, actu autem per formam. ob id Aristoteles in contextu illo 11. libri 2. Physicorum inquit, vnumquodque dicitur habere suam naturam, quando est actu, non quando est potestate, tunc enim potestate habet suam naturam, non actu; & quia magis est res, quando est actu, quàm quando est potestate, ideò postea subinngit, magis esse naturam formam, quàm materiã, hoc est, magis per formam, quàm per materiam significari naturam rei; eadem tamen natura per vtramque significatur, vt prædiximus; in hoc igitur cõmunis aliorum error consistit, quòd putant materiam per se esse naturam, & ita duas esse distinctas naturas in eadem re, formam & materiam; reuera enim materia non per se est natura, sed per formam, & prout potestatem habet recipiendi formam, quæ est ipsa rei natura: quam sententiam clarè legimus apud Aristotel. lib. 5. Metaphys. context. 5. vbi dicit formam esse illam, quæ propriè dicitur natura; materiam verò fuisse quidem ab antiquis dictam totam rei naturam, attamen non alia ratione esse naturam, nisi quatenus est susceptiua formæ: hac igitur ratione materia

Quomodo materia sit natura.

teria est principium motus passiuum, non tamen a forma distinctum; siquidem dicentes, materiam esse principium passiuum, quatenus est per formam determinata ad talem rei naturam, & dicentes, formam esse principium passiuum, quatenus materiam determinat, vnam & eandem naturam dicimus, & idē principium motus passiuum, non duo, quoniam so a materia non haberet hanc determinationem, qua dici posset principium passiuū huius istiusmotus, sed eam habet à forma; & vicissim forma nō potest esse ratio patiendi, nisi quatenus est in materia: ad hunc sensum trahenda sunt verba Aristotelis in context. 21. & 22. libri 2. Physicorum, quando dicit materiam & formam esse duas naturas; non sunt enim duę distinctę naturæ, sed duæ eiusdem naturalis corporis partes, quarum vtraque dici potest natura, sed forma actu, materia verò potestate. & forma primariò, materiā verò secundariò, & per formam. Credendum etiam est, Aristotelem hoc dicentem respexisse antiquorum sententiam, qui solam materiam naturam esse dicebant; materiam enim vocat naturam, quatenus ab antiquis ipsa secūdùm se appellabatur natura, atq; adeò tota rei natura. Patet igitur, naturam in rebus naturalibus secundùm Aristotelem esse formam; hęc enim per se, & quatenus est forma, est actiuū principium motus. & eadem vt materiam determinans est principium motus passiuum, quod idem significamus, dicendo materiam vt à forma determinatam; neque enim materia sine forma, neq; forma sine materia est principium motus passiuum, patibilitas namque est materiæ, determinatio autem patibilitatis, vt hunc potiùs motum respiciat quam illum, est solius formæ. In cœlesti autem corpore quomodo sit natura, alibi considerabitur: nunc quid sit natura, & quænam sit, vniuersaliter intellexisse satis est.

In lib. de Natura cæli.

Obiectiones aliquorum aduersus ea, quæ dicta sunt, & earum solutio.

Cap. VIII.

HAEC, quæ hactenus diximus, clariora reddētur, si quasdam obiectiones, quæ à nonnullis afferūtur, soluerimus. Scotus in 2. Sentent. distinct. 18. diligenter loquitur de natura, & inter cætera hoc verissimum scribit, principium motus passiuum nō esse solùm materiam, sed etiam formam: in hoc enim longè meliùs sensit, quàm alij plurimi, qui satis inconsideratè loquētes dicunt, formam esse principium actiuum, materiam verò passiuū: optimè etiam hoc declarat Scotus, sumpto exemplo grauitatis lapidis, quæ tanquam forma accipitur; est enim principiū passiuum, & causa vt lapis sit receptiuus talis motus, qui est ad medium, propterea quòd ab eadem forma, à qua res habet vt sit, habēt etiam aptitudinem recipiendi naturales eiusdem rei affectiones: certum autem est, Scotum existimasse formam elementi esse etiam actiuum principium motus naturalis in elemento, vt mox alio in loco ostendemus; ergo sententia Scoti est, formam esse & actiuum, & passiuum principium motus; quod quidem esse non potest, nisi diuersis rationibus, vt nos antea declarauim⁹. quare in hoc optimè, meo quidem iudicio, sensit Scotus. Sed id, quod de materia ibi dicit, mihi dubium est, nec possum eius sententiam sequi; inquit enim materiam secundùm se esse naturam, proinde omnem motum, qui iuxta materiæ aptitudinem fiat, vocandum esse naturalem; hanc enim propositionem tanquam axioma quoddam statuit; quælibet mutatio dicitur naturalis, quando patiens mutatur, vt secundùm naturam aptum est mutari: hinc infert, generationem esse mutationem naturalem, quia materia secūdùm propriam naturam est apta ad omnes formas indistinctè recipiendas; sic etiam alterationem elemēti esse mutationem naturalem, quia tunc elementum mutatur, vt secundùm naturam aptum est mutari; has igitur omnes mutationes inquit esse naturales ratione principij passiui tantùm, non ratione actiui; hoc enim absque dubio externum est. Et quia obijcere aliquis poterat motus artificiosos, qui hac ratione essent naturales, quoniam similiter fiunt à principio passiuo interno, quare nulla esset distinctio inter motus naturales, & motus artificiosos: ad hoc respondet, negando motus artificiosos fieri ab interno principio passiuo; inquit enim materiam naturalem, quæ in rebus arte factis inest, non habere aptitudinem ad recipiendas formas artificiosas; proinde dici non posse in mutatione artificiosa rem mutari, vt secundùm naturam apta est mutari; quare illa non est mutatio naturalis. Hanc Scoti sententiam alij plurimi sequuti sunt, sed inter cæteros nonnulli, qui de natura diligenter scripserunt, doctrinam hanc Scoti prorsus approbantes, confutant illorum sententiam, qui putant naturam esse principium motus actiuum tantùm, non passiuum, proinde solam formam esse naturam, & aduersus eos hoc argumento vtūtur. Si hæc sententia admitteretur, sequeretur nullam generationem esse mutationem naturalem, siquidem nihil seipsum generat; sequeretur etiam alterationem elemētorum non esse naturalem, quum semper ab externo agente fiat: attamen fatentur omnes, generationem esse mutationem naturalem, idq; asserit Aristoteles in primis verbis primi libri de ortu & interitu; naturaliter etiam alterari mutuò elemēta dicimus, & has omnes mutationes certum est vocari naturales ratione principij tantùm passiui, non ratione actiui, & ratione solius materiæ, non ratione formæ.

Scotus.

Nonnullorum argumentum.

Horum igitur & Scoti sententia si vera est, iam materia est per se natura, nó per formā: nam si fieri aliquando potest, vt sola materia sine ope formæ sit principium motus, qui ob eam solam dicatur naturalis, certum est, materiam secundùm se esse naturam, falsam autem esse opinionem nostram, qui dicimus, materiam non esse naturam, nisi per formam; nam si vera sententia nostra est, oportet nunquam materiam dici principium motus passiuum, nisi forma quoque sit eiusdem motus passiuum principium; quo fit, vt rerum generationes & alterationes elementorum, vel à forma quoque tanquam à principio prueniant, vel non videantur dici posse mutationes naturales; contrà verò, si illorum sententiam sequamur, à sola materia tanquam à principio passiuo sunt mutationes verè naturales. Sed horum sentētia vrgetur maximè ea difficultate, quám antea tetigimus; nam secundùm eam sequeretur, motum violentum esse naturalem, ratione saltem principij passiui, quod est materia; non enim ad id confugere possunt, quod de formis artificiosis imaginati sunt, quippe dicentes, has nullo modo produci ex interno principio, seu actiuo, seu passiuo; etenim de motu violento hoc dicere non possunt, quoniam materia ipsis quoque confitentibus naturalem habet potentiam recipiendi omnes formas naturales, & omnia accidentia naturalia consequentia formas, idq; asserit etiam Aristoteles in contex 8. lib. 7. Metaphys. dicēs materiam esse subiectum receptiuū omnium categoriarum: atqui ascensio est motus naturalis, & materia potentiam habens naturalem recipiendi formam ignis, habet etiam potentiam naturalem recipiendi motum ascensionis; ergo lapide sursum proiecto, motus ille est secundum naturam, respectu principij passiui, quod est materia; nam materia, quæ est in lapide, habet potentiam tum recipiendi formam ignis, tum ascendendi. Sed illud quoque, quod de formis artificiosis dicunt, dubium est; negant enim materiam respectu illarum habere potentiam naturalem; attamen non video, quomodo eas recipiat, si recipiendi potestatem non habet; negare enim potentiam recipiendi, est dicere non esse possibile vt recipiat, atqui id, quod non est possibile fieri, nunquam fit; quomodo igitur eas recipit? Negare igitur non debent in materia naturalem potentiam recipiendi etiam formas artificiosas, quum eas recipiat actu. Nos igitur si in materiæ aptitudine, qua omnes formas recipere posse dicitur, discrimē aliquod inuenerimus, fortasse omnem hac in re difficultatem tollemus, & eorum errorem manifestum reddemus. Inprimis illud à nemine negari posse videtur, materiam magis, & principalius respicere formas substantiales, & ad eas maiorem habere propensionem, quàm ad accidentales: huius enim ratio euidentissima est, quoniam materia formam appetit vt perficiatur, & fiat actu, quum secundùm se non sit ens aliquod determinatæ naturæ; perficitur autem & constituitur, & recipit esse actu à forma substantiali, non ab accidente aliquo; ergo potentia materiæ formam substantialem primariò respicit, accidentia verò secundariò; itaque si secundùm Aristotelem dicendum sit, quisnam fuerit scopus naturæ vniuersalis in statuenda rerum materia, certè is præcipuus fuit, recipere formas substantiales: quod idem secundùm veram philosophiam dicere debemus de opificis consilio in rerum creatione, nam præcipuè eam creauit, vt subiectum receptiuum formarum substantialium; sed quia necesse erat, vt accidentium quoque receptiua esset, plura namque accidentia formam necessariò insequuntur, plura etiam ab externis causis inducuntur, ad quæ omnia recipienda aptam esse materiam opportuit, ideò debuit materia habere potentiam naturalem vniuersalem recipiendi omnes formas, tam substantiales, quàm accidentales. In accidentibus autem hoc possumus discrimen notare, quòd alia à natura, & à causis naturalibus inducuntur, alia verò à nobis per liberum nostræ voluntatis arbitrium operantibus, cuiusmodi sunt omnes formæ artificiosæ, quæ à nobis per habitum artis producuntur in materia naturali: quanquam igitur credendum non est; naturam vniuersalem in statuenda materia has respexisse; negari tamen non potest, materiam iam constitutam esse præditam naturali potentia recipiendi etiam formas artificiosas, ita vt de materiæ aptitudine illud idem dicendum esse videatur, quod nos alias in libro nostro de natura Logicæ, de vtilitate Logicæ diximus: Logica enim à Philosophis, & Philosophiæ tantùm gratia producta est: primariò quidem propter Philosophiam contemplatiuam, secundariò tamen etiam propter actiuam, sed non propter artes effectrices; attamen producta Logica inuenta est vtilis ad omnes disciplinas, etiam ad artes omnes tradendas & addiscendas: producta igitur est Logica primario consilio propter Philosophiam contemplatiuam, secundario autem etiam propter actiuam; quòd autem ad artes quoque omnes vtilis esse comperiatur, id euenit ex ipsius Logicæ natura, non ex consilio Philosophorum, qui Logicam genuerunt, ideoque propter eorum intentionem: sic igitur de prima materia, ac de eius aptitudine naturali dicamus; aptitudinem enim habet naturalem recipiendi omnes formas, & omnia accidentia, sed formas substantiales ex intentione naturæ primaria, accidētia verò naturalia ex intentione secundaria; at formas artificiosas præter intentionem naturæ, quæ non harum gratia dedit materiæ potentiam passiuam, attamen naturam materiæ liberam consequi-

Opinionis im pugnatio.

Materia habet potētiam naturalem recipiendi formas artificiosas.

Potentia materiæ ad formas habet gradus.

Lib 1. cap. 11.

consequitur necessariò, vt eius potentia passiua sit vniuersalis, proinde vt formas quoque artificiosas recipere apta sit: habet igitur materia potentiam naturalem recipiendi etiam has, licèt eam habeat præter intentionem naturæ vniuersalis. Si hoc verum est, vt est verissimum, sententia illorum de materia reijcienda est, nam eam hoc absurdum sequitur, omnem motum seu artificiosum, seu violentum dici posse naturalem ratione principij passiui; quia quum materia suapte natura sit apta recipere omnes motus, his omnibus motibus mutantur res, prout secundùm naturam, quæ est materia, aptæ sunt mutari: sed quum id sit manifestè absurdissimum, cogimur confiteri, non esse veram propositionem Scoti, nisi respiciendo naturam, quæ est forma; tunc enim est mutatio naturalis, quando res ita mutatur, vt secundùm naturam, hoc est, formam suam apta est mutari; nam si solam materiam spectemus, omnes motus nullo excluso essēt naturales. Ideò ad illud, quod de generatione, & de elementorum alteratione illi obijciunt, asseueranter dicimus, has nō esse mutationes naturales, prout in lib. 2. Physicorum in tradenda definitione naturæ sumitur motus naturalis; hos enim decepit ambiguitas huius vocis naturale: quoniam enim iam diximus, naturam esse causam motus tum immanentis, tum transeuntis, ideò vterque eorum dicitur naturalis, quatenus fit à natura, & à causa naturaliter agente; sic enim motus fulminis, & venti, & turbinis sunt motus naturales, nempe à causis naturalibus producti; tamen illis corporibus, in quibus insunt, non sunt naturales, sed violenti: in definitione autem naturæ non sumitur alius motus naturalis, quàm ille, qui prouenit ab interno principio, & causam habet in eo ipso corpore, quod mouetur; ideò generatio, imò etiam interitus ab Aristotele vocatur naturalis, in initio libri de Ortu & interitu, quia fiunt à causis naturalibus, & à natura ipsa; at si sumatur mutatio naturalis pro illa, cuius principium est in illo ipso corpore, quod mutatur, hæ non sunt mutationes naturales; sic neque alteratio elementi est motus naturalis, sed potiùs contra eius naturam; si enim aqua calefiat, non minùs violentus illi is motus est, quàm motus ascensionis; vt enim hic est ad contrarium locum, ita ille est ad contrariam qualitatem; in illo enim subiecto neque actiuum horum principium inest, neq; passiuum, quale antea declarauimus, id est, cum determinata propensione ad hunc tantùm motum, non ad alium recipiendum: in animalibus verò, quæ constant ex cōtrarijs naturis, dari potest alteratio, quæ sit hoc modo naturalis, & facta ab interno principio etiam actiuo: quam sententiam ex Auerroe colligimus in 5. commentario libro 2. Physicorum.

Ad argumentum illorum.

Motus naturalis dicitur duob. modis.

Solutio argumentorum & pro Auicenna, & pro Simplicio adductorum.

Cap. IX.

Veritate declarata, reliquum est, vt quæ initio attulimus & pro Auicenna, & pro Simplicio argumenta soluamus. Primum pro Auicenna sumebatur ex Aristot. in principio lib. 2. Physic. vbi naturalia à non naturalibus per hoc seiungere videtur, quòd naturalia habent in se ipsis principium actiuum motus. Ad hoc dicimus, id Simplicio quidem refragari, non nobis; nos enim dicimus naturam esse motus principium tum actiuū, tum passiuum; quare nihil mirum, si dicat Aristoteles, naturam esse principium actiuum; per hoc enim non negat esse etiam principium passiuum: ratio autem cur ibi exprimat actiuum, non passiuum, est, quia comparat naturam cum arte, vt artem excludat, & separet à definitione naturæ; ars enim non est arte factorum principium passiuum; sed actiuum solùm, ideò vt congrua sit comparatio, sumit Aristoteles naturam quoque vt principium actiuum, & ostendit artem esse principium motus in alio, non in eo, in quo est, nisi id contingat per accidens, naturā verò esse per se principium actiuum motus in eo, in quo est. Ad alterum argumentum dicimus, solitum quidem esse Aristotelem causam effectricem appellare principium motus, sed quandoque etiam cōmuni appellatione omnes causas appellare principia, vt in 1. lib. Phys. auscult. manifestum est, materiam ab Aristotele frequenter vocari principiū; quapropter nomen principij in definitione naturæ, potest etiam passiuum principium significare. Ad primū Simplicij dictum iam est, animam non ita distingui à natura, vt anima non sit natura, sed vt species distinguitur à genere: quare in eo quod est esse principium motus & actiuum, & passiuum, non differt anima à natura: quod autem Aristot. in lib. 8. Physic. dicat, propriū esse animatorum mouere à seipsis; id sano modo est intelligendum, qui à nobis alibi declarabitur. Ad secundum sumptum ex Aristotele in context. 32. eiusdem 8. libri longa opus esset cōsideratione, quam ad alium opportuniorem locum remittimus, vbi ostendemus, etiam grauia & leuia modo aliquo habere in se actiuum principium sui motus naturalis; forma enim elementi mouet vt forma, & mouetur vt est in materia; neque Aristoteles absolutè ibi negat grauia & leuia moueri à seipsis, sed negat eo modo, quo à se mouentur animalia: sed de hoc alibi; pro præsenti autem occasione satis etiā est si dicamus, dato etiam quòd natura elementi sit principium motus passiuum tantummodò, non tamen eiusmodi esse omnem naturam, sed aliquā dari, quæ sit etiam actiuum principium motus: quare argumentum sumptum à natura elemento-

Ad primum Auicennæ.

Ad secundum.

Ad primum Simplicij.

Ad secundum.

In lib. 1. de motu grauium & leuium.

rum inefficax est, quum non probet de omni natura. *Ad tertium.* Ad postremum argumentum, quod Simplicius sumit à verbo passiuo in definitione naturæ, dicimus leuem esse considerationem; quia verbum passiuum non significat naturam non esse principium actiuum, quandoquidem omne mouens est principiũ & causa, vt mobile moueatur; quocirca dicere etiã sibi Aristoteles potest, naturã esse principium actiuum & causam, vt naturale corpus moueatur: cur autem maluerit ibi vti passiuo verbo, quam actiuo, ratio est, quia si actiuo vsus esset, significare potuisset motum transeuntem, & in alio corpore receptum, per quẽ non fuisset bene declaratum quid sit natura; igitur cum artificio vsus est verbo passiuo, vt significaret motum receptum in eodem corpore, in quo natura inest; sensus ergo illorum verborum est; natura est principium per se, vt illud, in quo natura inest, moueatur & quiescat; neque per hoc stat, quin natura sit principium motus actiuum. Ad alia quoque argumenta, quibus ostẽdere nitebatur Simplicius, animam non esse naturam, facile est respondere. *Ad primum Simplicij, quod anima non sit natura.* Ad primum dicimus, nil aliud per illud ostendi, quàm non idem esse animam, ac naturam, quod nos quoq; fatemur, quemadmodum etiam dicimus, non idem esse hominem, & animal, neq; eandem esse vtriusque definitionem; per hoc tamen non stare, quin homo sit species animalis, & ei competat animalis definitio, tametsi non vt propria definitio hominis; alia igitur est naturæ definitio, alia animæ, quoniã natura latiùs patet, quàm anima; anima enim est species quędam naturæ, sed de anima prædicatur & nomen, & definitio naturæ, sicuti cuiuslibet generis & nomen, & definitio prædicatur de specie: quando autem Simplicius inquit, natura est actus corporis simplicis, & homogenei, negamus hanc esse definitionem naturæ, imò & vniuersè prolatum falsum esse dicimus, & nihil tale protulit Aristoteles, sed dixit naturam esse internum principium motus & quietis; hæc autem, etsi non est definitio animæ, prædicatur tamen de anima, quemadmodum definitio animalis de homine prædicatur; anima igitur est natura. *Ad secundum.* Ad secundum dicimus, animam non esse actum superadditum corpori naturali organico, vt Simplicius imaginatur; siquidem in definitione animæ non sumitur corpus naturale organicum seclusa anima, sed inclusa, & quatenus est animatũ; sicuti quum dicimus, anima rationalis est forma hominis; non intelligimus eam esse actum quendam homini superadditum, quoniã sine ipsa non esset homo, sed dicimus esse illam formam, & illam perfectionem, qua homo constituitur, & est homo: sic etiam dicimus, animam vniuersè sumptam esse actum illum, quo corpus naturale organicum constituitur, quasi dicamus, anima est actus primus, quo corpus naturale animatum tale est, idem enim est animatum, quod organicum, sic autem patet naturale restringi ab animato, & animatum esse speciem naturalis. *Ad tertium.* Ad tertium negamus id, quod Simplicius assumit, naturam esse causam vnius tantùm determinati motus, & ad vnam partem tantùm, ita vt non motuum oppositorum; sic enim sumit secundo modo naturam nimis strictè prout ab anima distinguitur: nos autem dicimus, naturam hic accipi latiùs, prout complectitur omnes formas naturales, tam quę agunt contrarios motus, quàm quæ vnum tantum; dummodo enim sint internæ causæ motus, conuenit eis nomen naturæ, & sic etiam anima est natura. *Ad quartum.* Ad postremum neganda est illa minor, anima non est in subiecto; dum enim sumimus esse in subiecto, prout competit etiam formæ substantiali, & significat inhærere in materia, & illam informare, sic omnis forma naturalis est in subiecto: itaque si anima in materia inhæret, & eam informat, & dat esse corpori animato, absque dubio anima est in subiecto, & est talis corporis natura, neque hoc negaret Simplicius, saltem de anima nutriente, ac de sentiente; quum enim probet de sola rationali, de alijs concedere videtur quòd sint in subiecto, proinde & naturas appellari posse; quare ipsiusmet argumento eius sententia refellitur: de anima verò rationali non est in præsentia disputandum, id solùm dicimus, si ea quoq; est forma materiam informans, & dans esse homini, vt ego omnino dicendum esse arbitror, eam quoque dicendam esse hominis naturã: si verò non informat, vt aliqui arbitrantur, non est natura hominis; fatemur enim nomẽ naturæ non complecti nisi formas naturales materiam informantes, & ipsa corpora naturalia constituentes, hæ namque sunt singulorum corporum naturæ, & in eisdem principia motus & quietis; de his omnibus nomen naturæ prædicari dicimus, non de formis à materia abiunctis per essentiam, hæ namq; nullius corporis sunt naturæ; idque significare voluit Aristoteles in cap. 1. libri 1. de partibus animalium, quando dubitauit, an de omni anima agere debeat philosophus naturalis, respondítq; agendum ei esse de illa saltem, qua animal tale est, hoc est, quæ cõstituat animal, seu speciem aliquam animalis; omnis enim forma materiam informans est natura, & tractanda à philosopho naturali.

IAC.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber

DE INVENTIONE ÆTERNI MOTORIS.

An ad inueniendum dari substantias à materia abiunctas, alio medio vti possimus quàm motu. Cap. I.



CVM Arist. in 8. Physic. auscultationis lib. ex æterno Cœli motu demõstrauerit dari æternum motorẽ penitus immobilem, & ab omni materia abiunctum, tres inde quæstiones exortæ sunt, in quarum solutione controuersiæ non leues inter philosophos existunt, de quibus aliqua nunc breuiter dicere constituimus; hac præmissa protestatione, nos hac de re secundùm principia philosophiæ Arist. esse loquuturos, & illam tantùm substantiarum à materia abiunctarum notitiam, quam via naturali adipiscimur, consideraturos, omissa penitus earundem cognitione, quam reuelatione diuina, & lumine supernaturali accepimus; verissimam illam quidem, sed Aristot. cuius dicta interpretanda suscepimus, prorsus absconditam. Harum quæstionum prima est, an ad cognoscendum dari substantias à materia abiunctas, alio medio vti possimus, quàm motu, an potiùs necessarium sit hoc medio vti, neq; aliud detur ad eas demonstrandas idoneum. *Opinio Auicennæ.* Hanc vt breuiter absoluamus, sententia Auicennæ fuit, quòd præter motũ habeat primus philosophus alia plura media ad Deum notificandum idonea, veluti si dicamus; datur ens ex alio pendens, ergo datur aliquod primũ, quod non pendet ex vllo alio; nisi enim detur, erit progressus in infinitũ, quod minimè dicendũ est. id aũt, quod à nullo pendet, & est omniũ primum, Deus solus est. Vel sic: datur perfectum, & perfectius, ergo datur perfectissimũ, quod nil aliud perfectius esse potest, hoc aũtẽ non est nisi Deus; & consequens est manifestum ob eandem rationem, ne fiat progressus in infinitum. Vel etiam sic: datur bonum, & datur melius, & adhuc aliud melius, ergo datur optimum, quo nihil est melius, idque est solus Deus. Et eiusmodi alijs pluribus medijs demonstrari idem potest, vt considerantibus manifestum est. Quam Auicennæ sententiam non deserẽ, qui posterioribus tem-

A poribus sequuti sunt. *Confutatio.* Eam reprobat Auerroes, nec iniuria, pluribus in locis, in 1. Physicæ auscultationis, Comment. vlt. & 26. secundi libri, & in tertio octaui, & in 12. Metaphys. Cõment. 5. & in 4. disputatione contra Algazelẽ, qui eiusdem sententiæ fuit. Inquit Auerroes, nullam harũ rationum aliquid habere necessitatis, sed leues ac probabiles omnes esse; quia licèt ostendatur dari ens à nullo pendens, dari ens optimũ, ac omnium perfectissimũ, non B propterea ostenditur id esse à materia abiunctum, & incorporeum: quare illi philosophi, quorũ mentionẽ facit Plato in Sophista, qui præter res corporeas & sensiles nil aliud existere concedebãt, dicebant illud summum & optimum, & perfectissimũ, non esse nisi Cœlum, *Opinio vera.* nec vllum præter illud dari alium Deum; quare nisi ad motum Cœli confugiamus, & dicamus Cœlum perpetuò moueri, & quicquid mouetur, moueri ab alio, & omne corporeum esse mobile, nec dari progressum in infi- C nitum in mouentib. & motis, nunquã ad cognoscendas via naturali substantias à materia abiunctas perueniemus. Igitur absq; consideratione motus coniectare quidem aliquid de illis substantijs possumus, sed certam earũ habere cognitionem minimè possumus: quod Aristot. ipse significauit, qui ad harũ substantiarum inuentionẽ nullo alio medio vsus est, nisi æterno motu, vt tum in 8. Physic. auscultationis libro, tum in 12. Metaphys. videre est.

D *An ex solo æterno motu possint demonstrari substantiæ à materia abiunctæ, an etiam ex motu absolutè. Cap. II.*

QVoniam igitur ex solo motu duci possumus in cognitionem substantiarũ à materia abiunctarũ, secũda quæstio oritur, an ex æterno tantũ motu, an etiã ex motu absolutè sine cõsideratione æternitatis ad earũ notitiã peruenire possimus. *Opinio aliquorum.* Nõ desunt q dicãt, etiã ex motib. nouis absq; æterno motu peruenire posse in cognitionẽ æterni motoris E immobilis, nã hac quoq; via vsus esse videt Arist. in 8. lib. Physicæ auscultationis lõgo progressu ad tõtext. vsq; 44. ex eo enim quòd quicquid mouetur, ab alio mouetur, nec datur processus in infinitũ, collegit necessariũ esse dari primum mouẽs immobile, quod à nullo alio moueatur, idque incorporeum esse oportere, qa si esset corpus, non posset non esse mobile. *Confutatio.*

Ego tamē eos decipi arbitror: quoniā si hunc Arist. discursum consideremus, manifestū est, per eum nos non duci ad alium motorem immobilem, quàm latè acceptum, qui animas quoq; animalium mortalium complectatur; immobiles enim sunt, quatenus non sunt per se mobiles, quum incorporeæ sint, sed tamen sunt per accidēs mobiles, neq; per id fit, quin dicantur motores primi iuxta ordinē mouentium essentialem. *Defensio illorum.* Sed hoc illi videntes confitentur Arist. ad demonstrandum motorem æternum vniuersi hunc discursum nō applicasse, quippe qui spreuit hanc argumentationē, quoniam alia efficaciore ab æterno motu desumpta ibidem statim vsurus erat; poterat tamen hac quoq; vti, si voluisset, & absq; consideratione æternitatis ex solis motibus nouis, & ordine mouentiū, & mobilium nos ducere ad primum æternū motorem vniuersi penitus immobilem: hoc igitur ipsi declarare volentes, & Aristotelis argumentationē conficere, quam ipse (vt aiunt) absoluere neglexit, ita argumentantur: si discursum Arist. aptemus ad motū vniuersi, absq; dubio inueniemus perueniendum esse ad primū motorem immobilem, iuxta ordinem mouentiū essentialem; quum enim moueatur Cœlum, necesse est vt ab alio moueatur, & vt perueniatur tandem ad primum immobile; sed hoc petendum est, an sit æternum néc ne; nam si dicatur esse æternum, iam id habemus, quod quærimus; si verò non æternum, ergo aliquando interiturum, ergo ab aliquo agente interimente; illud igitur non est primum mouens, sed habet motorem priorem, cuius contrarium constituimus, iam enim ostendimus, ipsum esse primum: & ad ipsum duximus tanquam ad primum; itaque manifestum est, si primus motor vniuersi nullum extra se habet motorem priorē, eum à nullo interimi posse, proinde esse æternū. Eo itaq; Aristotelis discursu ex solo motu absq; consideratione æternitatis ducimur ad cognoscendum primum vniuersi motorem, non modò immobilē, sed etiam æternum esse. *Confutatio.* Verùm hæc horum argumentatio, si bene perpendatur, nihil habet efficacitatis: primùm enim id certū est, quod ipsi quoque non inficiantur, Aristot. tali argumentatione vsum non esse, neque ad aliud eo discursu nos perduxisse, quam ad ostendendum dari motorem immobilem latè acceptum, qui animas quoq; animalium comprehendat: quòd si eandem illam demonstrationem ad æternitatem quoq; primi motoris vniuersi aptare potuisset, id absq; dubio fecisset, & suam de æterno motore sententiam hac quoque ratione confirmare voluisset; quanquam enim ratio sumpta ab æterno motu efficacior aut euidentior est, tamen hæc quoque, si necessitatem aliquam haber, spernenda non erat; consueuit enim Aristot. cum ratione demonstratiua alias quoq; minus ef-

A ficaces in confirmationem adducere; hoc tamen non fecit, quia cognouit rationem hanc ad demonstrandum æternum vniuersi motorem aptari minimè posse: vt igitur pateat illam, qua isti vsi sunt, argumentationem esse infirmam, & Aristotele indignam, declaremus breuiter, quomodo ea facilè solui possit. Illi igitur postquam inuenerunt dari motorem immobilem, quærunt an motor immobilis vniuersi æternus sit, an corruptibilis: ad hanc interrogationem dicam esse corru- B ptibilem, & aliquando interiturum, tanquam non diuersæ conditionis ab animabus animalium mortalium; ideoque non alio modo interiturum, quam quo animalium animæ interire dicuntur, nempe ob necessariā sequelam ex interitu corporis, in quo inhærent; id enim quod propriè interire dicitur, animal est, anima verò non per se interit, sed interit intereunte animali; dicam itaque cum multis antiquis philosophis, Cœlum ex elemen- C tis constare, seu esse naturæ elementaris, proinde genitum esse, & interiturum, tum Cœlum, tum mundum vniuersum, quum constet ex contrarijs, & omne ex contrarijs constans interire aliquando necesse sit; dicam itaque, ex interitu Cœli necessariò fieri vt anima quoque motrix intereat, quia licet hæc contrariū non habeat, tamen ex subiecti corporis interitu ex necessitate deficeret, quum sit forma materialis, quales sunt animæ ani- D malium; animam humanam semper excepto, de cuius immortalitate vt secundùm veram Theologiam certissimi esse debemus, ita non defuere qui secundùm principia quoq; philosophiæ Arist. idem existimandum esse censuerint; nos tamen de hoc nihil in præsentia statuimus, quum ad id, de quo loquimur, nihil conferat, & satis nobis ad hanc nostram argumentationē sit in solis brutorū animabus id, quod diximus, intelligere ad illorū de primo motore errorem hac similitudine declaran- E dum. Hæc igitur dicentibus nobis, vt dicere poteramus, Aristoteles suam illam argumentationem ad motorem æternum ostendendum aptare minimè poterat, præsertim quia Cœlestis corporis naturam atque impatibilitatem nondum declarauerat, hāc enim postea ostendet in primo libro de Cœlo, nec aliunde argumentum sumens, quàm à motu in orbem, cui nullus est cōtrarius motus: quan- F do igitur hi dicunt, si primus motor vniuersi est corruptibilis, ergo non est primus, negandum est consequens; ad probationē autem, quum dicunt, corrumpetur à motore priore, hoc quoque est negandum; non enim ex eo quòd est corruptibilis, requiritur motor prior, à quo corrumpatur, sed quum sit incorporeus, & forma corporis, satis causæ est ad ipsum interimendū corruptibilitas corporis, cuius est forma; corpus autem ipsum, quum sit elementare, à suo contrario lædi, & in-

Opinio vera. & interimi potest. Patet igitur, inanem esse A hanc eorum demonstrationem, quod (vt diximus) auctoritas Aristotel. qui ea non est usus, manifestè confirmat; ideò enim eam sprenit, quia inefficacē, & vanam esse cognouit. Ex motu igitur absolutè accepto absq; consideratione æternitatis nil aliud ostenditur, quàm dari primum motorem vniuersi immobilem eo modo, quo animæ animalium brutorum sunt immobiles, hoc est, non perse mobiles; quod autem nec per se, nec per accidens mo- B bilis sit, proinde à materia abiunctus, & impartibilis, & infatigabilis, & sempiternus, id ea ratione non ostenditur; quapropter nullū aliud philosopho naturali medium relinquitur ad demonstrandū primum motorē æternū, nisi motus æternus; quādo enim sumimus motū vniuersi vnum & eundem numero æternum esse, statim inferimus, eum ab vno tantum motore totū produci; quare necesse est, motorē illum esse infatigabilē, & sempiternū.

An demonstrare æternos motores ex æterno motu pertineat ad naturalem, an ad primum philosophum, opinio aliquorum cum eorum argumentis.

Cap. III.

His ita constitutis, postrema oritur quæstio, quum ex solo æterno motu possint substantiæ à materia separatæ demon- D strari, an hæc demonstratio dicenda sit Metaphysica, an naturalis, hoc est, an eam demonstrationem formare ad Metaphysicum, an ad naturalem pertineat; quū enim videatur huius demonstrationis medium esse naturale, quæsitum verò Metaphysicum, hinc lis non parua orta est, an applicare medium quæsito, & hanc demonstrationē extruere sit officium primi philosophi, an naturalis; ob id quum vtraq; pars sectatores habuerit, in hoc potissimùm omnes laborarunt, vt ostenderent, demonstrationem sumere conditionem, & nominationem, illi quidem à quæsito, hi autem à medio. Magna pars in ea sententia fuit, quòd ea demōstratio sit Metaphysica, & vsi sunt his præcipuis argumentis. Primò, finis demon- *Primum argumentum* strationis, & scopus demonstrantium est cognitio maioris extremi, quod quæsitum vocatur, non cognitio medij, ergo non à medio, sed à quæsito est nominanda demonstratio; in F hac autem quæsitum est Metaphysicum, nam substantiæ à materia abiunctæ à solo primo philosopho considerantur; ergo est Metaphy- *Secundū argumentum.* sica demonstratio. Secundò, ille dicendus est aliquo medio vti, qui illo indiget; atqui ille, cuius est quæsitum, eget medio ad illud demonstrandum; demonstratio igitur formari ab eo dicitur, cuius est quæsitum, non ab eo, A cuius est medium, is enim ea demonstratione non eget; ergo prædicta demonstratio extruitur à primo philosopho, nō à naturali: confirmatur etiam maior propositio testimonio Aristotel. in contex. 86. primi Posteriorum, vbi inquit perspectiuum debere sua theoremata demonstrare per media accepta ex Geometria, quandoquidem ipse perspectiuus est qui talibus medijs eget: confirmatur prætere- B rea auctoritate Aristotel. in context. 102. eiusdem libri, vbi ait, conclusionem illam Medicinalem: vulnera orbiculata tardiùs sanantur, demonstrari medio Geometrico, non medio Mediciuali, quia Medicus non cognoscit nisi rem ita esse, Geometra verò medium præbet ad demonstrandum propter quid; certum autem est, ad Geometram non pertinere eam demonstrationem formare, ea namque non indiget, & nihil esset absurdius, quàm dicere Geometram aliquid de vulneribus de- C monstrare; solus igitur Medicus, cuius est quæsitum, eo medio vtitur, quia ipso indiget. Tertiò, quæstio an sit, est quæstio an continea- *Tertium argumentum.* tur sub ente; ens autem, quatenus est ens, est Metaphysicæ considerationis; ergo quærere an sint substantiæ à materia abiunctæ, & demonstrare quod sint, est officium Metaphysici. Quartò, Aristotel. in primo context. 6. Me- *Quartum argumentum.* taphysicorum inquit, eiusdem esse disciplinæ declarare an sit, & quid sit, atqui Metaphysici munus est declarare quid illæ substantiæ sint, ergo ad eundem pertinet demonstrare etiam quod sint. Tandem adducunt plura Aristo- *Quintum argumentum.* tel. testimonia, nam in 2. context. 3. libri de Cœlo hæc verba leguntur [*aliqua esse entium penitus immobilia, magis est alterius, quàm naturalis considerationis*] ergo magis ad Metaphysicum, quàm ad naturalem asserit pertinere ostendere quòd detur primus motor immobilis. Et in primo libro de ortu & interitu E cōtext. 55. & in quarto de ortu animalium, capite vltimo, & in 3. Metaphysicorum context. 2. & in sexto Metaphysicorum 3. & in septimo Metaphysic. 5. & in vndecimo Metaphysicorum, capite 2. & in initio tertiæ Summę, inquit Metaphysicum versari in substantia immobili, & apertè dicit esse adhuc immanifestum, an talis substantia detur, idq; esse posteriùs demonstrandum: significat ergo se id non demonstrasse in octauo Physicorum, qui omnes prædictos libros præcedit. Præterea hoc idē confirmatur ab ipsa tractatione duodecimi Metaphysicorum, vbi apertè ea demōstratio legitur, qua ex æterno motu ostenditur dari motores immobiles, qui sunt substantiæ à materia abiunctæ; has igitur demonstrare, ad solum primum philosophum pertinet.

Opinio Auerrois quòd ad solum naturalem pertineat probare motorem æternum, & eius argumenta. Cap. IV.

A Contrariã opinionem, quòd illa demonstratio sit naturalis, & à naturali philosopho extruatur, efficaciter tuetur Auerroes in primo Physicorum, Commentario vltimo, & in secundo Physicorum 26. & in 8. Physicorũ tertio, & in duodecimo Metaphysicorum quinto, & in quarta disputatione cõ
B tra Algazelem, hoc potissimùm argumento ductus, quòd subiectum in scientia sua nec à priori nec à posteriori demonstrari potest, substantiæ autem à materia abiunctæ in Metaphysica locum habent subiecti, ergo à Metaphysico demonstrari non possunt, a solo igitur philosopho naturali. Confirmat hoc Auerroes ex ipsa Aristotelis tractatione. nã demonstratio æterni motoris ex æterno motu,

Primum argumentum.

Secundũ argumentum.

C quamuis legatur in duodecimo Metaphysicorum, tamẽ fusiùs, ac distinctiùs in octauo Physicorum explicata legitur, hinc enim colligitur, proprium eius demonstrationis locũ esse octuum librum Physicorum, in duodecimo aũt Metaphysicorũ eam breuiter repeti vt demonstrationem naturalem: hæc certè est sententiæ Auerrois valida comprobatio, nam si ea demonstratio Metaphysica esset, non poterat præoccupari in naturali philosophia, in
D qua res ad Metaphysicã attinentes incognitæ ad huc esse statuuntur, sed quum Metaphysica sit addiscẽda post philosophiam naturalem, potuit Metaphysicus ad doctrinæ abundantiam & claritatem reperere breuiter demonstrationem naturalem iam priùs in octauo Physicorum extructam, & intellectam. Illi verò, qui hanc Auerrois sententiam postea sequuti sunt, ad eam comprobandam nixi sunt ostendere, omnem demonstrationem sumere
E nominationem à medio, non à quæsito; hoc igitur probant & ratione, & Aristot. testimonio: ratione sic; medium est materia, ex qua construitur demonstratio, ergo quale est medium, talis est demonstratio appellanda, quoniam in hac demonstrationis materia tota eius efficacitas, & vis notificatiua consistit: neque obest id, quod dicere aliquis posset, res non à materia nominari, sed à forma; etenim verum hoc est in substantijs, quæ ex materia
F & forma constant, quoniam ibi forma est differentia constituens: at in accidentibus materia locum habet differentiæ, forma verò generis, & his persimilis est demonstratio, cuius natura constituta est in materia necessaria, non in forma syllogistica, quæ est ei communis cum alijs syllogismis; scientia verò conclusionis quæsitæ est quidem finis demonstrationis construendæ, at demonstrationis

Primum argumentũ Auerroistarum quòd demonstratio a medio nominetur.

Scientia conclusionis est

A iam constructæ non est finis, sed potiùs effectus naturam medij consequens, ita vt pro diuersis medij conditionibus diuersa conclusionis scientia proueniat, idq; docet Aristoteles in 1. lib. Poster. cap. 10. & ostendit ex diuersis conditionibus medij varias demonstrationis species fieri; non enim materiæ tantummodo locum habet in demonstratione medius terminus, sed etiam efficientis, cui totam conclusionis scientiam acceptam ferimus.

tum finis, sed effectum demonstrationis

B Præterea Aristot. in contex. 58 eiusdem primi Posteriorum loquens de transitu è genere in genus inquit, non posse Arithmeticam demonstrationem aptari ad demonstranda accidentia magnitudinum, atqui certum est, accidentia magnitudinum constituere conclusionem Geometricam, ergo illi aptare Arithmeticam demonstrationem nil aliud esse potest, quàm vti medio Arithmetico ad eam demonstrandam; Aristot. igitur Arithme-

Secundum argumentum.

C ticam vocat eam demonstrationem, cuius solum medium sit Arithmeticum, tota verò cõclusio Geometrica: & paulò pòst in eodem capite dicit, non esse Geometriæ demonstrare, contrariorum vnam esse scientiam, quæ est conclusio Metaphysica, neque duos cubos esse vnum cubum, quæ est conclusio Arithmetica: itaque si fieret hæc demonstratio, esset secundùm Aristotelem demonstratio Geometrica, & solus Gemetra, cuius est medium,
D demonstrare diceretur, licèt conclusio ad aliam scientiam pertineat. Patet igitur, demonstrationem à solo medio nominari, quo fit vt demonstratio æterni motoris ex æterno motu, quum medium habeat naturale, vocanda sit naturalis, & ad naturalem pertineat, etiamsi conclusio sit Metaphysica.

Veritatis declaratio. Cap. V.

E In hac magna aliorũ inter se altercatione ego, vt meam sentẽtiam proferam, censeo quidem falsam omnino esse priorem sententiam illorum, qui dicunt hanc, de qua loquimur, demonstrationem esse Metaphysicã, veram autem esse Auerrois opinionem dicentis eam esse naturalem, & ad naturalem philosophum pertinere; tamen ipsos quoq; Auerroistas puro aliqua ex parte fuisse deceptos, isq; fuit vtriusq; contrariæ sectæ communis error, quòd putarunt demonstratio-
F nem illam habere medium naturale, & conclusionem Metaphysicam; quod ego monstrũ esse arbitror, & Hermaphroditum à doctrina Aristotelica, & ab Auerroe quoq; ipso alienissimum: quanquam igitur optimum esse Auerroistarum argumentum arbitror, quo ostendunt, demonstrationem semper à medio nominari, superuacaneum tamen illud esse puto, & contrariæ opinionis veram confutationem in-

Auerroistarum error.

nem in hoc tantùm eſſe conſtituendam, quòd falſum eſt id, quod illi pro comperto ſumūt, conclusionem propoſitæ nobis demonſtrationis eſſe Metaphyſicam, quod quidē Auerroiſtę, quum negare debuerint, conceſſerunt: hoc igitur ſi oſtenderimus, patebit totam demonſtrationem eſſe naturalem, proinde vanam eſſe diſputationem illam, an demonſtratio à medio, an à concluſione ſit nominanda. Ex primis ex ijs, quæ in primo Poſteriorum Analiticorum dicuntur de tranſitu è genere in genus, oſtendere facilè poſſumus, non dari apud Ariſtotelem hanc monſtroſam demonſtrationem, qua ex medio naturali concluſio Metaphyſica colligatur, imò indignam prorſus eſſe nomine demōſtrationis; nam ibi Ariſtoteles apertè dicit, non poſſe ex medio alicuius ſcientię concluſionem alterius ſcientię demonſtrari, quoniam is eſſet tranſitus de genere in genus: & in cont. 60. vtitur his exemplis: Geometria non poteſt demonſtrare, contrariorū vnam eſſe ſciētiam, neq; duos cubos eſſe vnum cubū: illa eſt Metaphyſica cōcluſio, hæc verò Aritmethica: hoc aūt quid ſignificet, iam dictū eſt, ſignificat enim demonſtrari ex medio Geometrico concluſionē Metaphyſicam, vel Arithmeticā: neq; enim conſiderat ibi Ariſtot. in qua ſcientia id fiat, ſed abſolutè conſideratā vitioſam eſſe eam demonſtrationē putat, ſiue in Geometria, ſiue in Metaphyſica intelligatur, quia naturam demonſtrationis conſiderat, non locum, in quo fiat; non enim ita negat eam fiere debere in Geometria, vt concedat in Metaphyſica, neq; ita negat in Metaphyſica, vt concedat in Geometria, ſed abſolutè eam reijcit vt vitioſam: huius enim probādi vim habet ratio illa quā ibi adducit in contextu 59. quæ hoc fundamento nititur, quòd & media, & quæſita debent in ſubiecto ſcientiæ per ſe, & eſſentialiter ineſſe. Non eſt aūt, quòd aliquis dicat illud eſſe vitioſum in demonſtratione propter quid, de qua ibi agitur, nō in demonſtratione à poſteriori, de qua in præſentia loquimur; etenim demonſtratio ab effectu nō minùs habet propoſitiones per ſe, quàm demonſtratio propter quid, quum ex iiſdem terminis, ac propoſitionibus vtraq; conſtituatur, vt Ariſtot. docet in context. 96. 97. 98. eiuſdem primi libri, & vt nos demonſtrauimus in libro noſtro de ſpecieb. demonſtrationis; ſed in contextu quoq; 55. eius libri aſſerit Ariſtoteles demonſtrationem à ſigno tradere cognitionem eius, quod eſt per ſe. Quum igitur ad reijciendum tranſitum de genere in genus Ariſtoteles hoc ſolo argumento vtatur, quòd demonſtrationis propoſitiones omnes debent eſſe per ſe, & habere prædicationem eſſentialem, neceſſe eſt in demonſtratione ab effectu tranſitum hunc

Tranſitus eſt vitioſus in omni ſpecie demonſtrationum.

Cap. 7. & 15.

A non minùs eſſe vitioſum, quàm in demonſtratione propter quid. Quoniam ergo ita ſe habet Geometria ad Metaphyſicam, vt ſcientia naturalis ad eandem Metaphyſicam, eſt enim vtrobiq; reſpectus ſcientiæ particularis ad vniuerſalem, & omnium reginam, vitioſum autem eſt apud Ariſtotel. ex medio Geometrico concluſionem Metaphyſicam demonſtrare, ſimiliter iudicādum eſt vitioſum, ex medio naturali oſtendere concluſionem Metaphyſicā,
B vbicunq; id fieri dicatur; nō eſt igitur Ariſtot. tribuenda talis demonſtratio, quam ipſe in libris Analyticis vitioſam, & nomine demonſtrationis indignam eſſe docuit. Sed iam in propoſita nobis æterni motoris demōſtratione hoc oſtendamus: certum eſt, ſi talis eſt demonſtratio, vt oſtendat concluſionem Metaphyſicam ex medio naturali, fieri in ea debere hanc illationem, datur in corpore naturali æternus motus, ergo dantur ſubſtantiæ à ma-
C teria abiunctę per eſſentiam; attamen nullibi apud Ariſtot. talis argumentatio legitur, eaq; eſſet etiam parum efficax, vel ſaltem non euidens, quoniam ſubſtantiæ illæ immateriales, quatenus talea ſunt, nullam cum motu affinitatem habent; quòd ſi quam habent, habent vt æterni motores, non vt ſubſtantiæ immateriales; ſic enim reſpectus cauſæ ad effectum ſignificatur, ideoque eſſentialis eſt terminorum connexus; non poteſt igitur alia fieri il-
D latio, quàm hæc, datur æternus motus, ergo datur etiam motor æternus; hæc autem eſt abſq; dubio concluſio naturalis, quia motorem vt motorem conſiderare eſt conſiderare vt cauſam motus, & pertinet ad ſcientiam naturalem, cuius propria eſt motus conſideratio, & cognitio per ſuas cauſas, & omnium habentium aliquam relationem ad motum; primus autem philoſophus conſiderat quidem ſubſtantias immateriales eſſe motrices,
E at non eas conſiderat vt motrices, quemadmodum in libro de naturalis ſcientiæ conſtitutione aliàs declarauimus. Vt igitur communis erroris ratio cognoſcatur, ſciēdum eſt ex Auerroe in Comment. 26. ſecundi Phyſic. duplicem eſſe cognitionem ſubſtantiarum immaterialium, vnam confuſam, quòd ſint, alteram diſtinctam quid ſint, quantum à nobis lumine noſtro naturali acquiri poteſt; traditio cognitionis confuſæ pertinet ad ſolum
F philoſophum naturalem, alterius verò diſtinctæ ad ſolum Metaphyſicum: naturalis enim ex æterno motu demonſtrat eas dari, nō quidem vt ſubſtantias immateriales, ſed ſolùm vt æternos motores; poſtea verò Metaphyſicus hanc concluſionem à naturali demonſtratam accipiens, ex ea progreditur ad inueſtigandas illorum motorum conditiones eſſentiales, & pertinentes ad cognoſcendum

Qualis ſit demonſtratio æterni motoris.

Cap. 18.

Duplex cognitio ſubſtantiarū ſeparatarum.

quid sint; ex eo enim quòd æternè mouent, A cognoscit eos esse à materia abiunctos, quia nulla facultas materialis potest mouere perpetuò; ex eo autem quòd sunt immateriales, cognoscit esse substantias Incorporeas, & actus puros, & intelligentes, & cætera, quæ ad declarandam diuinarum mentium essentiam à Metaphysico considerantur. Hoc apud Aristotelem legimus in context. 73. secundi Physicorum, vbi ait duo esse principia mouentia physicè, quorum alterum non est physicum, B quia est immobile; vult igitur primum mouens mouere physicè, & ita physicū esse quatenus est mouens, nam omne habens relationem ad motum, quatenus tale, physicæ est cõsiderationis; quatenus igitur est principium motus, physicum principium est; at quatenus secundùm se sumitur vt subiectum cognoscibile, sic non est physicum, sed Metaphysicum, quia est immobile; hoc idem significat Aristoteles in context. 14. primi de ortu & interitu, vbi inquit: [*de motore immobili, quòd detur, dictum est in sermonibus de motu, at de ipso distinguere, id est, distinctè pertractare, est prioris philosophiæ*] asserit ergo fuisse confusè cognitum in octauo libro Physicæ auscultationis; atqui nil aliud est rem simplicē confusè cognoscere, quàm cognoscere quòd sit, nec aliud est eam cognoscere distinctè, quàm cognoscere quid sit; quare testatur se in octauo Physicorū ostendisse quòd sit. Causa ergo communis D erroris fuit horum duorū progressuum confusio, & eorum acceptio tanquam vnius, quo per motum æternum demonstretur dari substantias à materia abiunctas, sic enim videtur ex medio physico conclusio Metaphysica demonstrari: quòd si progressum hūc partirentur in duos, & dicerent, naturalem ex æterno motu demonstrare æternum dari motorem, postea verò Metaphysicum hanc conclusionem accipere à naturali demonstratam, & ea E constituta inuestigare & numerum, & conditiones essentiales æternorum motorū, vt cognoscat quid sint, & inuenire eos, esse substantias ab omni materia separatas, nullum errorem committerent. Illud quoq; ad eos decipiendos non parum valuit, quòd viderūt demonstrationem existentiæ æterni motoris legi, & in octauo Physicæ auscultationis, & in duodecimo Metaphysicorū; atq; itidem considerationem attributorum essentialium non F modò in duodecimo Metaphysicorum haberi, sed etiā modo aliquo in calce octaui Physicorum; attamen rei veritas ea est, quam alibi declarauimus, scientiæ namque mutuum sibi auxilium præstant, & Metaphysicus egens demonstratione primi motoris, eamq; facere ipse non potens, sumit ipsam à philosopho naturali, & quum ei satis fuisset solam conclusionem accipere, & eam vt à naturali demonstratam constituere, tamen ad clariorem doctrinam voluit etiam repetere totam demonstrationem, ideò demonstratio æterni motoris, quam in duodecimo Metaphysicorum legimus, ponitur ibi non vt Metaphysica, sed vt Physica, & vt repetita, & mutuò accepta à naturali: sic etiam consideratio impartibilitatis primi motoris, quæ legitur in calce octaui Physicorum, est mutuò accepta à Metaphysico ob rationem à me alibi declaratam: ob id breuis, ac rudis ibi est ea consideratio, fusior aūt, & exquisitior in duodecimo Metaphysicorum, quemadmodum è contrario demonstratio existentiæ fusior, ac diligentior est in 8. Phys. breuior autem in 12. Diuinorum. Hæc est harum tractationum vera distinctio, non quam aliqui faciunt, qui dicunt, demonstrationē æterni motoris tum à naturali, tum à Metaphysico fieri, communiorem tamen à Metaphysico, particulariorem à naturali. ego enim non video, quomodo illa sit cōmunior, quàm hæc, quum fiat vtraq; ex æterno Cœli motu; nam si medium vtrobiq; est idem, necesse est idem esse quæsitū, & eandem demonstrationem. Hāc, quam exposui, puto esse huiusce rei veritatem, ideoq; frustra fieri eam disputationem, an demonstratio sit à medio nominādā, an à quęsito; propterea quòd in omni demonstratione, quę sit vera demonstratio, & scientiam pariat, necesse est medium, & conclusionem ad eandem scientiam pertinere.

Alterum error.

Lib. de Regressu cap. 6.

Quòd demonstratio sit nominanda à medio, & reiectio defensionu aduersariorum: Cap. VI.

Cæterum quia Auerroistæ ad sententiam Auerrois tuendam probare nituntur, vt prædiximus, demonstrationem esse à medio nominandam, & argumentum sumunt ex Aristotel. in 1. Posterior. context. 60. declaranda breuiter est sententia Aristotel. eo in loco, vt videamus, quid re vera inde contra aduersarios colligi possit, ne eo loco illo abutamur, sicuti abuti videntur Auerroistæ putantes, Aristotel. asserere demonstrationem dari conclusionis Metaphysicæ ex medio Geometrico, vel naturali, eamq; non à conclusione, sed semper à medio esse nominandam. Nos igitur dicimus, non esse hanc Aristotel. mentem, neque ipsum vnquàm talis demonstrationis constructionem admisisse, sed potiùs dicere eam non dari, quia vitiosa est: hoc tantùm inde colligere pro nostra sententia possumus, Aristot. ibi in context. 58. & in 60. talem vitiosam demonstrationem semper nominate à medio; nam si ostendatur conclusio Arithmetica, vel Metaphysica ex medio Geometrico, eam vocat Aristot. Geometricam demons-

monstrationem: is etenim, qui demonstrare, A & id vitium committere diceretur, Geometra esset, quia tota vis demonstrationis in medio consistit, & ille demonstrat, qui medium praebet, videturque res ipsa per se manifesta: nam conclusioni verbum activum non conuenit, sed passiuum, non enim demonstrat conclusio, sed demonstratur; medium verò demonstrat conclusionem, quia est causa effectrix ... conclusionis. Vera igitur & firma ... sententiae aduersariorum haec esse B debet, quòd non est verum id, quod assumunt, demonstrationem aeterni motoris ex aeterno motu habere conclusionem Metaphysicam, habet enim naturalem, sicuti etiam medium, proinde tota est naturalis: quòd si etiam concedatur constitui talem demonstrationem, ea non esset demonstratio appellanda, quia non seruaret praecepta necessaria demonstrationi, neque conditionibus demonstrationis praedita esset, sed vitiosa quaedam esset ostentio, vt saepe diximus: C qualiscunque autem esset, vocanda esset naturalis, & ille, qui aeternum motorem monstrare diceretur, esset philosophus naturalis, non Metaphysicus, quia medium est naturale: omnino igitur decipiuntur aduersarij, quia haec demonstratio non est vocanda nisi naturalis, cuiuscunque etiam dicatur esse conclusio. Quae verò ab illis ad sui defensionem adducuntur, vana penitus, & ridicula sunt. D Primùm quidem id, quod aliqui dicunt, nominationem demonstrationis sumi quidem absolutè à medio, sed secundùm quid sumi etiam à quaesito, ego prorsus non intelligo, nec ipsosmet puto intelligere: quum enim apud Aristotelem eiusdem esse generis debeat conclusio, & medium, vana redditur haec eorum distinctio: locum autem haberet in sola vitiosa demonstratione, quam diximus non esse demonstrationem, nec dari vnquam E posse in aliqua disciplina: quòd si etiam eis haec omnia condonaremus, iam ipsi fatentur, demonstrationem, de qua nunc loquimur, esse verè naturalem: nominandum enim vnumquodque est ab eo, quod illi absolutè ac primariò competit, non ab eo, quod secundùm quid, & secundariò. Vanum etiam est id, quod aliqui dicunt, esse quidem à medio nominandam demonstrationem, sed applicare medium quaesito esse illius officium, F cuius est quaesitum, quamobrem demonstrare substantias dari à materia abiunctas est munus Metaphysici, cuius est conclusio, tametsi medium est naturale: miror enim quòd hi non animaduerterint, nil aliud esse applicare medium quaesito, quàm demonstrare. proinde hanc applicationem esse ipsammet demonstrationem, est igitur in eorum verbis repugnantia manifesta, dum dicunt, demonstrationem esse vocandam naturalem, sed applicationem fieri à Metaphysico, neq; aliquis est iudiciosus vir, qui hoc non confiteatur: Aristot. quoque non solùm dixit demonstrationem ex medio Geometrico esse Geometricam, sed etiam Geometrae attribuit vt sit ille, qui demonstrat; ipse ergo est qui applicat medium quaesito, si ipse demonstrat. Aliqui etiam dicunt demonstrationem hanc habere medium naturale, & cõclusionem Metaphysicam, nec ob id esse vitiosam, quoniam scientia naturalis est subalternata Metaphysicae, in scientijs autem subalternis Aristotel. asseruit nõ esse vitiosum ex medio alterius scientiae conclusionem alterius demonstrare. Sed hoc omnium vanissimum est, quum falsum sit id, quod assumunt, alias scientias esse subalternatas primae philosophiae, quod nos aliàs demonstrauimus in libro de Praecognitis: sed hoc etiam concesso, nil tamen aliud inde sumere possunt, quàm posse accipi medium ex Metaphysica ad demonstrandam conclusionem Geometricam, vel naturalem; at non è conuerso: nam id, quod Aristotel. concessit in subalternis, fuit, vt sumatur medium, seu principia ex scientia subalternante ad demonstrandas conclusiones scientiae inferioris subalternatae, at non vt ex subalternata sumantur principia ad demonstrandam conclusionem scientiae superioris subalternantis, imò hoc aduersatur conditioni, & naturae talium scientiarum. Praeterea Aristoteles in contextu 60. primi Posterior. apertè dixit, non licere Geometrae demonstrare conclusionem Metaphysicam, ergo eadem ratione non licebit naturali conclusionem Metaphysicam demonstrare; siue sint subalternae hae scientiae, siue non sint. Vana igitur sunt omnia, quae ab aduersarijs ad se tuendos dicuntur.

Aliquorum defensio.

Confutatio.

Aliorum defensio.

Confutatio.

Aliorum defensio.

Confutatio.

Responsio ad argumenta aduersariorum. Cap. VII.

Svperest vt aduersariorum argumenta soluamus. Ad primum dicimus, medium, & maius extremum esse eiusdem generis, proinde vanam esse disputationem, ab vtro demonstrationis nominatio sumenda sit, quum sit eadem ab vtrolibet: sed etiamsi diuersorum generum esse statuerentur, nominanda esset demonstratio à medio, quia scientia maioris extremi licèt demonstrationis construendae finis sit, constructae tamen non est finis, sed effectus consequens naturam termini medij, in quo tota demonstrationis efficacitas constituta est, sicut antea diximus. Ad secundum respondemus, illum, qui medio ad demonstrandum aliquid indigeat, eo quidem vti, si eius proprium sit; non tamen

Ad primum.

Ad secundum.

si sit alienum, quia non est transeundum de genere in genus: quocirca supponendum in ea scientia illud est, quum medium proprium ad id demonstrandum ibi nullum habeatur, alieno autem uti non liceat; quare illa absolutè quidem conclusio vocabitur, quia demonstrabilis est, sed in ea scientia erit suppositio, & principium indemonstrabile, vt in context.78. primi Posteriorum Aristotel. asserit; adde, quòd solus naturalis eget illo medio, quum ad ipsum solum pertineat demonstrare dari æternum motorem, quum hæc sit conclusio naturalis; quare Metaphysicus non eget medio, sed eget suppositione conclusionis naturalis, sicut antea declarauimus. Ad confirmationem autem sumptam ex Aristot. in context. 86. eiusdem libri iam responsum est, dicimus enim Aristotel. id concedere in subalternis tantùm, at scientiam naturalem, & Metaphysicam non esse subalternas: quòd si etiam subalternas esse concederemus; locus tamen ille aduersarijs minimè suffragaretur; quoniam Aristotel. dicit esse media transferenda de Geometria superiore ad Perspectiuam inferiorem, sed non dicit è conuerso; non enim diceret ex Perspectiua posse sumi medium ad demonstrandam conclusionem in Geometria similiter, itaq; nec medium naturale sumi potest ad demonstrandam conclusionem Metaphysicam, si naturalis est subalternata Metaphysicæ. Ad aliam confirmationem ex contextu 102. eiusdem libri acceptam, responsio sumenda est ex vera illius loci interpretatione, quę in Commentatijs nostris legatur, ea autem in hoc consistit, quòd Aristotel. nil aliud ibi docere vult, nisi contingere interdum, vt duæ distinctæ disciplinę opem cōtribuant ad perfectiorem scientiam habendam eiusdem conclusionis: nempe quando vna testimonium sensus adhibet, quòd ita sit, altera verò causam & propter quid adducit; adeò vt si quis simul Geometra, ac Medicus sit, is perfectam scientiam habeat quòd vulnera orbiculata tardiùs sanantur; non tamen propterea vult Medicum quatenus Medicus est, eam conclusionē demonstrare per medium Geometricum; sed debet Medicus esse contentus cognitione quòd sit, quam per experientiam & sensum comparauit; imò Geometra potiùs, cuius est medium, debet eam demonstrationem extruere, non tamen vt vulneris, sed absolutè vt circuli, ita vt tota demonstratio Geometrica sit. Ad certium dicimus fallax argumentum esse, idque inde manifestè deprehendi, quòd Aristotel. etiam in scientia naturali sæpe quærit an aliquid sit, necne, vt an sit vacuum, an sit infinitum, an sit prima materia, an sit generatio, & alia quamplurima: dico igitur nomen entis

Ad tertium.

Ens sumitur dupliciter.

A posse duobus modis sumi, vno modo pro genere, altero modo pro existentia, quæ est accidens rei; quæstio igitur entis accepti pro genere Metaphysica est, quoniam ita acceptum ens est attributū transcendens, at quæstio entis sumpti pro existentia non est necessariò Metaphysica, sed existentia coarctata, & restricta ad rem naturalem est quæsitum naturale: quum præsertim non sit accidens aliquod reale à re distinctum, proinde non debet

B sumenda vt maior extremitas in demonstratione, vt complures imaginātur: omnis enim demonstratio tres habere debet reales terminos, vt in hac, de qua loquimur, ostendere possumus, in ea enim non est ipse motor subiectum, existentia verò prædicatum quæsitum, sed maior extremitas est motor æternus, minor corpus naturale, medium motus æternus, & conclusio colligitur non de secundo adiacente, sed de tercio, scilicet, cor-

C pus naturale habet motorem æternum: hoc igitur argumentum est cauillus manifestus. Ad quartum responsio sumenda est ex Aristotel. in context. 39. 2. Poster. nam duplex est cognitio, quòd res sit; vna perfecta, quæ habetur per essentialia, & per causam; altera imperfecta, quę habetur per accidentalia, & sine causa; ad eandem igitur scientiam pertinet cognoscere perfectè quòd res sit, ad quam pertinet cognoscere quid sit: & ita solus Me-

D taphysicus perfectè cognoscit dari substantias à materia abiunctas; at philosophus naturalis cognoscit quòd sint quatenus sunt motores cognitione imperfecta, & confusa, quę haberi potest etiam ab eo, qui nō cognoscat quid sint. Ad verba Aristot. in 2. context. 3. libri de Cœlo facilis est responsio: nam immobilitas primi motoris denotat abstractionem à materia, & est eius conditio essentialis, quam cognoscere est primi philosophi,

E quia pertinet ad cognoscendum quid est, à naturali autem leniter tangitur in 8. libro Physicę auscultationis, quantum oportuit ad ęternum motum cognoscendum, sicuti notauimus in libro nostro de Regressu; quum igitur Aristot. in memorato loco vtatur dictione comparatiua, eius verba nobis non officiunt: inquiens enim magis esse primi philosophi quàm Physici, cognoscere primum motorem immobilem, non negat eum cognosci etiam modo aliquo à naturali, qui hanc conditionem consideat, vt conditionem æterni motoris, non vt substantiæ à materia abiunctæ. Ad reliqua omnia apud Aristot. loca aduersus nos adducta dicimus, Aristot. rectè dicere ignotas adhuc esse substantias immobiles, quoniam in 8. Physic. non demonstrauit primum motorem esse substantiam immobilem, sed esse motorem penitus immobilem,

Ad quartū.

Ad quintū.

Cap. 6.

quare

quare ibi ignoramus eum esse substantiam: non est igitur mirum, si plurib in locis post 8. Physic. dicat Aristot. ignorari adhuc, an detur aliqua substantia immobilis, idq; esse posterius demonstrandum; nam in solo 12. Metaphys. cognoscimus dari substantias immobiles, quum ibi primùm doceat Aristotel. primum motorem immobilem esse substãtiam, quod prius ignorabatur. Cauendum tamen est, ne perperam hoc intelligentes in errorem labamur: non enim ita ibi demonstratur dari substantias immateriales, vt ea sit demonstratio existentiæ ipsarum, sed ita vt per hoc essentia potius, quàm existentia, declarari dicatur, siquidem existentia non demonstratur nisi à philosopho naturali, non quidem quatenus sunt substantiæ, sed quatenus æterni motores: quamobrem id, quod dicimus, Metaphysicum demonstrare dari substantias immateriales, est sano modo intelligendum, nempe vt dicamus Metaphysicum accipere æternum motorem demonstratum à philosopho naturali, & docere hunc esse substantiam abiunctam à materia per essentiam; & ita totam existentiæ demonstrationem naturali philosopho attribuamus, siquidem eædem sunt substantiæ immateriales, quæ in 8. Physic. vocantur æterni motores; Metaphysico autem attribuamus totam declarationẽ conditionum essentialium eorundem motorum, quarum vna hæc est, eos esse substantias, quæ à naturali ignorabatur. Iure igitur dicit Aristot. post 8. Physic. ignotum esse quòd dentur substantiæ immobiles, sed nunquam dixit esse ignotum dari motores immobiles, imò in contex. 14. primi libri de ortu & interitu asserit hoc esse notum, & in 8. Physicorum declaratum, esse tamen distinctiùs declarandum in prima philosophia: quòd verò in 12. diuinorum legatur demonstratio æterni motoris ex æterno motu, iam diximus eam esse naturalem ibi ab Aristotele repetitam ad doctrinæ abundantiam, & ad maiorem claritatem.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, Liber

DE NATVRA COELI.

Dicendorum propositio. *Cap. I.*



ETSI ita abscondita nobis est cœlestis corporis natura, vt ipse quoque summus philosophus Aristotel. sola conditionum sublunarium negatione eam declarare potis fuerit; attamen ea est eius præstantia, atque nobilitas, vt vel rudis, & imperfecta ipsius cognitio expetibilior sit, quàm exquisita, & perfecta aliarum rerum ignobiliorum, sicut idem asseruit Aristot. De hac igitur niti debemus ea cognoscere, ijsque esse contenti, ad quæ peruenire humana ratio potest: quod me monuit vt de illo corpore aliqua scriberem, eaq; præcipuè tangerem, quæ magis dubia sunt, & apud interpretes Aristotel. controuersa; vt rei obscurissimæ aliquid, si possem, luminis, & claritatis afferrem. Vt autem intelligatur, quibus de rebus sit nobis proposita disputatio, vtq; illa, quæ dubia sunt, ab ijs, quæ sunt manifesta, seiungantur, ante omnia neminì dubium esse arbitramur, Cœlum esse animatum, & cõstare ex mente motrice, & corpore moto, siquidem animatorum proprium est mouere seipsa, vt in 8. Phys. auscultationis lib. Aristotel. docuit. Illud quoque ab omnibus concedi videtur, animam illam motricem non esse formam Cœli, nec dare Cœlo esse, sed motum solum, proinde non informare orbem, sed illi regendo assistere, sicut naui nauta assistit, orbis enim absq; illius ope per se existit actu: quòd si per illam existeret, & ab illa constitueretur, nõ posset secundùm Aristot. ab ea moueri perpetuò, quoniã nulla forma materiam informans potest sempiterno motu mouere: adde quòd si mens illa informaret orbem, esset eius natura, & substantiæ pars, quare omnino fuisset ab Aristotele declaranda in libris de Cœlo, quam tamen declarationem in ijs libris non legimus. Quoniam igitur ad illius corporis substantiam cõstituendam mens illa motrix nihil cõfert, iure Aristot. In libris de Cœlo in declaranda eius corporis natura, nullam animæ cœlestis considerationem fecit; quippe qui cognouit eam ad sublimiorem disciplinam pertinere, & philosopho naturali satis esse naturalium

Cœlum esse animatum.

Anima cœli nõ informat orbem.

corporum naturas, & accidentia contemplaßi. Nos igitur Aristot. imitari cœlestiũ mentiũ considerationem missam prorsus faciemus, & solius cœlestis corporis naturam peruestigare nitemur; duoq; potissimũ tractabimus: vnum, an illud corpus seclusa mente motrice constet ex materia, & forma, quæ ipsum tanquam partes constituant: alterum verò, quænam sit illius natura, id est, quodnam habeat motus principiũ interiouos, à quo eius motus dicatur naturalis, ita vt ei quoque competere possit definitio naturæ ab Aristot. in 2. Physic. tradita, his enim intellectis nil videtur superesse, quod ad Cœli naturam, & substantiam declarandam pertinere videatur.

Variæ opiniones de materia Cœli cum argumentis Thomæ & Aegidij.

Cap. II.

Considerandum primo loco est, an cœleste corpus ex materia & forma materiam informante constet, ita vt ab illa forma habeat vt sit actu, & materia illi subiecta habeat potentiam ad esse. Duæ hac in re opiniones extant, vna Thomæ & Aegidij asserentium corpus illud constare ex materia, & forma informante, altera Auerrois, qui id constantissimè negauit, & ostendere nixus est, cœleste corpus esse simplex, & actu per se ipsum absq; vlla compositione materiæ cum forma, qua de re in libello, quem de substantia orbis inscripsit, diligentissimè disputauit. Prior sententia in duas diuisa est: Thomas enim & Aegidius in eo dissentiunt, quòd Aegidius putat materiam cœlestis formæ subiectam, & materiam horum corporum inferiorum eiusdem esse naturæ, & rationis; Thomas verò hoc negat, & ait materiam Cœli esse diuersæ rationis à materia inferiorum. Horum argumenta omnia in medium afferre operæpretium non est, ea namque tum apud eos, tum in disputationibus aliorum posteriorum, quæ multæ circumferuntur, legi possunt; sed nobis quædam præcipua considerare satis erit. Thomas primo loco probat, id in quo cõuenit cum Aegidio, cœleste corpus ex materia & forma constare, & hoc argumento vtitur: omne, quod extra animam actu existit, aut est actus, aut habens actum, at orbis cœlestis seclusa anima motrice existit actu, vel igitur est actus, vel habens actum, atqui actus purus non est, sic enim non esset corpus, sed forma sola abiuncta à materia, quod dicendum non est, ergo est habens actum, est igitur in Cœlo prӕter formam aliquid aliud, quod quidem non est nisi materia, nil enim dicimus habere actum, nisi id, quod ex materia & forma cõstet. Probat deinde Thomas illud in quo ab eo dissidet Aegidius, mate-

Primum argumentum Thomæ.

Secundũ argumentum

A riam illam esse diuersæ rationis à materia inferiorum: Cœlum apud Aristotel est ingenitum, & incorruptibile, ergo eius materia non habet annexam priuationem, nec potentiam ad aliam formam, nisi ad solam formam Cœli, ita vt obiectum adæquatum illius potentiæ sit sola forma Cœli, quæ illam totam adimpleat, & materia formam illam recipiens dicatur totum suum obiectum recipere; est igitur diuersæ rationis à materia inferiorum;
B hæc enim nullam potest formam recipere, quæ sit ei perfectio integra, & totum genus obiectum receptibile, sed omnis forma, quã recipit, est pars obiecti adæquati; quo fit, vt in materia necessariò relinquatur potẽtia recipiendi alias formas, proinde omne habens talem materiam dicatur habere contrarium, & sit corruptibile, sicut Aristot dicit in libro de longitudine & breuitate vitæ. Aegidius verò primùm sententiam suam ita declarat, vt
C eam ab hoc Thomæ argumento vindicare videatur, deinde ad eam probandam argumentatur: inquit Cœlum & inferiora corpora ex eadem materia cõstare, neq; ob id fieri vt Cœlum sit corruptibile; quãdoquidem duo sunt formarum genera, quæ in hac materia recipiuntur; alia enim forma contrarium formam habet, quare materia illi subiecta potestatem habet recipiendi formam contrarium, & res illa necessariò est corruptibilis, cuiusmodi
D sũt omnia corpora inferiora; alia vero forma cõtrario caret, qualis est forma Cœli, ideò materia illi subiecta non habet potentiam recipiendi aliam formam, satiatur enim ab illa forma totus illius materiæ appetitus, totaq; potentia, quo fit vt illa materiӕ portio sit perpetuò sub illa forma, & nullius interitus capax sit: quamuis igitur Cœlum, & inferiora habent eandem materiam, & inferiora sint corruptibilia, Cœlum tamen potest esse in-
E corruptibile, hoc enim discrimen prouenit à natura formarum, quum Cœlum ideo sit incorruptibile; quia forma sua non habet formam contrariam; inferiora verò sint corruptibilia, quoniam eorum formæ habent contrarias formas. Probat hanc sẽtentiam Aegidius pluribus argumentis, ego verò alijs dimissis, vnum tantummodò quod præcipuum est adducam, idq; tale est. omne indiuiduum sensile, & per se existens ex materia & forma
F constat, corpus cœleste est eiusmodi, constat igitur ex materia & forma: minor propositio est per se nota, maior verò, imò & argumentum totum Aristot. est in context. 92. primi libri de Cœlo, vbi hanc ipsam maiorem expressè proferens, ex ea colligit, aliud esse rem ipsam absolutè sumptam, vt Cœlum, aliud esse eandem vt singularem, vt hoc Cœlum; Cœlum enim absolutè prolatum significat formam, at

Aegidij sententia.

Argumentum Aegidij.

mam, at hoc Cœlum significat formã in materia, Aristotel. igitur apertè dicit Cœlum ex materia & forma constare, & hac ipsa ratione vtitur, quoniam est indiuiduum sensile: atqui nulla materia formæ substãtiali substans fuit cognita Aristotel. nisi prima illa materia, quæ in 1. libr. Physic. ex mutatione substantiæ inuenta est, & qua omnia corpora inferiora participant: igitur materia formæ Cœli subiecta eiusdem est rationis cum materia corporum inferiorum.

Communis confutatio sententiæ Thomæ & Aegidij. Cap. III.

Primum argumentum.

HAec duæ sententiæ tum communibus, tum proprijs vrgentur difficultatibus. Primum quidem simul ambæ impugnari possunt in eo, in quo conueniunt, videlicet cœleste corpus seclusa mẽte motrice ex materia & forma cõstare, nam ex Aristot. progressu in 1. lib. Physicæ auscultationis manifeste colligimus non potuisse primam materiã nobis innotescere, nisi per mutationem substantiæ, hæc enim sola nos duxit in cognitionem compositionis materiæ cum forma, quia quum videamus fieri ex aqua aerem, & formã aquæ interire, formam vero aeris generari, cognoscimus esse necessarium, vt præter formã aliud quoddam in aqua sit, quod postea seruetur in aere genito, siquidem non potest aer fieri ex nihilo: cõstat ergo aer ex materia, quæ præfuit, & ex forma, quæ nuper accessit: itaque vbi nulla est substantiæ mutatio, ibi nullam materiæ cum forma compositionem cognoscere possumus. Cœli autem substantia apud Aristotel. immutabilis est, ergo etiamsi reuera ex materia & forma constaret, nos tamen huius compositionis nullam habere cognitionem possemus, quippe eo medio destituti, quo vno in talem cognitionẽ duci possumus, ideo rectè Auerroes dicit in 1. Physic. Comment. vlt. & 2. Physic. 22. & 4 Physic. 38. primam materiam non posse demõstrari nisi à philosopho naturali, nec alio medio, quàm mutatione secundùm substantiam: vnde colligimus, inefficacem esse illam Thomæ argumentationem, aut est actus, aut habẽs actum, vt postea in solutione declarauimus: nam si validum hoc argumentum esset, certè Arist. in primo Physic. satis paruo negotio poterat primam materiam inuenire dicendo, corpus naturale, vt lapis, vel est actus, vel habens actum, at non est actus, ergo habens actum, ex materia igitur & forma constat: sed nouit Aristot. nihil habere roboris. Præterea vtcunque dicatur cœleste corpus materia & forma cõstare, fit necessariò vt sit corruptibile; nam si materiam habet sub forma, necesse est materiam illam respectu illius formæ habere po-

Secũdum argumentum.

A tentiam passiuam, quæ sit potentia ad esse, si quidem forma dat esse, atqui omnis potentia passiua est potentia contradictionis, igitur est potentia etiam ad non esse: idque asserit clarè Aristotel. in calce libri de interpretatione, & clarius in nono Metaphys. vbi etiam in context. 17. inquit, non esse in Cœlo potentiam, nisi ad vbi, cognouit enim non posse in Cœlo esse materiam cum potentia ad esse, quin insit etiam potentia ad non esse, ideoq; Cœ-
B lum sit corruptibile. Idem confirmat definitio potentiæ passiuæ, quam legimus in quinto Metaphys. context. 17. & nono Metaphys. a potentia passiua est principium vt res transmutetur ab alio quatenus est aliud, quoniam igitur hoc essentiale est potentiæ passiuæ, debet omni tali potentiæ competere, sed omnis mutatio est ab opposito ad oppositum, à non esse ad esse, vel ab esse ad non esse, omne igitur habens potentiam passiuam est corru-
C ptibile: quòd si quis dicat esse quidem in Cœlo potentiam ad esse, sed æquiuocè dictam, quæ non separatur ab actu, de qua loquitur Aristotel. in calce libri de interpretatione, hoc certè nihil est; quia licèt sit cum actu, tamen nobis satis est ostendisse eam esse posse sine actu, quum sit potentia contradictionis. Possumus etiam ad hoc confirmandum sumere argumentum ex verbis Aristotel. in 2. Metaphysic. context. 30. vbi dicit, motores
D Cœlorũ debere esse sine materia, & hanc affert rationem, quia debent esse substantiæ sempiternæ; considerandum enim est Aristot. non dicere, quia debent mouere perpetuò, sed dicere, quia debent esse substantię sempiternæ; significat ergo necessarium esse, si essent in materia, vt essent corruptibiles: eadem itaque ratione argumẽtemur de forma Cœli; nam si de hac argumentum Aristot. inualidum est, de mentibus quoq; motricibus est
E inualidum: igitur necesse est formam Cœli esse corruptibilem, quũ sit in materia, & huius rationem iam adduximus, receptiuum enim dirigitur à natura ad proprium receptibile distinctum ab eo essentialiter, quia nihil recipit se, igitur necesse est vt respiciat illud tanquam potentia libera, & æquè respiciens vtranque partem contradictionis. Si verò Thomas dicat Aristotel. ibi negare solam materiam inferiorum, quæ est materia gene-
F rationis, & de hac validum esse argumẽtum, quia forma inhærens in tali materia non potest esse substantia sempiterna: vanum hoc est, sic enim debile, & mutilum manebit argumentum Aristotel. eo namque ostenderetur, motores Cœlorum non esse in tali materia, qualem obtinent inferiorum corporum formæ; sed non absolutè ostenderetur; esse ab omni materia abiunctos, hoc autem aduersa-

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

tut consilio Aristot. qui vniuersalem demonstrationem facere vult, & ostendere motores Cœlorum ab omni prorsus materia esse abiunctos, nullo enim pacto concedere eos esse formas, cœlestem materiam informantes, nimirum propter naturam potentiæ passiuæ, quam diximus æquè respicere vtranque partem contradictionis: quòd verò illi dicunt, formam Cœli satiare totum materiæ appetitum, & totam eius potentiam adimplere, repugnat propriæ conditioni potentię passiuę, hanc enim non adimplent nisi formæ cõtrariæ, hæ autem simul esse non possunt: quare semper manet in materia potentia recipiendi formam contrariam: eaq; potentia quum sit naturalis, non potest esse frustra, sed aliquando ducetur ad actum. Possumus etiam contra hanc sententiam hoc argumento vti: si Cœlum præter animam motricem habet etiam formam informantem, certè illa forma est natura, proinde est principium alicuius motus, at nullius motus potest esse principiũ, ergo talis forma in Cœlo ponenda non est: consequentiam probare non oportet, clara enim est apud Arist. in 2. Physic. nec vllus eam negare potest, quia forma materiam informans, & constituens corpus aliquod naturale, est necessariò illius corporis natura, & principium naturalis motus in eo: absonum enim est rationi, formã aliquam esse otiosam: consequentis aũt falsitas facilè ostẽditur, nullus enim in Cœlo datur motus, nisi circularis; huius aũt causa effectrix est mens illa abiuncta à materia, non forma informans materiam Cœli: ergo nullus remanet motus, cuius causa possit esse illa forma; est igitur otiosa, & nullius motus causa. Sed memini me aliquos Thomistas audiuisse ad hoc respondentes, naturam ab Aristot. dici principium motus non solum actiuum, sed etiam passiuum, ideoque formam Cœli eatenus esse naturam, quatenus est principiũ motus passiuum, etsi non est principium actiuum; hoc enim videtur Aristot. de formis quoque elementorum protulisse in context. 32. octaui Phys. dum dixit elementa habere in se principium motus, non quidem agendi, sed patiendi. At hoc dici non potest, neque eis hæc cum elementis cõparatio suffragatur, imò sententiam nostram maximè confirmat, vt mox patebit tum ex iis, quę de Cœli natura dicturi sumus, tum etiam maximè ex iis, quę postea dicentur de grauiũ & leuium motu: nũc pauca pro occasione dicere satis erit: certum est, officium formæ esse agere, materiæ autem pati, imò nec formam per se pati, sed per accidens, & propter materiam, cui iuncta est; itaque absurdissimum est, ponere formam, quæ nihil agat, sed patiatur solùm: quod verò ad elementa atti-

Quintum argumentum.

Solutio Thomistarum.

Impugnatio solutionis.

A net, censuit Aristotel. elementum ea ratione motum recipere à generante, quatenus generans dãs formam, dat etiam motum, qui eam consequitur; ideò elementum, simulatque est genitum, sibi sufficiens est ad se mouendum absq; ope generantis, dummodo à nullo impediatur: quia nulla est alia generantis motio, quàm productio formæ; ea autem cessat existente forma; tunc igitur motus elementi formam insequitur vt causam, non generans, B quod nil amplius agit: quamobrem negari non potest (idque nos alio in loco fusius demonstrabimus) formas elementorum esse apud Aristotel. etiam principia motus actiua, est enim repugnantissimum naturæ formæ vt per se patiatur, nec aliquid agat, seu vt per accidens patiatur, per se verò nec agat, nec patiatur, sed sit otiosa: forma igitur Cœli, quam illi ponunt, longè deterior esset formis elementorum, si solùm pateretur, quum illæ e- C tiam agant, vel si velint. Cœlum in hoc simile esse elementis, oporteret superuacaneam esse mentem illam motricem: quemadmodum enim genitum iam elementum, vt moueatur, non eget amplius generãte, quia motus naturalis solã ipsiua formã insequitur; ita quum Cœlum nunquã sit genitum, sed apud Arist. semper absolutũ, & perfectum extiterit, deberet motus in orbe insequi formã illam iam existentem, nec indigere intelligẽtia mo- D trice, quemadmodum elementum genitum non eget amplius generante: vel igitur superuacanea est mens illa motrix, vel forma Cœli est ignobilior formis elementorum.

Quomodo elementum à generãte moueatur, & quomodo à sua forma.

Propria confutatio opinionis Thomæ.
Caput IV.

Vrgetur etiam vtraq; sententia proprijs difficultatibus: nam Thomæ opinio, quòd Cœlum constet ex materia & for- E ma eã informante, quæ materia sit diuersa à materia inferiorum, est alienissima ab Arist. qui præter primam materiã. ex qua inferiora corpora constant, nullam aliam materiam cognouit quę habeat potentiam recipiendi formam de genere substantiæ dantem esse: nam in 1. libro Physicæ auscultationis primam rerum materiam inuenit, præter hanc nullam aliam in libris suis vsquam considerauit: ergo nulla fuit Aristot. cognita: adde, quòd si Cœ- F lum talem materiã haberet; debuisset maximè Aristotel. eam considerare in prima parte 1. lib. de Cœlo, vbi Cœli naturam sibi declarandam proposuit; ibi tamen apertè negat Cœlum habere materiam; quòd si solam inferiorum materiam ibi negare in Cœlo dicatur, omnino tamen exprimere debuit aliam in Cœlo esse materiã diuersam à materia inferiorum, si talem materiam in Cœlo esse existimauit.

Primum argumentum.

stimauit; attamen nullam huiusmodi materiæ mentionem eo in loco fecit. Vti præterea aduersus Thomam possumus argumēto Aegidij: materia illa Cœli, si secundùm se absq; Cœli forma consideretur, non est nisi pura potētia, quia nullum in se actum includit, est igitur ipsamet materia corporum inferiorū, quia pura potestas à pura potestate nullo discrimine dissidet, siquidem distinctio fit ab actu, vt ait Aristot. in contex. 49. septimi Metaphys. Nec dicere Thomas potest, earum discrimen in hoc esse cōstitutum, quòd illa habet potentiam ad solam Cœli formam, hæc verò ad reliquas omnes; nam omnis coarctatio, & omnis determinatio fit à forma, quare necesse est vt materia Cœli habeat in se aliquid actus, à quo eius potentia ita contrahatur ad hanc formam, vt non ad alias; à pura enim potentia non potest hæc determinatio fieri: vel igitur materia Cœli est ipsamet inferiorum materia, si est pura potestas, vel est actu per seipsam sine forma: sed quisquis hoc dicat, fateri etiam debet, materiam illam nulla forma indigere, sed suapte natura esse actu, quæ est Auerrois opinio, de qua mox dicem⁹.

Secundum argumentum.

Illud præterea absurdū hanc sententiam consequitur, quòd quum in alijs generibus causarum vna tantùm detur prima in singulis, in causa materiali duæ erūt primæ, quod dicendum non est, sed quum vnum sit tātùm absolutè primum mouēs, & vna prima forma, & vnus vltimus omnium rerū finis, vnā quoq; primam materiam esse dicendum est, nō plures.

Tertium argumentum.

Propria confutatio opinionis Aegidij.
Caput V.

Sententia quoque Aegidij facilè reprobatur. Primùm enim non minùs ex hac, quàm ex opinione Thomæ, immò etiam multò magis, infertur, Cœlum esse corruptibile, quod in doctrina Arist. est manifestè falsum: deducitur consequens statuto hoc fundamento, quòd à nemine erudito viro negari potest, cuilibet potentiæ passiuæ respondere in natura proprium, & ipsi æquatum obiectū, ad quod illa per se à natura dirigatur, vt dicere solemus potentiam visiuam habere proprium obiectum non quidem album, vel nigrum, sed vniuersum genus colorum, hoc enim illi respondet tanquam propria perfectio proprio perfectibili; quærendum igitur ex Aegidio est, quodnam sit proprium obiectum potentiæ passiuæ materiæ & ipsi adæquatum; nam si eiusdem rationis est materia Cœli, & materia corporum inferiorum, vt ipse opinatur, certè proprium eius obiectum non est sola forma Cœli, quum possit materia alias quoq; formas recipere: nec solæ formæ inferiorum, quum possit recipere etiam

Primum argumentum.

A formam Cœli: erit igitur proprium, & æquatum obiectum quod primum respondet potētiæ passiuæ materiæ, vniuersum genus formarum materialium quod omnes & Cœli, & inferiorum corporum formas complectatur: hoc constituto, sic argumentemur: potentia receptiua non expletur parte aliqua sui obiecti, sed toto ipso obiecto adæquato, ergo forma Cœli nō potest totam materiæ potentiam adimplere, proinde remanet in ma-
B teria potestas recipiendi alias formas, eaque est potentia naturalis, quæ non potest esse frustra, sed aliquando ducenda est ad actum: ergo necesse est Cœlum aliquando esse interiturum; ideo verissimum est Auerrois dictū in Comment. 20. primi libri de Cœlo si Cœlum constaret ex materia & forma non habente contrarium, natura fecisset aliquid superuacaneum, & frustra, nam forma illa contrario carens, seruaretur perpetuò in illa ma-
C teria, quare materiæ potestas recipiendi alias formas frustra esset: neque alicuius momenti est id, quòd dicit Aegidius, formam Cœli ob suam magnam perfectionem expletotam materiæ potestatem; nam potentia respiciens totū genus non potest expleri sola parte aliqua illius generis: ratioque huius verissima assignari potest, quoniam id, quod alicui naturale, atq; essentiale est, non potest ab illo extraneo variari, & immutari: essentia-
D lis autem est ipsi materiæ potentia libera ad omnes formas; ideò etiamsi forma Cœli secundùm se carens contrario, & incorruptibilis statuatur, non ob id potis est materiæ naturam immutare; quamobrem duorum alterum sequi necesse est, aut dissonantiam esse in rebus naturæ, nec sibi conuenienter respondere formam, & subiectam materiam, sed inanem prorsus, & superuacuā esse materiæ naturam, & aptitudinem naturalem: aut concessa,
E vt omnino concedenda est, ea consonantia, Cœleste corpus aliquando esse interiturum, pelliq; eius formam posse à forma contraria, iuxta Aristot. sententiam claram in lib. de longit. & breuit. vitæ, materiam habenti necesse est habere contrarium, quo fit, vt omne habens materiam sit corruptibile: sic etiam in primo lib. de ortu & interitu, contextu 22. & 43. inquit Aristotel. ea, quæ mutuò agunt & patiuntur, conueniunt in materia, &
F è conuerso illa, quæ in materia conueniunt, necesse est vt mutuò inter se patiantur, & agant, & vnius materia possit alterius formam recipere. Et in contextu 138. 1. libri de Cœlo, inquit Aristotel. materiam habere potentiam ad opposita, & esse causam vt res sit, & nō sit, quo fit, vt omne habens materiam possit non esse. Quòd autem falsum sit, & absonum rationi id, quod Aegidius dicit, formam Cœli

Responsio Aegidij.
Confutatio.

ob suam nobilitatem satiare totam potentiã, totumq; appetitum materiæ, hoc argumento ostendi potest; quia hoc idem euenire deberet in alijs formis, vt forma nobilior vices gereret omnium formarum ignobiliorũ, & expleret totam potentiam ad eas; igitur forma hominis expleret totam materiæ potentiam ad omnes inferiorum saltem corporum formas, proinde homo quoq; esset incorruptibilis, quod tamen falsum esse videmus. Vtor etiam contra Aegidium tali ratione: si materia Cœli, & materia inferiorum eadem est, & eiusdem rationis, ergo competit ei definitio primæ materię ab Arist. tradita in calce primi Physicorum, itaq; materia Cœli est primum subiectum, ex quo fit aliquid, proinde ex ea generari aliquid potest, quare Cœlum est corruptibile; debet enim definitio illa esse talis, quæ materiæ essentiam declaret, proinde omni materiæ competere debent illa, quæ in ea definitione sumuntur: nec dicendum est, primam materiam ibi definiri prout est in corporibus tantùm inferioribus, quia sic definiretur per accidentalia, quod minimè dicendũ est: quoniam igitur conditio essentialis materiæ est, vt ex ea possit aliquid generari necesse est Cœli quoq; materiã eadem conditione participare: attamen habemus clarum Aristotel. testimonium in 1. Physic. contextũ 57. & 68. vbi asserit, se de caducarum tantummodò rerum materia loqui: quoniam igitur Cœlum censuit esse æternum, non potuit existimare materiam Cœli, & materiam inferiorum eiusdem esse naturæ, & rationis; imò etiam apertè negauit esse in Cœlo materiam, vt legere possumus in context. 20. lib. 1. de Cœlo; quare sententia Aegidij in philosophia Aristot. concedi non potest.

Secundum argumentum.

Declaratio & comprobatio opinionis Auerrois. Cap. VI.

EX horum dogmatum confutatione manet probata opinio Auerrois, quam veram esse puto, quòd orbis Cœlestis sit corpus simplex, non constans ex materia & forma, ea verò tantùm ratione ex materia & forma constet, quatenus intelligentia motrix dicitur forma, orbis verò dicitur materia, quæ non habet potentiam ad esse, sed solùm ad vbi; quam sententiam sequutus est Scotus in 2. Sentent. distinctione 14. quæstione prima: hanc diffusè declarat Auerroes in suo libro de substantia orbis, & eam satis manifestè colligimus ex Aristotel. pluribus in locis, nam in contextu 138. primi libri de Cœlo, inquit, materiam esse causam vt res sit, & non sit, quod idem dicit in 13. primi de generatione: materiam igitur prædictam potentia ad esse vult habere potentiam etiam ad non esse; quoniam ea est natura potentiæ passiuæ, vt sit potentia contradictionis, & monstrum est in philosophia Aristotelis, ponere materiam, quæ habeat potentiam ad dimidium tantùm contradictionis, ad solum esse, non ad non esse: neque est quòd aliquis dicat, Aristotelem ibi loqui de sola materia inferiorum, nam vniuersè de materia loquitur, quum agat ibi de mundi æternitate, quæ præcipuè in Cœli æternitate consistit. Clariùs etiam Aristoteles octauo diuinorum textu duodecimo, loquens de cognitione rerum ex cognitione causarum suarum, inquit, esse res cognoscendas per causas, quas singulæ habent, & in eis numerat causam materialem; sed statim Cœlum excipit dicens non omnes substantias naturales habere materiam, quia substantiæ naturales æternæ vel non habent materiam, vel non talem, sed solùm loco mobilem: nullam igitur aliam materiam in Cœlo concedit, nisi quæ loco tantùm sit mobilis; hæc autem est ens actu, quia non mouetur nisi id, quod actu existit: at materia, quæ recipit formam substantialem & cuius potestas talem formam respicit, non dicitur loco mobilis, & hanc ibi Arist. in Cœlo manifestè negat; immò etiamsi eam ibi nõ expressè negaret, omnino negata intelligeretur, si solùmodù nominata non fuisset quũ enim loquatur ibi Arist. de rerum cognitione per omnes suas causas, non rectè fecisset, si inter cœlestis corporis causas hanc quoq; materiam nõ nominasset. Sed clarissima est Aristot. sententia in 9. Metaphysic. context. 17. vbi apertè dicit, omnem potẽtiam passiuam esse oppositorũ, ideoq; nullam in Cœlo esse potentiam patiendi, nisi respectu motus localis. Et 12. Metaphysic. context 10. inquit, omnia, quæ mutantur, habent materiã, sed diuersam; nam & sempiternorũ, quę loco mobilia sunt, est materia, attamen non generabilis, sed vnde quo, id est, mobilis de loco ad locum: omnem enim materiam putauit habere priuationem coniunctam; priuatio autem in Cœlo nulla notari potest, nisi ratione loci, quia Sol in hoc loco existens habet priuationem alterius loci, & potentiam existẽdi in illo. Quum igitur solam loco mobilem materiam in Cœlo Aristoteles ponat; loco autem non moueatur nisi id, quod est actu, & Cœlestis orbis sit id, quod mouetur, absque dubio putauit Aristoteles, nullam in Cœlo esse aliam materiã, nisi orbem ipsum, qui est materia per se actu, neque ex alia materia constat.

In Cœlo est priuatio ratione loci.

Græcorum opinio de materia Cœli. Cap. VII.

HAec, quam diximus, Auerrois opinio, Græcorum quoque ferè omnium fuit, si recte

stroctè eorum verba intelligantur: in ijs enim errare facilè possumus, nisi hac distinctione vtamur: Cœlum duobus modis accipi potest: vel enim sumitur Cœlum animatum, hoc est, orbis cũ anima eius motrice; vel sumitur solus orbis, seclusa anima: quando igitur Græci dicunt, Cœlum ex materia & forma constare, semper accipiunt Cœlum animatũ, & orbem vocant materiam, animam verò vocant formam; & materiam illam dicunt loco tantùm esse mobilem; orbem verò seclusa anima nunquam dixerunt esse compositum, sed simplex corpus, & materiam simplicem esse voluerũt, nulla ex parte ab Auerroe in hoc dissentientes; nullam enim materiam substantiali formæ subiectam Græci cognouerunt, nisi quæ potestatem habeat liberã ad opposita, quam Aristotelis sententiam fuisse diximus; talis aũt potentia in Cœlo poni non potest, quin Cœlum interitui obnoxium statuatur; talem igitur materiam Cœlum non habet, iuxta Græcorum sententiam. Possem plura eorum dicta considerare, & ostendere hanc eorũ fuisse opinionem; sed euitandæ prolixitatis gratia, dimissa verborum ipsorum consideratione, satis erit in præsentia notare quædam apud eos præcipua loca, quæ quisque per se legere, & considerare potest. *Theophrastus.* Theophrastus, referente Simplicio in 1. context. lib. 1. Physic. absolutè dixit, omnia naturalia ex materia & forma cõstare, quod de solis inferioribus, quorũ principia in libro primo Physicorum quæruntur, intelligendum est: quòd si Cœlo quoq; dictum illud aptari velimus, eo modo, quem prædiximus, est intelligendum, vt orbem vocet materiam, animam verò mouentem vocet formam: hoc enim apud Græcos interpretes manifestum fuit, & nullus eorum dixit, orbem, *Alexander.* seclusa anima, aliam formam habere. Alexander libro 1. quæst. natural. cap. 10. & 15. inquit esse in Cœlo materiam diuersæ rationis à materia inferiorum, & idem intelligit, quod Aristoteles semper intellexit, nempe materiam loco mobilem, & orbem ipsum Cœlestem: idem de Alexandro colligitur ex verbis Simplicij in 2. Physicorum contextu 69. & in 2. de Cœlo, 17. & 41 idem legimus in commentarijs Metaphysicorum sub Alexandri nomine editis, libro 9. comment. 18. & libro 12. comment. 2. & 20. & 34. iuxta Alexandri partitionem, vbi corpus ipsum, quod in orbem fertur, inquit esse materiam, & elementum, quod materiæ inferiorum corporũ proportione respondet; motorem verò immobilem inquit esse ipsius *Ammonius.* Cœli formam. Hæc eadem Ammonij senten- tia fuit in calce quarti segmenti libri de interpretatione: & *Themistius.* Themistij in 3. contextu libri 3. Physic. & clariùs in 20. lib. 1. de Cœlo, vbi sententiam Aristotelis declarãs, dicentis Cœlum

A neq; materiam habere, neq; cõtrarium, inquit Cœleste corpus nullum habere subiectum: Cœlum enim dum vt animatum sumitur, habet subiectum, nempe orbem animæ cœlesti substantem; at corpus ipsum cœleste seclusa anima, quod ibi ab Aristotele consideratur, nullum aliud, ex quo constet, subiectum habet: quare manifesta ibi est Themistij sententia, immò & Aristotelis, qui cœlestis corporis naturam ibi ex instituto declarat. Simplicius *Simplicius.*

B manifestissimè hanc sententiam sequutus est, vt apud eum patet in libro 1. Physic. 68. & in 2. Physic. 71. & in 8. Physic. 79. & in 1. de Cœlo 5. & 20. & 22. Iamblicus quoq; in lib. de Mysterijs *Iamblicus.* Aegyptiorum apertè dicit, Cœlum esse substantiam simplicissimam, & omni materiæ & formæ compositione carentem. Olympiodorus *Olympiodorus.* in Procemio libri 4. Meteorolog. inquit Cœlum, & elementa esse composita: sed non intelligit secũdùm eandem compositionem;

C nam Cœli compositionem denotat esse ex orbe, & anima mouente. Michael Ephesius Ale- *Michael Ephesius.* xandri sectator in 1. cap. 1. lib. de partibus animalium inquit, nullam esse in cœlo materiam nisi loco mobilem. Solus Ioannes Gramma- *Ioan. Grammaticus.* ticus aliter sensisse videtur, sed eius sententia non est digna consideratione: nam Aristotelis de Cœlo opinionem impugnauit, & ostendere nixus est, Cœlum esse naturæ elementaris, & corruptibile, testatur de Ioanne Simplicius

D 8. Physic 79. & lib. 1. de Cœlo 72. quòd dixerit, formam Cœli habere priuationem oppositã, contrarium tamen asserere videtur in lib. 1. Physic. 68. sed quum deserat hac in re Aristotelem, nulla est nobis ipsius habenda ratio, qui hæc de re iuxta principia philosophiæ Aristotelis disputandum proposuimus.

Distinctio duplicis formæ. Cap. XIX.

E VT illa, quæ in cõtrarium adducta sunt, argumẽta soluantur, sciendum est, formam, seu causam formalem sumi duo- *Forma dupliciter sumitur.* bus modis: accipitur enim vno modò pro illa forma, quæ est altera pars compositi, & re distinguitur à materia, in qua inhæret; hac ratione corpus Cœleste, seclusa anima mouente, nec formam habet, nec materiam, nempe quæ sint duæ partes re distinctæ, ex quibus iunctis Cœleste corpus constituatur: altero modo sumitur forma pro essentia, seu quid-

F ditate rei, omnis enim res habet essentiã propriam, & proprium quid est; hoc modo etiam cœleste corpus seclusa anima habet formam, hoc est, essentiam propriam. Harum igitur duarùm acceptionum illud est discrimen, quòd priori modo accepta forma distinguitur re & à materia, & à composito: quemadmodum enim aliud est forma, aliud materia, ita aliud est forma, aliud forma & materia si-

An quiddi tas ab eo distinguatur, cuius est quiddita.

mul iunctæ. At de forma accepta pro quiddi- A tate secus est; quandoq; enim sola ratione distinguuntur quidditas,& id,cuius est quidditas,quandoq; etiã nullo modo : in illis enim, quę sunt abiuncta à materia, idem prorsus est quidditas, atqi id, cuius est quidditas; quum enim non habeant esse sensile, sed solùm esse intellectile, in his quidditas ab eo, cuius est quidditas, nec re, nec ratione distinguitur: in habentibus autem materiam, vbi necesse est ratione distingui esse sensile, & esse intel- B lectile, distinguitur etiam ratione quidditas ab eo, cuius est quidditas, re tamen ipsa idem sunt, vt Aristoteles docet in libro septimo Metaphysicorum, context. 20. & 21. nam quidditati hominis nil aliud in rebus respondet,nisi homo ipse:nil enim aliud est quidditas hominis,quàm forma hominis in materia propria, & eam significamus per hominis definitionem, quando dicimus, homo est animal rationis particeps; differunt autem C sola ratione, quia dicitur hominis quidditas, quatenus mente concipitur, & intelligitur, homo autem extra animam existens, qui singularis, & sensilis est, dicitur non quidditas, sed habens quidditatem; est enim res demonstrata & restricta ad has conditiones, hic & nunc, & ad accidentia (vt vocant) indiuiduantia, quæ insequuntur nexum hunc realem formæ cum materia: singularium enim esse dicuntur ipsæ quidditates nec, quia D idem sint homo & hominis quidditas,nugationem committimus, dicendo hominem habere quidditatem, quasi dicamus ipsum habere seipsum; etenim ad vitandam nugationem, & omnem absurditatem, sufficit distinctio rationis: patet hoc in definitione,& definito; est enim idem re homo, atque hominis definitio, tamen dicimus hominem habere definitionem, nec vllam nugationem committimus,quia differunt ratione. Quo- E niam igitur cœlum est indiuiduum materiale, & sensile, & demonstratum, necesse est, vt ratione distinguantur Cœlum, & Cœli quidditas, idque significauit Aristoteles in contextu 92. libri 1. de Cœlo, dicens Cœlum esse formam,& hoc Cœlum esse formam in materia; non enim accipit ibi formam pro ea, quæ est altera pars cõpositi, sed pro quidditate rei materialis, quæ aliud est vt sensibilis,aliud vt intellectilis; ideò quando absolutè dicimus Cœlum, dicimus rem intellectilem, & quidditatem ipsam; quando autem dicimus hoc Cœlum, dicimus rem sensilem, ac demonstratam, proinde quidditatem in materia, & id quod appellatur habens quidditatem.nam hoc Cœlum, sensile est id, cuius est forma accepta pro quidditate: ideò non est ignorandum, Aristotelem ibi, sicuti nomine formæ non intelligit illam, quæ est altera pars compositi, ita nec nomine materiæ materiam illam intelligere, quæ est altera compositi pars distincta à forma; sed nomine formæ rem ipsam totam intelligere vt habentem esse intellectile, & nomine materiæ eandem rem vt habentem esse sensile, ac demonstrabile: ita vt hæc duo nomina, forma & materia, ibi significent quidditatem, & habens quidditatem, quæ idem sunt re, ratione autem distinguuntur: est autem etiam apud Aristotelem hæc materiæ acceptio, vt materiam sumat non pro ea, quæ subijcitur formæ, & ex qua fit aliquid, sed pro substantia ipsa corporea extra animã existente, & sensilis hoc legere apud Simpliciũ possumus in 1. lib. de Cœlo, cont. 22. & 92. cuius verba hic recensere operæ pretiũ non est. Ob id non absq; ratione Græci interpretes in libro secundo Physicorum, context. 26. & 71. Cœlum vocant materiam formalẽ, & formã materialem; est enim materia quædã actu per se ipsam, & participat modo quodã tum materię, tum formę cõditionibus, formæ quatenus est actu per se, materiæ verò quatenus est corporeum, & sensile; quamobrem est res intellectilis, quatenus est forma; & res sensilis, quatenus est materia; & est materia habẽs formam, & forma in materia, absque reali distinctione materiæ, & formæ; quare appellari potest & habens formam, & habens materiam, ex sola distinctione rationis, quam modò declarauimus.

Materia etiã sumitur pro substãtia demonstrata.

Cœlũ est materia formalis, & forma materialis.

Solutio argumentorum Thomæ & Aegidij. Cap. IX.

A Rgumenta Latinorum, quæ antea adduximus, per ea, quæ modò dicta sunt, facilè soluuntur; nam ad argumentum Thomę si maior propositio sano modo intelligatur, dicimus, totum concedi posse; nam maior erat; omne quod extra animam actu existit, aut est actus, aut habens actum, in qua si sumatur actus lata significatione, prout cõplectitur & formam, quæ est altera pars compositi, & formam pro essentia acceptam, vera est propositio: per eam tamen nõ ostenditur, Cœlum esse compositum, sed solùm ostenditur, Cœlum habere actum altero duorũ modorum, nempe vel formam, quæ est altera pars compositi, vel formam pro quidditate acceptam: si verò sumatur actus propriè pro F forma, quæ est altera pars compositi, neganda est illa maior; dicimus enim dari aliquid, quod neque est talis forma, neque talem formam habens; huiusmodi enim esse dicimus cæleste corpus: quare insufficiẽs est hæc Thomæ diuisio, quum dicit, omne existens vel esse actum talem, vel habere talem actũ: quòd si dicat, se in hoc argumento non essentiam

Ad primum Thomæ argumentum.

respi-

respicere, sed existentiam, quæ est quiddam additum essentiæ, adhuc eadem responsione utemur: sicut enim forma est essentia rei, ita dat etiam actu existere, nec magis forma pars altera compositi, quàm propria quidditas rei simplicissimam corpus cœleste est materia existens per se, quoniam ex sua natura proprium habet complementum, quo existit actu sine ope alicuius externi: quoniam igitur Cœlum est indiuiduum actu existens, debet esse aut purus actus, aut habens actum, non est autem actus, ergo habens actum, non quidem formam re distinctam à materia, sed propriam essentiam, & proprium complementum, quo sine alicuius ope est aptum per se actu existere: intelligo autem proprium complementũ, non ratione operationis, sed ratione solius esse: quemadmodum enim nauis non est apta per se operari sine nauta, ita nec Cœlum sine anima mouente: attamen existit nauis per seipsam sine ope nautæ; sic igitur & orbis Cœlestis talem habet naturam & essentiam, vt sine alicuius adminiculo per se existat actu. Patet igitur, hoc argumento non ostendi, cœleste corpus constare ex materia & forma re distinctis: nam si hoc ita probari posset, facile Aristoteli fuisset in primo lib. Physicæ auscultationis demonstrare, naturalia corpora ex materia & forma constare, dicendo, omne quod extra animam actu existit, aut est actus, aut habens actum; non fuisset tamen argumẽtum Aristotele dignum, quia vanum est, vt ostendimus. Sic etiam soluendum est argumẽtum, quod Thomistæ sumunt ex Aristotele in contextu 12. libri 8. Metaphysicorum, vbi dicit, Cœlum habere materiam, sed non talem, qualem habent inferiora corpora; sic enim significare videtur, Cœlum esse compositum, & ex materia, & forma constare, quoniam nihil dicitur habere seipsum; quare si Cœlum habet materiam, non est simplex materia. Nos verò iam diximus, tritum & vulgatum esse in philosophia hunc modum loquendi, hoc habet hoc, etiam absque reali distinctione habentis, & rei habitæ, sicuti quando dicimus aliquid habere definitionem. Dicere etiam possumus, Cœlum, quatenus est animatum, esse verò compositum, & ita habere materiam & formam re distinctas, habet enim mentem mouentem, quæ est instar formæ, & orbem, qui est instar materiæ: quare nullius roboris est argumentum hoc. Ad alteram verò partem argumenti Thomæ non opus est respondere; hoc enim constituto, quòd orbis cœlestis non sit compositus, sed sit materia per se actu existens, concedimus esse materiam diuersæ rationis à materia inferiorum. Ad argumentum Aegidij sumptum ex contex. 92. libri 1. de Cœlo, si formam sumat pro quidditate, & materiam illi respondentem, sicut antea declarauimus, dicimus totum esse concedendum: quia necesse est, vt omne indiuiduũ sensile habeat suã quidditatem, ratione distinctã à habente quidditatẽ, quod ibi vocatur materia: at si intelligat formam & materiã, quæ sint duæ partes compositi re distinctæ, negãda est propositio maior: non est enim necessarium, vt omne indiuiduũ sensile constet ex materia & forma re distinctis, neq; hoc vult ibi Aristoteles, vt cuilibet eum locum, & scopũ philosophi consideranti manifestũ esse potest: hoc igitur argumento non ostenditur id, qđ Aegidius probare vult.

Argumentũ Thomistarũ.

Solutio.

Ad secũdum Thomæ.

Ad argumẽtum Aegidij.

A B C D E F

Dubia, quæ ostendunt, in Cœlo non esse Naturam, & varia hac de re sententiæ.

Cap. X.

Svperest, vt consideremus, an in Cœlo sit natura, & tale principium motus, vt Cœlum quoq; sub definitione naturæ contineatur: non videtur res hæc carere difficultate, si vera illa sunt, quæ aliás de natura diximus; nam si natura est sola forma, materia verò per se non est natura, sed solum quatenus habet potestatem recipiendi formam, quæ est natura, hoc est, quatenus est idem potestate, quod forma actu, non videtur Cœlum habere naturam; nam intelligentiam, à qua mouetur, non possumus naturam appellare, quum sit abiuncta à materia, natura verò cuiusque rei dicatur propria eius forma, quę ipsam cõstituit, & materiã informat: quemadmodũ enim nauta nõ dicitur natura nauis, ita nec anima Cœlestis dici potest natura Cœli; sed est supra naturã: ob id Aristot. in 4. contex. lib. 2. Physicorum, dixit naturã semper esse in subiecto, forma enim materialis inhæret subiectæ materiæ, quã informat, ac perficit: anima verò Cœlestis non est in orbe vt in subiecto, quũ sit substantia per se existẽs, & abiuncta à substantia orbis, licèt illi gubernando assistens. Sed neq; orbis videtur posse appellari natura, quũ sit simplex materia, si sola forma est natura, materia verò per se non est natura, sed per formam, quã respicit; orbis enim nullam respicit formã, à qua recipiat esse, sed est materia actu per seipsam: quoniã igitur materia sine forma non potest appellari natura, nõ videtur orbis dici posse natura Cœli, nulla igitur in Cœlo est natura; hoc aũt si verum est, inde inferri videtur, motũ Cœli non esse naturalem, quũ à natura Cœli non proueniat. Ob id non defuêre, qui dixerint, neq; motum Cœli esse naturalem, neq; inesse in Cœlo naturam; quæ Alberti & Scoti, & Durandi opinio fuit: alij verò naturalem quidem esse motum Cœli, & in Cœlo naturam esse asseruerunt, diuersam tamen ab illa, quæ in lib. 2. Physic. definitur:

Opinio dicentium, motum Cœli non esse naturalem.

Opinio dicentium, Cœlum non contineri

sub definitione natura. proinde sub ea definitione naturam cœlicam non contineri. Quibus autem argumentis vtraque secta nitatur, non referam, quia sunt quamplurima, & ea legere quisq; potest apud Benedictum Pereriũ in lib. suo de principijs, vbi & ambo hæc dogmata ritè confutantur, & omnia eorum argumenta tum diligenter exponuntur, tum etiã optimè soluuntur; nam illa, quæ ab alijs rectè tradita sunt, ad libros nostros transferre, vt aliorum scriptis volumen nostrum excrescat, consilij nostri non est, B præsertim quando id fieri non posset absque magna sermonis prolixitate, quod vtrinq; hac in re contingeret. *Opinio vera.* Omissa igitur aduersus eos disputatione, nunc satis nobis sit hanc tanquã veram, & dictis Arist. consentaneã sententiam statuere, motũ Cœli esse naturalem, & in Cœlo talem esse naturam, quæ sub naturæ definitione ab Arist. in 2. Physic. tradita contineatur per quandam similitudinem, & analogiam, quæ Græcorum interpretum, & Auerrois opi- C nio fuit; eamq; ex Arist. satis manifestè sumimus in context. 5. lib. 1. de Cœlo, vbi repetens definitionẽ naturæ in 2. Physic. traditam, motum in illa acceptum diuidit in rectum & circularem; quare asserit in Cœlo esse naturam, & internum principium motus: præterea in eo 1. lib. frequenter motum circularem inquit esse quinto corpori naturalem, & ab eius natura prodeuntem In 1. quoq; cõtext. 3. libri de Cœlo, nominat Cœlum inter corpora natu- D ralia; at naturale est id, quod naturam habet; quare secũdùm Arist. in Cœlo est natura, eaq; talis, cui competat definitio naturæ, quam in context. 3. lib. 2. Physic. auscult. Arist. tradidit. Hoc igitur constituto, modum tantummodo considerare oportet, quo in Cœlo natura insit; quum enim non eadem prorsus ratione, qua in corporib. inferioribus, sit in Cœlo natura, multi in eum errorem ducti sunt, vt dixerint, naturam in Cœlo nõ inesse: hoc igitur E est à nobis in præsentia considerandum.

Quomodo sit in Cœlo Natura, & quomodo Cœli motus dicatur naturalis.

Cap. XI.

Tota huiusce rei difficultas tolletur, si declarauerimus, quomodo proportione quadam, ac similitudine cœlesti corpori illa, quæ de inferiorum natura alibi diximus, accommodentur. Quoniam igitur na- F tura in his inferioribus est forma, quæ distinguitur re à materia, & quatenus est forma, est principium motus actiuum, & quatenus est in materia, est principium motus passiuum, quia facit in materia propensionem ad talem motum recipiendum, non ad alium; materia verò secundùm se nullum respicit determinatũ motum, quum æquè sit apta ad omnes, sed coarctatur à forma, & fit propensa ad statutum motum recipiendum, & hac ratione est principium motus passiuum, non per se, sed per formam, ita vt non duo principia motus passiua dicamus, sed vnũ, dum dicimus formam vt in materia, & materiam vt tali forma præditam; ideò hæc eadem principia in cœlesti corpore quærere vanum est, vbi neq; est forma materiam informans, neq; materia a ctuata, seu perfecta à forma. Attamen quum illa materia iam sit actu existens, & ad certam naturam coarctata, ac determinata, non quidem per formam, sed per semetipsam; de hac idem dicere possumus, atq; etiam debemus, quod de materia inferiorum per formam actuata alibi diximus; si enim materia secũdùm se ad nullum statutum motum propensa est, sed æquè ad omnes, ita vt nullus motus ei violẽtus dici possit; quatenus verò à forma perficitur, & coarctatur, ita propẽsionem adipiscitur ad certum aliquem motum, non ad alium, siquidem talis propensio non potest nisi ab actu prouenire; sic materia Cœli, quum sit iam per se determinata naturæ, propensionem habet ad recipiendum solum motum in orbem, non aliquem alium, & ita est principium motus passiuum; quod idem denotamus, dicendo propriam Cœli formam, hoc est, quidditatẽ, esse in eo principium motus passiuum, prout est quidditas materialis, ita vt illa possit appellari natura Cœli, qua Cœlum est naturaliter mobile in orbem. *Principium motus in cœlo passiuum.* At principium motus actiuum internum in Cœlo nullum est; quum enim in his inferioribus forma secundum se, & quatenus est forma, sit principium motus actiuum, in Cœlo autem nulla sit forma re distincta à materia, non est in Cœlo principium motus actiuum, quod in ipso insitum sit, quia necesse est, re distinctam esse formam à materia, si forma debeat vim habere mouendi: solum igitur passiuum internum motus principium in Cœlo est; sed quia nullum patiẽs ducit se de potestate ad actum, ideoq; omni patienti assignatum est à natura aliquod agens, à quo patiatur, data est Cœlo anima motrix tanquam externum principium quod natura Cœli appellari non potest, cum illo tamen ita conueniens, vt tanto motu sit apta mouere, quanto orbis est aptus moueri, quod significauit pulcherrimè Alexander in 34. context. lib. 12. Metaphys. dicens, eundem in Cœlo esse motum animæ, & naturæ, & animam mouere per mediam naturam; quod postea declarans inquit, naturam in Cœlo esse aptitudinem, & propensionem quandam ad certum motum recipiendũ; ab anima verò tribui ipsum transeundi actum, ad quem orbes sunt per naturam procliues: sic enim dicit in corpore cœlesti insitã esse propensionẽ recipiendi quendam *Non est in cœlo principium actiuum internum.* *Conuenientia intelligentiæ cum orbe.*

dam

dam ſtatutum motum, hæc autem eſt principium motus paſſiuum, & hanc ſolam vocat naturam Cœli, eamque diſtinguit ab anima, tanquam à principio quodam externo, à quo orbis non recipit eſſe: quum ergo diſtinguat in Cœlo animam à natura, & animã dicat eſſe principium actiuum, naturam verò paſſiuum, abſq; dubio nullam in Cœlo naturam ponit, niſi quæ ſit principium motus paſſiuum, quoniam anima illa non eſt Cœli natura; quòd etiam anima animalis mortalis dicatur eiuſdem eſſe natura, id fit, quia eſt forma informans materiam, & dans eſſe animali: at anima Cœli, quum non det eſſe Cœlo, illius natura appellari non poteſt: ad ſignificandum autem proportionem magnam, ac perfectam conuenientiam motoris cum moto, & principij actiui cum paſſiuo, dixit Alexander, eundem eſſe in Cœlo motum animæ, & naturæ, quia eodem motu natura Cœli facit ipſum aptũ moueri, quo anima eſt apta mouere. Hoc idem ex Ariſt. colligitur in 6. context. 2. lib. de Cœlo, vbi dicit, animam cœleſtem mouere Cœlum eo motu, quo ipſum eſt aptũ naturã moueri; quia ſi aliter moueret, quàm ipſum ſit aptum moueri, motus ille eſſet violentus, & anima in mouendo fatigaretur, quia natura Cœli repugnaret, quod mortalibus animalibus euenit: naturam ergo Cœli vocat Ariſt. quiddã diſtinctum ab anima motrice, & eam dicit eſſe paſſiuum tantùm principium, à quo habet orbis naturalem propenſionem, vt tanto motu moueatur. Ex his rationem colligere poſſumus erroris Durandi, qui in 2. lib. Sentent. diſtinct. 14. quæſt. 2. efficaciter tuetur, motum Cœli non eſſe naturalem: id enim, quod eum in errorem duxit, fuit, quòd ſolùm reſpexit principium motus actiuum, quaſi natura nunquam ſit principium paſſiuum, ſed ſem per actiuum, quod tamen negatur expreſsè ab Ariſtotele in contextu 32. libr. 8. Phyſic. quum igitur principium actiuum motus Cœli ſit anima Cœli, quæ non eſt forma dans eſſe Cœlo, quales ſunt animæ animalium mortalium, ipſe cõſtanter negauit motum Cœli fieri à natura; & eius ſententia vera eſt de principio actiuo, quia motus ille non habet tale principium actiuum, quod Cœli poſſit vocari natura. Eſt igitur cœleſti corpori cum his inferioribus & ſimilitudo aliqua, & diſſimilitudo;

Durandi error.

A ſimilia namque in eo ſunt, quòd vtraque habent principium motus paſſiuum internum, quo propenſa ſunt ad ſtatutos quoſdam motus recipiendos, qui ſoli ſunt eis naturales, & hoc in vtriſque eſt materia vt actuata, ſeu forma vt in materia: diſſimilia autem ſunt, quoniam in his inferioribus materia actuatur per formam re diſtinctam ab ipſa, materia verò Cœli per ſemetipſam eſt actu, & per ſe eſt talis determinatæ naturæ: hinc alterum diſcri-

Similitudo, ac diſsimilitudo naturæ cœli cum natura inferiorum.

B men oritur, quòd in his forma eſt etiam principium motus actiuum, quum ſit re diſtincta à materia, in Cœlo autem actus ille non poteſt eſſe principium actiuũ eiuſdem motus, quum non ſit re à materia diſtinctus; quamobrem indiguit Cœlum externo principio, à quo moueretur, ſicuti nauis habet propenſionem, & aptitudinem ad motum nauigationis recipiendum, ſed eget motore externo, à quo moueatur. Motus igitur Cœli eſt verè naturalis,

C quoniam internum eius principium in Cœlo eſt, idque ſatis eſt vt ille motus dici poſſit naturalis; quoniam Ariſtoteles in definitione naturæ indiſtinctè accepit principium motus, ſeu actiuum, ſeu paſſiuum. Ratione autem principij actiui motus Cœli non eſt naturalis propriè loquendo, ſed fit à principio ſupernaturali; tamen per quandam ſimilitudinem dici poteſt hac quoque ratione naturalis; quoniam anima Cœli, etſi non eſt Cœli natura,

Motus Cœli ratione principij actiui, non eſt naturalis, niſi ſecundùm ſimilitudinem.

D mouet tamen ad modum naturæ, & licèt ſecundùm ſuam ſubſtantiam non ſit res naturalis, eſt tamen principium naturale, quia quatenus eſt mouens, eſt cauſa effectus naturalis, & ita pertinens ad ſcientiam naturalem, quod ſignificauit Ariſtoteles in contextu 73 dicens, cœleſtes motores mouere phyſicè, non eſſe tamen res phyſicas. Poſſumus autem hac de re Auerroem legere in Cõment. 5. t. lib. de Cœlo, vbi omnino negat animam cœleſtem eſſe

E Cœli naturam, niſi ſecundùm quandam ſimilitudinem, quatenus ita mouet cœleſte corpus, vt forma materialis, quæ verè eſt natura, mouet corpora inferiora: reuera tamen inquit, ſolam Cœli materiam, vt per ſe actuatam, eſſe naturam Cœli appellandam, & principium motus paſſiuum tantùm, quemadmodum nos modò declarauimus, qui hac in re Auerrois ſententiam ad vnguem ſecuti ſumus.



IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber DE MOTV IGNIS IN ORBEM.

Proponitur quæstio, & solutio Conciliatoris. Cap. I.



QVum totum elementum ignis & magna etiam aëris pars à Cœlo in orbem circumuoluatur, vt ait Aristot. in 1. lib. Meteorolog. idque fiat perpetuò secundùm Arist. qui mundum æternum esse existimauit, sitq; motus ille igni, & aëri præter naturam, quum fiat ab externo principio; dubium maximum de eo apud omnes sectatores Aristot. ortum est, quomodo motus, qui præter naturam est, possit esse perpetuus: quandoquidem Arist. in 15. cont. 1. lib. de Cœlo, dixit ea, quæ sunt præter naturam, citissimè interire; vnde sumitur vulgata illa propositio, nullum violentum potest esse perpetuum, quam etiam apertè pronuntiauit Arist. in contex. 17. lib. 2. Difficultas hæc non leuis est, & interpretibus Arist. magnum negotium facessit, quum pugnare inuicem videantur hæ duæ propositiones; nullum violẽtum est perpetuum; &, ignis perpetuò fertur circa medium: ideò multi ad hanc tollendam difficultatem varia dixerunt. Conciliator in differentia 14, considerans propositionem illam, nullum violentum est perpetuum, inquit, nullam ex ea oriri difficultatem, si intelligatur cum hac limitatione, nisi habeat causam perpetuantem: per hoc igitur soluit dubium de motu ignis in orbem, dicens motum illum & violentum esse, & perpetuum quia causam habet suæ perpetuitatis, nempe motum Cœli perpetuum secundùm Aristotelem; at nisi causam haberet perpetuantem, vtiq; motus ille, quum sit præter naturam, non posset esse perpetuus.

Sententia Conciliatoris.

Impugnatio sententiæ Conciliatoris. Cap. II.

SEd doctissimus iste vir nihil reuera dicit, quod hanc difficultatem tollat, quum rem declaret per semetipsam: docet enim Aristot. in initio 2. lib. Posteriorum Analyticorum, omnem quæstionem esse quæstioné causæ: quærere enim an res aliqua sit, est quærere an detur causa aliqua illius rei; quærere autem cur res illa sit, est quærere quænam sit illa causa vt quærere an Luna obscuretur, est quære- A re an causa aliqua detur obscurationis Lunæ; quærere autem cur Luna obscuretur, est quærere quænam sit illa causa: omnis igitur quæstio est quæstio causæ, etiam illa, qua quæritur an res sit; siquidem quicquid est, causam aliquam habet, qua est: quãdo igitur quærimus, an detur aliquod violẽtum perpetuum, quærimus an detur aliqua causa perpetuitatis violenti, si verum est id, quod ab Aristotele ibi de quæstionibus traditur; ideo quando Conciliator inquit, esse tunc violentum perpetuum, B quando causam habet suæ perpetuitatis, perinde est ac si dicat, dari tunc violentum perpetuum, quando datur violentum perpetuum; seu tunc dari causam vt violentum sit perpetuum, quando datur causa vt violentũ sit perpetuum: quare Conciliator ad hanc difficultatem nihil reuera dicit, sed propositionem prædictam limitat per semetipsam.

Primum argumentum.

Præterea si hæc solutio admittatur, nullius momenti C redditur ratio Arist. in contextu. 17. libri 2. de Cœlo: quando enim rationem adducens cur motus Cœli sit naturalis, inquit, nisi esset naturalis, non posset esse perpetuus, quia nullum præter naturam est sempiternum; rationem hanc facilè soluere possemus, dicẽdo motum Cœli esse præter naturam, perpetuum tamen, quia causam habet æternam suæ perpetuitatis. Sed huius viri error tunc clarè inspicietur, quando rationem cognouerimus, cur nequeat D violentum perpetuari; nam si repugnat violento perpetuitas, nulla est causa, quæ ipsum perpetuare possit.

Secundum.

Multorum communis opinio. Cap. III.

EST communis multorum sententia, quòd dubium hoc soluatur per distinctionem violenti: duplex enim est violentum; vnum quod est contrarium naturali, & inimicũ naturæ illius rei, cui dicitur violentũ; alterum E verò, quod neq; naturale est, neq; contrarium naturæ, sed medium inter hæc: dicunt igitur propositionem illam Aristot. nullum violentum est perpetuum, veram esse de illo violento, quod est contrarium naturali, cuiusmodi esse negant motum ignis, & aëris in orbem; hunc enim inquiunt, neq; naturalem esse his elementis, neq; contrarium naturæ ipsorum, sed medium inter naturalem & cõtrarium naturæ.

Violentum est duplex.

Motus medius inter naturalem, & violentum.

turæ, proinde posse esse perpetuum. Hunc motum medium inter naturalem, & verè violentum posuit Auerroes in comment. 20 lib. 3. de Cœlo, & in 2. Meteorolog. cap. 2. vbi dicit, motum ignis, & aeris circa medium non esse naturalem, neq; violentũ, sed medio modo se habere: hunc etiã posuit Thomas in context. 10. lib. 1. de Cœlo, dicens motum ignis in orbem nec esse secundùm naturam, nec contra naturam, sed supra naturam. Eiusdem etiam mentionẽ facit Simplicius passim in libris de Cœlo, vt ibi videre est; eius enim verba nõ refero.

Argumentatio Zimaræ contra communem sententiam, & eius opinio. Cap. IV.

ADuersus hanc cõmunem opinionem aliqui inuehuntur. Primùm quidem Zimara in suo Theoremate 19. vbi omnino negat motum illum medium inter naturalem, & violentum, ipsumq; euertere nititur. Obijcit primò authoritatem Aristotelis, qui nullibi mentionem huius medij fecit, neque alium motum cognouit, quàm naturalẽ, & violentum, sumendo violentum pro eo, qui est contrarius naturali; nam in 7. lib. Physic. auscult. inquit, omnem motum vel ab interno, vel ab externo principio fieri, & illum esse naturalem, hunc autem violentum, quem etiam diuidit in pulsionem, tractationem, vectionẽ, & vertiginem. In 3. etiam lib. de Moribus ad Nicomachum, definiens Aristoteles violentũ, inquit esse illud, cuius principium extra est, quare omnis motus factus ab externo principio apud Aristot. eiusdem est conditionis, & eodem modo violentus, proinde etiam motus ignis circa medium est eiusmodi. Præterea in contex. 76. & 77. lib. 1. de Cœlo, probare volens Aristoteles vnum tantùm esse mundum, inter alia fundamenta hoc statuit, omnia, quæ mouentur, aut moueri naturá, aut violentiá; at si tertius ille medius motus daretur, ratio illa Aristot. facilè solui posset, negando hanc esse sufficientem enumerationem, vt argumentum illud Arist. considerantibus manifestum est. Hac igitur sentẽtia reiectã, propriam ipse profert, quæ est; per se nullum violentum potest esse perpetuum, per accidens tamen potest violentum perpetuari; intelligit autem per se illud, quod est ex consilio & intentione agentis per accidens verò, quod præter agentis consilium: quoniam igitur (inquit) nulla causa sibi proponit efficiendum effectum violentum, qui perpetuò duraturus sit, ideò per se nullum datur violentum perpetuum; nam Cœlum quoq; dum mouetur, & ignem mouet, non id spectat, vt ignem perpetuò circumferat, quare nõ per se effectum illum perpetuum producit; circũuoluitur tamen ignis perpetuò præter cõsilium agentis, ideoq; per accidens; quia quum oportuerit in ipso Cœli

Primum argumentum.

Secundum.

Zimaræ opinio.

A contractu esse elementum ignis, accidit igni hæc necessitas, vt simul cum Cœlo circumferatur: per se igitur nullum violentum est perpetuum, per accidẽs tamen potest aliquod violentum perpetuari.

Impugnatio sententiæ, & solutio argumentorum Zimaræ. Cap. V.

HAec Zimaræ opinio recipienda non est, & maximè refellitur ea ipsa ratione, B qua motus videtur Aristoteles ad dicendum, nullũ violentum posse esse perpetuum; nulla enim alia ratione magis ductus esse videtur, quàm hac, quia violentũ est contrarium naturæ, contraria verò inter se pugnant, seq; mutuò interimere nituntur; necesse est igitur, vt id, quod est cõtrarium naturæ, illam oppugnet, & illa contrà repugnet, quia quælibet res nititur se conseruare: & ea pugna non potest esse perpetua, quoniam alterum cõtrariorum C tandem vincere, ac pellere alterũ necesse est: vel enim ipsa rei natura id, quod ipsi contrariũ est, tandem repellit, vel succumbit, & à contrario oppugnante opprimitur, atque interimitur; horum autem vtrumlibet eueniat, non potest illa violentia perpetuari, quum vel ipsa tollatur superato contrario, vel rei natura interempta, desinat illud esse contra naturam, quum nulla ampliùs eiusce rei natura existat: hoc respiciens Auerroes in comment. 17. lib. 2. D de Cœlo, dixit non dari violentũ absq; naturali; quia necesse est, vt id, quod est præter naturam, præsupponat ipsam naturam. quoniam igitur non potest aliquid dici contrarium naturæ, nisi existẽte illa natura, fieri nullo modo potest, vt aliquid violentum, & contrarium naturæ perpetuetur; siquidem pugna, vti diximus, non potest esse perpetua. Si hæc est vera ratio, cur nullum violentum perpetuari queat, sententia Zimaræ defendi non potest: quum E enim apud ipsum nõ detur motus medius, sed omnis motus vel fit secundùm naturã, vel contra naturam, motus ignis in orbem, quum secundùm naturam dici nequeat, quia fit ab externo, non ab interno principio, erit ergo contra naturam; itaq; vel à natura ignis tandem expelletur, vel ipsam oppugnabit, ac perimet; atqui repelli non potest, quum fiat ab agente æterno, & impatibili; ipse igitur tandem superabit, ac perdet naturam ignis, si est illi con- F trarius; fieri enim non potest, vt ignis sub illa affectione suæ naturæ contraria seruari perpetuò possit: perempta autem ignis natura motus ille non potest amplius dici violentus, & præter naturã igni, immò neq; appellari amplius poterit motus ignis, nullo existẽte ignis perpetuus igitur motus ille esse non potest, si est cõtra naturam ignis: quòd si infitietur Zimara, motũ illum pugnare cum natura ignis, & illi esse cõtrarium, iam fatetur motum medium, quem negauerat: quid enim est motus medius, nisi ille, qui neque à rei natura proue-

Nota rationẽ cur nullũ violentum possit esse perpetuum.

Primum argumẽtum contra Zimarã.

nit,neque illi contrarius est? vanum etiam est illud, quod Zimara dicit, motum ignis in orbem perpetuari per accidens,quia præter consilium mouentis;nam vt ei condonemus,motum illum esse præter agentis consilium, non ob id possibilis redditur eius perpetuatio, si est contrarius naturæ ignis: nam ratio nunc à nobis adducta demonstrat necessarium esse, vt vel natura ignis succumbat, ac pereat, vel motum illum repellat, tanquam sibi contrarium: nullius igitur momenti est consilium agentis, quia siue ex eius consilio, siue præter eius consilium circumferatur ignis, non potest perpetuò circumduci, si motus ille est ipsius naturæ contrarius.

Secundum.

Patet etiam opinionem hanc Zimaræ euertere argumentum Aristotelis in contex. 15. lib. 1. de Cœlo, & in 17. lib. 2. quando dicit; motus Cœli est naturalis, quia nullum præter naturam est sempiternum: solui enim posset argumentum hoc, dicendo motum Cœli esse præter naturam, æternum tamen, quia perpetuatur per accidēs, & præter cōsilium mouentis.

Tertium.

Sed reuera nullo pacto admittendum est id, quod Zimara dicit, circunductionem ignis fieri præter consilium mouentis, nisi etiam dicamus, cœlestia corpora regere per accidens hæc inferiora, & hoc regimen esse præter illorum consilium: hoc tamen minimè dicendum est, quia (vt Auerroes ait in comment. 17. lib. 1. de Cœlo) gubernare inferiorem mundum est finis cœlestium corporum, saltem secundarius, quod idem etiam ex Aristotele sumitur in 2. cap. libri 1. Meteorologicorum, & quisquis hoc neger, negat necessarium rerū ordinem, & connexum in vniuerso: quum igitur necessarium omnino sit his inferioribus gubernari à superioribus, à quibus & producuntur, & conseruantur, necesse est, vt ex naturæ consilio, non præter consilium, inferiora corpora à superioribus moueantur, atque regantur: peculiariter autem de duobus elementis igni & aere ibidem cap. 4. ab Aristotele hoc declaratur, dum dicit elementa calida à motu Cœli habere calorem, & ita conseruari; nisi enim circumferretur ignis à Cœlo, non posset eius natura seruari; itaq; si motus ille in orbem conseruat naturam ignis, vt mox declarabimus; Cœlestium autem corporum finis est regere, & conseruare hæc inferiora; necesse est ex eorum consilio fieri, vt ignis perpetuò circa medium feratur, quare non est per accidens, vt Zimara dicit.

Quartum.

Ad argumenta Zimaræ facilè est respondere: dico enim Aristotelem in 7. Physicorū lata significatione sumere motum violentum pro omni motu, qui fiat ab externo principio; ideò ibi nomine violenti non solùm ille intelligitur, qui est contrarius naturæ moti, & cum eis repugnantia, sed etiam ille, qui fit neq; repugnante, neq; vim conferente mobili, qualis est in igne motus in orbē; quapropter concedam illū reduci ad tractionem, vel ad vertiginem. Sic etiam in 3. lib. de Moribus sumitur latè violentum pro omni habente principium extrà, quamobrem ea definitione comprehenditur non solùm motus contrarius naturæ, sed etiam ille, qui inter naturalem & naturæ contrarium medius est.

Ad primum Zimaræ argumentum.

Idcircò non est ignorandum, quòd propriè loquēdo latiùs patet violentum, quàm cōtra naturam: nam violentum vocatur id omne, quod fit ab externo principio absq; vlla ope naturæ recipientis; at contra naturam dicitur illud solum, quod est inimicum naturæ, proinde est cum repugnantia patientis; in vsu tamen est positū, vt sumatur violentum pro eo, quod est cōtrarium naturæ, & hæc duo idem significent.

Violentum est communius, quàm cōtra naturam.

Argumentum quoq; sumptum ex cōtex. 76. 77. lib. 1. de Cœlo, leue est, quoniam Aristot. in toto libro illo de solis simplicibus motib. loquitur: quare ex his solis argumentum sumit ad mundi vnitatem probandam; simplex autem motus non potest esse medius inter naturalē, & contrarium naturæ, sed necessariò vel naturalis est, vel naturæ contrarius, vt in eorum librorum interpretatione demōstrauimus: motus autē ignis circa medium non est simplex, sed mistus, vt Auerroes ait, & vt considerantibus manifestum est; quum enim non fiat absque cōfusione, ac perturbatione partium, non seruatur in his perpetua æquidistantia à centro mundi: rectè igitur Aristoteles dixit, omnia, quæ mouentur, nempe simplici motu, aut moueri natura, aut contra naturam. Vana igitur esse argumēta Zimaræ, manifestum est.

Ad secundum.

Motus simplex non potest esse medium inter naturalē & contrarium naturæ.

Aliorum argumentatio contra eandem communem sententiam, & ipsorum opinio. Cap. VI.

ALij verò hanc eandem cōmunem sententiam alia ratione oppugnare nituntur: nam motum quidem illum medium, quem negabat Zimara, ipsi concedunt, tamen dicūt, illam Aristotelis propositionem, nullum violentum esse perpetuum, de hoc quoque veram esse, non solùm de illo, qui est contrarius naturæ, ita vt vniuersè vera sit de omni motu, qui non fit secundùm naturam: siue enim sit contrarius naturæ, siue medius inter naturalem, & contrarium naturali, non potest esse perpetuus; cum hoc tamen discrimine, quòd de illo, qui est contrarius naturali, absolutè, & absq; vlla distinctione dicendum est, ipsum non posse perpetuari: ratio namq; iam à nobis adducta hoc demōstrat, quoniam perseuerantibus in pugna duobus contrarijs, necesse est, vt tandem alterum deficiat, atque succumbat: de motu autem medio, qui non est contrarius naturali, qualis est motus ignis in orbem, dicunt nō absolutè veram esse propositionem, sed cum quadam distinctione: potest enim considerari duobus modis; vno modo vt relatus ad ignem, in quo inest; quoniam

niam enim est præter naturam ipsius ignis, hac ratione notat quandam extraneitatem a statu naturali; neque est aptus perpetuari, quia tale nihil est perpetuum; altero modo considera: i potest vt relatus ad causam, à qua producitur; quum enim producatur à Cœlo, & sit ipsemet Cœli motus, qui enim elementis per contactum cómunicatur, hac ratione potest esse perpetuus; quoniam enim naturæ ignis non est contrarius, neque illi repugnat, necesse est si Cœlum semper mouetur; vt ipse B quoque ignis semper moueatur; siquidem fieri non potest, quin Cœlum tangens ignem circumferat ipsum perpetuò, si ipsum quoq; perpetuò circumfertur. Comprobant hi hanc suam opinionem considerando ea, quę dicuntur ab Aristot. in context. 17. lib. 2. de Cœlo, vbi dicitur motus Cœli esse secundùm naturam, quia est sempiternus; nullum enim, quod sit præter naturam, est sempiternum: sumit autem ibi Aristoteles præter naturam latè, pro. C ut complectitur etiam illud, quod non est contrarium naturæ; quia ratio, quam statim ad hoc probandum subiungit, non minùs de hoc probat, quàm de illo, quod est cótrarium naturæ; nam affert Aristoteles hanc rationem, quia id, quod est præter naturam, est posterius naturali, hæc autem est communis conditio vtriusque violenti, quia naturale est prius omni accidentali, tam eo, quod est contrarium, quàm eo, quod non est contrarium: quemad- D modum enim dicere non possumus aliquid esse contra naturam ignis, nisi præsupposita ignis natura; ita nec supra naturam, nec vllo modo præter naturam; nisi eam ipsam naturam præsupponamus.

Argumentū aliorum.

Dicta sententiæ confutatio.

Cap. VII.

Hanc sententiam ego ab Aristotele alienam esse puto, veram autem communem multorum opinionem, à qua isti E recesserunt. Primùm quidem videntur incidere in sententiam Conciliatoris, quam ipsimet confutauerant: nam dicere nullum productum ab externo principio esse perpetuum secundùm se, posse tamen à sua causa perpetuari, est dicere, nullum violentum esse perpetuum, nisi causam aliquam habeat suæ perpetuitatis, quæ Cóciliatoris opinio fuit. Præterea quando dicitur, motum ignis in orbem F esse per se corruptibilem, quærendum ab eis est, qua potentia dicant ipsum esse aptum deficere, an naturali potentia, an logica: si dicant naturali, necesse est, vt aliquando definat motus ille, quoniam potentia naturalis non potest esse frustra, sed necessarium omnino est eam aliquando duci ad actum; non potest igitur ab vlla externa causa perpetuari, sicuti non potest Cœlum facere, vt hic equus seruetur æternus, si naturalem habet potentiam ad interitum: si verò dicant potentiam logicam, vt dicere videntur, ab hac non potest ille motus nominari corruptibilis, quoniam à potentia logica non sumitur alicuius rei nominatio, sed ab actu; homo enim quatenus est animal, habet potentiam logicam vt sit asinus; dicimus enim homini quatenus animali non repugnare esse asino, non tamen ob id licet hominem appellare asinum, sed vocatur homo, quia est actu homo: sic itaque nec motum ignis in orbem possumus ex potentia logica vocare corruptibilem, sed ab actu est vocandus æternus, quum reipsa æternus sit. Aristoteles igitur non rectè loqueretur, dicens omne violentum esse corruptibile, si daretur aliquod violentum æternum: ipsa quoque Aristotelis verba indicant, ipsum non potentiam logicam respicere, sed actum, quum dicat [*videntur quæ sunt præter naturam, citissimè interire*] nam verbum *φαίνεται*, significat apparere, & esse euidens, quòd id, quod est præter naturam, citò interit; itaque denotat in omni violento necessarium esse, vt naturalis potentia intereundi ducatur aliquando ad actum. Efficacissimum quoque argumentum contra hanc sententiam sumitur ex ijs ipsis Aristotelis verbis in contex. 17. lib. 2. de Cœlo, è quibus eisdem hi quoque argumentum sumpserunt: quum enim Aristoteles ibi quoque dicat, nullum præter naturam esse perpetuum, non potest intelligere aliud præter naturam, quàm id solum, quod est contrarium naturali; quod ostendo tum ex ipso Cœlo, de quo ibi Aristoteles loquitur, tum ex eius motu, quem solum ibi considerat, tum demum ex argumento quod ad eius sententiæ comprobationem adducit: primùm quidem si Cœlum ipsum consideremus, non potest eius motus dici supra naturam; quum enim aliud Cœlo superius corpus, à quo motus ille cum Cœlo communicetur, non cognoscamus, non potest ille motus nisi contra naturam esse, si non est secundùm naturam: si verò motum Cœli spectemus, de quo solo ibi sermo est, is non est nisi simplex; ergo nisi sit naturalis, necesse est vt sit contrarius naturæ; quia motus simplex non potest medio modo se habere, sed necessariò vel naturalis est, vel contrarius naturali: ratio quoque ab Aristot. ibi adducta declarat ipsum non de alio præter naturam motu ibi loqui, quàm de illo, qui est contrarius naturæ, inquit enim, id, quod est præter naturam, esse posterius naturali, & esse quandam extinctionem, seu remotionem à statu naturali; atqui res è suo naturali statu non remouetur, nisi per pugnam, nec pugna est sine contrarietate; loquitur ergo de illo motu, qui est contrarius naturæ: quòd autem ratio illa Aristotelis aptari non possit motui ignis in orbé, vt isti imaginantur, mox luce clariùs ostendemus, & totam rei veritatem patefaciemus; is enim reuera neq; posterior motu ignis naturali dici potest, neque remotio ignis è propria

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

natura horũ igitur opinio recipienda non est: attamen communis quoq; sententia in quam isti inuecti sunt, non vacat omnino reprehensione, vt mox veritate cognita manifestũ fiet.

Veritatis declaratio de motu ignis in orbem. Cap. IIX.

VT huiusce rei veritas plenè intelligatur, sciendum est ex Aristotele in 4 Physicorum, & in 4. de Cœlo, sublunaria corpora esse in loco, & locũ requirere ob eorum imperfectionem: propria enim, quam habent, interna perfectio ad eorum conseruationem non sufficit, sed egent conseruante externo, proinde est eis necessarius locus, ad hunc igitur singula mouentur suapte natura, quia cupiunt conseruari; terra, si in superiu loco sit, deorsum fertur, & centrum petit; ignis in hac infera parte genitus fertur propria vi ad concauum orbis Lunæ, quia non hîc, sed ibi conseruatur: ideò Aristoteles in context 22. & 23 libri 4. de Cœlo inquit, grauia & leuia ferri ad propium locum, tanquam ad perfectionem, & formam; locum enim iure formam vocat, quia instar formæ est, quum suppleat id, quod forma interna præstare non potest; hæc enim dat rei esse, & ipsam constituit, sed ipsa per se non potest eam diu conseruare; locus autem tanquam altera forma externa, per vim, quam habet, conseruatricem locati, conseruat rem in sua naturali constitutione: hinc colligimus, locum esse quiddam natura prius locato, & eius causam, vt asserit clarè Arist in 4 Physic. quum sit tanquam causa motus ad locum, & ipsius locati conseruatrix: sed considerandum est, quænam sit hęc vis conseruatrix, quam inesse loco dicimus: tria quidem inferiora elementa si spectemus, dicere possumus, vim hãc in symbola qualitate consistere, vt Arist. in dicto loco lib. 4 de Cœlo significare videtur: at de igne secus sese res habet; non enim possumus ad symbolam qualitatẽ confugere, quum nulla adsit symbola qualitas, quæ cœlesti corpori communis cum inferioribus dici possit: est autem Aristotelis sententia, Cœlum in hęc inferiora non agere, nisi lumine, & motu: quare si agendo in ignem conseruat ipsum, necesse est vi vel lumine agat, vel motu, vel ambobus simul: atqui lumine non potest, quia radij stellarum non videntur operari, nisi in hac inferiore mundi parte, in terra, & in aqua, & hac infima aëris regione; propterea quòd non agunt, nisi percutientes, & fracti, & repercussi, & quodammodo duplicati; rectà enim progredientes vel nullam, vel insensilem vim agendi habent; patet enim mediam aëris regionem ex transitu radiorum Solis non calefieri, sed manere valde frigidam, quia radij à terra repercussi, istuc non perueniunt: eadem igitur ratione in elemento ignis nil agunt radij, quòd ignem omnium corporum calidissimum conseruare posse videatur; solus itaque

Locus datus est corporib. ob eorum imperfectionẽ.

Cur sub Cœlo conseruetur ignis.

A motus relinquitur, quo ignem à Cœlo conseruari dicamus: eaq; est sententia Aristot. clara in lib 1. Meteorol. cap. 4 vbi dicit, elementa calida esse calida à motu Cœli, & ab eodem conseruari in suo naturali calore; motus enim rapidissimus vim habet dissipandi, attenuandi, & rarefaciendi, proinde & calefaciendi; motus enim per attenuationem, & attritionem partium gignit calorem, vt Aristot. ait in contex. 42. lib. 2. de Cœlo: idq; ab Auerroe ibi optimè declaratur, qui etiam dicit, motum esse B perfectionem calidi, quæ propositio malè intellecta, plures turbauit; sed omnia dubia soluimus dicendo eam esse sumendam, non in sensu formali, sed in causali; motus enim dat perfectionem calido, quatenus est calidum, quia calorem conseruat, qui sine motu non seruaretur; radix enim formalis omnis caloris in hoc mundo inferiore est elementum ignis, qui omnium calidissimus est & sub igne C aër positus est mediocriter calidus, cætera vero omnia per horum participationem sunt calida: hæc autem elementa non conseruarentur calida, nisi per actionem cœlestem; ignis enim (vt inquit ibi Auerroes) nisi moueatur, extinguitur, ac perit: in Epitome quoq; Metaphysica, tract. 4 cap. 13. inquit Auerroes, elementa producta esse ex necessitate à magno motu: quia propium est motus facere calorem, & hunc insequitur leuitas, quæ est ignis D natura: priuationem autem cœlestis motus insequitur frigus, & grauitas. Ignis igitur elementorum calidissimus à Cœlo in suo naturali statu conseruatur per motum in orbem, qui cum ipso igne semper, & absque vlla intermissione à Cœlo cõmunicatur: vnde colligimus, motum illum ignis non simplicem esse, sed mistum, vt antea dicebamus; nam si esset verè simplex, & nullum partium ascensum, vel descensum haberet, nulla earum atE tritio fieret, proinde neque calor; quum igitur attritio ibi, & calor fiat, mistum esse motum necesse est. Colligimus præterea rationem, cur motus ille sit medius inter motum ignis naturalem, & motum contrarium naturali: etenim non est naturalis, sumendo naturalem pro eo, qui fit ab interno principio; non est etiam ita præter naturam, vt naturam oppugnet, ac lædat, quum potiùs eam foueat atq; conseruet; sed est modo aliquo similis vF trique: quatenus enim non ab interno principio fit, sed ab externo, catenus similis est motui violento. ea tamen est violentia ad conseruandum illata, non ad interimendum, sicuti quando pater vim infert filio, vt erudiatur, & addiscat: quatenus verò est conseruatiuus naturæ ignis, quæ sine ipso non conseruaretur, ea ratione videtur potiùs appellandus secundùm naturam, quàm pręter naturam; nam externum quidem est eius principium, sed tale, quod ad conseruandum ignem efficit illud, quod ipsa ignis natura sibi præstare potis non

Motus est calidi perfectio.

Motus ignis in orbem non est simplex.

est,

est; quoniam illi formæ nulla alia vis data est à natura, nisi mouendi à medio; simplex enim natura vnum tãtùm motum efficere apta est, non plures: ob id motus ignis in orbem à quibusdam vocatur potiùs supra naturam, quàm secundùm naturam, vel prçter naturam; est enim quoddam excedens naturam ignis, amicum tamen, atque conseruans. Ab hac autem nostra sententia non videntur alieni fuisse illi prisci Philosophi, qui dixêre, motum elementorum naturalem esse illum, qui in orbem fit;

Priscorũ sententia de motu elementorũ naturali.

B viderunt enim hoc motu elementa superiora conseruari, & particulas ignis apud nos genitas ideò ascendere, vt cum toto ignis elemento circunductæ conseruentur: ex hoc enim iudicarunt, magis esse præcipuum in elementis motum in orbẽ, quàm motum rectum. quum viderent eum elementis competere jam integram suam naturam, & perfectionẽ obtinentibus, rectum verò in illis non dari, nisi vt constitutis in statu imperfectionis, & existentibus C extra sua loca naturalia; ideò enim dixerũt naturaliorem esse igni motum in orbem, quàm motum rectum, propterea quòd quãdo ignis ad locum suum peruenit, totamq; suam perfectionem adeptus est, desinit rectà moueri, & solo in orbẽ motu cietur, absq; vlla intermissione. Aristoteles verò rem hanc diligentiùs considerasse videtur: nam constituta definitione naturæ, quam in initio lib. 2 Phys. legimus, non potuit alium motum appellare elemẽtis naturalem, D quàm illum, qui ab interno principio prouenit, qui est solus motus rectus; nec ob id negauit motum quoq; in orbem esse elementis alio modo naturalem, quatenus est conseruatiuus naturæ. sed significare visus est, hunc rectiùs vocari supra naturam, quàm secundùm naturam, vel prçter naturam, vt colligimus ex 4. cap lib. 1 Meteorolog. vbi dicit elementa calida conseruari à motu circulari, quo participant: in 4. etiam libro de Cœlo, E dicens elementa moueri ad locum suum tanquam ad formam, hoc idem significauit; mouetur enim singulum elementum ad elementum continens, a quo per symbolam qualitatem conseruatur; ignis verò fertur ad orbem Lunæ, & ad concauum Cœli, tanquam ad symbolam qualitatẽ, quam Cœlum habet, nõ quidem vt formam, sed vt virtutem; est enim virtute calidum, quatenus vim habet efficiẽdi in elementis calorẽ per motum; illuc igitur fertur F ignis, tanquam ad conseruans, quia conseruare calorẽ, est ipsam ignis naturã conseruare.

Motus circularis quomodo sit elementis naturalis.

Collectio errorum omnium aliorum.

Cap. IX.

HAEc igitur est illius motus conditio, quo ignis à Cœlo circumuoluitur, non plene (vt videtur) ab alijs declarata: nam si aliorum sententias benè perpendamus, omnes in aliquo defecisse videntur. Primùm quidem deceptus est Conciliator, non distinguẽs

Error Conciliatoris.

A motũ hunc à cæteris, quos appellare solemus violẽtos, & contrarios naturæ. In eundem errorem incidit etiam Zimara, negans motum hunc medium inter naturalem, & contrarium naturali, & putans omnes motus, qui non sint naturales, eiusdem esse conditionis, & eadem ratione dici violentos; quum ex huius motus conditionibus pateat, eum neq; esse naturalem. neq; contrarium naturæ, sed medium, & aliqua ex parte similem vtriq;, quo fit, vt non contineatur sub illa Aristotelis propositione, nullum violẽtum perpetuum, quum hic possit esse perpetuus, quippe qui non est contrarius naturæ ignis, neq; illam oppugnat. Errârunt etiam illi posteriores, qui motum hunc medium concedentes, dixêre veram de hac quoq; esse illam Arist. propositionem, quatenus ipse secundùm se denotat quãdam extraneitatẽ, ratione cuius ei non conuenit perpetuitas: hi namq; ignorasse videntur, quomodo hic motus sit dicẽdus medius, & id solum spectantes, quòd huius motus principium extrà est, dixerunt eum igni & aëri extraneum, & accidentalem esse, & hac ratione corruptibilem quasi verò omne externum sit accidentale rei, cui externum dicitur; quod quidem est manifestè falsum; duæ namq; sunt causæ externæ, efficiens & finis, quæ tamen ad rem, cuius sunt causæ, habent essentialem respectum, & de illa per se prædicantur iuxta quartum modum dicendi per se. Quum igitur hic motus sit instrumentum quoddam causæ superioris ad hæc elementa conseruanda, & hac ratione sit causa effectrix conseruans instrumẽtaria, non est motus extraneus, id est, accidentalis, sed potiùs necessarius; proinde cessat ratio, qua dici possit per se corruptibilis. Errarunt etiam isti abutendo argumẽto Aristot. in contex. 17. lib. 2. de Cœlo, quod si bene intelligatur, nullum habet locum in motu ignis in orbem: nam reddẽs ibi rationem Aristot. cur id, quod est præter naturam, non possit esse perpetuum, dixit, quia est posterius illo, quod est secundùm naturã & est egressio, & excessus à statu naturali; at motus ignis in orbem non est huiusmodi; non est enim posterior motu ignis naturali, immò neq; igne ipso; quatenus enim est causa conseruans naturam ignis, apta etiam ignem generare. si ibi ignis non esset, eatenus est prior: si verò consideratur cum motu ignis à medio, absq; dubio est illo prior tanquam causa finalis; nam ignis ideò superum locum petit, vt ibi cum toto elemento circũuoluatur, & ita à loco conseruetur, quum ipse proprijs virib. se cõseruare nequeat: propterea id, quod dici solet, elementa ad sua loca moueri, vt in illis quiescant, & ita quietem esse finem motus eorum naturalis, sano modo est intelligẽdum; est enim absolutè verum de terra, cuius conseruatio consistit in priuatione motus cœlestis, qui ad locum infimum non peruenit, ideo ad eum locum fertur ter-

Error Zimaræ.

Error aliorũ posteriorum.

Quies quomodo sit causa finalis motus.

ra, vt ibi omnino quiescat; idq; protulit clarè Arist. lib. 1. Meteorolog. cap. 4. dicens elementa frigida conseruari per immobilitatem, hoc est, per quietem in loco suo, & remotionem à motu cœlesti: de igne autem, & de aere non est absolutè intelligendum, sed potiùs secundùm quid; nam post motum à medio quiescit ignis respectu illius motus, quia desinit ascendere, & in suo loco manet, absolutè tamen non quiescit, quia mouetur in orbem, vt conseruetur, & nisi moueatur, extinguitur. Patet igitur, huic motui non competere priorem conditionem motus præter naturam, quam ibi Aristoteles adduxit; non est enim posterior motu ignis naturali, sed multò minùs ei competit altera; tantum enim abest, vt motus ille sit recessio ignis a sua natura, & ipsi læsionem aliquam inferat, vt potiùs naturam ignis foueat, atq; conseruet, quæ sine ipso periret. Manifestissimum ergo est, Aristotelem eo in loco sumere præter naturam pro eo tantùm, quod est inimicum, & contrarium naturæ; hoc enim distrahit rem à sua naturali constitutione, & ad interitũ ducit, quia pugnat cum natura rei; ob id negat Aristot. hoc posse esse sempiternum: & ita locum illum interpretatur Auerroes; sic etiam in context. 15. lib. 1. de Cœlo Aristoteles non de alio violento motu loquitur, quàm de illo, qui est contrarius naturæ; solos enim ibi considerat simplices motus, qui non possunt esse nisi naturales, vel contrarij naturæ, sicut antea diximus: motum igitur medium inter naturalem, & cõtrarium naturali Aristot. in ea parte non considerat, quia hic non potest esse nisi mistus, de quo ibi nõ est sermo, huiusmodi autem est motus ignis in orbem, quare de hoc Aristot. nunquã loquitur, quando in libris de Cœlo dicit, motum præter naturam non posse esse perpetuũ.

Error opinionis communis.

Communis quoq; sententia, in quam illi inuecti sunt, & quam nos veriorem esse diximus, non penitùs errore vacat; nam in eo quidem verissima est, quòd ponat motum medium inter naturalem, & contrarium naturali, & talem esse asserit motum ignis circa medium, & ad hunc non extendi propositionem illam Aristotelis, nullum violentum est perpetuum, sed de solo motu contrario naturæ fuisse ab Aristot. pronunciatum: in hoc tamen hi quoq; defecisse videntur, quòd sine vlla motus medij distinctione, & absque cognitione propriarũ huius motus conditionũ eam sententiam protulerunt; nam absolutè dicentes propositionem Arist. in motu medio locum non habere, sic putârunt sublatam esse hac in re omnem difficultatem; quam ob rem quo pacto motus ignis in orbem sit medius, non videntur intellexisse.

Medium inter extrema est duplex.

Nos autem dicimus, medium inter extrema duplex esse; vnum per participationem extremorum, quale est tepidum inter calidum & frigidum; alterum per negationem extremorum, cuiusmodi est la-

A pis inter cæcum, & videns, de quo vtroque genere medij si indistinctè pronũtient, ipsum posse esse perpetuum, falluntur, quia motus medius per participationem extremorum non potest esse perpetuus: si quid enim ita sit violentum, & præter naturam, vt non sit extremè contrarium naturali, sed mediocriter, tanquam medium per extremorũ participationẽ, hoc aliquam habet cõtrarietatem cum natura; proinde necesse est, vt pugna fiat natu-

B ræ cũ illo, & tandem alterum succũbat, & pereat; nam summè calidum læditur non solùm à frigido, sed etiam à tepido, & ab hoc distrahitur è sua natura: ideò in hoc quoq; locum habet ratio Arist. prædicta, quoniam necessarium est, vt pugna fiat, nõ solùm extremi cum extremo, sed etiam cum medio: ideò illa propositio, nullum violentum est perpetuum, vera est de omni violento, quod sit contrarium naturæ, siue extremè, siue mediocriter,

C quia vtrumque naturam oppugnat. De medio autem per negationem extremorum propositio Aristotel. vera non est, nec de eo prolata fuit, quoniam argumentum Aristot. de hoc nullam habet efficacitatem; talis autem est motus ignis in orbem; non enim constat ex ascensu, & descensu, sed est solummodo circa medium; propriè namque ascensus dicitur, quando ignis à loco alieno ad locum proprium transit, isq; est ipsi motus naturalis; sic

D descensus propriè dicitur, quando ignis transit à loco proprio ad alienum, & hic est ita violentus, vt sit contrarius naturæ ignis, & eam lædat, extremè quidem contrarius, si descendat ad locum terræ, mediocriter verò, si ad locum aëris; sed neq; in loco terræ, neq; in loco aëris potest ignis diu conseruari, quia in vtrolibet detinetur violenter, & cum læsione naturæ; nam etiam locus aëris est igni præter naturam, licèt mediocriter; constat enim quo-

E dammodo ex conditionibus loci naturalis, & loci extremè contrarij, quum sit extra proprium locum ignis, sed non sit ab eo valde remotus.

Ignis in sua sphæra non propriè dicitur ascendere vel descendere.

In sphæra autem propria quum circumfertur ignis, licèt is non sit motus in orbem simplex, qualis est motus Cœli, sed cum agitatione ac perturbatione partium, non est tamen cum mutatione loci naturalis, sed censendus est solummodò circa medium, non ad medium, neq; a medio: quamuis enim fiat ibi

F aliquis ascensus, ac descensus partium, ratione distantiæ a centro, nullus tamen fit ascensus, vel descensus ratione qualitatis & virtutis, quia totus ignis in suo loco manens circa medium voluitur; nisi fortasse aliqua eius particula aëri propinqua ad locum aëris demittatur, quod quidem fit per accidens, nam scopus illius agentis cœlestis in hoc inferiori mundi regimine est elementum ignis conseruare per motum, non aliquam eius partem interimere. Hic autem motus, licèt medius inter naturalem, & contrarium naturę dicatur per negationem,

Motus circularis quomodo sit ignis & naturalis, & violentus.

gationem extremorum, est tamen cum similitudine vtriusq; extremi; similis enim est naturali, quatenus naturam conseruat, non lædit: similis etiam est motui contrario naturæ, quatenus non ab interno principio fit, sed ab externo; ideò tum naturalis, tum violētus appellari potest; hic ergo potest esse perpetuus, nec de eo profertur propositio Aristotelis, quia hic non est similis motui contra naturā, in natura oppugnanda, sed potiùs motui naturali in ea conseruanda. hoc igitur multi non intelligentes, nullaq; distinctione in hac re vtentes, non penitùs huiusce rei veritatem assequuti esse videntur.

Error multorum in declarando motu planetarum diurno, & totius veritatis conclusio. Cap. X.

EX hoc, quem considerauimus errore, in alium similem illimet inciderūt, de quo pauca in præsentia dicere neque inutile, neq; à proposita nobis contemplatione alienum erit; quæri enim solet, qualisnam sit motus ille, quo errantes sphæræ dicuntur à primo mobili circumduci: quū enim planetæ duobus simul motibus ferantur, vno ab occasu ad ortum, alij tardiùs, alij velociùs, qui dicitur singulorum proprius, ac naturalis motus; altero aūt huic contrario, quem astrologi diurnum appellāt, quoniam singulus planeta semel in die naturali, hoc est, tempore horarum 24. totum circuitū peragit; hunc etiam vocant motum raptus, quia inferiores sphæræ à suprema quæ primum mobile dicitur, rapiuntur ab ortu ad occasum, & iterum ducuntur ad ortum; de hoc diurno motu, qui planetis violentus esse videtur, & contrarius proprio eorum motui naturali, dubitāt multi, sicut etiam de motu ignis in orbem dubitārunt. quomodo possit esse perpetuus, si nullum violentum, vt Aristot. dixit, potest esse sempiternum. Respondent, de hoc idem dicendum esse, quod de motu ignis in orbem, nam hic quoq; est medius inter naturalē, & violentum, quare eadē ratione potest esse perpetuus. Sed hi decipiūtur, quia magnum est horum motuum discrimen, quod ipsi nō cognouerūt: omnia namq; cœlestia corpora tantæ sunt perfectionis, vt suapte natura ferantur æterna apud Aristot. absq; vlla ope conseruantis externi; ideò non sunt in loco, quemadmodum in 4. lib. Physic. auscult. Aristoteles docet, propterea quòd locus propriè sumptus corporibus imperfectis datus est ad eorum conseruationem, idcircò si quid in eis ab agente superiore imprimitur, id iure vocatur supra naturam, qualis est in igne, & in aëre motus in orbem, de quo hactenus loquuti sumus, quū nullum huius motionis principium in his elemētis insitum sit. At motus planetarum diurnus non est huiusmodi, sed est verè naturalis, & ab interno prin-

Dubium de motu planetarū diurno. *Solutio aliorum.* *Solutionis impugnatio.* *Cœlestia corpora non egēt loco.* *Solutio vera.*

A cipio proueniens, quemadmodum aliàs declarauimus, in Cœlo esse naturam, & principium motus internum; quomodo autē hoc sit, legere apud Auerroem possumus in comment. 42. & 71. lib. 2. de Cœlo, & in 44. lib. 12. Metaphys. & clariùs in 3. disputatione contra Algazelem in solutione 28. dubij, vbi rem hāc doctissimè declarat, eamq; nos in præsentia paucis perstringemus. Inquit Auerroes, motum diurnum neque violentum esse planetis, B neq; propriū supremæ sphæræ, vt Astronomi videntur asserere, sed esse motum naturalem totius cœlestis globi; totum enim Cœlum est veluti animal quoddam magnum, sphæræ aūt sunt tanquam varia membra illius animalis: quemadmodum igitur motus, quo totū animal progrediendo mouetur, etsi in corde primum habet principium, est tamē naturalis, & toti animali, & cuilibet eius parti, adeò vt, dū ambulat animal, dicatur ille motus esse natu- C ralis, nō solùm toti animali, sed etiam oculo; præter hunc autem habet etiam oculus proprium motum, sic manus, & brachium, & singula alia membra: ita de Cœlo dicendum est: motus enim diurnus est naturalis motus totius globi Cœlestis, ideò etiā planetis singulis est naturalis tāquam partibus illius totius, quemadmodum ambulatio animalis & oculo, & manui est naturalis: proprij autē planetarū motus sunt eo modo naturales, quo pro- D prius oculi motus, & proprius motus manus dicitur illi parti naturalis: primus autem motor, qui applicatus dicitur mouendo orbi supremo, in illo quidē dicit residere vt in parte nobiliore, sicuti residet anima in corde animalis, tamen non illius tantùm orbis est motor, sed vniuersi globi cœlestis, & ille motus iure vocatur motus totius, quia sphæræ omnes propensionē habēt naturalem, nō minùs E ad illum motū, quam ad proprios motus singulares. Motus ergo diurnus est motus naturalis, etiam singulis inferiorib. sphæris, quatenus sunt partes illius magni animalis. Astronomi verò, qui cœlestiū corporum naturā nō penetrant, sed solas quantitates, pingui Minerua rem hanc considerantes, eum vocant motum raptus, quasi primus motor solam supremam sphæram moueat, & ab hac cæteræ inferiores violenter rapiantur; id tamen minimè verum est, sed primus motor est totius F globi motor, mouentur enim omnes sphæræ, & totus simul cœlestis globus à primo omniū motore, & ad motū illū habent omnes naturalem propensionem: idq; significauit Arist. in context. 40. lib 12. Metaphysic. vbi motum diurnum distinguens à motibus planetarum, non eum vocat supremæ sphæræ motum, sed vocat motū totius, eo nanq; mouetur & totū Cœlum, & totus ferè inferior mundus; alios aūt cœlestes motus vocat particulares, & proprios singulorum planetarum, qui à proprijs singularum sphærarum motoribus efficiun-

Primus motor est motor totius.

tur: idē enim discrimē in motoribus est, quod in motibus esse diximus, nam primus motor est motor vniuersalis, quia totum mundum mouet, proinde ille motus vocatur vniuersalis, & totius mundi motus; singulæ aūt sphæræ citra primam proprios habent motores, & proprijs singulæ feruntur motibus, quos similes esse diximus motibus proprijs membrorum animalis. Errant igitur illi, qui dicunt eiusdem esse conditionis motum diurnum in sphæris elātibus, ac motum ignis in orbem: nos enim diximus, motum diurnum esse omnibus sphæris verè naturalem, motum verò ignis in orbem iam diximus non esse ita naturalem, vt proueniat ab interno principio, sed esse supra naturam ignis, eam tamen conseruare, vt antea dictum est; ob id ille motus vocatur medius inter naturalem, & cōtrarium naturæ, non quidem medius per participationem, sed per negationem extremorum, habens tamē similitudinem cum vtroque extremo: quo fit, vt tum naturalis, tum violentus alia, & alia ratione dici possit, & possit esse perpetuus, quia neque extremè neq; mediocriter cōtrarius est naturæ, nec modo vllo eam oppugnat, imò ad ipsius cōseruationē necessarius est; & est motus nō simplex, sed mistus, solum enim cœlum motu in orbem simplici moueri aptū est. de hoc igitur non loquitur Arist. quādo in 1. & in 2. lib de Cœlo inquit, nullū præter naturam posse esse perpetuum; quia non respicit aliud præter naturam, nisi illud, quod vel extremè, vel mediocriter sit contrariū naturali; de hoc enim vera est illa propositio: nullū, quod præter naturā sit, potest esse perpetuum: sic ergo sublata esse videtur hæc in re omnis difficultas. Alia de illo ignis motu dicenda essent, quæ ad eum librum remittimus, in quo de calore à Cœlo in his inferioribus producto sermonem facturi sumus.

Collectio totius veritatis.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

DE MOTV GRAVIVM ET LEVIVM, LIBRI DVO.

Liber Primus.

Declaratio, & partitio dicendorum. Cap. I.



QVVM illa, quæ ab Aristotele de grauium, ac leuium motu varijs in locis dicuntur, difficultate non careant, & interpretibus occasionem cōtrouersiandi præbuerint, ego hac de re aliqua scribere, & sententiam meam in medium afferre cōstitui, vt Arist. dicta, de quibus adhuc magnæ altercationes existunt, clariora, si fieri possit, reddantur. Vt autem intelligatur, quid nobis in præsentia considerandum proponatur, sciendum est, grauium, ac leuium appellatione non sola elemēta, sed mista quoque omnia cōprehendi, nec minùs animata, quā inanimata; grauia n. aut leuia hæc omnia sunt, & eo motu cienē, quo elemēta ipsa moueri cernūtur, etenim animal non modò progressionis motu naturaliter mouerī quatenus animal est, sed etiam descendit naturaliter, si ex alto loco demittatur, quatenus est graue, & ex elementis cōstans. Arist. igitur quando de grauium, ac leuium motu loquutus est tū in 8. lib. Phys. auscult. tū in quarto de Cœlo, etsi elementa præcipuè respexit, tamē mista quoque complexus est, quatenus grauia, ac leuia sunt, satis n. id hābuit in initio 1. lib. de Cœlo nos admonere, mista, dum vt grauia, vel vt leuia mouentur, moueri iuxta illius elementi naturam, quod in singulorum mistione prævalet alijs: quare quum necesse sit, in quolibet misto aliquod elementum cæteris præualere, necessarium etiam est, eundem esse cuiuslibet misti naturalem motum, qui est elementi in singulo dominantis. Quamobrem ea, quæ de grauium, & leuium motu ab Arist. dicuntur, grauib. omnib. ac leuibus competunt, sed primariò elementis, mistis verò per elementa, è quib constant. Cæterùm mistorū motus propriam habet difficultatē, quomodo ex vnius elemēti impetio proficisci dicatur, ideirco nos vt distinctiùs, ac faciliùs progrediamur, nostrā hanc disputationem in duas partiemur: primùm. n. grauia, & leuia absolutè considerantes, sed elementa præcipuè respicientes, declarabimus, à quonam motore moueantur, etenim tota ferè hæc difficultas in motore consistit, simulque aliqua huic considerationi annexa dubia soluemus: secundo loco mista quatenus mista, hoc est, quatenus ex grauib. ac leuib. constantia consideraabimus, & declarare nitemur, à quonam moueantur, vt sententia Arist. intelligatur dicentis mista moueri iuxta elementum cæteris præualens in mistione singulorum: his. n. intellectis, clarum erit, à quonam motorē grauia omnia, & leuia moueantur, tum simplicia, tum mista quatenus mista sunt.

Duæ antiquorum sententiæ de motore grauium & leuium, & earum confutatio. Cap. II.

INprimis igitur considerandum proponitur, à quonam grauia, & leuia moueantur motibus eorum naturalibus, nam de violentis in præsentia non loquimur. Hac de re plures antiquorum philosophorum sententiæ extiterunt, quas omnes commemorare operæ pretium non est; duas tantùm, quarum consideratio ad ea, quæ dicenda sunt, conferet, breuiter expendemus. Aliqui dixêre, elementa ad sua loca moueri a Cœlo, quod motu suo rapidissimo illa pellit procul à se; quo fit, vt quò grauiora sunt, eò longiùs pellantur; terra omnium grauissima ad remotissimum centri locum propellitur; aqua minùs grauis ad locum proximè superiorem & alia deinceps; itaque Cœli motu perseuerante, detinetur terra tota in centro, & cætera omnia in locis suis, ita vt ab eis recedere nequeant. Sententia hæc, quæ Empedoclis fuit, absona est rationi, vt Arist. probat in calce lib. 2. de Cœlo; sic enim motus elementorum ad sua loca essent violenti, quum tamen communi omnium consensione censeantur naturales. Quiescerent præterea violenter in locis suis, si ad ea violenter mota essent, igitur non possent in eis manere perpetuò, quia nullum violentum potest esse sempiternum, sed interire ea tandem oporteret, quia contrariæ essent locorum vires naturis ipsorum elementorum, si violenter in ijs detinerentur. Præterea rationem quidem aliquam hi videntur adducere, cur grauia descendant, sed nullam, cur leuia ascendant: de toto .n. elemento ignis cur minimè omnium pellatur, potest ex horum dictis ratio aliqua colligi, sed de ipsius particulis, quæ apud nos gignuntur, cur ascendat, nulla ratio apparet; ideò hæc sententia dimittatur. Alij verò dixerunt, elementa à suis locis moueri quoniam locus vim habet attractricē, à qua trahitur singulū ad proprium locum. Hæc opinio duos potest habere sensus; vel enim dicūt, locum attrahere & mouere tanquam finem, vel tanquam efficientem, nam finis quoque dicitur mouere agens ad agendum: si igitur dicant vt finem, concedi potest, sed is est motus impropriè, ac metaphoricè dictus, de quo in præsentia non loquimur, sed de efficiēte est nobis instituta disputatio: quòd si intelligant locum mouere vt causam effectricem, falsa penitus est eorum sententia; oportet enim vel tunc moueri à loco elementum, quando iam in illo est, vel quando abest ab illo, quorum neutrum esse potest; quando enim elementū in suo loco est, non mouetur, sed quiescit; quando autem est extra locum, nō potest ab eo moueri, quoniā omnis actio fit per contactum, & omne mouens debet simul esse cū moto, nūquā igitur potest elementum à loco suo tanquam ab efficiente moueri.

Opinio Empedoclis.

Confutatio.

Aliorū præscorū opinio.

Confutatio.

Opinio dicentium elementa externum tantùm habere motorem, & eius comprobatio. Cap. III.

A MVlti hac in re eam sententiam sequuntur, quam profiteri videtur Arist. in context. 32. octaui Physic. & in 24. & 25. quarti de Cœlo, à qua ne latum quidē vnguē recedere volūt: ibi Arist. apertè dicit grauia & leuia motibus suis naturalibus nō ab interno
B motore moueri, sed solùm ab externo, cumq; duplicem esse dicit; quum enim mouere sit rem ducere de potestate ad actum, & duplex sit elementi potestas, duplex etiam est motor, à quo mouetur; primùm quidē dicitur graue habere potestatem ad naturaliter ascendendum, quia dum est graue, non ascendit, eamq; vocant potestatem essentialem, quia non ascendere competit graui essentialiter, & per se, & quatenus est graue; sed si mutetur graue
C in leue, vt si ex terra generetur ignis, tunc statim ascendit actu, nisi ab aliquo impediatur; itaque moueri tunc dicitur à generāte, à quo factum est ex graui leue, dans enim formā, dat omnia consequentia formam: quoniam igitur à generāte accepit leuitatem, quam priùs nō habebat, ab eodem accipit etiam motum illi formę conuenientem; sursum ergo fertur, quoniam à generante factum est leue, quod priùs erat graue: altera est ascendendi pote-
D stas in elemento iam leui, quando ab aliquo impeditur ne ascendat, vt quando ignis in infero aliquo loco inclusus non fertur sursum, sed potestatem habet ascendendi, quam vocant potestatem accidētalem, quia per se cōpetit elemento leui esse in suo loco, vel ad illum ferri, si extra illum sit; quare si extra suum locum sit, neque ad eum moueatur, id ei accidentale est; ab hac igitur potestate accidentali ad actum ducitur à remouente impedimē-
E tum, vt si vas aëre plenum in fundo aquæ detineatur vi ab aliquo saxo superposito, & aliquis remoueat saxum, ascendit aër, & ab illo moueri dicitur, à quo abductum est impedimentum. Nullum igitur alium motorem habent grauia & leuia, nisi externum, nempe vel generans, vel remouens impedimentum: hæc omnia ab ipsomet Arist. in dictis locis proferuntur qui etiam in 8 illo Physic. expressè in hoc distinguit grauia & leuia ab animalibus,
F quod grauia & leuia non a se mouentur, sed semper ab externo motore, animalia verò à se, & a motore interno, nempè ab anima: sed rationem quoq; addit Arist. ad hoc comprobandum: non potest idem secundùm idem agere & pati, quia ideo secundùm idem esset simul potestate & actu; ergo non potest idem mouere se ipsum, nisi duas habeat re distinctas partes, vnam mouentē, alteram verò motam, quemadmodum in animali videmus distingui animam mouentem a corpore moto; in elemento autem hæc distinctio locum non

Duplex in elementis potentia ad motum.

Primum argumentum.

habet, non potest enim diuidi nisi in primam materiam & formam, & vt concedatur formã posse mouere, materia tamen nõ est apta per se moueri, sicuti neq; mouere: vt enim omne mouens debet esse actu, ita etiam omne, quod mouetur, debet esse actu, vt in 5. Phys. auscultationis Arist. docet: igitur materia neque est apta mouere, neq; moueri per se: quare elementũ diuidi nõ potest in partem per se mouentẽ, & partẽ per se motam. Addit etiam aliã

Secũdum argumentum.

rationem Arist. talem. id, quod se mouet, sistit etiam se, & mouet se cõtrarijs motibus; at elementũ neq; sistere, neq; cõtrarijs motib. mouere se ipsum potest; ergo non à se mouetur: itaq; videtur de hac re nõ esse dubitandũ, hãc Arist. sententiã fuisse, quũ eam & apertè protulerit, & plurib. etiam argumentis comprobauerit.

Tertium argumentum.

Magni etiam momenti sunt verba Aristot. in calce prædicti contextus 32. octaui Physic. vbi soluere videtur tacitam quandam obiectionem: nam dicere aliquis poterat, si elementa ab externo motore mouentur, cur ergo motũ illũ vocas naturalem? est enim potius vocandus violentus, siquidem motus naturalis ille est qui fit ab interno principio: respondet ibi Aristotel. grauia & leuia habere in se principium motus passiuum, non actiuum; aptitudinem enim internam, & propensionẽ habent, vt moueãtur statutis quibusdam motibus ad ꝓpria loca, & hac ratione motus ipsorum dicũtur naturales; mouentur tamẽ non à se, sed ab externo motore; quamobrem satis est principium motus passiuum, vt motus grauium, & leuium dici possint naturales. Huic igitur sententiæ complures ad amussim ita adhærent, vt omnino inficientur, grauia & leuia internum habere motorem.

Opinio dicentium elementa moueri à proprijs formis, & eius comprobatio. Cap. IV.

EX altera parte alij putant elementa à suis formis moueri, & ita motorẽ habere internum: ad quam sententiam tuendam multa, eaque satis valida ex Aristotel. argumẽta sumuntur.

Primum argumentum.

Primùm quidem ex initio 2. Physic. tale argumentum sumitur: forma elementi est natura, ergo est principium motus: assumptum patet, quia omnis forma naturalis, & materiam informans debet appellari natura, & alicuius motus princip: ũ, ergo est principium motus actiuum; nam proprium formæ est agere, materiæ verò pati: neq; est, quòd aliquis dicat, formam elementi esse principium motus passiuum tantummodò, quia ꝓprium solius materiæ est pati: forma verò non dicitur per se pati, sed solùm ratione materiæ in qua est; inquit enim Arist. in contextu 55. libri 1. de Generatione, si quis esset à materia abiunctus calor, is nihil pateretur; ergo si forma elementi est principium motus passiuum, id non est per se, sed ratione materiæ, A necesse est igitur concedere etiam propriam eius operationem, quæ est agere, vt nomen ipsum significat; forma enim dicitur actus ab agendo; absurdum autem esset negare formæ propriam operationem, & eam tãtùm illi tribuere, quæ ei competit ratione materiæ.

Secũdum argumentum.

Cõfirmatur testimonio Aristot 2. Physic. contex. 4. vbi naturæ definitionem declarans per discrimen naturalium, & artefactorum, inquit, B artefacta non habere in seipsis per se faciẽtis principium: quum igitur hoc dicat ad differentiam naturalium, vult naturalia habere in seipsis per se principium motus effectiuum: elementum autem est corpus naturale, ergo debet in se habere principium motus actiuũ, idque non potest esse aliud, quàm sua forma.

Tertium argumentum.

Idem ostẽditur argumẽto efficacissimo, quod est Scoti, & Gregorij Ariminensis: effectus actu existens debet habere causam actu exi- C stentem, vt ait Aristot. in context. 38. secundi Physic. quod quidem potissimè verum esse debet de illo effectu, cuius esse consistat in fieri, cuiusmodi est motus: quum igitur motus grauis descendentis sit effectus actu existens, causam debet habere aliquam coexistentem actu; hæc autem nulla præter formã esse potest, vt ostenditur à sufficiente enumeratione: vel enim est generans, vel remouens impedimentum, vel Cœlum, vel locus natu- D ralis, vel aliquid internum; aliud enim ne fingi quidem potest, à quo tanquam efficiente ille motus fiat: at generans esse non potest, quia hoc non agit ampliùs. imò nequè agere potest; quum non ampliùs tangat, & potest totertijsse, quando graue descendit; quare vel nullo modo coexistit illi motui, vel non coexistit vt causa: idem dicendum est de remouente impedimentum, huius enim actio in sola impedimenti remotione consistit; remo- E to igitur impedimento non agit ampliùs in graue descendens, sicut etiam de generante dicebamus: non est etiam Cœlum, quæ fuit Empedoclis opinio ab Aristot. reprobata, vt prædiximus: neque locus naturalis, quia iam dictum est, locum mouere quidem vt causam finalem, at nõ vt efficientem, qualem in præsentia quærimus: nulla igitẽ illius motus causa relinquitur illi coexistẽs, nisi illiusmet corporis forma. Ad hoc autem argumẽtum cor- F roborandum maximè conferunt illa, quæ ab Aristot. in 2. Poster. Analyt. de causa, & effectu traduntur; inquit enim effectus præteriti causam esse præteritam, præsentis præsentem, futuri futuram, actu existentis actu existentem, potestate existẽtis potestate existentem: quare dũ effectus existit, necesse est, causam quoque simul eodẽ modo existere.

Quartum argumentum.

Sumitur præterea argumentum validum ab experientia: nam si iam existens graue non sit in suo loco, neq; ad illum moueatur, postea verò moueatur, & quæramus, à quonam motore mouea-

tur,

tur, videntur illi cum Aristot. responsuri, à remouēte impedimentū: at verò per hoc ipsum ostenditur moueri à se ipso: nā si stet aliquandiu graue in aëre alligatum filo, & suspensum, postea verò sua ponderositate filum frangat, & deorsum feratur, certū est filum fuisse impedimentum, idq; à nullo alio sublatum fuisse, nisi ab ipsomet graui deorsum premente per suam grauitatem; non potest autem graue remouere impedimētum, nisi ipsum moueatur priùs seu tempore, seu saltem natura, quia nullum mouens corporeum potest mouere aliud, nisi ipsum moueatur; graue igitur priùs mouet seipsum, deinde eum motū insequitur fractio fili, quare à propria virtute mouetur: idque similiter de omnibus grauibus, & leuibus dicendum est, eadem enim est omnium natura & conditio. Hæc argumenta certè efficacissima sunt, ideo multi hāc sententiam receperunt, eamque acerrimè tutati sunt, grauia & leuia à suis formis moueri, vt Scotus secundo Sent. dist. 2. quæst. 10. & Gregorius Ariminensis 2. Sentent. distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. vbi de hac re fusissimè disputat, & omnes aliorum sententias diligenter expendit; & Ioannes Gandauensis, & Zimara, & alij recentiores complures. Res igitur difficultate nō caret, quum ex altera parte habeamus testimonium Aristotelis clarū; quòd grauia & leuia non moueantur à se, neque habeant motorem internum, sed externum, ex altera verò extent argumenta validissima ex ipsius Arist. principijs desumpta, quæ demonstrare videntur grauia & leuia à suis formis moueri: quamobrem non absque ratione vtraque cōtraria opinio viros grauissimos sectatores habuit.

Scotus. Greg. Arimi-nensis.

Quid hac de re dixerit Auerroes.

Cap. V.

Averroes quoque videtur hac in re dubius fuisse, quum non idem vbiq; dicere videatur, ita vt non absque ratione Scotus in loco prædicto asserere potuerit, nihil certi ex Auerrois verbis desumi posse; nec defuerint alij, qui aliqua ex parte Auerroem sequuti, aliqua etiam ex parte eius sententiam reiecerunt. Nos igitur breuiter ea referemus, quæ ab Auerroe varijs in locis dicuntur, & repugnantias, quæ Auerroi attribuitur ab alijs, vt appareat, rem hāc summa plenam esse difficultate: Auerroes in 8. Physic. in ea parte, in qua Aristoteles de grauium, & leuium motu sermonē facit, nil aliud dicere videtur, quàm illud idem, quod ibi ab Aristotele dicitur, elementum moueri per se à generante, à se autem non moueri; & in Commentario 30. rationem afferens, cur non à se moueatur, inquit, non mouetur à se, quia non diuiditur in motorem, & motum; materia enim quum sit ens mera potestate, neque mouetur per se, neque mouet. At in primo Commentario 2. Physic. clarè dicit Auerroes elementum moueri à se, quoniam habet principium motiuū in se ipso; & in Comment. 71. quarti Physicorum inquit, mouens in elemento est forma, motum autem est materia, & ita elementum diuiditur in motorem & motum: idem legimus accuratiùs ab Auerroe explicatū in libro 3 de Cœlo, Comment. 28. qui præcipuus locus est, in quo hac de re disseruit, & sententiam suam profert Auerroes; inquit enim motorem in elemento esse formam, motum verò esse non materiam nudam, sed materiam formatam, id est, totum ipsum compositum, sic enim elementum verè dicitur in seipso habere principium motus & actiuum, & passiuū; nam vtroque munere fungitur forma vt duobus modis accepta, mouet enim vt forma, mouetur autem vt est in materia, & vt materiam perficit; non est enim inconueniens, quòd idē dicatur & agendi ratio, & patiendi, vt alio, & alio modo acceptum. Sed difficultatem auget aliud quid iam, quod ibidem ab Auerroe dicitur, atque etiam in Cōmentario 71. quarti Physicorum; nam explicare volens modū, quo elementum à se mouetur, inquit, moueri à seipso per accidens, non per se, idque ita declarat: graue descendens mouet primò aërem medium vt causa, deinde ad motum aëris cedentis mouetur etiam graue, quare à primo ad vltimum mouetur elementum à se per accidens; comprimit enim aërem, & per se illū mouet, deinde ad motū aëris ipsum quoque mouetur: vtitur autem ad hoc declarandum exēplo nauta, qui dum nauim per se mouet, seipsum quoque mouet per accidens; mouet enim primò nauim, non se, sed motum nauis consequitur vt ipse quoque moueatur.

Sensus opinionis Auerrois secundùm aliquos, & eius reprobatio.

Cap. VI.

Postremum hoc Auerrois dictū magnas posterioris altercationes excitauit: quorū aliqui eam sententiam sequentes quòd graue, & leue à solo generante moueantur, à forma verò nequaquam, dixerunt Auerroem optimè sensisse, ideoque sententiam suam Auerrois auctoritate confirmarunt: loquens enim Auerroes de grauium, & leuium motore per se, à nullo alio ea moueri dixit, nisi à generante, quod Aristot. quoque pronunciauit; à se autem moueri concessit, non quidem per se, sed per accidens; quæ Aristotelis quoque sententia fuit, qui agit graue, & leue moueri per accidens à remouente impedimentum; remouens autem esse potest non modò aliquid externum, sed etiam ipsummet graue, & leue, quemadmodum suprà de graui filum rumpente dictum est; graue namq; per vim à generāte susceptā rumpit filum, quo suspensum erat, & à quo impediebatur ne descende-

ret, & statim rupto filo deorsum fertur; sic etiã aër substans impedit aliquantũ, & aliquã resistentiã facit descensui grauis, debilem tamen, quam graue facilè superat, & remouet aërem impedientem, & ita per remotionem impedimenti mouetur à seipso per accidens, tanquam à remouente impedimẽtum, per se autem a nullo, nisi à generante, vt etiam Arist. dixit: itaq; hi cõcludunt optimam esse Auerrois opinionem, & esse eam ipsam, quam ipsimet tuentur. Sed hæc sententia, etsi magnam habet veritatis speciem, falsa tamen est, nec Auerroes, si ita sensit, defendi vllo modo potest; impugnatur autem sensus hic à Gregorio Ariminense, & ab alijs, quocirca satis nobis erit, pauca tãtùm, quæ præcipua sunt, aduersus hanc sententiam in medium adducere.

Opinionis reprobatio.

Primum argumentum.

Primùm sic argumentor: graue mouet aërem per se, ergo est causa motus aëris, igitur ipsum quoque graue mouetur; nam mouens corporeum non potest mouere, nisi ipsum quoque moueatur: quoniam igitur motus grauis est causa motus aëris, necesse est vt prior illo sit, si nõ tẽpore, saltem naturâ, ergo in illo priori naturæ mouetur graue sine vllo aëris motu; non ergo ad motũ aëris mouetur graue, sed potiùs aër ad motum grauis; graue igitur à se mouetur immediatè, quare etiam per se, quia nõ per mediũ aëris motũ, idq; ita clarum esse videtur, vt nullam defensionẽ recipiat; priùs enim debet moueri graue, quàm aër, quia nõ alia ratione mouet aërem, nisi quatenus premit, & ad centrum tendit. Confirmatur hoc:

Secũdum argumentum.

quia motus grauis descendẽtis est motus naturalis, motus autem aëris à graui est violentus, quum fiat ab externo principio; at motus violentus non potest esse prior motu naturali, sed est potiùs posterior, & ipsum insequitur.

Tertium argumentum.

Præterea omne per accidens debet reduci ad aliquod per se, ergo si mouetur graue à se per accidens, debet ab aliquo moueri per se; à quo igitur, nisi à seipso? dicere enim non possunt ab aëre moto, qui illud secum ferat, hoc enim falsum esse iam ostendimus, quum motus aëris insequatur potiùs motum grauis, quàm efficiat.

Responsio Zimaræ.

Zimara verò ad hoc respondit; graue mouere aërem, & ipsum priùs moueri per se, non tamen à se, sed à generante: attamen ad generans confugere non est satis tutum, quia hoc non coexistit descensui grauis:

Impugnatio.

quare aliam eius motus causam excogitare oportet, sicut antea dicebamus, quoniam omnia iam adducta argumenta hanc Zimaræ responsionem refellunt. Id verò, quod diximus, motum aëris esse posteriorẽ ipso grauis motu, clarum est cuilibet consideranti, neque id debet aliquis inficiari, aer enim non mouet graue descendens, neq; ipsum secum fert descẽdendo, sed potiùs cedit graui descendenti; quum enim resistere illius descensui nõ possit, ab eo mouetur, & pellitur. Exemplũ quoque nautæ & nauis, quo Auerroes vtitur, refragatur huic opinioni, & id, quod modò diximus, confirmat: nauta enim mouetur quidẽ motu nauigationis cũ naui, quam mouet, sed tamen non potest eam mouere, nisi priùs moueat seipsum alio motu, & eo quidem per se; non enim moueret nauim, nisi priùs sua mẽbra moueret, & per ea mota moueret nauim, necessarium enim est, vt mouens corporeum moueat aliud per suipsius motum: sic ergo etiam graue non potest aërem mouere, nisi ipsum motu priore moueatur, siquidem per suum motum mouet aërem; moueri autem dicendum est à se, si recta est Auerrois comparatio, quia etiam nauta primò mouetur à se, deinde nauim mouet. Ex his igitur patet, sensum hunc, quem illi attribuũt Auerroi, defendi nullo modo posse.

Opinio Scoti, & aliorum plurium.

Cap. VII.

His argumẽtis moti alij complures, qui eundem sensum verbis Auerrois attribuerint, ab eius sententia recesserunt, vt Scotus, & Gregorius Ariminensis, & aliqui posteriores, qui dicunt elementum moueri à seipso non per accidẽs, vt dicere videtur Auerroes, sed per se: at quia hoc dicentes ostendere debuerunt, quomodo elementum diuidatur in partem mouentem, & partem motã, in hoc declarando non consenserunt; Scotus inquit, non esse in elemento necessariam hãc distinctionẽ, & hac vtitur ratione: duplex est agens; vnum vniuocum, quod etiam formale appellatur, quia per formã, quam habet, agit; alterum verò æquiuocũ, quod etiam virtuale appellant, quia non per formam agit, sed per virtutem, vt Cœlum calefacit tanquam agens virtuale, etenim non per calorem, siquidem calorem non habet, sed per vim producẽdi calorem, qua præditum est: agẽs igitur formale non potest agere in seipsum, quia quum iam habeat formam, non potest eam ampliùs recipere; quamobrem necesse est vt sit re distinctum à patiente: at agens virtuale potest absque vlla repugnantia agere in seipsum, quum enim non habeat formam, quam est aptum producere, recipere eam potest; prius enim habeat actum virtualem, sed potentiam formalẽ, quare potest à seipso recipere actũ formalem, quem non habebat. Quoniam igitur forma elementi est agens æquiuocum respectu motus localis, & elementum habet potẽtiam formalem, quia est aptum recipere motum illum, potest absq; vlla absurditate à virtute sua productiua recipere motum formaliter. Videtur autem hæc Scoti distinctio etiã ab Auerroe poni alijs verbis, quãdo in Comment. 28. lib. 3. de Cœlo, inquit, lapis mouet se quatenus est actu grauis, & mouetur quatenus est potestate inferius; nam dicere actu graue, est dicere habens actum virtualem, hoc est, virtutem producendi motum descensionis;

Opinio Scoti.

Agens duplex.

Auerroes.

nis; dicere autem potestate in infero loco, est dicere potentiam formalem, nam locus proprius instar formæ est, quam graue per suum motũ naturalem adipiscitur. Est igitur Scoti sententia, elemẽtum à seipso moueri, hoc est, à sua forma, idq; nõ per accidẽs, sed per se; nec requiri distinctionẽ realem motoris & moti, propterea quòd est agens æquiuocum, quod absq; vlla absurditate potest agere in seipsum.

Recentiorum argumentatio cõtra Scotum, & eorum opinio. Cap. IIX.

ADuersus hanc Scoti sententiam quidam posteriores inuehũtur hoc potissimũ argumento, quòd ea admissa ruit progressus Arist. in 8. Physicor. ad inueniendum primũ motorem immobilem; is enim nititur necessario eo fundamẽto, quicquid mouetur, ab alio mouetur: hoc autem de medio sublato dicendo, posse idem moueri a seipso absq; reali distinctione mouentis & moti; nam aduersarius diceret deueniri quidem in mouentibus & motis tandem ad primum, sed id simplex esse, & à seipso moueri, quia est agens æquiuocũ, habens actũ virtualem, & potẽtiam formalem: tota igitur illa Arist. argumentatio nos ad solũ Cœlum duceret, quod non secus ac elementũ, diceretur à seipso moueri absq; distinctione mouentis & moti: sic itaq, de inueniendo via naturali æterno motore immobili esset penitus desperandũ, si nullam habemus aliam viã, nisi ex æterno motu, vt alibi demonstrauimus. Ipsi igitur aliter dicunt, esse in elemẽto realem distinctionẽ mouẽtis & moti, licet subiecto non seiungantur; etenim forma est mouens, materia verò est id, quod mouetur; forma namq; est actiuis principium, materia verò omnis passionis: sic ergo sublatam esse arbitrantur omnem difficultatem, quum ita pateat graue & leue à se moueri per se, nõ per accidens, vt existimauit Auerroes.

Illorum opinio.

Impugnatio sententiæ recentiorum. Cap. IX.

EGo verò de Scoti quidem sententia posteriùs dicam, ea namq; fortasse proximè omnium ad veritatem accessit. Quod verò ad hos recentiores attinet, puto eos penitus aberrasse in hac Scoti impugnatione, quoniam eorum opinio vel falsa est, vel in idem cadit cum sententia Scoti, quam reprobarũt; nam est quidem materia radix omnis passionis, ipsa tamen per se non sufficit, vt sit idoneum subiectum motus; quia id, quod mouetur, debet esse actu, vt in 3. Phys. auscultationis Aristotel. docet. Vt verò etiam concedamus, materiam habere potestatem recipiendi motum, ex hac tamen non magis ascensum reciperet, quam descensum: quare quòd graue habeat determinatam propensionem ad descendendum, hoc à materia prouenire non potest, sed prouenit à forma materiæ inhærente; nam est quidem materiæ pati, sed determinatè pati hoc potiùs, quam illud, à forma est, non à materia: coguntur itaque dicere, non materiam solam, sed totum compositum primò motum illum recipere, & formam esse rationem recipiendi: atqui eadem forma est etiam mouens, ergo mouens & motũ re non distinguuntur: quæ Scoti sententia fuit, atq; etiam Auerrois dicentis, forma elementi mouet vt forma, & mouetur vt est in materia; graue nanque deorsum fertur, quia est graue, non quia materiam habeat; ergo vt tali motu, non alio, moueatur, non à materia habet, sed a grauitate, quæ est etiam mouens; nec absurdum videtur, quòd eadem forma sit simul ratio agendi, & ratio patiendi, principiũ motus & actiuum, & passiuum, varijs modis considerata, sicut alibi declarauimus. Itaq; si hi recentiores intelligant, materiam esse motam, hoc est, materiam vt formatam, quod est dicere totum compositum, eorum sententia non differt à sententia Scoti & Auerrois, sed eis difficultas integra manet, quomodo id esse possit sine reali discrimine mouẽtis & moti: quòd si intelligant, materiam esse per se motam, falsa omnino est eorum sentẽtia, tum quia nec absolutè materia est per se mobilis, nec ad hunc statutum motum habet determinatam propensionem: adde quòd Aristot. apertè negat, elementum diuidi in partẽ mouentem, & partem motam; cui sententiæ isti manifestè aduersantur, dum hæc dicunt.

Nonnullorum opinio de motu elementi in vacuo, & eius confutatio. Cap. X.

QVum autem Auerroes in memorato Comment. 71. quarti Physic. præter id, quod modò cõsiderauimus, dicat etiam nullum in vacuo, si vacuũ daretur, fieri posse elementi motum, ijdem posteriores in hoc quoque Auerroem reprehenderunt, imò etiam ex professo Aristot. hoc idem dicentem; hoc igitur in præsentia breuiter considerare, præterquàm quòd ipsum per se non parum est vtile, & intellectu dignum, non est etiam, vt fortasse videtur, à proposito alienum, sed ad sequentia conferet, & illi quoque in hac ipsa de motu grauium & leuium disputatione sermonem de hoc facere voluerunt. Auerroes igitur ibi ex Aristotel. sumit, necessarium esse plenum ad motum elementi, propterea quòd continuitas in motu à resistentia prouenit, at in elemento nulla mobilis ad motorem interna resistentia est, ideò externa requiritur, si debeat fieri cõtinuus motus; medium enim plenum resistit aliquantum elemento moto, & ita facit continuitatem; quamobrem si daretur vacuum, elementum in eo positum non moueretur, sed momẽto temporis ad locum suum transiret, qui non esset motus, sed mu-

Aristotel. & Auerrois opinio de motu elementi in vacuo.

tatio subita: qua in re Auerroes Auempacem reprehendit dicentem, ad motum elementi non esse necessarium medium plenum, quandoquidem etiam in vacuo, si daretur, fieri elementi motus posset, itaq; continuus ob internam resistentiam. Aduersus Aristot. & Auerroem hi recentiores insurgunt, & apertè profitentur, Aristotel. non cognouisse quæ sit resistentia in motibus elementorum, imò & multa falsa dixisse in 7. Physic. de proportionibus in motu: aduersus quæ ipsi plura adducũt experimenta, quibus se cognouisse testãtur falsas esse illas proportiones, & hanc falsitatem processisse ex hoc falso fundamento, quòd forma elementi mouens ipsum non habet à mobili aliquam internam resistẽtiam, sed solùm externam à medio pleno. Ipsi igitur sequentes opinionẽ Auempaces ibi ab Auerroe reprobatam, quam etiam sequutus est Scotus 2. Sentent. distinct. 2. quæst. 9. dicunt duplicem esse resistentiam in motu elementi naturali: vnam externã, & accidentalem, quæ fit à medio pleno, & facit vt tardior sit motus in pleno, quàm esset in vacuo: alteram verò internam, & essentialem, qua elementum motum resistit formæ mouenti, ita, vt etiam in vacuo, si daretur, fieret continuus motus: rationem autem cur mobile resistat suę formæ mouenti, dicunt esse, quòd mobile est continuum, & spatium quoq; continuum; repugnat autem continuo transeunti per continuum esse eodem momento in omnibus simul partibus illius continui, sed necesse est vt transeat priùs per vnam partem, quàm per aliam: hæc igitur est necessaria resistentia interna, ex qua fieret vt elementum in vacuo positum cõtinuè moueretur. Ego verò pro Arist. defensione possem facilè demonstrare, quantum isti decepti sint in illis experimentis, quæ aduersus Arist. adduxerunt, reuera enim non officiunt dictis Arist. in 7. Physic. de proportionibus in motu; sed quoniam alienum hoc esset à nostro instituto, omittendum in præsentia est, licèt ipsi suę de motore grauium & leuium disputationi id inserere voluerint; sed si quando datum nobis fuerit in libros Physicos edere cómentarios; diligenter hac de re loquemur: nunc de eo, quod ad rem magis pertinet, pauca dicere satis erit. Dico falsum esse id, quod isti imaginãtur de illa interna, & essentiali resistentia mobilis, nulla enim in elemẽto esse potest; quod autem de elemẽto dicimus; id de omni naturali corpore, ꝙ vt graue, vel vt leue moueatur, intelligendum est: ratio autẽ est, quoniam omnis resistentia fit ab actu, potentia enim non resistit, quum sit aptitudo indistincta respicieos opposita; sed actus est qui resistit actioni alterius contrarij actus, siquidem non fit actio, nisi ab actu: non potest igitur esse interna resistentia, nisi vbi est duorum actuum compositio, vt in animali, quod etiam in vacuo positum (vt ibidem ait Auerroes) conti-

Recentiores contra Arist.

Scotus.

Resistentia duplex.

Impugnatio & Aristot. defensio.

Omnis resistentia fit ab actu.

A nuo motu moueretur, ob internam resistentiam corporis grauis ad animam mouentem: sic etiam videmus præuiam generationi alterationem esse motum continuum, ob resistentiam qualitatis contrariæ ad contrariam; at in illuminatione nulla est successio, quia nulla resistentia, quia lumen non habet cõtrarium; quare illuminatio etiam magni spatij fit tota simul subitò, non in tempore aliquo. Quoniam igitur in elemento vnicus est actus, nulB la in eo esse potest interna resistentia; nisi dicamus eandem elementi formam sibimet resistere; nam dicere non possumus, elemẽtum resistere suæ formæ, nisi per suum actum, hic autem est forma ipsa; si igitur diceremus, forma sibi ipsi resistere, quod ne imaginari quidẽ possumus. nulla igitur est resistentia elementi moti ad formam mouẽtem, sed potiùs summa consensio, quum eadem sit ratio agendi, & recipiendi, si enim ad illum ipsum recipien-C dum motũ sit elementum propensum, quem apta est efficere forma, non potest elemẽtum motum resistere suæ formæ mouenti; igitur opinio Aristot. vera est, & rationi cõsentanea; non tamen negamus in motu elementi internam resistentiam per accidens; de qua posteriùs loquemur, sed solùm negamus resistentiam per se, qualem isti ponunt, nam si posito elemento in vacuo inesset resistentia interna, ea non posset esse nisi per se; at resistentia per D accidens non potest habere locum, nisi in medio pleno, vt mox cõsiderabimus. Peccant etiam isti in afferenda ratione huius resistentię, tũ quia dato vacuo illud non potest esse quãtum, nec habere partes, quum absq; subiecta substantia quantitas non possit existere; tum quia hoc etiam concesso adducunt non causam pro causa, nil enim aliud dicunt, nisi impossibilitatem consequentis, quam nos quoque confitemur, sed hæc simul esse potest cũ E veritate cõsequentiæ; dicimus enim, esse impossibile ita transferri mobile per omnes partes spatij quanti, vt eodem momento sit simul in omnibus; hoc tamen necessariò deduci ex vacui positione, proinde validã esse hanc consequentiam, si elementum esset in vacuo, ad locum suum transiret subitò, & absque vlla successione; quia quando agens à nullo prohibetur, & nihil ei resistit, necesse est subitam fieri mutationem, vt in illuminatione videF mus. Possumus autem hoc confirmare ex argumentatione Aristotel. in context. 79. octaui Physic. vbi sic argumentatur: si in magnitudine finita inesset vis motrix infinita, moueret subitò nõ in tempore, ꝓpterea quòd finiti ad infinitum nulla est proportio, proinde nulla resistentia moti ad motorem: at si dicere liceret, non sequitur, quia quantum non potest transire subitò per spatium quantũ, quum nõ possit simul eodem momento esse in omnibus eius partibus, argumentatio illa Aristotel. redderetur inefficax; est tamen efficax, quia conse-

consequens, licèt sit impossibile, deducitur tamen ex illo antecedente, & valida est consequẽtia. Quòd si ex impossibilitate consequẽtis liceret inferre consequentiæ prauitatẽ, tolleretur penitus argumẽtatio per ductionẽ ad incõmodum, per eam enim infertur cõsequẽs impossibile vt impossibile, efficax tamen esse potest cõsequentia: sed hoc magis est manifestum, quàm vt pluribus verbis indigeat. Patet igitur, hos in refutanda opinione Scoti, & sis quæ ab Aristotele, & ab Auerroe dicuntur 4. Physic. 71. multifariam errasse. De ipsa verò Scoti sententia posteriùs dicemus, quum nostram hac de re sententiam proferemus.

Distinctio potentiæ & agentis.

Cap. XI.

Omnia, quæ hactenus dicta sunt, ad id pertinuerunt, vt quãta sit hac in re difficultas, ex ijs, quæ ab alijs dicũtur, intelligeremus; restat vt ipsam huiusce rei veritatẽ declaremus, eamq; ab omni difficultate, si fieri possit, vindicare nitamur. Plena huius difficultatis solutio in duabus (vt arbitror) distinctionibus est constituta: quum enim quęstio proposita sit de motore grauiũ, & leuiũ, & nil aliud sit mouere, quàm ducere de potẽtia ad actum, idque fiat ab agente, cognoscendum est quotuplex sit potentia, & quotuplex sit agẽs. Potentia dupliciter sumitur, vt Arist. docet in calce libri de interpretatione: nam propriè sumitur pro illa, quæ respicit, & præcedit actum; impropriè autem, & æquiuocè sumitur etiam pro illa, quæ est cõiuncta cum actu, vt quãdo dicimus Cœlum posse moueri dum actu mouetur; sed hæc ad præsentem cõsiderationẽ non pertinet, quia Arist. quando in context. 32. octaui Physic. distinguit, in graui & leui duplicem potentiam, non intelligit nisi illam, quæ præcedit actũ, nempe potentiam ad motum, quando mobile non mouetur: hanc igitur Aristoteles ibi cõsiderans duplicem esse dicit, vnam interpretes vocant essentialem, alteram accidẽtalem: essentialis ea dicitur, quę quum sit primariò ad formam, est secundariò ad motum, qui cõsequitur formã; talis potestas ascendendi est in elemento graui, illud enim est potestate leue, proinde potestate ascẽdit, sed quando iam est factum leue, tunc nisi impediatur, ascendit; & iure dicitur essentialis, quia denotat negationem motus à medio, quæ per se competit graui, quia graue quatenus est graue non ascendit: accidentalis autem potestas ascendendi est in elemento leui, quando, quum iam sit leue, non ascendit, quia ab aliquo impeditur, nam leui extra locum suũ existenti accidentale est non ascendere. Has igitur duas potentias in memorato loco Arist. ponit; at nisi nos tertiam adijciamus, non possumus assequi huiusce rei veritatem, sed decipiamur necesse est: quã erroris multorum causam fuisse existimo; Arist.

Potentia dupliciter dicitur.

A enim duas tantùm illas ibi considerauit, quoniam hæ solæ ad eius scopum conferebãt, sed tertiam, quam ego nunc adijciam, non negaset, quum sit per se manifestissima; quoniam enim de illa potestate loquimur, quæ dirigitur ad actum, actus, quem vtraq; illa potentia respicit, null[9] alius est, nisi motus ipse, ibi nanque Arist. considerat potentiam ad motum in elemento quiescente; ideo quando iam mouetur, tunc ductam esse dicit vtrauq; potentiã

B ad actũ, quem respiciebat; sic enim graue aut leue transiuit de non moueri ad moueri, & terminus ad quem illius trãsitus est motus ipse: at quando elementum actu mouetur, negari non potest ipsum esse adhuc in potentia, non tamen amplius ad motum, sed ad locum suũ, siue ad suum vbi, quo adhuc non potitur actu; patet enim hoc ex definitione motus, in qua dicitur motum esse actum imperfectum eius, quod potestate est, quatenus est potestate;

C intelligit enim potestatem non ad motum, sed ad terminum & finẽ ipsius motus: quum igitur in alijs duab. potestatibus, & earum ductione ad actum, terminus ad quem, non sit alius, quàm motus ipse, ad quem ex quiete transit elemẽtum; in hac tertia potestate, seu eius ductione ad actum, terminus ad quem, non est amplius motus, sed locus, vel qualitas, vel aliud quippiam, ad quod tendat motus: hæc igitur sit prior distinctio. Altera verò est,

D quam Scotus ponit in sua quæst. 56. Poster. Analyt. qua tamen in hac disputatione non est vsus, quum maximè ea vti debuisset: efficiens duplex est; vnum, quod cum transmutatione efficit, & quartum causæ genus constituit, quod ab Aristot. vocari solet principium vnde motus, quia semper cum motu efficit; huic propriè dicto efficienti cõpetit definitio potentiæ actiuæ ab Arist. tradita in 9. Metaphysic. potentia actiua est potentia transmutandi

Agens duplex.

E aliud prout est aliud, tale nanque efficiens requirit necessariò patiens diuersum, quia nihil potest mutare seipsum, & ducere de potestate ad actum: hoc efficiens habet à patiente aliquam resistentiam, à qua successio in motu prouenit, quocirca iure vocatur ab Aristot. causa vnde motus: alterum est efficiens, quod non per transmutationem efficit, sed per solam emanationem effectus ab eo, quasi ipso non operante effectus sponte sua illud insequi videatur; tale efficiens est in corporib. na-

F turalibus forma respectu accidẽtium, & proprietatum consequentium in eadem re: ideirco dicere Logici solent, rationalitatem esse causam effectiuẽ risibilitatis in homine, non quidem transmutantem, quia non agit rationalitas in hominem faciendo ex non risibili risibilem; sed siue vllo motu, sine vlla transmutatione, quum primùm est rationale, statim consequitur vt sit risibile, ita vt risibilitas à rationalitate absq; vlla mutatione emanare videatur; ob id hoc impropriè dicitur efficiens,

L

reducitur tamen ad causam effectricem conuenientiùs, quàm ad aliud causæ genus.

Declaratio quinque propositionum, quibus tota rei veritas concluditur.

Cap. XII.

HIs fundamentis iactis, totam huiusce rei veritatem in quinque propositionibus puto esse constitutam, quarum prima hęc est. Si loquamur de prima elementi potentia, quæ est ad motum, & essentialis appellari solet, ab hac elementum ad actum ducitur à solo generante; & hoc idem intelligi volumus de omni corpore, quod vt graue, vel vt leue moueatur, sicut etiam antè admonuimus. hæc apud Arist. clara est in 8 Physic. & in 4. de Cœlo iam memoratis, & per se etiā satis manifesta est; nā est essentiale graui non ascēdere, nec potest hunc motum recipere, nisi à generāte quod mutet ipsum in leue, sic enim dans ipsi leuitatem, dat etiam consequentem ascendēdi facultatem: patet autem non posse graue in hac potestate existens ducere se ad actum, & dare sibi motum ascensionis, sed indigere generante. Omnia igitur, quæ ab Aristot. in prædictis locis dicuntur, nil aliud probant, quàm hanc primam propositionem, atque etiam secundam, quam mox subiungemus, has enim nemo est qui inficiari possit, quum manifestū sit, non posse graue aut leue ducere se de non moueri ad moueri, sed mouente externo indigere.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Secunda igitur propositio est: si loquamur de secunda potētia ad motum, quæ accidentalis vocatur, vt potentia ascendendi in elemēto leui, quando impeditum non ascendit, ab hac ad actum ducitur à remouente impedimentum: hanc similiter ponit Aristot. in memoratis locis, neque vllus est qui eam neget; nam graue iam existens extra locum suum, si ad eum non moueatur, necesse est, vt aliquo detineatur impedimento, quod remouere ipsum met non potest, ideò eget agente externo, quod remouendo impedimentum ducat ipsum de quiete ad motum.

Tertia conclusio.

Tertia propositio est. si cōsideremus tertiam potentiam in graui aut leui existēte extra suū locum, nec impedito, quæ est potentia ad locum, quem non obtinet, de hac ad actum ducitur, & ad suum locum mouetur per se à sua forma tanquam ab agente per solam emanationem. Hæc satis demonstratur argumentis antè adductis, ad quæ nullam ego responsionem video; sed comprobari præterea potest alio argumento sumpto ex ijs, quæ ab Aristot. in contextu 82. octaui Physic. dicūtur de motu proiectorum; non putat enim causam illius motus esse manum proijcientē, sed vult esse necessarium aliquod mouēs, quod comitetur illum motum & illi coexistat; ideò causam refert in partes aëris, per quas proiectum fertur, vt ibi videre est, similiter igitur in motu naturali

A non sufficit generans, quum non coexistat motui; neque vlla huius discriminis ratio in his adduci potest, quam enim rationem habet proijciens ad rem proiectam, eandem habet generans ad elementum genitum, nempe quantum attinet ad motum localē; vtrunque enim dat patienti motionis initium, sed mouere ad finem vsque ipsius motus non perseuerat. Quēadmodum ergò secūdùm Aristot. non satis est dicere proiectum moueri a proij-

B ciente, ita nec satis est dicere, elemētum motu naturali moueri à generante. Ideo notandi maximè sunt varij Aristot. scopi in prima eius octaui libri parte, & in capite illo postremo, nā diuersā respiciēs varijs etiam modis de eadem re loquutus est: in prima nanque parte considerabat primum principium motus in vnaquaq; re, & primum mouēs, à quo res ducitur de non moueri ad moueri, quoniā scopus ibi est primum vniuersi motorem inuesti-

Nota de vario scopo Aristot. in 8. Physic.

C gare: loquēs igitur ibi de motu grauium & leuium tum naturali, tum violento, non considerat aliud mouēs, quàm externum, quod rē traducit de non moueri ad moueri, quale est generans respectu motus naturalis, & proijciēs respectu motus violēti. quocirca ibi nullum alium motorem tribuit motis violenter, quàm illum, qui proiecit; nam aliū posteriorē motorem, qui postea coexistit motui, ibi Aristot. non considerat, propterea quòd ad eius

D scopum non conferebat; ob quā eandē rationē neque elemēti formā ibi considerat vt mouentē motu naturali, quia non est motor primus, sed præsupponit motorē priorem, qui rē transtulerit de quiete ad motum; in postremo autē eiusdem libri capite non amplius loquitur de primo motore rei proiectę, sed de proximo, & adæquato, coexistēte, siquidē primus motor proiectorum iam manifestus erat, nemo enim ignorat proijcientem esse primum

E motorem; sed motor proximus ignorabatur, ideò ibi docet proiectum moueri à diuersis aëris partibus vna post aliam: sic igitur etiam in motu naturali negare Aristot. nō posset esse necessarium mouens proximum, & coexistens. quod nō potest esse aliud, quàm propria forma; generās enim est causa prima & remota; vt consideranti manifestum est. Præterea lapis sursum proiectus per vim, postea deorsum fertur per naturā, à quo igitur mouetur?

F non à proijciente, quia idem nōn potest esse causa simul contrariorum motuum; non à generante, quoniam huius actio iam olim desijt ante longum tempus, & fortassis ante mille annos, imò etiam fortasse generans iam olim interijt; à sola igitur sua forma tunc naturaliter mouetur. Possumus etiam ad hanc sententiam confirmandam sumere argumentum ex Aristot. in memorato context. 32. octaui Physic. qui ab aduersarijs summa cum efficacia pro se adducitur; nam ibi dicit quidē Aristot. grauia & leuia moueri per se à generante, sed

quærit etiam propter quid ad sua loca moueantur grauia & leuia: & respondet his verbis [*causa est quia apta sunt natura aliquò, & hoc inest graui & leui esse*] quum enim quæstio propter quid sit quæstio proximæ & immediatæ causæ, non respondet Arist. generans esse causam cur moueantur, quia generans est causa remota, per quam non satisfieret quæstioni propter quid; sed respondet ipsammet elementi naturam causam esse illius motus, eamque ipsius essentiam esse; atqui hæc est forma, itaque secundùm Aristotelem forma grauis, aut leuis est proxima causa illius motus. Hoc idem notare possumus in context. 24. lib. 4. de Cœlo, vbi Aristot. eandem quæstionem facit, propter quid fertur ignis sursum, & terra deorsum; ad quam similiter, imò & clarius respondet, quòd hæc in seipsis habēt mutationis principium; & in hoc distinguit hæc mobilia motu naturali à sanabili, & augmentabili, quæ mutantur ad sanitatem, & ad magnitudinē ab externo principio; intelligit autē à principio actiuo; ergo vult propriā elemēti naturam esse principium actiuum sui motus naturalis: quod videtur etiam satis clarè pronunciasse in contextu 84. secundi Physic. vbi inquit, naturalia esse illa, quę ab aliquo in seipsis principio continuè mota perueniūt ad aliquem finē, asserere ergo videtur, omnia naturalia moueri ab interno principio actiuo, nam inferiora corpora respicit, in quibus id vniuersè verum esse arbitratur. Confirmatur etiam hæc sententia per ipsamet aduersariorum dicta: declarantes enim, quomodo generans sit motor grauium & leuium, dicunt, generans dat formam; dat igitur etiam motū, quia dans formam dat etiā omnia consequētia formam mediante forma: hoc enim eorū dictum si falsum sit, nullam eorum opinio defensionem habet, generans enim non dabit motum si autem verum esse cōcedamus, per illud ipsi veritatem confitentur, & in nostram sententiam veniunt. Primùm quidem dubia est eius dicti veritas, quoniam accidentia formam consequentia duplicia sunt, alia habent esse permanens, vt risibilitas in homine, & calor in igne; alia verò habent esse fluxile, cuiusmodi est motus: de illis igitur, quę habent esse permanens, clara res esse videtur; nam agens vna & eadem actione, qua dat formam, dat etiam hæc formam consequentia, vt generans hominem dat eadem actione formam, & risibilitatem consequentem, licet hanc per mediam formam: at de motu secus est, generans enim dans elemento formam non dat eadem actione motum; quia cessat generātis actio in primo esse formæ, quod est vltimum non esse ipsius motus, siquidē motus nondum est, sed postea erit, quando generans non amplius aget: generans ergo dans formam non dat eadē actione motum consequētem. Sed admittamus dicti huius veritatē, admitti enim po

Accidentia formam consequētia sunt duplicia.

A test in hoc sensu, quia dans elemēto formam, dat vim motricem sui ipsius; at hoc dicere, est dicere formam esse motricem elemēti, quare hoc ipsi dicentes veritatem apertè confitētur: dum enim dicunt, consequentia formam, fatentur motum elemēti insequi formam, proinde esse effectum formæ: quod etiam clariùs affirmant, dum addunt, mediante forma; sic enim fatentur, generans non esse causam immediatam, quum intercedat forma, per quam B mediam generans dat graui & leui motum: rectissimè etiam vtuntur illa dictione [*consequentia*] sic enim ipsa veritate ducti dicunt formam esse motus effectricem per emanationem; à tali namq; efficiēte ita emanat effectus, vt ipsum insequatur sicut vmbra corpus absque vlla transmutatione; aliud enim est motum producere, aliud est rē producere cū motu & transmutatione; efficiēs quidē transmutans producit rem cum motu, ideò geneC rans producit motum elemēti per mutationē substantialē, at forma elementi producit motum tanquam rē consequētem, nec producit per transmutationem. Quod verò aliqui ad se tuendos dicunt, formam non esse causam effectricem, de qua in præsentia loquimur, sed potiùs esse causam formalem, falsum est; quia forma est quidē causa formalis corporis naturalis, at accidentium non est causa formalis, sed effectrix, vt etiam de anima asserit Aristot. D in context. 36. secundi libri de anima; nec video, quomodo aliquis sanæ mētis dicere possit, formam compositi esse formam etiam accidentium. Sed his causa deceptionis fuit, quòd non cognouerunt efficiens per emanationem ratione saltem distinctum à causa formali; nam formæ vtrunque competit varijs respectibus: alius enim est causandi modus, quo forma elementi est illius corporis causa formalis, quæ ipsum in specie constituit, & aE lius, quo eadem in eodē corpore motum naturalem producit. Videtur autem Aristoteles ipse hoc efficiētium discrimē pulcherrimè significasse in illo context. 32. octaui Physic. nā efficienti transmutanti accommodat verbum κινεῖν, & de hoc loquēs dicit, graue & leue non habere in se principium effectiuum motus, sed solum passiuum, effectiuum enim habet extra se, à quo ducitur de quiete ad motū: efficienti autē per emanationem accommodat F verbum, ἐνεργεῖν, quod ibi Latinè legitur, agere, seu operari; inquit enim, graue & leue agere statim, & operari; & ita illis attribuit actionem ex se tunc, quando iam cessauit effectio agentis externi generantis, vel remouētis impedimentum: multò tamen manifestior est Græci verbi significatio, nam maximè propriè verbum, ἐνεργεῖν, denotat efficiens per emanationem; significat enim exire ex seipso in actûm, & in operationem à natura manantem, postquam cessauit effectio generantis, vel remouentis impedimentum. Quartā pro-

Aliud est producere motū, aliud est rem producere cum motu.

Nota de agēte per emanationem.

positio est, in motu naturali grauium & leuium, A sequitur necessariò, vt non penitus sit re distinctum mouens à moto: hæc ex tertia propositione deducitur, & eam consequitur ex necessitate; nam agens quidem transmutans rem de potestate ad actum est necessariò distinctum re à patiente, quia nihil ita in seipsum agit, sic enim esset simul potestate & actu secundùm idē, vt argumentatur Aristot. in contex. 40. illius octaui libri, quoniam ibi loquitur de solo agente transmutante: sed agens B per emanationem non potest esse re distinctū à patiente; à forma nanque accidentia consequentia emanāt in eodem composito formato, non in aliquo externo; extra verò agit forma non aliter, quàm transmutando; quod clarum est per inductionem, dicimus enim, formam hominis esse causam risibilitatis effectricem per emanationem, non ita tamen, vt dicatur homo diuidi in corpus & animam, & anima efficiat risibilitatem, corpus verò seclu- C sa anima eam primò recipiat; sed totum compositum animatum recipit primò hanc proprietatem, & quatenus est animatum; proinde anima est tum agens, tum ratio patiendi, diuersis tamen modis, nam agit vt forma, recipit autē vt iuncta materiæ. sic à forma ignis emanat in ipsomet igni summ⁹ calor, quæ est ignis proprietas, non ita tamen, vt sola materia patiatur, quia materia informis nō est idoneum subiectum caloris, sed totus ignis dici D tur subiectum caloris vt tali forma formatus; eadem igitur forma agit vt forma, & recipit vt est in materia: hæc autem eadem per calorem insequētem agit extra se in alia per transmutationē, dum res alias calfacit & vrit. Sic igitur etiam de motu elementi dicit Auerroes 3. de Cœlo 28. forma elementi mouet vt forma, & mouetū vt in materia; nam mouere tribuitur soli formæ, tali autē motu moueri tribuitur illi corpori, vt ab ea forma constituto. Ex E his autem patet, in motu elementi non posse diuisionem fieri in partem per se mouentem, & partem per se motam; quia per se mouens est forma, per se motum est totum compositum, quod eandem formam complectitur: attamen ibi quoque notari potest aliqua distinctio realis; quū enim compositum constet ex materia & forma, distinguitur re à forma ratione materiæ, quæ est distincta re à materia, sed ratione formæ non re distinguitur, sed ra- F tione, quaten⁹ aliud est forma vt forma, aliud est forma vt in materia: idque respexit Auerroes in 4. Physic. Comment. 71. quando dixit elementū diuidi in motorem & motum, quatenus motor est forma, & motū est materia; non enim absolutè dixit materiam per se moueri, nam in Cōment. 28. inquit, id quod mouetur, esse totū elementum; sed significare tantùm voluit illam, quæ ibi notari potest, mouentis & moti realem distinctionem; ea enim est, quæ sumitur à reali distinctione materiæ

Agentis per emanationem actio est immanens.

A & formæ. Talis autem distinctio partim realis, partim rationis, necessaria omnino est in agente per emanationem; quia vbi sola forma sine materia suam edit operationē, ea non potest esse nisi forma abstracta à materia, cuius actio est ipsius substantia quare nullus ibi notari potest effectus ab efficiente distinctus, proinde neque efficiens appellari ea ratione potest; vt igitur effectus emanans sit ab efficiente distinctus, tanquam accidens insequens for B mam vt causam, necesse est materiam quoq; adesse, quæ formata tali forma illum recipiat, & ita faciat aliquam realem distinctionem: contrà verò nō potest omnino esse distinctio realis, quia potest quidem agēs agere in aliud extra se per transmutationē, & ductionem de potestate ad actum; at per emanationem non potest agere in aliud, quia effectus emanans nō potest nisi in eo ipso recipi, à quo emanat, hoc enim significat verbū emanare; eaque est C distinctio rationis, quā significauit Auerroes dum dixit, forma elementi mouet vt forma, & mouetur vt in materia; non datur igitur effectus à forma emanans, & ab ea distinctus tanquam à causa, nisi in rebus materialibus, nec potest ibi esse prorsus realis distinctio agentis & patientis sed partim realis propter materiā, & partim rationis propter formam. Postrema tandem propositio hæc est; si motum elementi redigere velimus ad motorem per veram ef D ficientiam, & per transmutationē, elemētum mouetur à seipso vt ab agente transmutante, non tamē per se, sed per accidens: hæc per solam rei considerationem manifesta redditur; nam graue descendens mouet aërem, qui ei cedit, quare motum aëris consequitur vt graue deorsum feratur, nō enim moueretur graue, nisi substans aër, vel aliud eiusmodi corp⁹ illi cederet; à primo igitur ad vltimū mouetur graue à seipso per accidens, quia per aë E rem medium qui primò mouetur à graui. Est autem notandus in motu grauis & leuis hic ordo, si non temporis, saltem naturæ primum quidem mouetur elemētum à sua forma per se, tanquam ab agente per emanationem, ab ea namq; emanat immediatè motus naturalis in ipsomet elemento, non per mediū aërē, & nisi graue primò seipsum moueret, non premeret aërem: secundò totum graue, non forma eius, per suum motum mouet aërem F tanquam agens transmutans; sic enim agit in aliud, & ibi adest perfecta realis distinctio mouentis & moti, & resistētia patientis, à qua in motu successio prouenit; iam enim diximus, nullam esse in elementi motu internam resistentiam, sed externā solùm, quia in mouendo per emanationem nulla potest esse resistentia, nisi diceremus, eandem formam sibimet obsistere, quod nullo pacto dicendum est: tertiò ad motum aëris mouetur etiam ipsum graue, & incedentis aëris locum subintrat; & ita fit vt graue à seipso moueatur tum

Quinta conclusio.

Ordo in motu grauis & leuis.

per

per se, tum per accidens; per se quidem ratione efficientiæ per emanationem, quæ ordine naturæ primus est, per accidens verò ratione efficientiæ per transmutationem, quæ est postrema, & per aërem medium, & cum resistentia moti ad motorem, quam etiam Scotus declarat in 2. Sentent. in distinct. 2 quæst. 9. ad quartum: prima enim actio transmutans est ipsius grauis in aërem, non in se, eam autem consequitur vt etiam graue moueatur, hoc enim non moueretur, nisi priùs aër moueretur: ideo non est ignorandum, modum hunc mouendi se per accidens, reduci ad remotionem impedimenti; quando enim graue descendit, remouet aërem impedientem, & ita mouet se per accidens; sic etiam Aristot. dixit à remouente impedimentum moueri rem per accidens, quia per mediam remotionem impedimenti: respectu autem ipsius impedientis dicitur mouens per se, quia per se & immediatè mouet impedimentum, secundariò autem consequitur, vt res quoq; impedita moueatur; sic igitur graue descendens remouet per se aërem, quo fit, vt ipsum quoque se per accidens mouere dicatur, quia per substantis aëris remotionem. Ex his colligimus, esse in motu elementi aliquam internam resistentiam, non quidem per se, vt aliquos putasse iam diximus; sed solùm per accidens: dũ enim graue motum à sua forma mouet sẽ rem medium, & aër illi resistit, necesse est vt ipsum quoque resistat formæ mouenti; tota tamen resistentia prouenit à resistentia externi aëris, ipsum enim graue per se suæ formæ non obsisteret, sed quoniam aliud corpus ipsi resistit, cogitur ipsum quoque resistere suæ formæ, per aliud ergo resistit, non per se, & eò magis resistit, quo magis aliud illi resistat, quod prouenit ex maiore medij corporis densitate. Hanc esse puto veram sententiam, & totius huius difficultatis solutionem, & Aristot. atque Auerrois verbis, imò & ipsi rerum naturæ maximè consentaneum.

Resistentia interna in motu elementi.

Consideratio opinionis Scoti.

Cap. XIII.

QVoniam supra diximus, Scotum hac in re proximè omnium ad veritatem accessisse, nunc veritate cognita, videamus quid bene, & quid non bene ab eo dictũ fuerit. Primùm quidem, quod dixit, elementum per se moueri a sua forma, optimè dixit; quod etiam dixit, id esse absque reali distinctione mouentis & moti, verissimum est: & in hoc maximè probandus est Scotus, quòd id cognouerit, quod alij non viderunt, nisi solus Auerroes, qui dixit formam elementi mouere vt formam, & moueri quatenus est in materia: in eo tamen defecit, quòd putauit Auerroem hac in re inconstantẽ fuisse, & nihil certi ex eius verbis sumi posse; nam Auerroes hac in re sibi semper constitit, & omnia eius

Defectus Scoti.

A dicta vera sunt, vt mox considerabimus. In afferenda quoque suæ sententiæ ratione puto Scotum defecisse; imperfectã enim rationem adduxit confugiens ad agens æquiuocũ: nam licèt omne agens per emanationem sit æquiuocum, non tamen conuertitur; datur enim agens æquiuocum, quod non per emanationem, sed extra se per transmutationem agit, cuiusmodi est Cœlum respectu corporũ inferiorum; in talibus autem agentibus Scoti B ratio locũ non habet, quia nihil potest transmutare seipsum, & quod potestate habet, tribuere sibi actu, nisi habeat partem per se mouentem, & partem per se motam: quod enim non sufficiat actus virtualis, & potẽtia formalis, vt possit aliquid mutare seipsum, clarum est in multis; nam vinum est virtute calidum, quum habeat vim calefactricem, & habet potẽtiam formalem, quum sit actu frigidum, & possit fieri calidum, attamen non potest cal- C facere seipsum: motus etiam secundùm Aristotel. generat calorem, quo liquescit plumbeus mucro sagittæ, non ita tamen, vt primò calfaciat mucronem ipsum, qui mouetur; sed mucro per motum agit primò in aërem, & ipsum atterendo accendit, postea ab eo accenso ipse postea calefit; itaq; sagitta mota habet actum caloris virtualem, & potẽtiam formalem, quia est apta calorem, quem non habet, recipere, tamen non potest immediatè sei- D psum calefacere per motum; non est igitur idonea ratio, est agens æquiuocum, & habet potestatem recipiendi formaliter, ergo potest mutare seipsum: huius autem deceptionis ratio est, quoniam aliquid habens potentiam formalem, potest quidem simul habere actum virtualem respectu aliorum, in quæ agere potest, at non respectu sui ipsius; quia dicere respectu sui ipsius est implicare contradictionẽ, vt aliquando consideraui in declarando con- E tex. 40. octaui Physic. quando enim agens naturale aptum est agere, & habet patiens præsens, nec impeditur, ex necessitate fit actio; ergo si agens potest sibi talem formam tribuere, iam eam habet, nec potest esse in potentia formali, quia semper fuit sibiipsi præsens; quo igitur momento habet actum virtualem respectu suijpsius, eodem momento necesse est vt habeat etiam actum formalem, nisi impediatur: quòd si impediatur, habet F quidem potentiam formalem, sed non habet actum virtualem, quia non potest remouere impedimẽtũ, & se ducere de potẽtia ad actũ, vt patet in graui detẽto per vim in aliquo supero loco; nõ habet enim per se actũ virtualẽ. i. vim mouẽdi se actu, sed eget auxilio agentis externi, quod remoueat impedimẽtũ: dũ igitur impedimẽtum viget, habet quidẽ potentiam formalem, sed non habet perfectè actum virtualem; dum autẽ habet perfectè actũ virtualem respectu suijpsius, tunc habet necessariò actum formalem; non potest igitur ha-

bere perfectum actum virtualem respectu sui ipsius, & simul potentiam formalem. Melior itaque est ratio, quam nos attulimus, non requiritur distinctio partis mouentis, & partis motæ, quia est agens per solam emanationẽ: quamuis enim hoc non sit nisi agens æquiuocum, ratio tamen non est quia sit æquiuocũ, sed quia per emanationem agit; quoniam agens per emanationem simul est cum effectu, nec habet actum virtualem cum potentia formali, sed cum actu formali, quoniã in seipsum agit, quum emanare effectus non possit, nisi in ipsomet subiecto, in quo est causa, à qua emanat: hæc igitur vera ratio est, cur in graui & leui non requiratur realis distinctio partis per se mouentis & partis per se motæ, non quam Scotus adduxit. Viget præterea contra Scotũ ratio allata ab alijs; admissa enim Scoti sententia ruit progressus Aristot. in octauo Physicorum ad inueniendum primum motorem immobilem; nam aduersarius diceret, deueniri ad primum, quod ideo seipsum mouet absque distinctione motoris & moti, quia est agens æquiuocum; idque rationi consonum videretur, quoniam agens æquiuocum est natura prius agente vniuoco; nullus ergo daretur motor immobilis.

Conciliatio omnium dictorum Aristotelis, & Auerrois, & omniũ difficultatis solutio. Cap. XIV.

PEr ea, quę hactenus dicta sunt, omnis difficultas tollitur, & omnia tum Aristot. tũ Auerrois dicta optimè conciliantur. Auerroes enim modò dicit formã elementi esse mouentem, & materiam esse motam; modò dicit formam esse mouentem, & eandem formam quatenus est in materia esse motam, quod declarans inquit, totum elementũ formatum moueri à sua forma; quandoq; etiam dicit elementum se mouere per accidẽs, quia per aërem mediũ, vel per aliud eiusmodi corpus: & hęc omnia vera sunt: quando enim dicit materiam esse motam, non intelligit propriè materiam moueri, quum alibi dicat elementum totum esse id, quod mouetur, sed solùm significare vult distinctionem aliquã realem mouentis & moti, sicut antea declarauimus. & quando dicit, formam esse mouentẽ, & elementum esse motum, intelligit per emanationem, & per se, non per accidens: quando autem dicit elementum mouere se per accidens, hoc est, per aërem medium, intelligit vt mouens per transmutationem; sic enim mouere non amplius formæ tribuit, sed composito; forma enim mouet elementum per se tãquam mouens per emanationem; ipsum autẽ elementum per transmutationem mouet per se aërem medium, & per eum mouet etiam seipsum per accidens, quæ omnia iam fuère à nobis fusè declarata; quare nulla est in dictis Auerrois repugnantia nulla inconstantia. Sic etiam in dictis Aristotelis: nam secũdùm principia philosophiæ Aristotelis fateri oportet formam elementi esse naturam, & principiũ actiuum motus proximum, & æquatum, vt argumenta priùs adducta demonstrant; at in octauo Physicæ auscultationis lib. de hoc Aristotel. non loquitur, sed de primo mouente, ad quẽ reduci quemlibet motum necesse est, nam scopus ibi est inuenire primum vniuersi motorem æternum & immobilem; forma verò elementi non potest dici primus motor respectu sui motus quoniam pendet à generante, à quo est producta, & à quo hanc necessariam legem accepit vt tali motu moueat, non alio; generans enim talem ipsam produxit, vt eam necessariò insequeretur ad statutum locum propensio, ipsa igitur sui motus imperiũ non habet, sed ita mouet, vt ei mandatum est à generante externo; quare non est primum sui motus principium, nec potest dare elemento motum post quietem, sed pendet à generãte, tanquam a primo principio: nõ sic animalium anima; quamuis enim ipsa quoque secundùm suum esse pendeat à generante, non tamen secundùm motum illum, quo animal ab ipsa mouetur loco, non est enim producta talis vt eam necessariò insequatur certus aliquis motus, sed est producta libera ad mouẽdum, & non mouendum, & ad mouendum etiam contrarijs motibus, habet igitur ipsa imperium sui motus, & traducere potest corpus animalis de quiete ad motum, proinde respectu sui motus potest appellari primum mouens. Ex his etiam rationem colligimus, cur mouens loco per emanationem non possit esse primum mouens; nam tale mouens non est nisi forma materialis, eaque rei inanimatæ, & nil aliud est emanare, quàm per necessariam quandam naturalem deriuationem prodire effectum ex causa diuersum ab illa, ideo est etiam sine cognitione, quia vbi est cognitio, ibi est imperium mouendi, & non mouẽdi; quocirca ab anima cognoscente non dicitur emanare in animali motus, sed potiùs effici cum mutatione de non moueri ad moueri, & ex animæ imperio: a forma verò inanimati emanat statutus quidam naturalis motus, nõ alius, nempe ille, qui ei assignatus est à generante externo quod formã cum hac lege produxit, vt tali moueret motu, non alio; ob id Aristoteles in libro octauo Physic. generanti tribuit primas in motu inanimati: quamuis enim proximum eius mouens sit forma, hæc tamen non est primum mouẽs, sed in illa motione pendet ab imperio externi mouentis prioris, quod respiciens Aristoteles in contextu 32. illius libri dixit, graue & leue habere in se principium motus passiuum, non actiuum; est enim passiuum, quatenus non est primum, sed pendet à principio priore, à quo dicitur pati, quatenus ab eo recipit inuiolabilem legẽ

Motor per emanationem non potest esse primus.

A mouendi tali motu, non alio: seu dicamus, omnem formam materialem esse principium motus passiuũ, vt alias in libro de Natura declarauimus, proinde non esse mirum, si Aristoteles formam elementi dicat esse principiũ motus passiuum, negat autem esse principiũ actiuum, quia in ea parte non vocat actiuum principium, nisi illud, quod primum sit, & in mouendo non pendeat ab alio. Nobis igitur non officit argumentum ab alijs adductum contra Scotum: nam si nobis obijciant per B hanc nostram sententiam destrui Aristotelis argumentationem in libro octauo Physic. ad inueniendum primum motorem immobilẽ, quia dicere aduersarius posset, primũ seipsum mouens esse mouens per emanationem, proinde non sequi distinctionem realem mouentis & moti, quum à semetipso moueatur: ad hoc dicimus, nullum motorem per emanationem posse dici primum, quo fit, vt, quũ ad hunc peruenimus, is necessariò pendeat à C motore alio priore quare non potest esse, nisi forma materialis, sicut modo dicebam*: quãdo igitur constituimus, peruentum esse ad primum seipsum mouens, hoc non potest se mouere per emanationem, quia sic non esset primum, idque locum habet etiam vniuersè cõsiderando motorem primum in vnoquoque particulari motu, absque propria cõsideratione motus æterni, & æterni motoris vniuersi; quòd si hunc spectemus, multò minùs nobis D officit obiectio prædicta, quoniam à motore per emanationem non potest æternus motus fieri, nec talis motor potest esse æternus.

Solutio argumenti adducti cõtra Scotum.

Cur motus grauium & leuium sit velocior in fine, quàm in principio, plures aliorum sententiæ.

Cap. XV.

EA est veritatis natura, vt per eius cognitionem omnes, quæ in re oriuntur, quæstiones soluantur: quoniam igitur dubitari maximè solet de eo, quod ab Aristotele dicitur in contextu 88. libri 1 de Cœlo, grauia & leuia velociùs ferri in fine motus, quàm in principio; si ostẽdimus, nullam adduci posse huius effectus idoneam causam, nisi fateamur grauia & leuia à suis formis moueri, magnam certè huius sententię comprobationem afferemus. Quæritur itaque, quænam sit causa, vt motus grauium & leuiũ naturalis in fine velocior sit, quàm in principio; plures hac de re aliorum sententiæ extiterunt, quas apud Simplicium legere possumus, tum in memorato loco primi libri de Cœlo, tum in contextu 76. libri octaui Physicorum. Vna fuit opinio Hipparchi, qui causam esse dixit remotionem maiorem à principio violento: nam si lapis sursum proijciatur, motus ille violentus maior est in principio, & continuè minor fit,

Opinio Hipparchi.

donec penitùs desinat, & tunc incipit lapis suapte natura descendere, sed in principio tardiùs, quia retinet adhuc aliquid illius violentiæ, à qua fuit proiectus; hæc enim motui naturali aliquam resistentiam facit; quantò autẽ magis descendit, tantò fit velocior motus, quoniam illa violentia semper imminuitur, & naturæ lapis minùs obsistit: tandem igitur in fine velocissimus est motus: itaque quum primùm est proiectus lapis, videmus in principio violentiam præualere naturæ, & hunc excessum continuè minorem fieri, donec natura incipiat præualere violentię, quod est, dum incipit lapis deorsum ferri, sed tunc tardus est motus, quia paruus est excessus naturæ, sed quantò magis descendit, velocior fit motus, quia quãtò magis remouetur à principio violento, tantò magis præualet natura ipsi violẽtiæ; in fine igitur velocissimè mouetur, quia tunc remotissimus est à principio violento. Aduersus hanc Hipparchi sententiam Alexãder, & cum eo Simplicius hoc argumento vsi sunt, quòd ista causa non est vniuersalis, neque in omnibus locum habet, quo fit, vt dici non possit huius effectus causa; vt enim admittatur de illo motu naturali, quem præcesserit motus violentus, vel etiam violenta quies, at certè locum non habet in graui & leui extra suum locum genito, & statim absque vllo impedimento ad eum tendente: nam si aqua in sublimi generetur, simulatque est genita, deorsum fertur, & maior semper fit eius motus velocitas, licèt nullam priùs impressam violẽtiam habuerit; siquidem nec motus vllus violentus, nec violenta quies pręcessit, nec vllum assignari potest principium violentum; quandoquidem generans dedit potiùs aquæ naturam, quàm illi violentum dici possit: causa igitur incrementi velocitatis non est illa, quam Hipparchus attulit, quum non habeat locum E in omnibus. Aliam tangit Simplicius nonnullorum opinionem, quòd causa huius effectus sit medium per quod fertur graue, vel leue: quum enim in illo motu oporteat medium scindi, faciliùs scinditur paucum, quàm multum: quando igitur lapis descendit, substat ei in principio multum aëris, proinde magis obsistit lapidi descendenti, ne secetur ab eo, & tardior fit motus; postea verò quando lapis suo loco propinquior est factus, substat ei paF rum aëris, proinde minùs ei resistit, ac faciliùs scinditur, ideò tunc velocior fit motus. Aduersus hanc sententiam vtitur Simplicius authoritate Aristotelis, qui in contextu 88. libri primi de Cœlo inquit, hoc velocitatis incrementum fieri ob incremẽtum grauitatis; nam si causa esset medium, vt illi dixère, Aristotel. non veram causam attulisset, quare ea sententia verbis Aristot. consentanea non est. Alexãder tamen (vt in dicto loco Simplicius refert) nisus est ostendere, horum opinionem non pugnare cum opinione Aristotelis, & adnu-

Confutatio.

Aliorum opinio.

Confutatio.

ti posse etiam iuxta Aristotelis mentem, sed hoc apud Simplicium in dicto loco legatur; non est enim operæpretium in hoc tempus consumere, quum certum sit, eam sententiam falsam esse; nam præter Simplicij obiectionē alia quoque ratione falsitas eius ostenditur, si enim duo grauia paria grauitatis & magnitudinis in aëre suspensa ponantur, sed vnum à terra distans centum cubitis, alterum verò decem cubitis tantùm, & priùs demittatur illud, quod centum cubitis distat, exactis autem nonaginta cubitis, demittatur etiam alterum, vt per decem reliquos cubitos simul descendāt, certum est, atque experientia comprobatum, non æqualem fore in illis decem cubitis vtriusque velocitatem, sed velociùs mouebitur illud quod à remotiore loco descendit; tamen si idonea ab illis causa assignata esset, oporteret ea duo grauia æquali velocitate descendere in iis postremis decem cubitis, quū æqualis aër vtrique substet: patet autem secundùm hanc sententiam nullam posse causam adduci, cur graue à remotiore loco descēdens maiorem ictum faciat, quàm descendens à propinquiore, nam vtrobique deberet æquè velox esse motus, qui per spatium æquale statim præcedit ictū, proinde & ictus æqualis, quod tamen verum non est, & aduersatur experientiæ; quare hæc opinio reijciatur.

Simplicij & Alexandri, & Thomæ opinio.

Simplicius & Alexander causam huius effectus esse dicunt; quia elemētum, quò magis appropinquat suo loco, & suo toti, eò magis roboratur, & validius fit, & perfectiorem formam adipiscitur; & è contrario, quò remotius à suo loco est, eò magis debilitatur, & formam habet imperfectiorem. Hanc eandem sententiam Thomas quoque sequi videtur in interpretatione illius context. 88. lib. 1. de Cœlo: inquit enim, elemētum suo loco appropinquans ab eo confortari, & ex ea confortatione maiorem fieri elementi vigorem, & grauitatem, vel leuitatem, eamque causam esse, cur motus velocior fiat. Sed Aristoteles quoque hanc ipsam sententiam significare in memorato loco visus est, dicens augeri elementi grauitatem, vel leuitatem, dum loco suo appropinquat; & inde fieri, & etiā velocitas motus augeatur. Quod verò ad Simplicium attinet, ipse quidem videtur in contextu 76. libri 8. Physicor. plures, & varias afferre huius effectus causas, sed non ob id inconstans dicēdus est; propterea quòd illæ omnes in hunc ipsum, quem retulimus, sensum cadunt; & quas ibi vt plures adducit, eas postea in libro 1. de Cœlo refert vt vnam: quòd enim elemēta suis locis appropinquantia roborentur ab eis, vel à suis totis, vel formam perfectiorem consequantur, vel grauitatem, vel leuitatem maiorem, vel validiora fiant, hęc omnia apud Simplicium & Alexandrum idem significāt, vt videre est apud Simplicium in prædicto 88. cōtextu 1. lib. de Cœlo: vbi etiam notare debemus, ipsum, quam-

A uis prædictam sentētiam Aristoteli attribuat, videri tamen postea de ea dubitare, dum dubitat de ipso effectu, quem ibi Aristoteles vt manifestum constituit; inquit enim Simplicius, tum ipsum secundùm se effectum dubium esse, quia discernere nō possumus, quòd motus elemēti fiat in fine velocior; tum etiam dubium maximè reddi ratione causæ, quam Aristoteles adducit; siquidem inquit, id fieri ex incremento grauitatis, vel leuitatis: hoc tamen non est clarum; nam hoc dato, oporteret B corporis pondus esse maius, quando est terræ propinquum, quàm quando est remotum, & in sublimi aliquo loco positum: attamen in librandis lance ponderibus hoc nō experimur, sed idem inuenimus esse eiusdem corporis pondus & prope terram, & in sublimi loco librati; nam si prope terram inueniatur esse decem librarum, tantundem esse comperietur etiam in loco à terra valde remoto, nisi fortè pro Aristotel. defensione dicamus (inquit Sim- C plicius) esse quidem discrimen aliquod in illius ponderis libratione, sed illud est insensibile: videtur itaque significare Simplicius, dubium esse effectum, quem Aristoteles pro comperto sumit; sed eo admisso, non esse aliam eius causam, nisi illam, quæ modò relata est, nempe adeptionem perfectioris formæ, & maioris vigoris, dum elementum suo loco appropinquat.

Dubium Simplicij contra Aristotel.

Sententiæ confutatio, & Aristot. defensio.

Sed reuera dubium Simplicij etiam illa causa admissa vanum est: vt enim condo- D nemus, maiorē esse grauis corporis grauitatē prope terrā quàm in sublimi loco, ipsumque à loci sui propinquitate roborari; tamē certum est, idem semper inueniri debere eiusdē corporis pondus, siue prope terram, siue procul à terra libretur, proinde negandam esse illā cōsequētiam; si idem corpus maiorē habet grauitatem prope terram, quàm procul, ergo non idem inueniretur eiusdem corporis pondus in ijs duobus locis: certum enim est, in libran- E dis lance ponderibus duo pondera in cōsiderationē cadere; altero namque vtimur pōdere noto, ex quo in altera parte lancis posito alterius ponderis quæsitam quantitatē cognoscamus; in vtroque igitur pondere eadē ratio viget; etenim secūdùm Simplicij rationē oportet prope terram esse æquè maiorem vtriusque grauitatē, & procul a terra æquè minorē: quum igitur vbique eadē seruetur ratio noti ponderis ad ignotum, necessarium est, vt vbi- F que eadē ponderis quantitas inueniatur, quia vbique idem manet eorum æquilibrium; non est igitur valida Simplicij ratio; proinde eius dubitatio vana est, siquidem etiam admissa causa ab ipso, & ab Alexandro adducta, necesse est idem vbique pondus inueniri. Cæterùm quia prædicta Simplicij contra Aristotelem dubitatio locum non habet, nisi illa causa constituta, vanius reddetur eius dubium, si ostenderimus, causam illam nullo pacto admittendam esse. Primùm quidem vrgetur

tur ea sententia difficultate illa, qua alios quoque vrgeri diximus; nam oporteret idem graue per idem terræ propinquum spatium moueri eadem velocitate tum a propinquo loco, tum à remotissimo demissum, proinde & æqualem ictum facere: tamen contrarium experiuntur; idem enim homo supra terrã existens si à lapide percutiatur descendente de loco tribus cubitis superiore, minorem ictum sentiet, quàm si percutiatur ab eodem descendente de loco superiore viginti cubitis: per B tres igitur infimos cubitos velociùs mouetur lapis à remotiore loco descendens, quàm à propinquiore: tamen si vera esset sentẽtia Simplicij, deberet idem lapis esse eiusdem grauitatis, & moueri æquali velocitate à quolibet loco demissus, quoniam in eadem distantia à centro deberet eadem esse perfectio formæ, & eadem roboratio, & idem vigor. Præterea quando dicunt, formam elementi fieri perfectiorem, videndum est, quidnam per formam C intelligant: vel enim formam substantialem perfectiorem fieri dicunt, vel aliquod accidẽs formam insequens; formam quidem substantialem reddi perfectiorem, & intendi, est vanissimum dicere, quia hæc nec intendi, nec remitti potest; hac autem integra manente, necesse est proprietates quoque eam consequentes seruari integras, & eandem fieri operationem, nempe eandem esse eiusdem corporis grauitatem, & eundẽ motum per idem D medium, quum non adsit aliquod agens, à quo talem mutationem pati possit; actio namque omnis per contractum fit; quare lapis descendens neque à loco suo roborari potest, neque à terra tota, ad quam tendit, quum ab *Durandi opinio.* iis nondum tangatur. Durandus in 2. lib. Sentent. distinct. 14. quæst. 1. refert causam huius incrementi velocitatis in minorẽ resistentiam medij, constituto eodem interno principio; inquit enim medium graui descendenti mi- E nùs resistere in fine motus quàm in principio, ideoq; motum in fine esse velociorem: minoris autem resistentiæ causam esse inquit, quòd aer propinquius terræ est minùs leuis, quàm aer superior, ideò minus nititur contra mo- *Confutatio.* tum grauis descendentis. Hæc sententia proximè quidem ad veritatẽ accedere meo quidem iudicio videtur, attamen non omnino probanda est, quia non idoneam rationẽ adducit minoris resistentiæ medij: non enim ob F naturæ similitudinem vel dissimilitudinẽ fit maior, vel minor medij resistentia, ita vt medium grauius minùs resistat graui descendenti, quam medium leuius; sed propter densitatem vel raritatem, quando diuersæ sunt mediorum naturæ; seu propter motum, vel quietem, quando eadem medij natura constituitur; qua de re mox diffusiùs loquemur. Videtur etiam ratio hæc Durandi contrarium ostendere: nam si aer inferior minùs est leuis, est igitur grauior, quàm aer superus, ergo etiã A densior, quare magis resistet graui descẽdenti, quàm aer leuior, qui etiam est rarior: ob hanc igitur rationem deberet elementi motus naturalis tardior esse in fine, quàm in principio; hoc tamen & Aristoteli, & experientiæ aduersatur.

Opinio vera, & eius declaratio.

Cap. XVI.

IN hac difficultate ego sequendã puto mul- B torum sententiam, qui dicunt, præcedentem motum esse causam maioris velocitatis motus sequentis; hinc enim fit, vt continuè crescat velocitas motus, & in fine fiat maxima: quoniam initio debilis, ac tardus fit motus, quem alius motus non præcessit; in fine autem velocior, quia alius eum præcessit motus: hoc ita sese habere experientia docet: si quis enim pellere, vrgere ac percutere rem aliquam velit, vehementiùs id facit, si priùs C moueatur, quàm si nullus motus præcedat; ideò quando vehementer percutere aliquem volumus, manum priùs retrahimus, vt maiorem ictum faciamus: & in hastiludio hastas currendo frangunt, quas sine cursu non frangerent; naturali namque instinctu ducimur, vt à remotiore loco motum inchoemus, quando maiorem in fine percussionem facere volumus. Hinc sumitur ratio, cur si duo æquè grauia descendant, sed vnum à loco remotio- D re, alterum à propinquiore, & considerentur in aliqua æquali distantia à centro, vnum velociùs altero moueatur; velociùs enim mouetur illud, quod à sublimiore loco descendit, quia præcedens eius motus maior fuit, alterius verò minor. Hæc absque dubio est huius effectus causa, sed in hac tamen acquiescere non possumus, nisi huius quoque causæ causam cognoscamus; scire namque oportet, cur præcedens motus sit causa maioris velocitatis E motus sequentis; sic enim proximam rei causam cognoscemus, qua cognita, omne hac in re dubium tolletur, & intelligetur, quid significare Aristoteles voluerit, quando dixit, motum in fine esse velociorem propter incrementum grauitatis, vel leuitatis. Mihi quidem videtur, causam hanc colligi posse ex iis, quæ in contex. 82. lib. 8. Physic. ab Aristotele dicuntur de motu proiectorum: licèt enim ille sit violentus motus, & tardior in fine, quàm in F principio; tamen si ea, quæ ibi de violento dicuntur, applicemus naturali, fortasse omnem hac in re difficultatem soluemus. Docet ibi Aristotel. proiectum moueri ab aere, hoc est, *Sententia Aristotelis de motu proiectorum.* à partibus aeris ordine dispositis: quando enim manus proiicit lapidem, pellitur primũ à lapide prima aeris pars lapidi proxima, & hæc pellit aliam partem secundam, & illa tertiam, & tertia quartam; est autem aer elementum facillimè mobile, & agitabile in suo loco; idcircò ea vi percussus magis mouetur, quàm lapis, & præcurrit ipsi lapidi: postquam igitur à

proijciente dimissus est lapis, feruntur ab his aëris partibus motis, quæ sunt illi tanquam vehiculum; sed tardior semper fit motus lapidis, & in fine tardissimus, propterea quòd lapis mouet primam aëris partem, & eidẽ dat vim motricem alterius secundæ partis, debiliorem tamen, quàm ipse habeat; sic etiam prima aëris pars mouet secundam, & dat etiam illi vim pellẽdi tertiam, sed debiliorem, quàm habeat ipsa; secunda mouet tertiam, & eidem dat vim, adhuc tamen debiliorem, mouendi quartam sequentem; adeò vt propter continuam imminutionem facultatis motricis, deueniatur tandem ad aliquam aëris partem, quæ ita debiliter moueat aliam sequentem, vt nullam ei impartiatur vim mouendi aliquam aliam partem; illa igitur est vltima pars mota, quæ nullam aliam mouet: quum itaq; ab his ita motis aëris partibus feratur lapis, tardiùs mouetur in fine, quàm in principio, & tandẽ desinit prorsus motu illo moueri, quãdo peruenit ad postremam motã aëris partem; & causa huius imminutionis velocitatis motus est, quia posteriores partes aëris tardiùs mouentur, quàm priores, propterea quòd à primo illius motus principio remotiores sunt; quum enim primum mouens sit externum, partes ab eo distantes tardiùs mouẽtur, propinquiores autem velociùs, quia maiorem ab eo vim mouendi recipiunt. Hæc igitur apud Aristotelem causa est, cur motus violentus tardior sit in fine, quàm in principio, licèt multis dubia videatur: sed de hoc in præsentia disputandum non est; satis enim est, habere hanc in re opinionem Aristotelis, vt cognoscamus, quid de motu naturali idem philosophus senserit. Si hæc omnia consideremus, colligere ex ijs possumus, quòd si naturalis quoq; elementorum motus a solo externo motore fieret, idem in eo contingere deberet, quod in motu proiectorum: nam si ratio illa de violento motu ab Aristotele adducta vera est, vera etiam esse debet de motu naturali; pars enim vltima motus naturalis, tanquam distantior à primo mouente, deberet esse tardior, cuius tamen contrarium asserit Aristoteles, dicens esse velociorem: vult igitur grauia & leuia moueri à proprijs formis, tanquam à motoribus proximis; sic enim fit, vt graue descendẽs non remoueatur magis à principio mouente, quia secum fert motorem suum, & eum vbiq; præsentem coniunctum habet ab initio motus ad finem. Hac tamen ratione deberet motus grauis descendentis esse totus æquè velox, quoniam eadem natura mouẽs eundem eiusdem corporis motum facit; ergo si crescit continuè velocitas motus, necesse est aliquam esse huius differentiæ externam causam, eamque esse medium, per quod fit motus, vt aërem, vel aquam: quum enim oporteat à corpore medio aliquam fieri resistentiam graui descendenti, ac leui ascendenti, hanc si ostenderimus


A in initio motus maiorem esse, in fine verò minorem, ratio manifesta erit, cur in principio tardior sit motus, & in fine velocior. Certum est, ac per experientiam cõprobatum, vnamquamque rem faciliùs moueri per medium quiescens, quàm per medium aduerso motu latum, sed adhuc faciliù per medium, quod ad eandem partem feratur, quàm per quiescens; nauis enim velocissimè fertur per flumen secundo fluxo, tardiùs per aquam quie-
B scentem, sed tardissimè aduersus fluxũ amnis: statuamus igitur lapidem in aëre descendentem, substat illi in initio illius motus prima aëris pars quiescens, quam vi mouere incipit lapis descendendo, quia resistentiam ei aliquam facit; non potest autem prima aëris pars premi, ac deorsum pelli, nisi similiter pellat ac moueat secundam ei substantẽ partem; lapis igitur ad secundam aëris partem perueniens, inuenit eam motam, & ad eandem par-
C tem, nempe deorsum; ergo velociùs in ea descendit, quàm in prima quiescente; quum autem velociùs descendat in secunda, quàm in prima, necesse est vt tertiam magis premat, quàm priùs secundam presserit: tertia igitur deorsum premitur vehementiùs, ac velociùs, quàm secunda; ergo quando peruenit lapis ad tertiam, in ea mouetur velociùs, quàm in secunda, quemadmodum & nauis, quæ secundo flumine moueatur, eò velociùs mouetur,
D quò velocior sit fluxus amnis: velociùs autem latus lapis in tertia, quàm in secunda, magis premit quartam, quàm priùs tertiam presserit, ideò quarta velociùs deorsum pellitur, quàm tertia, & ita lapis ad quartam perueniens mouetur per eam velociùs, quam per tertiam, & ita deinceps; quamobrem augetur semper velocitas motus, & in fine est maxima; non tamen quòd grauitas, seu vis lapidis motrix fiat maior; hæc enim eadem manet,
E sed quia continuè imminuitur resistentia medij, proinde augetur excessus virtutis motricis ad resistentiam aëris, qui ab ea mouetur, & ita velocitas motus augetur: quòd si graue & leue non à sua forma, sed à motore tantũ externo mouerentur, id euenire non deberet, vt in violento motu non euenit; quum igitur incrementum hoc velocitatis motus proueniat ex imminutione resistentiæ medij, hæc autem id efficere non possit, nisi constituta eadem vi
F mouentis, necesse est fateri, elementum moueri à propria forma; sic enim fit, vt motor sit semper æquè propinquus moto ab initio ad finem motus; at si motor esset externus, fieret etiam semper remotior, proinde motus continuè debilior, ac tardior fieret, nec vlla ampliùs ratio sumi posset à resistentia medij, vt nullam sumi videmus in motu violento; quare idem prorsus in motu naturali eueniret, quod euenit in violento; esset enim tardior in fine, quàm in principio. Ex his autem patet, rectè in eo sensisse Durandũ, quòd cau- Durandus.
sam

sam incrementi velocitatis retulit in imminutionem resistentiæ medij, sed in eo defecisse, quòd non idoneam rationẽ adduxit imminutionis resistẽtiæ, sicut antea demonstrauimus.

Solutio orientis cuiusdam difficultatis. Cap. XVII.

Dubium. TOllenda hîc est difficultas non leuis, qua vigeri hæc sententia nostra videtur: nam si ex sola resistentiæ medij imminutione prouenit incrementũ velocitatis motus, non ex incremento grauitatis, vel leuitatis corporis moti; ergo falsum dixit Aristot. in contextu 88. lib. 1 de Cœlo, vbi apertè inquit, crescere velocitatem motus propter incrementum grauitatis, vel leuitatis. Respondent ad *Solutio aliquorum.* hoc nonnulli, Aristot. l. ibi non dicere grauitatem tunc actu augeri, quando augetur velocitas, falsum enim diceret; sed quia loquitur de motu elemẽti, qui statuatur infinitus, ideò dicit, eo posito sequi vt augeatur velocitas in infinitum; quod quidem fieri posset, grauitas quoque posset in infinitum augeri: quum enim velocitas ad grauitatem se habeat, vt effectus ad causam, si possibile est incrementum velocitatis in infinitum, est etiam possibile grauitatis, ac leuitatis. Sed hæc responsio mi- *Confutatio.* hi probari nulla ratione potest: quia si absolutè ex incremento velocitatis non licet inferre incremẽtum grauitatis, vel leuitatis, non video, vnde nam isti sumant, quòd ex incremẽto velocitatis infinito inferatur etiam grauitatis, vel leuitatis incrementum infinitum: mihi quidem videtur potiùs contrarium colligi; nam si ex actu id non infertur, ergo neq; ex potestate inferri potest. Ego igitur respon- *Solutio propria.* dendum puto, grauitatem sumi posse duobus *Grauitas sumitur dupliciter.* modis: quum enim sit qualitas quædam & propensio ad inferum locum, quam consequitur hic effectus, hæc operatio, ad eum locum motus; ideò accipi potest tum secundùm se pro actu primo, tum pro operatione, & actu secundo; sicuti etiam scientia sumi potest tum pro habitu, tum pro speculatione: priori modo acceptam grauitatẽ certum est augeri non posse, eandem enim seruari necesse est, dum eadem natura, & forma seruatur, sic etiam dico de leuitate; sed altero modo accepta augeri, ac minui potest, & dicitur grauitatio po-

A tiùs, quàm grauitas: quum enim nil aliud sit, quàm excessus virtutis motricis supra resistentiam medij, vnde fit descensus, & pressio substantis corporis resistentis, hic maior fit, dum resistentia imminuitur; de hac igitur loquebatur in prædicto loco Aristoteles; maior enim velocitas motus non prouenit ex incremento grauitatis primo modo acceptæ; siquidem ea crescere in eodem corpore minimè potest, sed ex incremento grauitationis, B hoc est, excessu virtutis mouentis ad resistentiam medij moti, hic enim augeri potest, & huius incrementum est causa incrementi velocitatis motus: sic igitur nil aliud ibi Aristoteles dicit, quam illud ipsum, quod nos diximus; nil enim aliud est huius grauitatis, vel leuitatis incrementum, quàm imminutio resistentiæ medij, & ex eo prouenit incrementum velocitatis motus, tanquam effectus ex causa. Ipsa verò grauitatis, ac leuitatis distin- C ctio, quam posuimus, tum [illegible]r se manifesta est, tum ab Aristotele posita: nam grauitatem pro grauitatione sumimus, quando dicimus, graue in suo loco non est graue, id est, non grauitat, nec premit deorsum: primo enim modo falsum diceremus, quoniam elementum graue habet vbique naturam grauis, etiam in loco suo, ob id Aristoteles in context. 26. & 27. lib. 4 de Cœlo, sumit priore modo grauitatem & leuitatem, dum dicit, leuissimum es- D se id, quod omnibus supereminet, & grauissimum id, quod omnibus substat; sic enim etiam in locis suis dicit esse grauissimum atq; leuissimum: in context. autem 29. & 30. eiusdem libri sumit grauitatẽ & leuitatem secundo modo, dum dicit lignum vnius talenti in aëre maiorem habere grauitatẽ, quàm plumbum vnius libræ, contrà verò in aqua rem sese habere; sumit enim grauitatem pro operatione, quæ notat respectum ad externa corpo- E ra, per quæ fit motus, eo namque respectu variato etiam grauitas variatur, non quidem natura ipsa, sed grauitatio: dicit etiam in contex. illo 30. omnia elementa in suis locis aliquam habere grauitatẽ præter ignem; nam aer quoque in suo loco existens faciliùs deorsum pellitur, quàm sursum, quia magis grauitat, quàm leuitat; attamen secundùm eius naturam magis est leuis, quàm grauis.



IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

DE MOTV GRAVIVM ET LEVIVM

Liber Secundus.

De subiecto primo motus corporis misti, qui dicitur secundùm praeualens elementum. Cap. I.



Acteuus grauia & leuia absolutè considerantes, ostendimus, ea internum habere motorem; restat de mistis perpendendum id, quod Aristoteles dixit in initio 1. lib. de Cœlo, ea moueri iuxta elementum alijs prçualens in mistione; in hoc enim tria sunt, quç quum difficultate non careant, sunt singillatim consideranda: primum est, quódnam sit primum subiectum huius motus, quo dicitur mistum naturaliter moueri iuxta dominans elementum; secundum, à quónam motore hic motus fiat; tertium demum, qualisnam sit, an simplex, an mistus. Quod ad primum attinet, Ioannes Gandauensis videtur existimasse, primum subiectum, cui talis motus inest, esse elementum, quod in mistione excellit, ita vt in eo primò recipiatur motus, postea verò consequatur, vt ad motum elementi praeualentis totum simul mistum moueatur, non quidem posteriùs tempore, sed natura, & hac ratione mistum secundùm praeualens elementum moueri dicatur. Sententia haec ob duas rationes reijcienda est. Primùm quidem, si elemĕtum dominans esset primum subiectum, quod illo motu moueri diceretur, oporteret illud esse actu in misto secundùm suum esse specificum, quoniam operatio praesupponit rem esse, nec potest esse subiectum motus, nisi id, quod sit actu: consequens tamen secundùm omnium Aristotelis interpretum opinionem falsum est; nam si Latinos sequamur, dicentes elementa in mistione penitùs interire, & solas eorum vires seruari, non possumus dicere aliquod elementum in misto esse primum subiectum motus, quum nullius elementi substantia seruetur: si verò sequamur Auerroem, dicentem elementa in misto manere castigata, & refracta, & modo quodam medio inter actum & potestatem, adhuc nullum elemĕtum in misto aptū est per se moueri, quia nullum manet in suo actu specifico; non enim manĕt amplius ignis, aer, aqua, terra, sed medium quoddam ex ijs conflatum, qua de re alibi fusiùs disseremus: nunc satis sit, si dicamus Auerroem existimasse, quatuor elementorum substantias non manere in misto; quia si manerent, non esset facta mistio, quae est plurium naturarum vnio; possumusque hanc sententiam apud Auerroem legere, in commentario 67. libri 3. de Cœlo. Praeterea si aliquod ex elementis ita potest actu seruari in misto, vt sit idoneum subiectum motus, ergo & reliqua omnia: quanquam enim illud excellit, tamen debent omnia eodem modo manere in misto, vel omnia perfecta, vel omnia fracta, vel omnia actu, vel omnia potestate; sic autem fieret, vt motus illius misti non magis esset dicendus naturalis respectu elementi praeualentis, quàm violentus respectu aliorum; perinde enim esset, ac si quis pilae plumbeae vtrem aëre plenum alligaret, & in aquam proijceret; descenderet enim, & ille descensus esset plumbo naturalis, sed aeri violentus: attamen motus corporis misti, de quo in praesentia loquimur, est apud omnes verè naturalis, & ne ipse quidem Gandauensis concederet, eum esse alia ratione naturalem, & alia violentum. Dicendum igitur est, motum misti, qui secundùm praeualens elementum fieri dicitur, ipsimet misto tanquam primo subiecto inhaerere, quum ipsum solum, & vna eius substantia existat actu perfecto, & sit idoneum subiectum motus.

Opinio Ioannis Gandauensis.

Confutatio.

De motore misti, opinio Latinorum ac nominalium. Cap. II.

De motore autem misti maior difficultas existit; forma namque elementi dominantis non potest esse motrix, vt eisdem argumentis ostenditur; quemadmodum enim nullum elementum ita actu manet, vt sit aptum moueri, ita nulla elementaris forma ita seruatur, vt sit apta mouere: siquidem non minùs in motore, imò fortasse magis quàm in eo, quod mouetur, requiritur vt sit actu. Sed neque forma misti videtur esse posse huius motus effectrix; nam si dicamus motum illum esse simplicem, is non videtur posse fieri, nisi à principio simplici, non igitur a forma misti; si verò dicamus, esse motum mistum, quomodo Arist. eum attribuit elemĕto dominanti? natura enim elemĕti simplex est, quare nō videtur esse

esse posse nisi simplicis motus causa, & principium. In hac difficultate, quæ non leuis est,

Opinio Latinorum.

Latini, qui putant, elementorum formas in misto penitùs aboleri, nullam elementarem formam dicere possunt esse huius motus causam: sed neque formam misti; quum enim hæc apud eos ex illis conflata non sit, sed ab illis penitùs diuersa, non posset motus ab ea productus attribui elemento præualenti, & dici factus secundum prædominans. Quamobrem ad qualitates confugiunt, & dicunt ex elementorum cõmistione quandam oriri qualitatem vergentem ad qualitatẽ elementi præualentis, eamq; esse huius motus effectricem causam, qui hac ratione secundùm elemẽtum dominans fieri dicitur.

Opinio nominalium.

Albertus autem Saxo, & Amadeus, & alij nominales, in eo quidem cum his consenserũt, quòd causam effectricem huius motus non formã esse dixère, sed qualitatem, nam formas elementorum similiter interire penitùs existimârunt; at in eo dissensère, quòd putârunt non ab vna qualitate moueri mistum, quod dicitur moueri secundùm prædominans, sed modò ab vna, modò ab alia, modò etiam simul à pluribus. Ad hanc suam sententiam declarandam duo inprimis

Primum fundamentum.

fundamenta statuebant; vnum ex Aristotele acceptum in 4. lib. de Cœlo, quòd graue in suo loco non grauitat, & leue in suo loco non leuitat, hoc est, neque mouetur, neq; mouet; mouentur antè, & mouent tunc primùm, quando sunt extra propria loca.

Secundũ fundamentum.

Alterũ verò, quod graue & leue tunc secundùm naturã locatum esse dicitur, quando est supra grauius, & infra leuius; quare si vas aliquod repletum aqua, cui oleum supernatet, in elemento ignis poneretur, illud oleum esset naturaliter collocatum; quoniam haberet supra se ignem leuiorem, & sub se aquam grauiorem.

Opinionis declaratio.

His iactis fundamentis, tale exemplum fingebãt: sit mistum habens quinque gradus igneæ qualitatis, tres aëreæ, tres aqueæ, tres terreæ, certũ est, dominari in eo misto igneam qualitatem, tamen non semper ab illa mouebitur; nam si ponatur in igni, descendet, quia præterquã quòd illi gradus ignis in loco ignis sunt otiosi, ipsis etiam præualent nouem gradus elemẽtorum grauiorum, qui tunc dominantur, & agunt; quando autem ad elemẽtum aëris perueniet, in illo quoq; descendet, tunc enim gradus aëris in suo loco erunt otiosi, & sex gradus elementorum grauiorum præualebunt quinque gradibus ignis; quando autem ad aquam peruenerit, tunc gradus aquei in loco aquę erunt otiosi, quare non mouebunt; in aqua igitur non descendet, sed potiùs ascendet, quoniam octo gradus elementorum leuium tribus terræ gradibus præualebunt; quamobrem mistum illud quiescet inter aerem & aquã, quod oleo, & alijs similibus contingere videmus: in tali igitur misto dominatur quidem absolutè ignea qualitas, non tamen ab ea semper

A mouetur mistum illud, quoniam ratione diuersorum locorum, in quibus ponitur, variantur qualitates elementares dominantes, atque mouentes. Hinc duo corollaria colligebant.

Primum corollarium.

Vnum est, dari mistum, quod motu suo naturali tardiùs moueatur in fine motus, quàm in principio: hoc autem ita ostendebant: sit mistum habens duos gradus ignis, duos aëris, tres aquæ, quinque terræ, & ponatur in loco ignis, descendet primùm velocissimè, quia deorsum B mouebitur à decem gradibus aëris, aquæ & terræ absque vlla resistentia graduum ignis, qui in suo loco non resistunt; deinde quando erit in aëre, tardiùs mouebitur, quia vis motrix imminuetur, & resistentia augebitur, tunc enim mouebunt soli octo gradus terræ & aquæ, & duo gradus ignis resistent, gradus autem aëris in suo loco erunt otiosi; tandem quando ad aquam peruenerit, in ea tardissimè descendet, nam vis motrix adhuc ma- C gis erit imminuta, siquidem soli quinque gradus terræ mouebunt; gradus enim aquæ in loco aquæ erunt otiosi; resistentia verò aucta erit, quia resistent quatuor gradus ignis & aëris.

Secundum corollarium.

Alterum corollarium est, dari aliquod mistũ, quod tardiùs moueretur in vacuo, quàm in pleno: hoc in illo eodem exemplo declarabant: nam si totus aëris locus vacuus esse statuatur, motus illius misti per locum illum tardior fiet, quam priùs in loco ignis, propter D prædictam causam; nam in illo vacuo gradus aëris erunt otiosi, & gradus ignis resistent descensui, qui priùs non resistebant, & gradus mouentes pauciores erunt, nẽpe octo, quum priùs fuerint decem.

Dictæ sententiæ confutatio. Cap. III.

Sententia hæc vana est, & prorsus abijcienda. Primùm quidem peccant errore communi omnes, qui putant motum misti, E qui dicitur secundùm elementum præualens, non fieri ab aliqua forma substantiali, sed à qualitate relicta ab elemento præualente, siue vna, vt alij Latini dicunt, siue pluribus, vt nominales: hi namque non vident, non satis esse qualitatem, sed faciendam esse resolutionem in formam tanquam in causam primam; sola enim forma est natura & primum principium motus, qualitas verò non est natura, nec principium motus, nisi secundarium, & vt instrumentum formæ: quare, velint, nolint coguntur dicere, formam aliquam esse primum principium illius motus; ea autem esse non potest forma elementi, quum apud eos formæ elementares penitùs aboleantur; sed neque forma misti, hæc enim quum sit diuersa penitùs secundùm eos à formis elementorum, quomodo poterit simplicem motum efficere, & qui secundùm præualens elementum factus dicatur? sed aliorum comparatione multò deterior est opinio nominalium, dicentium, idem mistum moueri à pluribus qualitatibus

Necesse est enim, naturalis motus primum principium esse formã aliquam substãtialem.

dominantibus, nec semper ab eisdem; sic enim dicunt, qualitates elementorum omnes seruari integras, proinde distinctas, & pugnantes inuicem, ac resistentes, quod est omnino absonum rationi. Sequitur etiam motum misti simul esse naturalem, & violentum; qui enim ratione huius qualitatis est naturalis, idē ratione alterius est violētus. Præterea eadem natura, quæ est principium motus, est etiam principium quietis, vt inquit Aristoteles in libro 2. Physicorum, in definitione naturæ, & in contextu 23. lib. 8. idq; est per se manifestum, quia eadem terræ natura est causa motus ad medium, & quietis in medio, attamen secundùm istos alia esset causa motus naturalis, alia quietis naturalis: nam si mistū habeat decem gradus terræ, & decē ignis & aëris simul sumptorum, aquæ verò vnum, illud in aëre & in igne descendet, eruntque principia illius motus gradus terræ & aquæ; idem in aqua quiescet, quia non plus possunt gradus terræ, quàm gradus elementorum leuium, quum totidem sint, & gradus aquæ in loco aquæ est otiosus; itaque illius quietis in aqua non erit causa ille gradus aquæ, quum sit vnus, & superetur ab alijs, & sit otiosus; neque etiam gradus terræ, qui fuerunt principium motus, dici poterunt causa illius quietis, sed potiùs æquilibrium graduum terræ, & graduum elementorum leuium. Ob id sequetur etiam, non posse elementum dominans facere, vt mistum in loco illius elementi quiescat, licèt etiam maximus illius elementi sit excessus; quoniam in loco suo nullam habet vim resistendi alijs elementis, etiamsi plurimi insint eius gradus in illo misto. Præterea sequetur, dari posse mistum, quod stet in aere suspensum, nec moueatur sursum, neque deorsum: nam si habeat decem gradus ignis, quinque aquæ, & quinque terræ, aeris verò vnum, illud in aere nec ascendere, nec descendere poterit, sed suspensum manebit; & idem continget, si gradus aeris ponantur quotcunque; omnes enim in loco aeris erunt otiosi. Sequetur etiam, variata plurimùm proportione miscibilium, eundem tamen fieri motum; nam mistum habens septem gradus ignis, vnum aeris, sex aquæ, duos terræ, descendet in aere, ascendet in aqua, & quiescet inter aerem & aquam; hoc idem continget, si habeat septem aeris, vnum ignis, sex terræ, duos aquæ; & pluribus etiam alijs modis. Hæc & alia eiusmodi plurima absurda hanc sententiam, quæ absurdissima est, sequuntur.

Radix erroris aliorum, & fundamētum veritatis.

Radix autem huius erroris fuit, quæ etiam totius veritatis fundamentum est, vnde omnia hac in re cauilli soluuntur, quòd isti ponunt in misto inanimato plura actu principia motus, distincta inter se, & contraria, quum tamen omne tale mistum sit corpus naturale vnum, vnam habens naturam, non plures, & vnam tantùm qualitatem motricem; ideò rectè dicit Zimara in suo Theoremate 63. & alij de hoc errore loquentes, prædicta ab his ficta exempla cōmentitia esse, & impossibilia; causa namq; impossibilitatis ea est, quā diximus, quia nullus gradus vnius elementi remanet in misto distinctus à gradibus aliorum, neq; vlla distincta qualitas, cui qualitates aliorum resistant, ac reluctentur: sed sicut omnia elementa conspirauerunt in vnum, & facta est ex pluribus naturis natura vna; ita multæ contrariæ qualitates factæ sunt vna qualitas absque vlla repugnantia, vel distinctione graduum; præterquam quòd illa vna natura magis refert vnius elementi naturam, quàm aliorum, nempe illius, quod in mistione præualet alijs. nulla verò ibi est propensio ad motum, nisi illa, quæ est elementi dominantis; reliqua namq; elementa reddita sunt ita obtemperantia imperio vnius, vt ad nullum alium motum inclinent; ille autē motus respicit vnum quendam statutum in mūdo locum, qui naturæ illi cùm talis elementi imperio conueniens sit: si secus sit, non est facta vera mistio, quæ est miscibiliū vnio: quemadmodum enim si quatuor homines iter facturi controuersarentur, & vnus ire vellet ad orientalem partem, alius ad occidentalem, alius ad aquilonem, alius ad austrum, deinde post pugnam concordes fierent, & vnius sententiam sequerentur, nulla amplius in alijs esset propensio eundi ad alias partes, sed omnes vnanimes ad illam vnam tenderent, quam ille præcipit, cuius sententia præualuit; ita in tribus elementis succumbentib. non est amplius ad alios contrarios motus propensio, præsertim quum eorum natura non seruetur actu, imò nec dominantis elementi natura actu seruetur; vna enim est misti natura, quæ magis retinet vnius elementi conditiones, quàm aliorū, & eius naturam refert, quoad motum localem, & quoad præscribendum sibi certum aliquem in mundo locum: ob id notandus est modus loquendi Aristotelis in tertio t. lib. de Cœlo, qui non dixit, mistum moueri ab elemento dominante, sic enim significare potuisset, illud elementum actu inesse in misto, & esse actu mouens; sed dixit, moueri iuxta elementum dominans; quum enim mistum magis huius, quàm aliorum, naturam præ se ferat, mouetur etiam illo motu, qui elemento dominanti conueniens est. Ex his patet, omnia, quæ ab his dicuntur, falsa esse. Primum enim eorum fundamētum verum quidem est de elementis per se actu existentibus; per se namque existens graue in loco suo non grauitat, nec leue in loco suo leuitat: sed de elementis in misto non est verum, quia ibi non est distinctum leue à graui, vel graue à leui: sed vna est misti natura, quæ vel grauis, vel leuis dicitur, iuxta naturam elementi præualentis. Alterum verò eorum fundamentum non modò de elementis in misto, sed de eisdem etiam separatis, & per se existentibus falsum est; nam in misto non sunt elemēta actu,

Primi fundamenti confutatio.

Secundi fundamenti confutatio.

quæ

quæ cum proprijs eorum locis, aut cum alienis comparari possint: non enim dicere possumus in lapide terræ adhærente ignem non esse locatum secundùm naturam, quòd sub aere sit positus, sic enim fieret vt nullum mistum posset naturaliter esse locatū, quoniam ratione vnius tantùm elementi locatum esse secundùm naturam, sed ratione aliorum præter naturam. In elementis quoque separatis id falsum est, nam si in vtre sit aqua, eo ut aer supernatet, & ponamus vtrem in loco ignis, non est verum id, quod illi dicunt, aerem illum esse naturaliter collocatum, quòd supra se habeat ignem, & sub se aquam; sed erit præter naturam locatus, quia non erit in loco suo naturali, & sibi à natura præscripto, qui est totius aeris locus. Falsa etiam sunt omnia illa ab eis confiсta exempla, vt prædiximus; quia non datur in misto illa contrariarum qualitatum distinctio, quam ipsi comminiscuntur. Peccant deinde in priore corollario: nam declarantes, quomodo graue, vel leue tardiùs moueatur in fine motus, quàm in principio, considerant graue, & leue, quæ transeant per diuersa elementa, & ita putant se aliqua ratione labefactare sententiam Aristotelis, dicentis, motum grauium & leuium naturalem velociorem esse in fine, quam in principio: attamen nil nouι per hoc in medium adducunt, neque id negaret Aristoteles; fateretur enim lapidem descendentem priùs per aerem, postea per aquā, tardiùs per aquam descendere, quàm per aerem; quid ergo absconditi colligunt hoc suo corollario, quod etiam rustico cognitum non sit? Aristoteles enim, quando dicit, motum naturalem grauium & leuium velociorem esse in fine, quàm in principio, loquitur de motu facto per vnum & idem medium, vt per solum aerem, vel per solam aquam, non per diuersa: sed ipsi in afferenda ratione huius sui euidentissimi corollarij manifestissimè decipiuntur, hanc enim sumunt ex ipsa moti corporis natura, quum à solo medio externo sumenda sit; quum enim non sint in misto illi diuersi gradus, quos fingunt, ratio, quam adducūt, falsa est; nec alia est eius effectus ratio afferenda, quàm maior densioris medij resistentia, quam rarioris; hinc enim fit, vt tardiùs descendat lapis per aquam, quàm per aerem. Falsum tandem est alterum quoque corollarium, quia non datur vacuum in natura, neque si daretur, motus per illum tardior fieret; quinimò nullus prorsus fieret motus, sublata omni resistentia medij, nisi fortè mutatio subita: ob id Aristoteles putauit necessarium omnino esse medium plenum, si debeat fieri motus grauium & leuium, sicut antè dicebamus. Videtur etiam ex horū dictis ostendi posse, quòd graue vel leue in vacuo positum nullo modo moueretur, nec locum mutaret: ipsi enim corpora hæc tunc moueri aiunt, quando nō sunt secundum naturam locata, tunc autem non secundùm naturam locata esse dicunt, quando sunt sub aliquo grauiore, vel supra aliquod leuius; atqui corpus in vacuo positum neque est sub grauiore, nec supra leuius, quum & supra & infra se habeat vacuum, ergo per ipsam horummet definitionem non est præter naturam locatum, proinde non est, cur locum mutet, si tunc solùm, quando est præter naturam locatum, corpus quodlibet loco mouetur.

Confutatio exemplorum.

Prioris corollarij confutatio.

Secundi corollarij confutatio.

Vera sententia de motore misti. Cap. IIII.

Ex ijs, quæ hactenus aduersus alios dicta sunt, colligi videtur, nullam aliam in misto esse effectricem causam motus, qui iuxta præualens elementum fieri dicitur, nisi ipsam misti formam, quæ est eius natura, & sola statui potest principium motus naturalis in eo: ad hanc autem veritatem cognoscendam, & multos errores euitandos, animaduertere oportet, vanum esse de grauium ac leuium motu naturali verba facere, nisi præstituto fine ipsius motus; is autem est locus naturalis, ad quē singula suapte natura feruntur: quemadmodum igitur in cōsiderando singulorum elementorum motu locum priùs constituimus, cuius natorali appetitu ducta mouentur; sic de mistorum quoque motu, qui ex dominante elemēto prodire dicitur, faciendum est; priùs enim assignandus est cuique misto naturalis locus illi conueniens ratione grauitatis, vel leuitatis, vt postea faciliùs de eius motu, ac de motore, à quo prouenit, sermonem faciamus: quoniam enim necessarium est, quodlibet misto genito, vt ei statim assignetur proprius, & naturalis in mundo locus consistens in statuta quadam distantia à Cœlo, & à centro; necesse etiam est, vt vbicunque mistum extra suum locum ponatur, ad eum moueatur secundùm propriam naturam, & in eo solo naturaliter quiescat, quòd idem in simplicibus corporibus inspicimus; vnus autem locus naturam vnam indicat, cui ille conueniens est, vnus enim locus vnius est naturæ conseruator; ab illa igitur vna, & eadem natura mouetur mistum ad locū suum ex quolibet alio loco: neque est quòd decipiamur, videntes idem mistum motu naturali modò ascendere, modò descendere, vt oleum descendere in aëre, ascendere in aqua, & credamus ipsum non semper ab eodem, sed à diuersis principijs moueri, vt dicebant nominales ipsum deorsum ferri à gradib. qualitatum elementorum grauium, sursum verò à gradibus leuium; sed vna est olei natura, quæ ipsum in aqua ascendere facit, & in aëre descēdere, quia sic eundem semper petit locum suum naturalem, qui est inter aerem & aquam, & ad hunc mouetur à sola propria forma, siue ascendendo, siue descendendo: hoc autem ita sese habere, demonstrant duo elementa media, aër

Mistum à sua forma naturaliter mouetur.

enim naturaliter & descendit in igne, & ascendit in aqua; quid ergo dicemus? Súntne etiam in aere diuersa ascensus ac descẽsus principia? certè etiam nominales faterentur, vnum tantùm esse in aere principium motus, quum sit corpus simplex, & vnam habeat vim motricem naturalem; idem igitur de oleo & de omni misto, quod vt graue, vel vt leue moueatur, dicendum est. In statuendo autem loco misti naturali principes partes sibi vendicat illud elementum, quod in ea mistione alijs præualet; eius enim naturam magis, quàm aliorum redolet ipsum mistum, & ratione elementi dominantis assignatur cuilibet misto locus naturalis, ad quem naturaliter mouetur ab omnibus alijs locis; ob id videmus, diuersa naturalia loca, diuersis mistis esse assignata, propter dominantis elemẽti varietatem: qua fit, vt alia mista descendant in aqua, & in terra quiescant; alia in aqua ascendant, in aere verò descendant, & ita quiescant inter aerem & aquam; alia etiam in aere ascendant, vt exhalationes, quæ plurimum in se habere videntur igneæ naturæ. Nullum ergo in hoc discrimen est inter elemẽta & mista, quatenus grauia, vel leuia sunt; singulis enim assignatus est in mundo locus naturalis, ad quem mouentur ex omnibus alijs locis, isque vel magis, vel minùs à Cœlo remotus pro maiore cuiusque grauitate, vel leuitate. Sed de elementis dubitare aliquis posset, quomodo idem corpus simplex duos, & eos quidem contrarios, habere possit motus naturales; aer enim in igne naturaliter descendit, & in aqua naturaliter ascendit; quum tamen Aristoteles dixerit in 1. lib. de Cœlo, vnius simplicis corporis vnum tantùm esse motum naturalem, & contrarios inter se esse motus, à medio, & ad medium.

Dubium de motu elementorum mediorum.

Solutio.

Ad hoc ego dicendum puto, motum naturalem grauium & leuium iudicari eiusdem speciei, aut diuersarum specierum à fine, hoc est, à loco naturali, ad quem tendit, hic enim vnus quum sit, indicat & naturæ, & motus vnitatem: igitur ascensus aeris in aqua, & descensus in igne non sunt specie distincti motus, sed numero, quia ad eundem tendunt naturalem locum, & ab eadem simplici natura proficiscuntur. Aristoteles autem quando dixit, motum à medio distingui specie à motu ad medium, semper locorum distinctionem constituit, proinde & naturarum; aeris autem vna est natura, & ea simplex, sicut etiam aquæ; non enim quòd sit tum grauis respectu ignis, tum leuis respectu terræ & aquæ, ob id duas habet naturas, sed vnam habet simplicem, quę comparatione duorum elementorum dicitur leuis, & comparatione ignis dicitur grauis. Hoc idem de misto dicendum est, quatenus est graue, aut leue; nam vnum tantùm habet motum naturalem, quem ob id Aristot. attribuit elemento præualenti in eius mistione.

Vnitas speciei motus indicatur à fine.

A

De forma misti an sit superaddita formis elementorum, Zimaræ opinio, & argumenta. Cap. V.

QVoniam autem dictum est, mistum à sua forma moueri, non bene intelligi potest, quomodo hic motus attribuatur naturæ elementi præualentis, nisi alia noua quæstio soluatur, ad id, quod declarandum proposuimus, maximè pertinens: dubium e- B nim est, & apud interpretes Aristotelis cõtrouersum, an forma misti sit forma quædam re à formis elementorum diuersa, & illis superaddita, an potiùs non sit illis superaddita, sed sit ipsæmet formæ elementorum castigatæ & fractæ, quæ per mistionem euaserint vna forma: huius quidem rei declaratio postulare videtur, vt de mistione loqueremur; de hac autem agi non potest absque consideratione primarum qualitatum, quæ alteratrices vocan- C tur; at nos non de his, sed de motricibus tantùm in præsentia loqui constituimus, ideò diligẽtem de mistione disputationem ad alium locum remittentes, de ipsa nunc pro occasione tantùm, & ratione motricium qualitatum breuiter agemus, vt videamus, quomodo ex elementorum commistione vnum in misto remaneat principium motiuum secũdùm naturam, quod dicatur grauitas, vel leuitas, ita vt motus ille fieri dicatur iuxta elementum in D mistione præualens. Zimara in sua tabula sub litera C. in declaratione illius propositionis [*causæ simplices existentes in re non cõpositæ sunt*] nititur ostendere formam misti esse quintam formam re distinctam à quatuor formis elementorum fractis & castigatis, & illis superadditam, quam sententiam alij quoq; postea sequuti sunt; ad hanc comprobandam multifariam argumentantur. Primùm sic; elementa ad formam misti eam habent rationem, E quam materia habet ad formam, eam enim recipere debent; ergo forma misti distinguitur re à formis elementorum, & est eis superaddita; forma nanque non potest esse pars materiæ, in qua recipitur; proinde mistum ita ex elementis constare dicendum est, vt ex vna parte statuantur elementa formata, tanquam materia secunda, ex altera verò parte forma misti superueniat elementis formatis, tanquam distincta re à formis elemen- F torum. Secundò, si forma misti non esset addita formis elementorum, constaret essentialiter ex corporibus, quia formæ elementorum non sunt separabiles à materia; quoniam igitur absurdum est, formam constare ex corporibus, non potest forma misti constare ex formis elementorum; quia ex his constare non potest, quin cõstet etiam ex materia. Tertiò sequeretur, non minùs formam misti, quàm formas elementorum, intendi ac remitti posse, sicuti videmus etiam colores medios non minùs, quàm extremos, intendi atque

Zimaræ opinio.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

atq; remittitis consequens tamē falsum est, quia omnes consentiunt, formas substantiales, saltem mistorum, nō recipere magis, vel minus. Quartò, Arist. in context. 39. lib. 2. de Anima, disputans contra Empedoclem inquit, formas elementorum non posse in misto simul consistere, nisi adsit aliud quoddam, quod eas contineat: etenim sine hoc ignis ad superiora elaberetur, aqua efflueret, terra centrum peteret niteretur: ergo quum elementa ab aliquo contineri oporteat, ne inuicem separentur, necesse est, aliquam esse formam in misto præter formas elementorum; quare forma misti est formis elemētorum superaddita. Quintò, quam habet rationem anima ad formas elemētorum, eam & forma misti habet ad easdem; at anima ex formis elementorum conflata non dicitur, sed illis superueniens; ergo etiam forma misti est supperaddita formis elementorum. Tandem hanc sententiam confirmant authoritate Auerrois multis in locis: nam lib. 7. Metaphysicorum, comment. 60. inquit Auerroes, compositum est aliquod additum aliud à componentibus, vt caro non est terra & ignis, sed aliquod additum, quemadmodū hæc syllaba Ca. non est C. & A. sed quid additum. Item 5. Metaph. 6. inquit, esse in composito naturam additam naturis componentium. Et 1. Metaph. 12. res, quæ ex elementis generantur, differunt essentialiter ab elementis. Et 12. Metaphys. 22. inquit, formas simplicium esse alias à formis compositorum. Et 1. de Anima 77. ait, essentiæ & formæ rerum necesse est vt sint superadditæ elementis. Et 1. de Generatione 84. illud quod generatur ex miscibilibus in mistione, est aliud ab eis. Per hæc ergo ostenditur, formam misti esse superadditam formis elementorum.

Dictæ sententiæ confutatio, & veræ sententiæ declaratio. Cap. VI.

EGo veriorem esse arbitror aliorum opinionem, qui dicunt, formam misti non esse additam formis elementorum, tanquam re distinctam ab illis, sed esse formam ex earum congressu orientem, ita vt quæ erant quatuor formæ, in vnam migrauerint, quæ est forma misti. Hanc sententiam antequam comprobare, & errorem Zimaræ demonstrare nitamur, illud admonere volumus, nostrā hanc disputationem locum non habere iuxta Latinorum sententiam, qui dicunt elementa nullo modo remanere in misto; nam si elementorum formæ in mistione penitùs abolentur, vt ipsi putant, vanum est quærere, an forma misti sit addita, an non addita formis elementorum: sed constituta Auerrois opinione, cuius veritatem alibi demonstraturi sumus, quòd formæ elementorum modo aliquo seruentur in misto, quam Zimara quoq; & alij, quibus cum in præsentia disputamus, sequuti sunt, opportuna est consideratio, an forma misti sit addita formis elemētorum in misto, an non addita. Declarandum ante omnia est, in quo differat sententia nostra à sententia Zimaræ, vtraque enim intellecta, facile erit dignoscere veram à falsa: quando igitur dicimus, formas elementorum modo aliquo manere in misto, siue integras, siue fractas, & castigatas, hoc potest tres habere sensus. Primus est, vt dent elementis esse specificum, sicut ante mistionem dabant, ita vt maneant quatuor distinctæ formæ, & quatuor elementa seruent suum esse specificum, siue perfectum, siue imminutum, & à perfecto differens solùm secundùm magis & minus: qui primus sensus omnino reijciendus est, vt alibi, quum de mistione loquemur, apertissimè demonstrabimus: nunc eum hac vna ratione refutare satis est, quòd si hoc esset, natura misti non esset vna, sed quatuor distinctæ, quę ad quatuor distinctos motus inclinarent, vt contingere videmus in misto imperfecto, in quo non est facta vera mistio, sed plurium elementorum naturæ seruantur: quò fit, vt nōn moueatur vno simplici motu; quia licèt vnum elementum in eo præualeat cæteris, illa tamen non obediunt, sed repugnant quantum possunt; sic etiam fieret, vt naturalis motus misti non semper fieret iuxta elemētum præualens, sed quandoq; contingeret, vt alia tria simul sumpta plus possent, quā illud solùm, sicuti nominales dicebant. Hic igitur sensus dimittatur; quia Zimara, & alij, qui eius sententiam sequuti sunt, hunc, vt ego arbitror, non acceperunt. Alius est secundus sensus, vt in misto maneant formæ elementorū castigatæ, & fractæ, non tamen amplius vt quatuor formæ, sed vt factæ vna, & ad naturā vnam redactæ, quæ magis referat elementi pręualentis naturam, quàm aliorum, & huic formę superueniat propria misti forma diuersa ab ea, vt forma lapidis, vel forma auri; hac autem ratione duæ essent formę in auro, vna oriens ex commistione, & vnione formarum elementorum, altera verò illi superueniens, quæ dicitur forma misti: hunc sensum accepisse videtur Zimara, qui dicere non potest, formam misti esse re distinctam à formis elementorum, quæ maneant quatuor in misto, sed quæ ad vnitatem redactæ sint; quia si quatuor naturæ elementorum seruarentur, non esset facta mistio; & clara est Aristotelis sententia in capite postremo lib. 1. de Ortu & interitu, in mistione non existere amplius aliquod miscibilium, sed quoddam mediū: sic igitur dicere formam misti esse superadditam formis elementorum, est dicere superadditam formæ

Responsio. (margin notes: Quartò / Quintò / Sextum / In libro de Mistione. / Nota in qua hac controversia sit constituta.)

M

mistionis prodeunti ex congressu formarum elementorum. Tertius demum est sensus, qui solus, vt ego arbitror, verus est, quòd in misto perfecto quatuor formæ elementorum ita inuicem frangantur, & remittantur, vt in vnam quintam formam coalescant, quæ neque vna aliqua earum sit, neque omnes simul, neque etiam ita illis superaddita, vt re ab eis distinguatur, sed vt idem re cum illis, quoniã illæ quatuor sunt factæ vna, nam seruatis quibusdam gradibus singularum, plurium tamen vnius, quæ præualere dicitur, ex ijs omnibus prouenit forma quędam media, quæ dicitur forma misti; ita vt quæ prius erant quatuor, & dabant esse ignem, & aërem, & aquam, & terram, postea sit vna, quę det esse aurum, & distinguatur ab eis formaliter, quia aliam speciem constituit; at non realiter, quia est illæ ipsæ quatuor ad vnitatem redactæ per mistionem, & constituit medium quoddam specie differens ab extremis, qua de re diligenter loquuturi sumus in libro de mistione.

Forma misti partim est addita, partim non addita formis elementorum.

Hunc igitur tertium sensum si accipiamus, dicere possumus, formam misti tum esse additam formis elementorum, tum non additam: addita enim est, quatenus non est illarum aliqua, sed alia quinta forma, & aliam speciem constituit; at non est addita, quatenus non sunt præter illam formæ elementorum in misto, neq; alia forma ex earum congressu exoriens, sed hæc ipsa est forma proueniens ex congressu formarum elementarium, ita vt præter hanc nulla sit in misto alia forma; quem sensum si Zimara accepisset, eius sententia damnari nullo modo posset.

Vera sententia & probatio, et improbatio opinionis Zimaræ.

Hunc igitur probare, & secundi falsitatem ostendere nos oportet. Primùm quidem secundùm hanc opinionem tueri nõ possumus, id quod Aristoteles dixit, mistum moueri iuxta elementum præualens: sic enim argumentari possumus; si in misto inanimato sunt duæ formæ re distinctæ, vna oriens ex congressu formarum elementorum, quæ dicatur forma mistionis, altera verò huic supperaddita, quæ sit forma huius misti, vt auri, ergo vtraq; est natura, & principium motus, quia omnis forma est natura, proinde & principium alicuius motus naturalis; à naturis autem diuersis necesse est diuersos naturales motus prouenire: quinã igitur sunt in misto inanimato hi duo naturales motus? nullum ego video pręter illum vnum, quo mistum iuxta præualens elementum moueri dicitur; & hic si in formam mistionis, in qua vnum ex elementis præualet, referatur vt in causam, ergo forma misti huic supperaddita nullius est motus principium, proinde otiosa est: at si referatur in formam misti, quomodo dicetur fieri iuxta pręualens elementum, si hæc est re distincta ab **A** omnibus formis elementorum? quare non possumus ampliùs tueri veritatem dicti Aristotelis, quod mistum iuxta elementum præualens moueatur; immò forma mistionis, quę in se continet vim elementi dominantis, esset otiosa, & nullius motus principium, quod quidem nullo modo dicendum est: hoc autem confirmatur argumento sumpto ab anima, quę est verè addita formis elementorum, id est, formæ mistionis ex earum congressu **B** prodeunti; quoniam autem est verè superaddita, & re ab illis diuersa, ideò diuersi etiam motus est principium, ita vt neutra illarum sit otiosa, nam anima est principium motus progressionis, forma verò mistionis est principium motus dominãti elemẽto conuenientis, quo mouetur animal naturaliter, si ab alto loco demittatur: hoc idem igitur euenire debere in misto inanimato, si eius forma esset eodẽ modo superueniens formę mistionis, & **C** re ab illis distingueretur.

Solutio aliquorum.

Nonnulli tamen huius argumenti vim nituntur effugere, dicendo vnum quidem tantummodò esse in misto inanimato motũ naturalem, sed ad hũc producendum vtramq; formam concurrere; nam forma misti est mouens, & ipsi motus ille attribuitur, mouet aũt iuxta legem sibi præscriptam à præualente elemento, & ita ab vtraq; forma ille motus modo aliquo proficiscitur.

Solutionis impugnatio.

Sed hæc defensio vana est, quia duo mouentia **D** re distincta non possunt ad eiusdem motus productionem concurrere, nisi vnum sit mouens principium, alterum verò secũdarium, & instrumentale; est ergo ab his quærendum, vtra duarum formarum sit agẽs primarium, quũ dicere vtramq; habere æqualem primatum in eiusdem motus productione, & secundùm idem causæ genus, fatuum omnino sit, & à philosophia prorsus abhorreat: si dicant formam misti, formam verò præualentis ele**E**menti esse mouens instrumentarium, necesse est, motũ illum esse mistum, quod tamen ipsi omnes negant; putant enim esse simplicẽ: consequentia probatur testimonio Arist. in contextu 33. & 41. libri 8 Phys. vbi dicit, mouens primarium magis mouere, quàm mouens instrumentarium, & penes illud esse totum imperium ipsius motus; siquidem mouens instrumentarium non vi propria mouere dicitur, sed vi ei tributa à mouente præcipuo: quo**F**niam igitur mouens primariũ est forma misti, quæ formę mistionis superaddita est, & ab hac prouenire non potest nisi motus mistus, necesse est, vt motus à talis formæ imperio productus mistus sit: pugnant ergo inter se hæc duo, formã misti esse mouens præcipuũ, & mouere iuxta legem sibi pręscriptam à forma elementi dominantis; hoc enim est omnino absonum rationi, quũ imperare, & legẽ

præscri-

præscribere sit primarij agentis, non secundarij: si verò dicant, formam elementi dominantis, seu (quod idem est) formam mistionis, quæ illam continet, esse mouens primarium, formam verò misti esse mouens secundarium, in maiorem incidunt absurditatem; quia principatus est illi formę tribuēdus, quę cōtinet alias, & rem in specie collocat, quam Latini formam vltimatam appellare consueuerunt; hanc enim si in eadem realiæ formæ præcedant, eas respectu illius locum materiæ tenere necesse est, & ab illa regi, & illius imperio obtemperare: quū igitur formæ elementorum (vt ipsi confitentur) teneant in misto locum materiæ, & ad formam misti superadditam dirigātur tanquam ad perfectionē, alienum penitùs est à ratione, quòd earum sit motum imperare, forma verò misti earum imperio subiecta sit. Sed conuincūtur etiam aduersarij suis ipsorum dictis, nam eorū aliqui tali exemplo rem hanc declarant: anima sensibilis fungitur officijs animæ vegetantis, quā in se continet, & ipsius operationes edit; ita igitur & forma misti continet in se formas elementorum, & edit operationem elementi dominantis. Hoc tamen exemplum eorū sententiæ refragatur; nam anima sensibilis non solùm officijs fungitur animæ vegetantis, sed præter illa habet etiam ipsa proprias operationes, & propria munera; quamobrem etiam forma misti præterquam quòd efficit motū proprium elementi dominātis, alium quoq; suum proprium motum efficere deberet, & eò magis, quò apud hos est re distincta à formis elementorum, anima verò sensibilis non est re distincta à vegetante; quocirca congrua quoq; est eorum comparatio, nam si putant, animam sensibilem non esse in animali formā re distinctam à vegetante, nullum inde argumentum sumi potest de forma misti, & de forma elementi dominantis, quas re distinctas esse arbitrantur: & mirum certè est, quòd formarum numerum concedant in misto inanimato, quem in viuente negant, quum potiùs è contrario sese res habere videatur; patet igitur hanc comparationem officere eorum opinionis quemadmodum enim anima sensibilis continet in se naturam & vires animæ vegetantis, nec est illi superaddita tanqnam re distincta; ita etiā forma misti in se continet formam elementi dominantis, proinde non est addita formis elementorum, quæ est sententia nostra. Possumus hoc idem cōfirmare authoritate Auerrois, qua ipsi quoq; vtuntur; nā in comment. 67. lib. 3. de Cœlo inquit [*formæ elementorum inter se commiscentur, & prouenit ex earum collectione alia forma*] non dicit, formam misti formis elementorum superuenire ab eis diuersam penitus, sed ex earum colle-

A ctione aliam formam prodire; est enim reuera alia forma, quia neque est forma ignis, neque aëris, neque aquæ, neque terræ, nec tamen est re ab illis distincta in misto, quum sit illæ ipsæ factæ vna: postea verò adhuc magis hoc declarat Auerroes hac similitudine [*sicuti quum albedo, & nigredo commiscentur, fiunt ex eis multi colores medij*] non poterat enim aptior fieri comparatio; quia color medius differt specie ab extremis, ex quibus constat, nec

B tamen est eis superadditus, vt re distinctus ab illis; repræsentat enim aliquos gradus albedinis, & aliquos nigredinis, qui tamen constituūt aliam speciem coloris diuersam ab vtrisque, nec illis superadditam, sed eos in se continentem; & ex eis internè constantem, vt ait clarè Auerroes in lib. 1. Physicorum, cōment. 56. & in 5. Physic. comment. 6. 19. 45. & 52. Præterea in 10. Metaphysic. Comment. 23. inquit Auerroes [*impossibile est, vt in composito sint duæ*

C *partes æquales, sed oportet alteram esse dominantem, cui attribuatur forma*] quibus verbis optimè Auerroes totam rei veritatē declarat; inquit enim, non dari mistum constans ex elementis æqualibus: & hanc rationem adducit, quia debet esse aliquod, quod fungatur officio formæ; est autem formæ officium continere, & vnire, & operationibus imperare; oportet igitur vnum ex elementis in mistione alijs præualere, vt illi attribuatur prærogati-

Cur non possit dari mistū ex elementis æqualiter.

D ua formæ; & fungatur officio formæ continendo alia, sicuti dicebat Aristoteles aduersus Empedoclem in contextu 39. libri 2. de Anima. Atq; apud Auerroem non est opus alia forma diuersa à formis elementorum, quę illis superueniat, vt eas contineat, quoniā hoc munere fungitur forma elementi præualentis; continet enim alias, & cohibet, & sibi obedientes reddit, immò fit vna forma cum illis: à forma igitur misti exoriente ex congressu

E formarum elemētorum cum imperio vnius, prouenit motus naturalis ipsius misti, qui hac ratione dicitur fieri secundùm naturam elementi in ea mistione præualentis.

Solutio argumentorum Zimaræ.
Cap. VII.

Veritate declarata, superest, vt argumenta pro Zimara adducta soluamus. Ad primum respondebat M. Antonius Ge-

F nua Præceptor meus, mistum posse considerari tum in fieri, tum in facto esse: & quando cōsideratur in fieri, eius materiā esse quatuor elementa perfecta, & integra, diriguntur enim ad formam misti; & hac ratione formas elementorum esse partem materiæ, nec habere locum formę respectu misti: facto autem misto formas elementorum tenere locum formæ, non quidem vt elementorum formæ

Ad primum responsio Genuæ.

funt, nam quatenus tales, non remanent, sed vt sunt facta vna forma, quæ est forma misti. Hanc respon sionem ego quidem non refuto, sed clariorem reddens dico, non eodē modo elementa manere sub forma misti, quo prima materia supposita est formæ elementi, quod ex alio genitum sit; nam prima materia, quū sit vna, seruat naturam suam integram sub qualibet forma; ast elemēta, quum sint plura, & inter se contraria, non possunt integra manere in misto; neq; etiam penitùs intereunt, sed eorum formæ remanent fractæ inuicem, & castigatæ, adeò vt perierint secundùm aliquos gradus, & secundùm aliquos sint seruati; & hi quum sint ijdem re in misto, qui priùs fuerunt in elementis integris, satis idoneam misti materiam constituunt, quæ hac ratione in misto genito remanere dicitur, nempe secundùm realitatem graduum remanentium, licèt ratione graduum in mistione deperditorum destructa sit prior illa formalitas, qua dabant esse specificum ipsimet elementis, & alia formalitas genita, qua dant esse misto; & ita ratione nouæ formalitatis locum habent formæ, ratione autem realitatis seruatæ dicuntur esse pars materiæ: sed hac de re in lib. de mistione fusiùs disseremus. Ad secundum neganda est consequētia; nam facta mistione, constat quidem corpus ex corporibus, at non forma ex corporibus, sed potiùs ex pluribus formis, quæ euaserunt forma vna; necesse est enim tres simul fieri commistiones, vnam plurium corporum, quæ fiunt corpus vnum, aliā plurium formarum, quæ fiunt vna forma, tertiam demum contrariarū qualitatum, quæ simul contemperatæ faciunt vnam qualitatem mediam, quæ dicitur temperatura misti, & retinet aliquid omnium elementarium qualitatum, sed plus illarum, quæ sunt qualitates elementi præualentis; quia etiam tota misti natura propinquior, ac similior est naturæ elementi dominantis, quàm naturis aliorum: hoc igitur argumento non probatur formā misti constare ex corporibus, sed solùm commistionem formarum fieri non posse, quum corpora quoque commisceantur, propterea quòd illæ formæ non separabiles à materia. Ad tertium similiter negamus consequens; & ratio negationis est, quoniā natura misti consistit in indiuisibili, nec potest intendi, vel temitti, nisi intereat, & res alia generetur; & quia illa intensio, vel remissio fit cum interitu formæ misti, & cum conseruatione graduum formarum elementorum, ideò attribuenda est illi, quod seruatur, non illi, quod perit; quamobrem solæ formæ elementorum intendi, vel remitti dicuntur, quarum sunt illi gradus, qui remanent, non forma misti, quæ consistit in indiuisibili, à quo vtcunq; decli-

Responsionis declaratio.

Elementa quomodo maneant in misto, & quomodo intereant.

Ad secundū.

In mistione tres uniones fiunt.

Ad tertium.

A nās perit, neq; est amplius forma illius misti; etenim formalitas nec intēdi, nec remitti potest, realitas verò intenditur quidem atq; remittitur, sed hæc intensio, vel remissio attribuitur formis elementorum, non formæ misti; sed de hoc alibi. Ad quartum dicimus, argumentum illud Arist. efficax esse contra Empedoclem, at non contra nos, Empedocles enim elementa in misto ponebat seruantia suas naturas integras, & suos actus specificos, &
B proprias edentia operationes, loquens enim de viuentiū nutritione dicebat, ignem ascendere ad superiorem animātium partem, & eā nutrire, terram verò descendere ad alendam partem inferiorem; ideo Arist. rectè dixit, elementa indigere forma aliqua continente, & coërcente ipsa, ne separentur: nos verò non dicimus, elementa in misto manere integra, & proprias edere operationes distinctas, sed in aliam naturam transijsse, & omnia ita conspi-
C rasse, vt ad vnum, & eundem motum propensa sint propter obedientiam, quam imperanti elemento cætera præstant, quoniā illi non amplius repugnant: iccirco non egent aliquo continente, quum à dominante elemento satis contineantur, & illi obediant in petendo loco naturali; hæc fuit Auerr. opinio in Comment. 23. decimi Metaphys. à nobis antea consideratā, vbi inquit, non dari mistū ex elementis æqualibus, sed oportere vnum eorum præ-
D ualere alijs, cui attribuatur forma; fungitur enim officio formæ, quia continet alia. quæ Auerrois ratio optima est ad demonstrandū, non dari mistum ex elementis æqualiter constans, & sumpta est ab hoc formæ primario munere, quod est continere; necesse est enim aliquod esse continens, & vniens; hoc aūt nullum esse potest, si æquales sint in misto elementorum vires: non diceret autem Auerroes hoc esse necessarium, si putaret formam mi-
E sti esse superadditam formis elementorum; hæc enim satis formæ officio fungeretur, & formas elementorū contineret, etiamsi essent æquales. Credo etiam ad nostram sententiam comprobandam satis roboris habere aliud argumentum, quo vsus est Auerroes in Comment. 7. lib. 1. de Cœlo, ad probandum non dari mistū æquale: inquit enim, si daretur mistum æquale, quiesceret in quocunq; loco poneretur, quare nullum haberet motū naturalem, tale autem corpus in rerum natura nun-
F quā vidimus. Consequentia manifesta est per ea, quę suprà diximus; antequam enim de naturali alicuius corporis motu loquamur, necesse est vt ei statuamus certum in mundo locum naturalem, quem naturaliter petat; hic autem statui non potest, nisi ratione elementi præualentis: ergo si elementa in misto æqualia essēt, nullus ei locus assignari posset, quia non magis

Ad quartū.

nec magis hic, quàm illic; iccirco maneret mistum in quocunque loco poneretur, ad nullum enim locũ ex se moueretur id, quod nullum habere poneretur certum locum naturalem: itaque si vnum ex elementis præualeat alijs in misto, secundùm illud assignabitur ei locus in mundo, ad quem moueatur, quare penes elementũ dominans est imperiũ motus naturalis: proinde hoc satis est ad alia continenda, & ad statuendum motum naturalem: neque opus est alia forma superueniente formis elementorum: ex his igitur patet, argumẽtum hoc pro opinione Zimaræ nihil habere efficacitatis. Ad quintum argumentum negāda est similitudo; anima enim est forma nobilissima, verè superaddita formis elementorum, hoc est, formæ mistionis orienti ex earum cõgressu, non sic forma misti inanimati: quod quidem ex motibus consequentibus manifestum est, anima enim est principium motus diuersi penitus à motu elementi dominantis, & vtrunque motum videmus in eodem animali inesse vt naturalem; at forma misti inanimati non efficit alium motum, quàm illum, qui conuenit elemento præualenti; hæc igitur non est addita formis elementorum; anima verò est addita, & re ab illis distincta. Ad verba autem Auerrois in omnibus memoratis locis patet responsio ex ijs, quæ dicta sunt. Auerroes enim dicens formam misti esse quid additum, & quid distinctum à formis elementorum, non intelligit realiter distinctum, sed formaliter tantùm; non enim significare vult esse additam nouam formam, quæ sit in misto præter formas elementorum, sed has ipsas in vnam formam transijsse, quæ est misti forma, non amplius elementorum, ita vt specie differat mistum ab elementis omnibus & diuisim, & coniunctim acceptis; nam caro non est terra, nec ignis, nec ambo simul, sed quædam alia species, quæ distinguitur essentialiter ab elementis; hoc tantùm significant omnia illa Auerrois verba, si bene considerentur.

Ad quintũ.

Ad sextum.

An motus misti factus secundùm præualens elementum sit simplex, an mistus, opiniones aliorum cum eorum argumentis.

Cap. IIX.

Tandem considerandum manet, an motus misti, qui iuxta præualens elementum fieri dicitur, sit simplex, an mistus. Tres hac de re opiniones extant: vna fuit Suessani, quẽ alij nonnulli sequuti sunt, qui dixerũt nullum talem motum esse simplicem, sed semper esse mistum: alia huic contraria, qua plurimorum communis sententia est, potissimè autem à Simplicio, & ab Auerroe defenditur, quòd omnis talis motus sit simplex;

Prima opinio.

Secunda opinio.

A & hanc ego quoque veram esse existimo: tertia demum aliquorum, qui dicunt falsam esse vtramque vniuersalem propositionem, veram autem hanc vtramque particularem, motus misti secundùm præualens elementũ aliquis simplex est, & aliquis mistus. Afferam igitur in medium argumenta, quibus alias duas opiniones alij tuentur, deinde veritate declarata, ea omnia soluam. Primam sentẽtiam quòd omnis talis motus sit mistus, probant Suessa-

Tertia opinio.

B nus & sectatores multis argumentis. Primùm à causa ipsius motus tale argumentum sumunt: vbi est elementum dominans, ibi sunt etiam alia, quibus dominatur, dominans enim notat respectum ad illa; adsunt ergo in misto omnium elementorum naturę, ergo ex his omnibus constans natura misti mista est; & qualis est natura, talis est motus, qui ab ea producitur, ergo motus ille mistus est, magis tamen vergens ad motũ elementi dominantis,

Pro prima opinione primum argumentum.

C quàm ad motus aliorũ, quemadmodum etiã natura illa similior est naturæ elementi dominantis, quàm naturis aliorũ. Secundò sic argumentantur à subiecto: quale est subiectum motus, talis est motus ipse, atqui huius motus subiectũ mistũ est, hoc enim supponitur, ergo motus eius naturalis mistus est; eaque sententia Arist. fuit in context. 7. lib. 1. de Cœlo dicentis, simpliciũ corporũ simplices sunt motus, mistorum aũt misti. Tertiò id ita confirmant: si

Secũdum argumentum.

D hic misti motus simplex esset, sequeretur, eundem produci effectum à tali secundùm quid, & à tali absolutè: consequens falsum est; quia debiliter calidum non potest tantum calorẽ efficere, quantum efficit id, quod est summè calidum: consequentia probatur, quia terra est elementum, & simplex corpus, & absolutè grauis, ideo producet effectum conuenientẽ corpori absolutè graui, nempè motum simplicem, mistum autem non potest esse absolu-

Tertium argumentum.

E tè graue, sed solùm secundùm quid; ergo si mistũ, in quo terra præualeat, simplici motu moueatur, eodem mouebitur motu id, quod est graue secundũ quid, quo terra, quæ est absolutè, ac summè grauis; necesse est enim, vt licèt in misto terra præualeat, eius tamen grauitas remittatur ex commistione elementorum leuium; itaque à tali secundùm quid, & ab absolutè tali idẽ effectus producetur, quod est omnino absonum rationi. Confirmant autem

F ritate Auerrois in Cõment. 7. lib. 1. de Cœlo, vbi interpretans verba illa Aristotel. [*moueri autem secundùm præualens*] inquit, Aristot. occurrere tacito dubio: quum enim dixisset, motum misti corporis esse mistũ, obijcere quispiam poterat quosdam motus, qui, licèt sint mistorum corporum, simplices tamen sunt, ideo inquit Auerroes, Aristot. respondere, motus illos videri quidem simplices, non tamen

Quartum argumentum ab auctoritate.

esse: causam autem, cur simplices esse videantur, esse vnius elementi excessum, ad cuius naturam magis vergit illius corporis motus, proinde videtur esse simplex, quum tamen non sit; propterea isti hunc putant esse sensum illorum Arist. verborum, corporis misti mistus est motus, fit tamen secundum elementum præualens, ideo eius motui similior est, quàm motibus aliorum. Simplicium quoque in hanc sententiam trahunt, qui dicit in corporibus mistis tot esse principia motus, quot sunt illa, ex quibus constant; & adducit etiam verba Alexandri dicentis mistorum corporũ mistos esse motus, quia plura motus principia in eis insunt: quod quidem potest etiam colligi ex Alexandro in primo eius libro de Anima, cap. 2. vbi dicit: formas mistorum esse modo quodam affectas à formis miscibiliũ, quæ singulæ ad communem formam aliquid conferunt, vnde multæ varietates contingũt: significat igitur mistorum corporũ non simplices esse motus, sed mistos. Alia verò sententia dicentium aliquem misti motum factum secundùm præualens elementum esse simplicem & aliquẽ esse mistũ, ab eis ita probatur: primùm quidem probant aliquem esse simplicem vtentes testimonio Arist. in context. 8. lib. 1. de Cœlo, quod etiam sensu & experientia confirmatur, patet enim lapidem non minùs simplici motu deorsum ferri, quàm terram: quod verò aliquis motus misti secundùm præualens elementum factus mistus sit, similiter testimonio sensus cognosci dicunt; motus enim turbinis, venti, fulminis, & aliorum similium, est motus factus secundùm præualens elementum, & est mistus, vt patet, illa enim pluribus elementis constant, quorum vnũ alijs validius est, ob id eius motui simílior est illius misti motus, quo fit, vt dicatur fieri secundũ elementum præualens, mistus tamen absque dubio est. Quoniam autem in illo contextu 8. videtur Aristotel. hanc vniuersalem propositionem proferre, motus misti secundùm præualens est simplex, dicunt ipsi veram quidem esse hanc vniuersalem, omnis motus simplex misti corporis est iuxta elementum præualens, sed conuersam esse falsam, omnis motus corporis misti secundùm præualens elementum simplex est, quum motus turbinis, ac venti sit mistus, quare hæc non est vera, nisi vt particularis; non igitur hanc voluit ibi significare Aristot. sed alteram conuersam, quæ etiam vt vniuersalis vera est, vt prædiximus.

Tertia secta argumenta.

Vera sententiæ declaratio, & comprobatio, aliarum verò confutatio.

Cap. IX.

EGo verò vtranque sententiam falsam esse arbitror, veram autem aliam secundo loco propositam, quòd omnis motus corporis misti factus secundùm elementum præualens simplex sit; cuius contrariam prima secta tuebatur, contradictoriam verò tertia. Ad veræ igitur sententiæ comprobationem, & aliarum reprobationem, est ante omnia cognoscendum, quę conditiones ad simplicitatem motus requirantur, & cur motus aliquis dicatur simplex, & aliquis mistus. Sunt qui dicant, tres conditiones ad simplicitatem motus postulari, nempe & spatij, & naturæ, & mobilis simplicitatem; ob id putarunt, non posse corpus mistum simplici motu moueri, propterea quòd neq; subiectum, neq; causa simplex est. Sed hi, quum absq; distinctione loquantur, decipiuntur: aliud enim est cõditiones quærere necessarias ad alicuius rei essentiam constituendam, aliud est quærere causas quæ ad eam producendam requiruntur: nam essentia eclipsis consistit in priuatione luminis lunæ, causa verò eam producens est terræ interiectio, sic cõditiones essentiales, quæ ad hominis essentiam constituendam postulantur, sunt eius causæ internæ, materia, & forma propria; ad hominem autem generãdum requiritur Sol, & alter homo: sic igitur de motus simplicitate dicendum est, ipsa enim simplicis motus essentia in sola spatij, seu lineæ simplicitate consistit; quisquis enim motus per simplicem lineam factus statuatur, is absque dubio simplex est, cuiuscunq; sit corporis, & à quacunq; causa productus: at si quæratur, quænam causæ ad simplicem motum producendum postulentur, si de simplici motu naturali sermo sit, dicere possumus, requiri simplicem naturã, proinde & simplex corpus, nam simplex natura corpus simplex constituit: at si absolute simplicem motum consideremus, nec magis naturalem, quam violentum, is produci potest etiam à natura mista; potest enim sagitta ex arcu, & plumbea pila ex bombarda sursum pelli per simplicem lineam, isque erit motus simplex violentus: quod manifestè significat Aristotel. passim in lib. 1. de Cœlo dicens, rectorum motuum alterum cuiq; elemẽto esse naturalem, & alterum contra naturam: cẽsuit igitur dari simplicem motum etiam violentum; hic autem non fit necessariò à natura simplici, neq; necessariò in simplici corpore: sed quum videatur rarò, & per accidens euenire, vt fiat in aliquo corpore motus simplex violentus, & id solum sit considerãdum, quod est per se, idcirco dicendum est, motum simplicẽ naturalem aptum esse produci solùm à natura simplici, proinde & in simplici mobili; natura enim est principium motus in eo, in quo est, & omne corpus, cuius natura sit simplex, simplex est: simplex autem linea quænam dicenda sit, considerandum est.

Quæ sint conditiones motus simplicis.

Opinio aliorum.

Confutatio.

Opinio vera.

Datur motus simplex violentus.

Simplex linea quænam sit.

dum est, nam si mathematicè loquamur, fortasse omnis recta linea, & omnis linea circularis potest appellari simp; lex: mista verò, cuius pars aliqua recta sit, & aliqua circularis: sed physice considerando secus est: dum enim lineam consideramus respectu motus, qui per eam fit, aliqua datur recta linea, quæ vocanda est mista, & similiter aliqua circularis, quæ mista est: dicimus igitur simplicem esse naturaliter illam lineam, per quam factus motus nō constat ex recto & circulari, sed vel rectus tantummodò est, vel tantummodò circularis: circularem autē voco illum, qui fiat circa solum mundi centrū, non circa quoduis circuli centrum; ita vt ille motus, per quem non varietur motι corporis distantia à centro, sed semper æquè ab eo distet, circularis simplex nuncupādus sit: rectus autem simplex ille sit, qui fiat per rectam lineam à centro mundi ductam, seu ascendendo, seu descendendo: simplex enim dicitur, quia nihil ei respondet in Cœlo, nisi punctum; sic enim est vel mera accessio ad centrum, vel mera recessio ab eo, sine vllo transitu ad latera, quod esset moueri etiam circa medium: at motus omnis per rectam lineam factus non à centro mundi ductam mistus est, constat enim ex recto, & circulari; ex recto quidem, quatenus necessariò fit cum accessu ad centrum, vel cum recessu à centro; ex circulari autem, quatenus illi rectæ lineæ respondet in Cœlo aliqua periphæria pars, nulla enim à mundi centro ducta recta linea potest per vtranq; illius lineæ extremitatem transire, sed necessariò duę distinctę lineæ rectæ à centro per duas illius extremitates ducentur, quæ suis extremitatib. aliquam peripheriæ partem in Cœlo intercipient, quę toti illius motus spatio respondebit; & hac ratione motus ille dicetur etiam ex circulari constare: similiter quilibet motus per circularem lineam factus, qui non fit circa mundi centrum, mistus est; quia constat ex motu circa medium, & recessione à medio, seu accessione ad medium: vnde colligi obiter volumus, motus astrorum factos per eccentricos orbes, vel per epicyclos, quos astrologi ponunt, si darentur, non esse simplices, sed mistos; non solùm enim circa medium sunt, sed continent etiam accessionem ad medium, & recessionem à medio, qua ratione constant etiam ex motu recto: misti sunt etiam animalium motus, & turbinis, & fulminis, & venti, & alij eiusmodi, quia sunt accessus, vel recessus respectu medij, vnà cum trāsitu ad latera, cui respondet circuli pars in Cœlo. Colligimus etiam ex his nonnullorum errorem, qui motum mistum intelligunt illum, qui constet vel ex recto & circulari, vel ex recto & recto, vel ex circulari & circulari: nam ex ascensu, & descensu eundem motum cōstare ne imaginari quidem possumus, nisi dicamus, eandem rem prius ascendere, postea descendere per eandem simplicem lineam; sed hic non est motus mistus, sunt potiùs duo distincti motus, & vterq; simplex: ex circulari etiam & circulari non datur mistus motus, quia mistio non dicitur eorū quæ sunt eiusdem naturæ, & speciei, sed solùm eorum, quę sunt diuersarum naturarum: præterea si intelligant motus caelestium ideò esse mistos, quòd fiant per circulos eccentricos, id concedemus, si modò tales circuli dentur; sed ea erit mistio ex circulari & recto, sicut antea dicebamus, non ex circulari & circulari; si verò cum perpetua æqui distantia à centro cōsiderent solùm duos eorundem astrorum oppositos motus, decipiūtur; quia hæc non est mistio, quū seruetur vna simplex conditio, quòd sine accessu, vel recessu respectu medij est solùm circa medium, ob id etiam Solis motus, etsi non per circulum, sed potius per helicem fit, simplex est: quamobrem dicimus nō dari alium mistum motū, quàm cōstantem ex circulari & recto, eaq; est sententia Arist. clara in context. 5. lib. 1. de Cœlo; sic enim duarum specie distinctarum conditionum mistio fieri dicitur. Quis igitur sit simplex motus, & quis mistus, & in quo cōsistat tum simplicitas, tum mistio ipsius, manifestum est. simplicitas enim iudicatur ex simplicitate lineæ, per quam fit motus, hæc autē iudicatur ex simplicitate situs respectu centri mūdi; simplex enim est situs lineæ in mundo, vel quando omnes partes sunt à centro similiter æquidistantes, ita vt totus ille motus sit circa medium; vel quando sunt ita positę partes respectu cētri, vt nulla eis peripheriæ pars in Cœlo respondeat, sed sit vel mera accessio ad medium, vel mera recessio à medio. Quoniam aūt dictum est, si motum cantummodò naturalem consideremus, causam motus simplicis effectricem esse naturam simplicem, misti verò mistam; considerandū etiam est, quænam simplex natura dicatur, & quæ mista, vt postea rationem habeamus, cur simplex natura simplicem motum efficiat. Dubitare primùm de hac re non absq; ratione aliquis posset: quū enim cuiusq; rei natura sit forma, & omnis forma sit simplex, omnisq; carens compositione, videtur dicendum esse, omnem naturam esse simplicē, proinde nullam dari naturam mistam. Dicimus igitur, omnem formam esse hac ratione simplicem, quoniam ex pluribus naturis non cōstat; alia tamen ratione dici posse mistam; nempe si alias formas, vel aliam in eadem materia præsupponat: sic anima dicitur natura mista, quia pręsupponit priores se in eadem materia formas elementorum, quę in mediam formam migrauerunt

Motus simplex circularis — *Motus simplex rectus.* — *Motus mistus.* — *Motus per eccentricos misti sunt.* — *Error aliquorum de motu misto.* — *Misti est rerum specie diuersarum.* — *Motus planetarum non est mistus.* — *Vera opinio de motu misto.* — *Simplex natura quęnam sit.*

re distinctam ab anima; cuius quidem mistionis signa esse videmus varietatem virium animæ. & organorum in corpore animato illis viribus inseruientium; & motus quoque ipse, quo animal ab anima mouetur loco; mistus est, quia cõstat ex recto & circulari: forma verò elementi est natura simplex, quia nullam priorem formam in materia presupponit, sed ipsa in prima materia immediatè inhæret, & corpus ab ea constitutum simplex dicitur; quemadmodum id, quod ab anima constitui tur, mistum est, quoniam anima præsupponit necessariò congressum, & commistionem elementorum. Sed quum ex his pateat, non eadem ratione naturã dici simplicem, qua motus dicitur simplex, sed alia, & aliã nã simplex natura dicitur, quæ aliam priorem in eadem materia non præsupponat; motus autem simplex, quia non constet ex recto & circulari: cognoscenda est ratio, cur à natura simplici simplex motus proueniat, si non est eadem vtriusque simplicitas. Dicimus igitur, talem esse sublunarium corporum naturam, vt egeant conseruante externo, sine quo non conseruarentur: quum autem sublunaria dico, simplicia præsertim intelligo, quia hæc singula statutum habent in mũdo locum naturalem, quem appetunt, & in quo quiescentia conseruantur, & mundum complent; mista verò non sibi præscribunt in mundo locum quatenus mista sunt, sed quatenus ex eisdem, quæ mũndum implent, corporibus constant; ex illius enim elementi natura, quod in mistione alijs præualet, præscribitur misto locus in mundo; ex motu igitur elemẽti ad proprium locum cognoscere possumus, qualis sit etiam misti corporis motus, & in quo sit similis motui elementi, & in quo ab eo discrepet. Elementum ad suum locum mouetur, vt conseruetur, siquidem non in quouis loco conseruaretur, quum diuersorum locorum diuersæ sint naturæ, & vires; harum autem differentiæ non aliunde sumuntur, quàm ex varietate distantiæ à Cœlo, quò fit, vt per lineam rectam à centro mundi ad Cœlum vsque productam omnes locorum differentiæ denotentur: elementum igitur extra suum locum existens necesse est vt per hanc vnam lineam suum locum petat, proinde non alio motu, quam simplici; etenim natura nunquam abundat in superuacaneis, sed in vnaquaq; re id, quod optimum est, facit, nec patitur aliquid esse frustra: elementum igitur existens extra suum locum ad illum tẽdit per lineam breuissimam, nisi impediatur, hæc autem est recta à centro mundi ad Cœlum vsque protenta; nam si per aliam quamcunque moueatur, mouetur per longiorem, quod dicendum non est, quia frustra per longiorem lineam descendit graue,

Cur simplex natura simplicem motum efficiat.

Mista habẽt locum ratione simplicũ.

A si potest descendere per breuiorem: hæc autem ratio nõ magis in summe graui, & in summè leui, quàm in duobus elementis medijs locum habet; imò etiam in omnibus mistis tum inanimatis, tum animatis, quæ vt grauia, vel vt leuia moueri dicantur: quum enim statutus singulis sit locus naturalis, grauia autẽ, & leuia omnia locum suum petant vel ad centrum accedendo, vel recedendo à centro, necesse est vt omnia per breuissimam lineam ferantur naturaliter; breuissima autem est, vt diximus, ea sola, quæ à centro mundi ducitur, eaq; est etiam simplex; igitur etiam mista dum mouentur vt grauia, vel vt leuia, nõ alio motu mouentur, quàm simplici; mista verò inanimata manifestum est non habere alium motum naturalem, nisi illum vnum, quo vt grauia, vel vt leuia mouentur; horum ergo naturalis motus necessariò simplex est, nec potest esse mistus; hunc autem attribuit Aristot. elemento præualenti in vniuscuiusq; mistione, quia iuxta elementum præualens assignatur cuique locus in mundo naturalis, quo assignato non potest corpus vllum ad illum tendere vt graue, vel vt leue, nisi motu simplici. Hæc igitur est ratio, cur natura simplex simplicem motum producat; hæc enim non mouet, nisi per grauitatem, & leuitatem, proinde per solam simplicem lineam: natura autem misti quum assignatum habeat in mundo locum ratione elementi in ea dominãtis, mouet etiam iuxta illius elementi naturam, quam præ se fert; ideo mouet potiùs ratione simplicitatis, quàm ratione compositionis, quia cætera elementa iam sunt facta obedientia vni præualenti, neq; sunt principia aliorũ motuum, neq; reluctantur: natura igitur misti media quodammodo est inter formam elementi, & animam; nam anima est forma verè mista eo modo, quem diximus, præsupponit enim in materia formas elementorũ præcedentes, tum in sua generatione, tum postquam est genita; forma verò elementi nullam aliam formam in materia præsupponit modo vllo vt habentem locũ materiæ, sed solùm vt habentẽ locum priuationis, quia vnum generatur ex alio; at forma mistionis in sua quidem generatione præsupponit formas elementorum, quarum realitates respectu illius tenent locum materiæ, sed postquam est genita, nullam habet præcedentem formam in materia, sed ipsa immediatè, & sola in materia hæret, quia nulla ibi est al[ia] forma, eò q[uo]d ipsa non est superaddita formis elementorũs, sed est illæmet factæ vna; quocirca hac ratione est simplex, & mouet motu simplici, quia præualentis elementi naturã repræsentat, & mouet per præualentem grauitatem, vel leuitatem, quæ sunt principia simplicia, & propriæ elemen-

Natura misti media est inter formam elementi, & animam.

elementorum qualitates, proinde non aptæ mouere nisi simplici motu, quia per solã simplicem lineam, sicuti dictum est. Id autem, quod de simplici motu diximus, potest per motum mistum animalium confirmari; hic enim solus est mistus naturalis, quum omnes alij motus misti sint violẽti, & fit à natura mista quatenus mista est; datus enim est animalibus quoq; motus propter eorum conseruationem, alia tamen ratione, non enim vt conseruentur à loco, sed vt idoneum sibi alimen-**B**tum quærant; videmus autem hunc quoque motum per lineam breuissimam fieri, quia nihil est frustra in natura; equus enim famelicus cibum intuens ad eum per breuissimam lineam mouetur, non per flexam, & lõgiorem, nisi fortè impediatur; hic tamen motus non est simplex, quia non ex sola lineæ rectitudine, seu breuitate simplex motus iudicatur, sed ex eo quòd fiat per lineam à centro mundi ductam, & fiat vel à grauitate, vel à leuita-**C**te, quæ sunt principia simplicia, & naturam simplicem denotant. Hinc sumitur solutio cuiusdam difficultatis: quũ enim ignis æquè conseruetur in qualibet parte concaui lunæ, videtur ille ignis, qui apud nos generatur, nõ minùs transire posse ad illam partem cõcaui lunę, quę est supra antipodas, quàm ad illam, quæ est supra nos, quũ vtraq; sit æquè conseruatiua naturæ ignis, cur ergo non transit ad illam partẽ loci sui, quæ est supra antipodas?

Dubium.

D Nos autem dicimus, ignem quidem nõ magis hanc partem illius loci appetere, quàm aliam, siquidẽ eandẽ vim omnes habent cõseruandi ignẽ; sed quia ad locũ suum mouetur per lineam breuissimã, ideò eam tantùm partẽ petit, quæ supra nos est, nõ illam, quę est supra antipodas, ad quã si moueretur, necesse esset, vt priùs ad mũdi centrũ descenderet, & ita recederet à parte loci sui propinquiore, quod quidẽ repugnat naturæ ignis. Notare aũt hic possu-**E**mus, omnem localem motũ naturalẽ ab appetitu fieri, sed duplicẽ esse, quia duplex etiã est appetitus; vnus est naturalis, qui sine cognitione est; alter verò animalis, & cũ cognitione: appetitus naturalis proprij loci est grauitas, & leuitas, & inest primò elemẽtis, deinde per elementa etiam mistis, & semper motum simplicẽ efficit, quia hæc sunt principia simplicia, nam animal quoque, si naturaliter moueatur vt graue, simplici motu mouebit, **F** quoniam à principio simplici simplex motus prouenit: appetitus aũt animalis insequitur animam, ideo nõ est simplicis motus principium, sed misti; non est.n. appetitus loci conseruantis, cuius differentiæ sumãtur ex varietate distãtiæ à Cœlo; sed est appetitus alimẽti necessarij ad vitam cõseruandam, cuius indagatio nõ fit nisi per motum mistum; à natura

Solutio.

Omnis motus naturalis fit ab appetitu, qui duplex est.

A igitur mista quatenus mista est, non prouenit motus nisi mistus. De motu autem Cœli alia ratio est: quamuis enim fiat ab anima cognoscente, simplex tamen est, quia fiat à principio tum actiuo, tũ passiuo summè simplici; anima enim mouens simplex maximè est. orbis quoque est corpus simplex, & quũ non sit elementaris naturæ, nihil habet grauitatis, aut leuitatis, quare nec accedere ad centrum potest, nec ab eo recedere, sed solũmodò circa ipsum **B** ferri; hic autem est simplex motus, quia vnius tãtùm est cõditionis, vt prædiximus, & is simplici naturæ Cœli maximè conueniens, cuius simplicitas summa ex eo iudicatur, quòd nullius motus præter illum est capax, neq; vt naturalis, neq; vt violenti: at elementum minoris est simplicitatis; quamuis enim vnum tantùm habeat motum naturalem, capax tamen est etiam contrarij tanquam violenti. Per hæc vtriusq; sectæ error ostenditur: errauit enim **C** prima secta dicens nullũ misti motũ esse simplicem; etenim iam ostẽsum est, necessarium esse vt motus misti, qui fit secundùm præualens elementũ, sit simplex, quia omnis motus factus per grauitatem, vel leuitatem, est per lineam simplicem, estq; est sententia Arist. clara in contextu 7. & 8. lib. 1. de Cœlo, vbi profert hanc propositionem vt vniuersalem, motus misti naturalis simplex est, quia est secundùm elementũ præualens, omnis igitur motus fa-**D**ctus secundùm præualens elemẽtum est simplex: vanissima autem est in eo loco interpretatio Suessani dicentis Arist. ibi tollere quandam obiectionẽ; nam dicere aliquis poterat, si & ascensus, & descensus est motus simplex, misti aũt corporis mistus est motus, ergo mistum neq; ascendere, neq; descendere: ad hanc igitur inquit Arist. respõdere motũ misti semper esse mistum, esse tamen sursum. vel deorsum secundũ quandam præualentiam, at non **E** simpliciter, quoniã est quidem similior motui elementi præualentis, at non est omnino sursum, nec omnino deorsum. Sed huius interpretationis vanitatem ipsa verborũ Arist. series declarat; nam præcedentia verba erant hæc [*simplex motus est simplicis corporis*] deinde statim hæc sequuntur [*etenim si compositi fuerit, secundùm præualens erit*] est ergo sensus; etenim si simplex motus fuerit misti corporis, erit secundùm præualens elementum de sim-**F**plici etenim motu, vt patet, hæc omnia verba proferuntur. fuit etiam hęc sententia Simplicij & Auerrois, vt passim in ipsorum Commentarijs librorũ de Cœlo legere possumus: ideo mirandũ profectò est, quomodo aduersarij audeãt horum interpretum verba pro se adducere. Experientia quoq; hanc sententiã cõfirmat; nam ædificatores vtuntur linea perpendiculari simplici, quam inueniũt per plũ-

Motus Cœli à principio simplici.

Error primæ sectæ.

Suessani error.

bum, vel lapidem capiti funis alligatum; hæc enim sunt mista corpora, & ad centrum ferũtur grauitate elementi præualentis, per lineã perpendicularẽ, quæ simplex est, omnia enim recta linea ad centrum protenta simplex est. Parietes quoq; ædificiorum, nisi ad perpendiculum sint fabricati, durare diu nequeunt, sed aliquando cadunt, & per lineam perpẽdicularem deorsum feruntur: & omnino docet experiẽtia, nõ minùs mista grauia, quàm elementa per simplicem lineã descendere: quapropter illorũ sentẽtia sensui quoq; aduersatur.

Error tertiæ sectæ.

Tertia verò secta errauit, quia nõ animaduertit, posse duob. modis elemẽtum in misto alijs dominari: vno modo in misto pfecto, vbi est facta vera mistio, & alia elementa vni obediunt; quare vnum ibi est principium motus, nõ plura, nec vlla adest repugnãtia, ob id motus ille est merè naturalis, & simplex: altero modo in misto impfecto, vbi nõ est facta vera mistio, neq; naturarũ vnio, sed ibi sunt plura elementa seruãtia proprias naturas, & inter se pugnãtia: ideò si vnũ præualeat alijs, dici quidem potest dominans, sed impropriè, quia reliqua nõ sunt domita, sed reluctãtur; ideo nõ omnino talis motus prouenit, qualẽ elemẽti dominãtis natura postularet, sed mistus, magis tamen ad illũ vergẽs, quàm ad motus aliorum; ibi ergo sunt plura principia motus, nõ vnum, proinde non simplex motus prouenit, sed mistus; non fit enim à sola grauitate, neque à sola leuitate, sed ab vtrisq; simul agentibus, tanquam à duobus principijs; neq; eo modo, quo aër descendit in igne, & ascendit in aqua, idem enim est motus, quia ad eundẽ locum fit, & ab eadem natura aeris, quæ dum est in igne, dicitur grauitas, dum autem est in aqua dicitur leuitas, quare est motus penitus naturalis: at ille non est motus naturalis, sed potiùs violẽtus, nulli namque elementorum ibi existentium est merè naturalis: quòd si etiam concederemus, esse elemento dominanti naturalem, licèt hoc minimè verùm sit, at negari saltem nõ potest esse violentum cæteris: de tali igitur motu non loquitur Aristot. in principio lib. 1. de Cœlo, quando dicit, mistum moueri iuxta elementum præualens; sed loquitur de motu tantùm naturali proinde de motu perfecti tantùm misti, vbi vnum elementum primo modo alijs præualeat, hoc est, facta vera mistione, & sublata omni repugnantia aliorum elementorum.

Contrariorum argumentorum solutio *Cap. X.*

Ad primum Suessani.

Reliquum est, vt contraria argumẽta soluamus. Ad primũ Suessani dicimus, naturam mistam efficere quidem motum mistum, si moueat quatenus est mista, & eius modi diximus esse animam, quæ est verè addita formis elementorum: sed si natura mista moueat non vt mista, sed ratione naturæ simplicis in mistione præualentis, facit motum simplicem; quia non alia ratione mouet, quàm ratione grauitatis, vel leuitatis, quæ sunt principia simplicia: adde quòd forma mistionis, licèt in sua productione præsupponat formas elemẽtorum, tamen postquam est producta, nullam habet in materia præcedentem formam, sed ibi sola adest absque alia forma; quare est principiũ motus simplicius, quum sit tanquam simplex forma.

Ad secundũ.

Ad secundum similiter dicimus, corporis misti, quatenus est mistum, non esse motum nisi mistum; sed quando mistum mouetur non vt mistum, sed ratione simplicis in mistione præualentis, tunc misti corporis simplex est motus; mouetur aũt ratione simplicis, quãdo mouetur vel vt graue, vel vt leue; hæ namq; sunt propriæ elementorum cõditiones, quæ ipsis competũt per essentiam, mistis verò per participationẽ.

Ad tertium.

Ad tertium dicimus, verã quidem esse illam propositionem, tale secundùm quid non potest eundem effectum producere, quem producit tale absolutè, sed aduersarios eã abuti; nam idem effectus ille dicitur, qui in omnib. est idem, & in nullo discrepat, & hac ratione idem produci non potest à tali remissè, qui producitur à summè tali; potest tamẽ produci idem secundùm aliquam conditionem, secundùm aliam verò discrepans, neque hoc est absurdum; ipsi verò ita eam propositionem sumunt, quasi effectus productus ab eo, quod est minùs tale, debeat in omnibus differre ab effectu, qui producitur à summè tali, sic autẽ falsa est: dico igitur omnia, quæ mouentur vt grauia, vel vt leuia, moueri motu simplici, hoc enim est necessariũ, vt antè demonstrauimus, etiamsi alia sint minùs grauia vel leuia, alia verò magis; sed discrimẽ esse solùm in locis, ad quę mouẽtur, maior enim grauitas mouet ad locum cẽtro propinquiorẽ, minor verò ad remotiorem à centro: fallacia aũt huius argumenti deprehenditur cõsiderando elementum aquæ, & in eo argumentum contra aduersarios retorquẽdo; nam aqua est minùs grauis, quàm terra, ergo eorum argumento ostenderetur, aquam motu simplici moueri nõ posse, si terra mouetur motu simplici, quę est summè grauis; propterea quòd minùs tale non potest eundem effectum producere, quẽ producit magis tale: attamẽ certum est, aquã esse corpus simplex, & moueri æquè simplici motu ac terram, differentiam autem in locis esse constitutam: nam locus, ad quem mouetur terra, est cẽtro propinquior, quàm locus, ad quem mouetur aqua, proinde nõ est idem motus sed duo specie distincti, discrimen igitur ma-

tur maioris, aut minoris grauitatis, vel leuitatis, nullam facit differentiam in simplicitate motus, sed solùm in locis naturalibus, ad quę mouentur corpora, non potest enim minùs graue eundem habere locum naturalem, quē habet magis graue: hoc igitur argumēto ostēditur, non posse mistum moueri ad eundem locum, ad quem mouetur elemētum simplex, quod sit summè graue, vel summè leue, sed nō ostenditur, non posse moueri motu simplici, quum potiùs necessarium sit vt omne graue, & omne leue, quatenus tale est, simplici motu moueatur. Hoc etiam confirmatur ea ipsa comparatione, qua isti met vtūtur: agens enim minus calidum non potest eundem calorem producere, quem potest agens calidius, id est, nō potest assequi eundem terminum, ad quē nam calor acquirendus, est terminus, ad quē illa alteratio tendit. itaque si ritè est facienda comparatio, sumendus est etiam in motu localis terminus, ad quem mobile tendit, hic autem est locus; qnare non ad eundem locū moueri naturaliter potest id, quod est minùs graue, ad quē mouetur id, quod est magis graue: at non est necessariū vt differant etiam in modo motus, simplici nanq; motu hæc omnia mouentur: adde quòd differūt etiā hi motus maiore, ac minore velocitate; quia id, quod grauius est, magis superat resistentiā medij, quàm id, quod est minùs graue, quanquā enim aliqui hoc inficiari audent, tamē adest aduersus eos testimoniū Arist. in context. 6 lib. 4. de Cœlo, vt ibi videre est: satis igitur nobis est, si motus rei minùs grauis differat in plurib. à motu rei grauioris, at non est necessariū, vt in omnibus

A differant, quòd illi hoc argumēto ostendere voluerunt. Quòd verò aduersarij nitantur Auerrois testimonio, certè vanum est, quum clarum sit, Auerroem existimasse, motum misti factum secundùm prævalens elementum esse simplicem, vt apud eum legere est in Cōmentatio 8. & 12. lib. 1. de Cœlo: quod verò ex Auerroe sumunt in Cōment. 7. eiusdem libri, etiamsi admittatur, eorum tamen sententiæ non suffragatur, etsi Auerroes mentem Aristotelis in ijs verbis non est assequutus: putauit enim Aristotelem ibi loqui de motu quorundam mistorum imperfectorum, vt turbinis, & venti, qui simplex esse videtur, nec reuera est; quum tamen Aristot loquatur de motu misti perfecti, qui verè est simplex: sed admissa etiam Auerrois sententia, quæ secundum se vera est; motus enim turbinis, ac venti mistus est; non ob id asserit Auerroes motum misti perfecti factum secundùm elementum prævalens mistum esse, sed hunc simplicem esse arbitratur. Illa etiam, quæ à Simplicio, & ab Alexandro dicuntur, nobis non officiunt: quādo enim dicunt, mistorum corporum motus simplices esse non posse, sed esse mistos, considerant mista prout mista sunt; nam præcipuè respiciunt animata, quæ verè sunt mista, vt antea diximus; à natura enim mista quatenus mista est, nō potest nisi mistus motus prouenire: at non dicerent motum misti factum secundùm elementum prævalens, hoc est, ratione grauitatis, vel leuitatis, mistū esse, imò apertè affirmat Simplicius hunc esse simplicem. Ad illa verò, quæ à sensu tertia secta sumebat, responsio patet ex ijs, quæ dicta sunt.

Ad quartū.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber DE CONSTITVTIONE INDIVIDVI.

Proœmium libri. *Cap. I.*



Magna est inter philosophos altercatio de substantia indiuidua, à quonam cōstituatur, & reddatur hæc: nam & antiquiores Latini de hac re acerrimè certauerunt, & his quoque temporibus posteriores philosophi de eadem controuersantur, ita vt ad hunc vsque diem sub iudice lis esse videatur, nec paruum operæpretium factutus sit, quisquis eam di-

D remerit, & huiusce rei veritatem omni sublata difficultate patefecerit: attamē ego quum de rebus naturalibus scribendum mihi proposuissem, de dimittenda prorsus hac disputatione non parum cogitaui, quum viderem, eam ad naturalē philosophum minimè pertinere, sed absque dubio ad Metaphysicum; ideoque vererer, ne talia ipse tractans obnoxium me idem crimini redderem, quod plerisque alijs obijcere solitus sum: quum enim multi & in Aristotel. interpretando, & in philosophicis libris cōscribendis alienas à pro-

posito disputationes instituere soleāt; & tum ea, quæ ad Metaphysicam attinent, tractare diffusè in scientia naturali, tum quæ ad naturalem, in Metaphysica, tum etiam quæ ad contemplatiuas scientias, & ad Logicam pertinent, cum moralibus commiscere, & varijs alijs modis diuersas disciplinas coaceruare non dubitauerint, haud quaquam in hoc Peripatetici, neque artificij Aristotelis imitatores; ego ab hac philosophandi ratione me abhorrere semper professus sum, & ab extraneis B quæstionibus proponendis, ac diligenter excutiendis abstinui, nisi obiter, ac leuiter aliqua tangere occasio me fortè coegerit: ob id, quū indiuidui constitutionem, quam nostri indiuiduationem vocant, à solo Metaphysico declarandam esse animaduerterem, eam prorsus missam facere decreueram, ne libris naturalibus librum Metaphysicum connumerare viderer. Attamen quum consilium hoc meum pluribus studiosis exposuissem, enixè me illi C rogarunt, à proposito desistens, hac quoque de re scribere, meamque sententiam exponere diligenter vellem. Ego verò eò faciliùs, vt eorum precibus obtemperarem, adductus sum, quòd considerani, me non scientiam ipsam naturalem vna ordinata tractatione tradendam, sed separatos, distinctósque inter se libros scribendos suscepisse, proinde satis fore, si lectores admonerem, vt librum hunc, si non vt naturalem, at saltem vt D Metaphysicum legerēt, quemadmodum ego quoque illum ad primam philosophiam pertinere profiteor, atq; protestor. Adde quòd ad institutum quoq; meum vtilem fore hanc disputationem animaduerti: quum enim eo consilio scribere de rebus naturalibus constituerim, ne in publico obeundo munere, quo in Academia patria fungor, certos Aristotelis libros naturales quotannis interpretādi, prolixis disputationib. declarationem verborū, E sensuúq; Arist. quod antehac facere me oportuit, amplius interrumperem, sed magnum in ea progressum facerem; in vsu aūt positū sit, vt qui primum librum de Cœlo interpretandum suscipiunt, omnes disputationē ineant de ratione singularitatis, occasionem à verbis Arist. nacti in particula 92. einsdē libri; rectiùs me facturū esse existimaui, magìsq; & alijs, & mihi satisfacturū, si scriptis hanc operam præstitissem, quàm si vel voce id exequendo F seriem verborum Aristotelis alienis contemplationibus, quam ne proprijs quidem interrūpere me amplius velle professus sum, interrūpere voluissem; vel vtrunq; recensando & multorum desiderium negligere, & hunc seu laborem, seu certamen detrectare viderer. Scribam igitur, & in hac maxima controuersia, postquam aliorum opiniones diligenter expendero, quid ipse sentiēdum putem, in medium proferam, atque rem hanc ab omni difficultate, ac dubio vindicare nitar.

Partitio dicendorum, & accidentia non posse constituere singularitatem.

Cap. II.

Ante omnia intelligendum est, de quonam quæstio nobis proposita sit: quū enim duplex existat substantia indiuidua, vna materialis, altera abstracta à materia, de hac dubitare minimè possumus, quin sua pte natura sit hæc; quum enim ita simplex sit, vt nec substantialiū partiū, nec substantiæ cū accidentibus compositionem habeat, quippe quæ nullius accidentis est capax, necesse est eam fieri indiuiduam per seipsam, & in illa eandem esse vnitatem speciei, ac numeri: ob id Arist. in context. 92. lib. 1. de Cœlo, de sola materiali substātia eam propositionem protulit, aliud est Cœlum, aliud est hoc Cœlum & quū Cœlum dicimus, formam denotamus, quum verò hoc Cœlum, formam mistam materiæ; proinde significauit, in substantia materiali aliud esse formam, vt forma est, aliud esse formam cum materia, & formā quidem vt forma est, speciei vnitatem cōstituere significās, formam verò vt iunctam materię facere vnitatem numeralem. De indiuidua igitur substantia materiali considerandū nobis proponit, à quo reddatur hæc, hoc est, quęnam sit interna ratio singularitatis, à qua fit, vt indiuiduū sit indiuiduum, & dicatur hoc: ex eo aūt orta est hac in re difficultas, quòd tria sunt in huiusmodi indiniduo, quibus singulis hæc prærogatiua tribui posse videtur; aut enim materia est ratio singularitatis, ita vt per materiam indiuiduum sit hoc, vel forma, vel accidētia. Accidentia videtur asseruisse Porphyrius in cap. de Specie, quando dixit, singulare illud esse, cuius accidētia omnia simul collecta nō possunt in aliquo alio reperiri; sic enim singularitatem per accidētium collectionem definire visus est, & hāc ipsius rationem statuere. Hæc tamen sententia accipienda esse nō videtur, neq; credendū, id voluisse Porphyriū; nā substātia est secundùm naturā prior accidentib. ideo dari oportet in categoria substantiæ substantiam indiuiduam, quæ ab accidentib. non pendeat, & in illo priori naturæ sit aliquid distinctum ab accidentib. omnibus, quo hic homo est indiuiduus homo, adeò vt illa accidentia singularitatem consequantur potiùs, quàm constituant: quare non id respexisse videtur Porphyrius, vt afferret veram rationem singularitatis, sed signū tantùmodò, quo ea significaretur, adducere satis habuit. Neq; igitur accidens vllum, neq; accidentiū omniū collectio est vera ratio singularitatis.

Substantia abstracta est hæc per seipsam.

Accidentia non possunt esse causa singularitatis.

Opinio Thomæ, & sectatorum, & eorum argumenta. Cap. III.

Opinio Thomæ.

Relinquitur, vt vel à materia, vel à forma indiuiduum sit hoc, & vtraque sententia sectatores, & argumenta pro se habet: Thomas enim & in memorato loco libri 1. de Cœlo, & in opusculo 29. & in par. 1. Summæ quæst. 3. artic. 2. & 3. & alijs quoque in locis, inquit, materiam signatam, id est, determinatam, principium esse singularitatis; huic enim iuncta forma fit singularis, & dicitur forma huius materiæ: sed nõ satis expressit Thomas, quid per materiam signatam intellexerit, quo factum est, vt non eandem illi sententiam attribuerint cæteri, qui eum hac in re sequi voluerunt: aliqui enim dixere, materiam signatã significare materiam quãtitate determinata quantitate, eamq; esse rationem singularitatis, quam sententiam pluribus argumentis cõprobarunt.

Opinio aliquorum Thomistarum.

Primum argumentum. Primùm quidem rationẽ singularitatis esse materiam probãt testimonio Arist. in cõtext. 12. quinti Metaphys. vbi dicit vnum numero esse id, cuius materia est vna, sic enim definit vnitatem numeralem non per formam, sed per materiam, quoniam igitur illa est ratio singularitatis, per quam ipsa singularitas definitur, definitur autẽ per materiam, dicẽdum est materiam esse id, quo indiuiduum est hoc.

Secundum argumentum. Hoc idem significauit Arist. in context. 92. lib. 1. de Cœlo, dum inter Cœlum, & hoc Cœlum hanc differẽtiam statuit, quòd Cœlum formam significat, hoc autem Cœlum formam cum materia: censuit ergo illi dictioni, Cœlum, respondere formã, illi autem particulæ, hoc, respondere materiam, proinde indiuiduum non per formam esse hoc, sed per materiam.

Tertium argumentum. Hoc autem confirmatur: quia forma rem potiùs vniuersalem significat, quàm particularẽ, vt ibi clarè asserit Aristotel. dum dicit, Cœlum vniuersale significare formam; & ibi Auerroes inquit, formam esse subiectum vniuersalitatis, id est, esse obiectum illius vniuersalis, quod mente concipitur: hoc idem denotauit Aristotel. in prædicto contextu 12. quinti Metaphysicorum, quando declarans quænam sint vnum specie dixit, vnum specie ea sunt, quorum ratio est vna, ratio autem apud Aristotelem significat formam; putauit itaque Aristotel. formam facere vnitatem speciei, non vero indiuidui.

Quartum argumentum. Præterea indiuiduum per illud fit hoc, per quod ab alijs distinguitur, atqui per formam non distinguitur ab alijs indiuiduis eiusdem speciei, etenim illa, quę differunt forma, differunt specie, ideoq; Græci formam & speciem voo & eodem vocabulo, εἶδος vocant, igitur non per formam indiuiduum fit hoc.

Quintum argumentum. Hoc idem testatus Aristot. in

A contextu 28. septimi Metaphysic. dum inquit; Socrates & Gallias differunt propter materiam, idem autem sunt specie; atqui differunt per illud, per quod fiunt hic & hic; per materiam igitur fiunt singulares, per formã verò conueniunt, & in eadem specie constituuntur.

Sextum argumentum. Sic igitur patet, materiam esse causam singularitatis. Quòd autem id præstet materia cum quantitate determinata, ita probant: substantia singularis est illa, quæ neque

B in subiecto est, neque de subiecto prędicatur, & ab alijs omnibus distincta est; has autem omnes cõditiones habet per materiam quantam, ergo materia quãta est idonea ratio singularitatis, minorem probant, quia materia, secundùm se neq; in subiecto est, neq; de subiecto prædicatur, ratione autem quantitatis determinatæ distinguitur ab omnibus alijs; statura enim quantitas ita rem circumscribit, vt eam à cũctis alijs separet, & hac posita po-

C nitur absque dubio singularitas, & ablata aufertur; si namque certam quantitatem res habeat, iam est singularis, & è conuerso si est singularis, & certam habet quantitatem: nam si lignum aliquod diuidatur, ex partitione vnius quantitatis duæ oriuntur, & duo ligna singularia, quæ dum coniuncta, & cõtinuata erant, vnum numero erat lignum, quoniam vna erat quantitas; in materia igitur cum quantitate determinata consistit singularitas. Verùm hi,

D qui hanc sententiam tuentur, videntur aliqua ex parte recedere ab opinione Thomæ: dicunt enim, duplicem esse quantitatem, vnam interminatã, quæ est æterna in materia, quod quidem omnino negauit Thomas; alterã verò terminatam, quæ insequitur formam, & vtranque ad constituendam singularitatem concurrere: quoniam quantitas interminata radix est, & origo prima diuisionis, per eam enim materia est in multas partes diuidua ad

E multa singularia constituenda; terminata verò præbet actum in diuisionis in se, & diuisionis ab alijs; quare exequitur, ac perficit ipsam vnitatem numeralem, & præbet actum singularitatis. Sed illi, qui penitus Thomam sequuntur, & negant quantitatem interminatã, alio modo intelliguot materiam signatam, vt Cardinalis Caietanus in tractatu de Ente & essentia: inquit enim, materiam signatam significare non materiam cum quantitate, sed

Caietanus.

F materiam cum potẽtia proxima ad hanc determinatam quantitatem, ita vt non ad aliam; nam agens dum in materiam agit pro educẽda forma, semper ipsam reddit propinquiorem illi formæ recipiẽdæ, & illi determinatæ quantitati, adeò vt in termino generationis illa materia non habeat potentiam ad aliam quantitatem, neque ad aliam formam, nisi ad hanc singularem; hanc igitur materiam signa

tam, inquit Caietanus esse illam, quæ à Thoma dicitur esse principium singularitatis.

Dictæ sententiæ, & sententiæ Aegidij impugnatio. Cap. IV.

PRo huius sententiæ confutatione plura legere apud Scotum possumus in 2. Sentent. dist. 3. quæst. 4. & 5. vbi efficaciter ostendit, neque materiam, neque quantitatem esse posse rationem singularitatis; plura etiã apud Ioannem Bacconium 2. Sentent. distin. 11. artic. 2. necnon 3. Sentent. distinct. 12. Sed ego in præsentia quædam præcipua argumẽta, quibus illius opinionis falsitas demonstratur, breuiter adducam. Necesse est, dum materiam quantam ponimus principium singularitatis, vt ei hoc cõpetere dicamus, vel quatenus est materia, vel quatenus est quanta, ita vt vel ipsius materiæ naturam, vel quantitatis dicamus esse rationem, qua indiuiduum constituitur; neutrum tamen dici potest: nõ materia, quoniam illud, per quod Socrates fit hic, est etiã illud, quod distinguitur ab alijs; at per materiã nulla res ab alia differt, quum materia secundùm se sit vna numero, & in omnibus eadem; ergo materia secundùm se non est illud, per quod Socrates fit hic. Præterea indiuiduum, quum per se existat, summam habet perfectionem, & supremũ actum; quia quãtò magis in categoria descendimus, tantò magis ad perfectionem, & ad actum transimus, adeò vt indiuiduum habeat actum supremum, qui in illa categoria haberi possit: quod ab ipso quoque Thoma asseritur in prima parte Summæ quæst 3. artic. 4. vbi dicit, esse est actualitas addita essentiæ, & ad eã refertur vt actus ad potentiam: contra verò materia secundùm se summam habet imperfectionem, & meram potentiam absque vllo actu: ergo nullo modo statui potest æquata, & immediata ratio, qua indiuiduum est hoc, sed necesse est materiam ab aliquo alio restringi, & actuari, vt fiat propria huius indiuidui; quare illud aliud dicendum erit principium singularitatis, nõ materia, idq; mihi videntur omnes concedere, quum nemo dixerit, materiam nudam hoc munere fungi: relicta igitur materia, illud aliud considerare oportet; patet enim illos qui ponũt materiam vt quantam principium singularitatis, absq; dubio non materiam, sed quantitatem dicere esse singularitatis principium, quæ est Aegidij sententia in suis Quodlibetis, quæst. 11. Sed neque hoc dici potest, quoniam antea ostensum est, nullum accidẽs posse statui principium substantiæ singularis, hęc enim in categoria substantię infimum mediæ lineæ gradum obtinet, de qua secundæ substantiæ per se, & essentialiter prædicantur; quocirca non potest in illo gradu constitui per aliquod accidens, quoniam non posset esse nisi vnum per accidens, quum ex substantia & accidẽte constaret, quare non posset de eo secunda substantia prædicari per se. Debet igitur dari substantia indiuidua, quæ sit vnum per se, & prius omni accidente, ita vt seclusis per intellectum accidentibus omnibus, sit per se substantia indiuidua. Præterea ipsam secundùm se quantitatẽ considerando, ostendo eam non posse statui rationem singularitatis: vel enim sumitur interminata, vel terminata, quorum neutrum dici potest: non interminata, quia dum est huiusmodi, nondum est hoc indiuiduum, etenim indiuiduum tunc incipit esse hoc, quum à forma terminatur quantitas; itaque si quantitas interminata faceret hoc, indiuiduum esset antequam fieret, & antequam haberet proprietates (vt vocant) indiuiduales, quibus distinguitur ab alijs: adde quòd quantitas interminata æterna est apud Aristotelem in prima materia, & eadem manet in corrupto, quę fuit in genito, ergo nõ facit indiuiduum hoc; nam indiuiduũ, quatenus est indiuiduum, est ab alijs omnibus seiunctum, ac separatum. Neq; quantitas terminata, hæc enim præsupponit formã, à qua terminatur, & fit hæc: igitur formæ potius est tribuenda hæc prærogatiua, vt per eam indiuiduum sit substantia singularis in illo priori naturæ, qđ ante quantitatis terminationem consideratur. Pręterea si quantitas terminata esset præcipua ratio singularitatis, ego nunc nõ essem idem homo numero, qui in pueritia fui; neque idem in pueritia, qui fui in infantia; hæc enim augetur, & mutatur, nec manet eadem numero, quare neq; idem indiuiduum, quod ab ea constitui dicitur. Caietani quoque opinio defendi non potest, qui dixit, non materiam cum quantitate, sed materiam cum potentia proxima ad determinatam quantitatem esse principium singularitatis; nam si secundùm se, & in suæ naturæ puritate materia sumatur, indifferens, & communis est; quare non potest constituere hoc, & ipsum ab alijs separare: si verò sumatur vt coarctata ita ad recipiendam hanc quantitatem, vt non ad aliam, necesse est, vt ab aliquo sit coarctata, idque potiùs dicendum erit principium singularitatis, quàm ipsa materia; considerandum ergo est, quodnam sit illud: nam si ritè philosophari velimus, est potiùs forma, quàm quantitas; materia enim à forma restringitur, & primùm habet potentiam ad formam, deinde ad quãtitatem per formam, quoniam hæc terminata quantitas insequitur formam: mirum itaque est, cur vir iste dicere maluerit, materiam cum potentia ad hanc quãtitatem, quàm cum potentia ad hanc formã, esse principium sin-

Confutatio sententiæ Thomæ.

Aegidij sententia.

Confutatio.

Confutatio sententię Caietani.

cipium singularitatis; siquidem materia formam primo respicit, deinde quantitatem, & alia accidentia per formam.

Pro declaranda veritate fundamenta iaciuntur. Cap. V.

Per ea, quæ hactenus dicta sunt, videtur satis esse demonstratum, nec materiam, nec aliquod accidens, siue vnum, siue plura, neq; materiam cum aliquo, vel aliquibus accidentibus posse statui principium singularitatis: relinquitur, vt hoc nō aliunde peti possit, quàm à forma, à qua omnis distinctio, & omnis determinatio prouenit. Ad hanc sententiam complures accedere visi sunt, non tamen eodem modo, neq; etiam satis claram ipsam rei veritatē reddiderūt. Ego igitur perspicuitatis, ac breuitatis gratia inprimis huiusce rei veritatem aperire nitar, deinde considerabo, quomodo alij ab ea modo aliquo defecerunt. *Ad primum.* Sciendum ante omnia est, nō eandem esse quæstionem de multitudine indiuiduorū sub eadem specie, ac de singulorum vnitate numerali, ac distinctione inter se; multitudo namq; indiuiduorum notat imperfectionem, & prouenit à diuisione materiæ, vnitas autem numeralis, qua dicitur indiuisum in se, & diuisum ab alijs, notat perfectionem, quia prouenit ab actu, & à perfectione rei, ideò tribuitur à forma; nam formæ officium est determinare, & constituere hoc aliquid, vt inquit Aristoteles in 2. cōtext lib. 2. de Anima: munus etiam formæ est separare, ac distingue re rem ab alijs, inquit enim Arist. 7. Metaphys. context. 49. actus est qui separat & distinguit: propterea Auerroes in prima disputatione contra Algazelem in solutione octaui dubij dicit, causa multitudinis numeralis est materia, causa verò distinctionis in multitudine numerali est forma. Sciendum præterea est, quòd, quum formæ officium sit dare esse, & actum rei, hoc esse duplex est, proinde & duplex actus, vnum est esse essentiæ, alterum est esse existentiæ: quare actus quoq; sumi potest tum pro gradu essentiæ, quem tribuit forma, siquidem forma animalis constituit animal, forma verò hominis hominem; tum pro actu existentiæ extra animā, quē itidem forma tribuit, idque puto Aristot. intellexisse in 2. context. lib. 2. de Anima, quando dixit, formā esse quæ facit hoc aliquid, credo enim ibi amplè sumi hoc aliquid pro omni determinatione, siue ad essentiam, siue ad existentiam pertinēte, nam determinare, & actuare est solius formæ officium. Dico præterea, maius esse dare existentiam actu, quàm dare esse specificum, & essentiam constituere; plura enim requirūtur ad existentiam, quàm ad essentiam rei constituendam; nam existentia præsupponit essentiam, & est quiddam additum ipsi essentię, quod ipsemet Thomas in loco prædicto asserit his verbis: esse est actualitas formæ; forma enim dicit potentialitatem antequam ponatur in esse, ideò esse cōparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam; ob id videmus formam animalis, & quamlibet aliam formam generalem, cōstituere, propriam eius rei essentiam, vt essentiam animalis, vel plantæ, tamen tribuere non posse existentiam actu sine ope formæ specificæ, quæ sola tum essentiam constituit speciei, tum facit rem actu existere; maius igitur est tribuere existentiam actu, quàm essentiam rei constituere: quare si ad formam pertinet essentiam constituere, multò magis ad eam pertinere debet tribuere existentiam actu: quamobrem nec materia, nec aliquod accidens potest existentiæ actum tribuere, quum enim essentiam substantiæ non constituant, minùs tribuere existētiam possunt, per locum à maiori. Hoc igitur vt verissimum, & firmissimum dicendorum fundamentum statuendum nobis est, solam formam tum essentiam constituere, & rem in specie collocare, seu subalterna, seu specialissima; tum existentiam actu extra animam tribuere; & hatum discrimen illud esse, quod diximus.

Materia est causa multitudinis indiuiduorū, sed forma est causa distinctionis eorū inter se.

Duplex esse, & duplex actus.

Existentia est actus additus essentiæ.

Forma, & essentiam, & existentiam tribuit.

Duabus propositionibus tota rei veritas declaratur. Cap. VI.

His ita constitutis, dicimus, totā huiusce rei veritatem duabus propositionibus contineri, quarum vna conceditur ab omnibus, altera verò ex maximè controuersa. Prior hæc est: forma vt essentiam rei constituens non dat vnitatem numeralem, imò in ea tanquam in communi essentia conueniunt omnia singularia; quia si sunt eiusdem specieī, eandem habere debent essentiam æquè cum ipsis omnibus communicatam: hoc modo formam considerauit Aristoteles in contextu 92. libri 1. de Cœlo, quando dixit, Cœlum vniuersale significare formā, & ibi Auerroes dicens, forma est subiectum vniuersalitatis nam essentia, & quidditas non est nisi vniuersalis. Altera propositio est: forma specifica quatenus dat existentiam actu, quæ est quiddam additum essentię, dat vnitatem numeralem, & singularitatem, & sperat indiuiduum hoc ab alijs. Hæc licèt in controuersia posita sit, tamē si diligenter consideretur, satis manifesta esse videtur, nam forma secundùm se sumpta, & quatenus est forma, est rei essentia, & quoddam vniuersale, quod secūdùm suam naturam vel est communicabile pluribus, vel non est communicabile: forma quidem materialis est secundùm suam naturam communicabilis, at forma abiuncta per essentiam à materia est suapte natura incommunicabilis;

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Forma materialis secundùm suā naturam est cō-

communicabilis, forma verò abstracta incommunicabilis.

non enim causa est materia, cur forma sit cōmunicabilis, sed secundùm propriam naturam forma vel communicabilis, vel incōmunicabilis est; ideò quia maxima est consonantia in rebus, natura tribuit formæ communicabili materiam diuiduam, in qua pluribus communicaretur, formæ verò incommunicabili talem materiā assignare non oportuit. Quoniam igitur de materiali forma nūc sermo est, ea secundùm se est cōmunicabilis pluribus; significat enim essentiam, in cuius participatione plura indiuidua conueniunt; sed eadem vt extra animam existens, nō potest esse nisi vna numero, & facere indiuiduū hoc, quia nihil existit, nisi singulare; ab eo igitur necesse est singularitatē tribui, à quo tribuitur existentia, hæc aūt tribuitur à forma, ergo à forma tribuitur singularitas, non à materia, quæ non ex se habet existentiam: erroris autē causa multis extitisse videtur, q̄ forma ad existēdum eget materia, in qua recipiatur, ideò putarunt materiā esse causam singularitatis; non est tamen causa, sed cōditio, sine qua nō, quia forma nō dat singularitatem nisi vt existēs, existere aūt non potest sine materia; neq; ob id dicendum est, formā habere existētiam à materia, sed potiùs materiam habere existētiam à forma; nam forma domina quodammodo est existētiæ, & sola dat existentiam, materia verò est ministra quædam, quæ formā sustinens illi famulatur vt existat; tali igitur famulatu adiuta forma existit, & existens constituit hoc indiuiduum distinctum ab alijs.

Materia est existētiæ causa vt sine qua non.

Quòd aūt materia vnitatem numeralem tribuere nequeat, ita ostendere possumus: vnitas numeralis, de qua loquimur, est vnitas positiua; at materia secundùm se non est vna numero positiuè, sed solùm priuatiuè, fit autem vna numero positiuè à forma; ergo non à materia, sed à forma fit vnum numero positiuè, non potest enim materia tribuere composito id, quod ipsa secundùm se non habet. Præterea hoc idem ostendere possumus argumēto efficacissimo: vnum dicitur quatuor modis, vt ait Aristoteles in cōtext. 12. lib. 5. Metaphys. vnum analogia, vnum genere, vnum specie, vnū numero, sed maxima omnium est vnitas numeralis, quia infert alias, nec infertur ab illis; id enim quod est vnum numero, est etiam vnum specie, & vnum genere; at non est necessarium, si est vnum genere, vt sit vnum specie, vel numero; neque, si est vnum specie, vt sit vnū numero, maior enim vnitas continet in se minorem, nō è conuerso; itaque sic argumentemur: id, quod minorem vnitatem tribuere nequit, minùs potest tribuere maiorē, ergo quod non potest tribuere vnitatem speciei, id minùs potest tribuere vnitatē numeri; atqui nec materia, nec accidens vllum, nec

Vnum dicitur quatuor modis.

A accidentia plura, nec materia cum aliquo accidente potest constituere vnam substantiam speciei; minùs igitur potest facere vnam numero; nil igitur remanet nisi forma, quæ diuersis modis accepta constituat & vnum specie, & vnum numero; forma enim humana quatenus essentia hominis est, speciem vnam facit, & est ratio conuenientiæ omnium indiuiduorum hominum inter se, nec vllum in ijs discrimē ponit; eadem vt dans homini extra animam actu existere, quod est distinctum

B quoddam ab essentia, & ei additum, cōstituit vnum numero, & est ratio distinctionis indiuiduorum inter se. Hæc Auerrois sententia fuit, qui in prima disputatione contra Algazelem in solutione octaui dubij dixit, causa multitudinis numeralis est materia, sed causa distinctionis in multitudine numerali est forma; nā multitudo notat imperfectionem, & prouenit à materia; distinctio autem, ac de-

Auerroës.

C terminatio à forma, nec potest fieri, nisi à forma, & ab actu: hæc tamen Auerrois verba referens Zimara in suo theoremate 97. videtur ea aliter legisse, nempe sic, causa conuenientiæ in multitudine numerali est forma; tamen in codicibus emendatissimis non legimus, conuenientiæ, sed distinctionis: & quamuis vtrumque verè dici possit, quemadmodum antea declarauimus, tamen rectiùs legitur distinctionis, quàm conuenientiæ; quia non

D loquitur ibi Auerroes de speciei vnitate, sed de vnitate indiuidui, & de multitudine indiuiduorum. Hanc eandem sententiam apud Auerroem legimus in 2. Comment. libri 2. de Anima, vbi declarans dictum illud Aristotelis, forma est, quæ facit hoc aliquid, inquit, forma est, per quam indiuiduum fit hoc; sed clariùs in initio Commentarij 9. eiusdem libri hæc apud Auerroem verba leguntur. [*Indiuiduum non est indiuiduum, nisi per formam,*

E *quia non est indiuiduum, nisi quatenus est ens actu, & est ens actu per suam formam, non per suam materiam*] certè non potuit Auerroes clariùs exprimere sensum huius nostræ posterioris propositionis; accipit enim ens actu pro eo, quod actu existit, & considerat formā vt dantem existentiam actu extra animam, & hac ratione asserit indiuiduū fieri hoc à forma, non à materia. In Commentario etiam 90. libri 1. de Anima, inquit Auerroes, omne, quod est vnum, est vnum per suam formam,

F non per suam materiam; omnem igitur vnitatē censuit Auerroes à forma tribui, nec possumus hac in re de eius opinione dubitare.

Alia nonnullorum opinio, & eius reprobatio. Cap. VIII.

Ab hac sententia, quam ego verissimam esse puto, nonnulli aliquantum recessisse vi-

Opinio aliorum. fisse videntur, qui considerantes, non sine materia constitui indiuiduum hoc, dixere, nec solam materiam, nec solam formam esse causam singularitatis, sed simul vtramque; quatenus enim hæ duæ substantiales partes extra animam existentes coniunguntur, eatenus constitut indiuiduum hoc. *Confutatio.* Hoc autem dicentes mihi quidem videntur proximè ad veritatem accessisse, sed aliquantum etiam ab ea recessisse: quòd enim materiam necessariam esse dixerint in constitutione indiuidui, in hoc optimè eos sensisse arbitror, sed in eo defecisse, quod æquè materiæ, ac formæ primas in hoc munere tribuerunt; quũ potius dicendum sit, solam formam esse primam, & æquatam causam singularitatis, materiã verò causam quandam secundariam, & sine qua non, quatenus famulatur formæ ad existendum, & ad constituendum hoc aliquid. Hoc videtur satis à nobis suprà esse demonstratum, possumus autẽ id magis declarare, & ostendere nitentes proprijs eorum fundamentis; ex eo enim quod ipsi de essentia confitentur, possumus de existentia optimè argumentari: essentiã & quidditatem asserunt ipsi esse solam formam, qua in re optimè sentiunt; & solam formam constituere speciei vnitatẽ, non materiam, formã tamen non sine materia; materia enim est necessarium fundamẽtum, & vehiculum quidditatis, quoniam hominis quidditas est quidem forma tantùm, non tamen forma per se sola existẽs, sed forma, cuius est necessaria cõditio vt sit in tali materia: ideò ille, qui hominem vniuersalem per solam formam definiret, essentiam hominis non exprimeret, licet sola forma sit essentia; sed definiendus est homo per formam in tali materia, idq; traditur clarè ab Aristotele in Procemio libri primi de Anima. Hoc idem de existentia dicendum est, nam absque dubio à sola forma tribuitur, simulq; vnitas numeralis, non à materia; sed materia est necessaria conditio formæ ad existendum, nam forma si materiam realem habeat, in qua hæreat, facit rem actu existentem, & vnam numero ab alijs distinctam: quemadmodum igitur, licèt materia sit quidditati necessaria vt vehiculum, ob id tamen non fit, vt etiam materia sit quidditas, neque per id stat, quin quidditas sit sola forma; ita necessaria est extra animam materia ipsi formæ ad constituẽdum indiuiduum, neq; per id stat, quin sola forma constituat ipsum, quum solius formæ officium sit determinare, & constituere, licèt præstare hoc nequeat sine famulatu materiæ. Concedimus igitur, materiam & ad essentiam, & ad existentiam esse necessariam vt conditionem, sine qua non, hanc tamen in præsentia non quærimus, sed quærimus immediatam, & æquatam causam singularitatis, quam dicimus esse solam formam.

Cæterùm ne ob ea, quæ diximus, aliquis in errorem labatur, non est ignoranda differentia inter vniuersale, & singulare in comprehendenda materia: quum enim necessaria sit materia & vniuersali, quod significat essentiam, & singulari, quod extra animam existit, hoc tamen discrimen habent, quòd vniuersale materiam complectitur vt conditionem necessariam, at non vt partem; quo fit vt natura non sit essentiæ pars, sed solùm necessaria conditio, & fundamentũ: singulare verò materiam complectitur etiam vt partem, siquidem substantiæ indiuiduæ extra animam existentis duæ sunt partes, materia, & forma; discrimen hoc exprimere voluit Aristot. in contextu 92. lib. 1. de Cœlo, quando dixit Cœlũ vniuersale esse formam, hoc aũt Cœlum esse formã cum materia mistã; quamuis enim cœlum non habeat materiæ & formæ compositionẽ, habet tamẽ per analogiam, & similitudinem, quatenus habet quidditatem in materia sensili: hoc etiam idem significauit, in 9. context. lib. 3. de Anima, vt ibi videre est; hoc tamen ijs, quę modò diximus, minimè refragat; aliud enim est indiuiduum, aliud est indiuiduans, indiuiduũ quidem ex materia & forma constat, tanquã partibus, at per hoc non stat, quin indiuiduãs sit sola forma, cui famuletur materia tanquã causa sine qua non; eadem igitur materia indiuiduato est pars, indiuiduanti autem non pars, sed conditio. Præterea verò non est ignorãdùm, sicuti forma duobus modis sumitur, ita materiam quoque accipi duobus modis: sicut enim forma tum vt essentia rei sumitur, tum vt prębens existentiam actualem, ita necesse est, materiam quoq; duobus muneribus fungi, quatenus formæ vtroq; dicto munere fungenti famulatur: vno igitur modo sumitur materia pro necessario fundamento quidditatis, nulla habita ratione actualis existentiæ extra animam; sic accepit materiam Aristoteles in Procemio libri primi de Anima, quando dixit, omnem formam naturalem esse definiendam per materiam, sic enim etiam homo vniuersalis est forma in materia, non tantùm homo singularis, sed consideratur tunc materia vt animo concepta sub essentia rei, non vt actu existens extra animum. Altero modo sumitur materia vt actu existens extra animam sub forma, & per formam, eaq; solet ab Aristotele appellari materia sensilis, quia per formam est facta sensilis, quemadmodum etiam per formam existit, & per formam est hæc singularis; & hæc omnia dicere, est dicere compositum indiuiduum existere, & esse hoc, per formam, non tamen sine materia; quoniam enim materia non existit, nisi vt facta hic homo, vel hic equus, vel aliqua a-

Vniuersale & singulare diuersis modis ad materiam se habent.

Materia dupliciter sumitur respectu formæ.

N

lia res; ideò materiam existere, est compositū existere. & Aristoteles nomine materiæ sensilis significare solet materiam vt existentem extra animam, proinde ipsum compositum, quod per formam existit: attamen dum materiam existentem distinguimus à toto composito, ea est quidem ipsius compositi pars, sed talis pars, quæ singularitatem nō tribuit, sed potius ab alio recipit, nempe à forma, nisi catenus materiam quoq; facere singularitatem dicamus, quatenus famulatur formæ cō stituendi hoc aliquid, hoc est, quatenus causa secundaria, & sine qua non, & in hoc illos defecisse dicebamus; quod enim ad formam attinet, nos ab eorum sententia nō recedimus.

Opinio Scoti de duplici forma, & duplici materia, & de principio singularitatis. Cap. IIX.

Scotus de hac re loquitur in 2. lib. Sent. distinct. 3. & eam fusissimè tractat septem continuis quæstionibus, vbi plures aliorū sententias refutat, quas nos quoque refutauimus, videlicet ratione singularitatis esse materiam, vel quantitatem, vel aliquod aliud accidens, vel materiam cum quantitate: sententiam aūt, qua statuitur formam esse singularitatis principium, & quam nos veram esse arbitramur, non confutat: quare videtur ad hāc potiùs accessisse, & reuera eius opinio ad nostram facillimè trahi potest, vt mox considerabimus; hanc ipse declarat ibi in quæst. 6. sed clariùs in Quodlibetis, q. 2. artic. 2. putat enim duas in omni composito formas esse considerādas; vnam vocat formam partis, alteram verò formam totius, id est, formā, quæ est pars, & formam, quæ est totum; nam formam partis inquit esse illam, quæ est altera pars compositi, vt est in homine rationalitas; formam verò totius inquit esse totā quidditatem hominis sumpti in abstracto, nempe humanitatem; putat enim etiam materiam esse partem quidditatis, ita vt humanitas non solùm notet formam hominis, sed formam & materiam simul complectatur: & quoniam materia & forma referuntur inuicem, proinde oportet tot modis vnam dici, quot dicitur altera; ideò his duabus formis duas dicit respondere materias, quas similiter vocat materiā partis, & materiam totius: materiā enim partis inquit esse illam, quæ est altera pars compositi, & subijcitur formæ partis, & ad eam refertur; materiam verò totius respōdere ait formæ totius, eamq; vocat differentiā indiuidualē, seu entitatem indiuidualē, quæ coarctat formam totius id est, quidditatem; omnis enim quidditas est vniuersalis, & coarctatur in ipsa entitate indiuiduali; quamobrē entitas indiuidualis habet locū materiæ, quæ respondet formæ

Forma duplex, secundum Scotum.

Materia duplex, secundum Scotum.

A totius, & vocatur à Scotistis hæcheitas, quam dicunt esse principium singularitatis. Sed videns Scotus aliquem ipsi obijcere posse, & quærere quidnam sit hæc differentia indiuidualis: nam si est aliquid, necesse est vt vel sit substantia vel accidens; accidens autem esse non potest, quia iam vniuersè hanc sententiam Scotus confutauerat, quòd aliquod accidens possit esse singularitatis principium; sed neq; substantia, quia sic sequeretur indi-

B uidua eiusdē speciei differre inter se per differentiam substantialem, quod Porphyrius negauit, imò id omnes negant, sic enim differrent indiuidua, non solùm numero, sed etiam specie; quare relinquitur, vt sit nihil: soluit hanc difficultatem, dicens, differentiam indiuidualem non esse accidens, sed quiddā prius omni accidente aduenientе, neque etiā esse substantiam re distinctam à differentia specifica, neq; vllam aliam rem illi additam, sed so-

C lùm esse aliam realitatem; quod significare videtur, non esse aliud ens, seu aliam rem, sed alium quendam modum essendi, per quem res dicitur singularis: propterea quando Aristoteles lib. 5. Metaphysicorum, contextu 12. inquit vnum numero esse, cuius materia est vna, Scotus dicit, Aristotelem ibi intelligere non materiam partis, sed materiam totius, & hanc esse illam hæcheitatem, ac differentiam indiuidualem, quæ est singularitatis princi-

D pium: hāc interpretationem adducit Scotus, tum in illa quæst. 6 tum in commentarijs suis in librum illum; & hanc eandem attulit Ioannes Bacconius in 3. Sentent. distinct. 12 dum tueri volens eorum sententiam, qui dixerunt formam esse principium singularitatis, soluit argumentum, quod ex eo loco Thomistæ accipiunt, ad probandum illud esse officiū materiæ; inquit enim materiam ibi non significare illam, quæ est altera pars compositi, sed

E totum ipsum compositū sensile, quod extra animam non existit. Sic etiam quādo in 1. lib. de Cœlo Aristot. dicit, Cœlum esse formam, hoc autem Cœlum esse formam cum materia, inquit Scotus, formam ibi sumi pro forma totius, id est, pro quidditate, & materiam pro materia totius, quæ quidditatem restringit; hoc enim modo Cœlum vniuersale est forma, hoc autem Cœlum est forma commista materiæ, id est, quidditas in re singulari.

F *In quo sensu opinio Scoti defendi possit, & in quo non possit. Cap. IX.*

Haec Scoti sententia vel vana & commētitia est, vel est ipsamet opinio nostra, q; forma sit principium singularitatis; in alio enim sensu defendi non potest. Primū quidem quod ad fundamentum Scoti attinet, quo statuit duplicem esse formam, id omnino ne-

Rationalitas & humanitas non sunt duæ formæ.

mnino negandum est, nisi sano modo intelligatur: nam si intelligat, duas esse formas re distinctas, rationalitatem & humanitatem in homine, id minimè est concedendum, quum vna, & eadem forma sit, & vtraque eandem significet hominis quidditatem, quæ non est forma & materia, sed forma in materia: neque enim rationalitas, neque humanitas materiam continet vt partem, sed solùm vt vehiculum, & conditionem necessariam; admittere tamē possumus, eas differre sola ratione, quia rationalitas materiam connotat implicitè, humanitas verò expressè, notat enim formā humanam in tali materia; quare in hoc sensu admittere possumus fundamentum Scoti; quemadmodum etiam concedere possumus formam hominis, & quidditatem hominis differre ratione, vt eadē vocetur forma, prout extra animum habet esse reale, & quidditas, prout in animo habet esse cognitum; at non ob id sunt duæ formæ, quia vna alteram repræsentat; vt equus in animo, & equus extra animam non duo equi sunt, sed vnus; alter enim est imago alterius.

Forma & quidditas differunt ratione.

Quid sit materia totius.

Materia verò totius, quam Scotus ponit distinctam à materia partis, nil aliud est quàm ipsum compositum extra animum existens; quòd ipse materiam nominare vult, nō est appellatio absurda, quū ipse quoque Arist. aliquando nomine materiæ intelligat ipsum compositum, quod extra animū actu existit, seu (quod idem est) materiam ipsam vt existētem; non enim aliter existit, quàm formata; & sic est ipsummet compositum existens, quemadmodum nos antea dicebamus. In hoc igitur sensu fundamentū à Scoto iactum de duplici forma, & duplici materia approbandū esse censemus, præterquam quòd materiam, quam ipse vocat partis, negamus esse partem quidditatis. sed hoc ad propositam nobis cōsiderationem non attinet, adeò de eo in præsentia disputandum non est.

Consideratio opinionis Scoti.

Quòd verò ad ipsam Scoti opinionem attinet, quum ipse dicat, principium singularitatis esse differentiam indiuidualem, seu hæcheitatem, videndum est, quidnam per hæc intelligere possit: materiam quidem vt partem compositi non intelligit, iam enim hanc sententiam confutauerat; neque accidens aliquod, siue materiam ipsam, vt aliquo accidente coarctatam, quia hoc quoque reprobauerat: restat igitur vt intelligat vel ipsum compositum, vel formam: videntur quidem verba significare compositum, quod extra animam existit, sed hoc est potiùs indiuiduatum, quàm causa indiuiduans; & illa, quæ ab ipso vocatur hæcheitas, si ipsam nominis vim spectemus, est reuera idem, quod singularitas, quæ est ille ipse effectus, cuius quærimus causam, nec potest assignari vt causa sui ipsius; affert igitur effe-
A ctum pro causa; causam verò ipsam, quam quærimus, non exprimit; quocirca hæc nobis inuestiganda relinquitur. Necesse est igitur vt formam intelligat: sed neque hanc potest intelligere vt quidditatem, vel partem quidditatis; quoniam ipse apertè dicit, hanc differentiam indiuidualem, seu hęcheitatem esse extra quidditatem, & quiddam additum quidditati, ergo intelligit formam vt existentem extra animam, iam enim diximus, existen-
B tiam esse quid additum essentiæ. huic igitur sensui optimè aptantur omnia dicta Scoti; sic enim principium singularitatis non erit noua differentia substantialis adueniens speciei tanquam nouum ens, sed noua entitas (vt ipse dicit) hoc est, nouus modus accipiendi formam, & nouum eiusdem formæ munus; forma enim vt est forma, est differentia specifica, vt verò extra animam existens, est differentia indiuidualis, quæ facit hoc, non potest enim
C existere nisi vt hæc; & quia existere nequit sine tali materia, in qua recipiatur, ideò id, quod à forma constituitur, est hoc singulare existēs, & ex materia & forma constans, quod à forma constituitur, & fit hoc aliquid Scotus igitur vel formam dicit esse principium singularitatis, vel nihil dicit: ego quidem arbitror, ipsum sub nube veritatem vidisse, ideoque non expressè, & clarè ipsam protulisse: quòd enim ad hanc potiùs sententiā fuerit inclinatus, id maximè ostendit, quod in sua tam prolixa de
D hac re disputatione, in qua alias omnes sentētias diligenter impugnat, non videmus hanc, quam nos sequimur, de forma opinionem ab eo fuisse impugnatam: non est igitur præter rationem, quòd ei hæc sententia attribuatur.

Solutio argumentorum à Thoma, & ab alijs aduersarijs adductorum. Cap. X.

Ad primum argumentum.

Reliquum est, vt aduersantia argumenta,
E quæ initio adducta sunt, soluamus. Primum erat argumentum Thomistarum ex Aristotele acceptum in contextu 12. libri 5. Metaphysicorum, vbi definit vnum numero non per formam, sed per solam materiam, dicens vnum numero esse cuius materia est vna: ad hoc dico, non esse ibi consilium Aristotelis exprimere æquatam rationem singularitatis, sed solùm propriam cōditionem vnitatis numeralis, vt à speciei vnitate di-
F stinguitur: quamuis enim causa vnitatis numeralis sit forma, tamē quia eadem est etiam causa vnitatis speciei, non poterat Aristoteles eandem afferre vt causam vtriusque vnitatis; quoniam igitur causam vnitatis speciei dixerat esse formam, quam vocauerat rationem, quia illam acceperat, quatenus est essentia rei, ideò vt errandi occasionem auerteret, non attulit formam vt causam vnitatis nume-

ralis, sed attulit conditionem illam, quam forma requirit ad existendum, siquidem non facit vnum numero, nisi vt existens; materiam igitur nominauit, sine qua non constituitur à forma vnum numero; constat enim indiuiduum ex forma & materia, tanquam partibus, & materia est facta vna per formam, quia forma iuncta materiæ extra animam, facit vnum numero: per hoc aũt distinguitur vnitas indiuidui ab vnitate speciei; nam vnũ speciei fit à sola forma, quatenus est forma, nec continet materiam nisi vt vehiculum formæ: at vnum numero fit à forma existente; existit aũt in materia, & sic facit vnũ numero, cuius pars est materia: hoc ita sese habere ostendo argumento manifestissimo; peto ab aduersarijs, quando Arist. dicit, quorum materia est vna, quonam modo intelligat materiam vnam, an priuatiuè, an positiuè: priuatiuè intelligo per mentalem ablationem omnium formarum; sic aũt intelligere ibi Aristot. non potest, quoniam materia hoc modo nullum indiuiduũ constituit, nec magis facit hunc hominem, quàm hunc equum; sed hoc magis est manifestum, quàm vt probatione vlla indigere videatur; itaq; necesse est, vt dicamus, intelligendam esse materiam vnam positiuè; atqui non est materia per se vna positiuè, sed per formã fit vna, quia forma est, quæ facit hoc aliquid, vt ait Arist. in 2. context. lib. 2. de Anima; ergo patet non alium esse sensum verborum Aristotelis, quàm hunc; vnum numero est, cuius materia est facta vna per formam; quare præcipua ratio huius vnitatis absque dubio forma est, sed Aristoteles constituens tanquam notum, quòd forma facit hoc aliquid, solam conditionem expressit, quam requirit forma, vt hoc munere fungatur, conditio autem est, vt ei famulatus materiæ, in qua existat, suppeditetur; sic autem apparet distincta ratio vnitatis numeralis à ratione vnitatis speciei. *Scoti responsio.* Scotus verò ad hoc idem argumẽtum respondit, Aristotelem ibi nõ intelligere materiam partis, sed materiam totius, proinde eo non ostendi materiam partis esse causam singularitatis, quod se ostendere putarunt Thomistæ. *Ioan. Bacconij responsio.* Eadem fuisse videtur etiam Ioannis Bacconij responsio, qui dixit, Aristotelem nomine materiæ non illam intelligere, quæ est subiecta formę, sed totum compositum existens, quod ab eo frequenter materia sensilis appellari solet. Sed hæ solutiones non videntur diuersæ admodum ab ea, qua nos vsi sumus; quoniam materia vna positiuè facta per formam, est ipsum nec compositum, quemadmodum antea dicebamus: nostra tamen responsio magis exprimit rationẽ illius dicti Aristotelis, quàm horum responsiones, vt consideranti patet. *Ad secundũ.* Deinde argumentum sumebant ex Aristote-

A le in contex. 92. libri 1. de Cœlo, vbi dicit Cœlum esse formam, & hoc cœlum esse formam cũ materia; proinde significare videtur, Cœlum constitui hoc à materia, nõ à forma. Nos aũt dicimus, non eam esse Aristotelis mentẽ, vt dicat, Cœlum esse formam, & hunc Cœlum per materiam constitui, sed potiùs denotat, tam Cœlum, quàm hoc Cœlum significare formam, diuersis tamen rationibus consideratam: Cœlum enim significat formam vt est B forma, & essentia, hoc aũt Cœlũ denotat formam vt existentem cum materia sensili, & cõstituentem hoc indiuiduum, cuius duæ sunt partes, forma, & materia, à forma tamen sola constituitur, materia verò est id, quod tanquã subiectum recipit hanc actionem formæ, quã recipit etiam totum compositum, tanquam denominatum: non est tamen hoc ita de Cœlo intelligendum, vt dicamus esse in eo materiam & formam re distinctas, sed solùm ratio C ne distinctas, est enim corpus simplex, quod alia ratione dicitur forma, alia ratione materia; fit autem hoc, & distinguitur ab alijs per proprium actũ, proinde quatenus est forma, non quatenus est materia; & est forma materiæ mista, quatenus existit cum vtraq; conditione, tum formæ, tum materiæ, quemadmodum alio in loco declarauimus. Scotus aũt & Ioannes Bacconius aliter respondere videntur, dicendo materiam significare totum cõ D positum existens: sed ea responsio à nostra differre non videtur, sicut paulò antè considerabamus. *Ad tertium.* Ad Auerroem autẽ ibi dicentem formam esse subiectum vniuersitatis, dicimus eum ita loqui, quia formam considerat, quatenus est forma, & essentia; sic enim est vniuersalis, vt patet. Ob id etiam Aristoteles in contextu illo 12. lib. 5. Metaphysic. dicit vnum specie esse illa, quorum ratio est vna, quia sumit formam, prout est rei essentia, quæ solet E ratio appellari, sic enim facit vnum specie. *Ad quartũ.* Ad aliud argumentum dicimus, ea, quæ differunt forma vt essentiam constituente, vtique specie differre; ast illa, quæ distinguuntur per formam vt existentem extra animam, non est necesse vt specie differant: indiuidua namque eiusdem speciei per formas primariò distinguuntur, quia distinctas singula formas habent, has autem cum materia mistas insequitur plurium accidentium collectio in singu F lo indiuiduo, quæ illi⁹ indiuidui propria est: & dicere quidem possumus, per talem accidentium collectionem distingui indiuiduum hoc ab illo, non tamen primariò, sed secundariò; quemadmodum etiam dicere possumus, per risibilitatem differre hominem à brutis, est enim quiddam posterius, quod primariam differentiam insequitur. Ad Aristotelem autem in contex. 28. lib. 7. Metaphysic. dicimus

Ad quintũ. dicimus illud idem, quod de contextu 12. libri paulò antè diximus, non esse mentem Aristotelis ibi exprimere primariam rationem distinctionis Calliæ & Socratis, siquidem certum est, nos non per materiam differre, sed id solùm respexisse, vt rationem adduceret distinctionis indiuiduorum diuersam à ratione conuenientiæ eorundem: quoniam igitur ibidem dicit eos conuenire in specie, & forma, dicere non debuit, eosdem differre per formas sed materiam expressit, id est, materiam sensilem, quæ extra animam existit per formam, & est simul conditio, sine qua non existeret forma, quocirca forma est, quæ cum materia existens separat hunc hominem ab illo. *Ad sextum.* Ad postremum argumentum, de quantitate, respondemus, negandam esse propositionem maiorem, nisi addatur, primò: vera enim est si talis proferatur; illud, quo primò posito ponitur singularitatis, & distinctio huius indiuidui ab aliis. & quo primò ablato, aufertur, est sufficiẽs principium singularitatis absolutè aũt prolata falsa est, nam etiam risibili posito ponitur homo, & ablato aufertur, nec tamen risibilitas est principiũ constitutiuum humanitatis, propterea quòd nõ primò posito, nec primò ablato: vera aũt existẽte maiore falsa est minor, qua dicitur, posita materia cum quãtitate terminata ponitur, indiuiduũ, & ablata aufertur; non primò posita, nec primò ablata. sed primò posita forma actu existente ponitur indiuiduum, & primò ablata aufertur; formam enim existentem insequitur terminatio quantitatis, quæ est quoddam insequens singularitatem, at nõ constituens; & quamuis per eam secernatur hoc ab illo, vt quantũ à quanto, non tamen vt substantia, à substantia, sed per solam formam: illud autẽ, quod dicunt, indiuiduum habere à materia, vt neq; sit in subiecto, neq; de subiecto prædicetur, negãdum est, quia est petitio principii; illud enim quod facit indiuiduũ de subiecto non prædicetur, est illud idem, quod facit vt sit hoc, negamus igitur id esse materiam: in subiecto autem non esse competit omni substantiæ, tum vniuersali, tum particulari; quare à quacunq; sumat indiuiduum hanc conditionem, nihil ad nos; quare hoc argumentum nihil habet efficacitatis.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, Liber DE COMMVNI RERVM GENERATIONE & INTERITV.

Propositio dicendorum. Cap. I.



DE communi rerum generatione loquens Aristoteles in duobus libris de Ortu & interitu, inprimis essentiam eius significauit per definitionem illam, generatio est mutatio totius, nullo sensili remanẽte, vt subiecto eodem; deinde verò in 2. lib. ipsius Generationis causas declarauit: & quamuis eam definitionem tanquam notam proposuerit, vel saltem tanquam leui declaratione indigentem, quum sit definitio nominalis; plures tamen postea ex ea ortæ difficultates ipsam obscuriorem, quàm reuera sit, reddidisse videntur, quum multi, vt aliqua sua dogmata ructẽtur, ... Aristotelis extorquere ausi sint: consistit autem potissimè difficultas in illa dictione, totum, quum enim dicat totum interire, & totũ generari, significare videtur nihil rei corruptæ remanere in genita: attamen contingere videtur, vt in re genita aliquid seruetur, quod prius fuit in corrupta: dubium igitur hac de re ortum est, quod nos in præsentia considerare decreuimus, idq; duplex: vnum quidem an aliqua substantiæ pars remaneat; alterum verò an aliquod idem numero accidens. Quod autem ad substantiales partes attinet, certum est, eas non posse omnes comprehendi ea dictione, totum; quoniam si ita interimi totum intelligeremus, id est, omnes substantiæ partes, oporteret primam quoque materiam interire, & ita interitũ esse nihilationem rei, quod quidem dicendum non est: materia igitur excepta, interpretes ad solam formam disputationem direxere, vt sit quæstio, an aliqua substantialis forma serue-

tur in genito, quæ prius fuerit in corrupto: quam quæstionem alijs quoque verbis protulerunt, quærendo an in generatione substantiali ad primam vsque materiam resolutio fiat; hoc enim nihil aliud est, quàm nullam prorsus formam sed solam materiam remanere. Cum hac autem difficultate aliæ quoque non leuis momenti coniunctæ sunt, nempe an hæc generationis definitio ad omnia penitùs sublunaria corpora extendatur, an ad aliqua tantùm, & an solius generationis definitio sit, an etiam interitus; & demum an generatio vnius sit alterius corruptio, & è conuerso, & quomodo id sit intelligendum. Nos igitur hæc omnia diligenter expendemus, vt mox ad accidentium considerationem transeamus, ac postmodum de causis generationis, & interitus, quę minùs difficultatis habere videntur, aliqua dicamus.

Quòd plures esse poßint substantiales formæ in eodem composito. Cap. II.

Caeterum quia prima quęstio locum nō habet, nisi statuamus, plures simul substantiales formas in eodem composito existere posse, etenim hoc negato vana redditur disputatio, quum necessarium sit vna existente forma in composito, vt eo intereunte fiat resolutio in materiam primam; ideò hac de re priùs aliqua dicere oportet: quamuis enim ad Metaphysicum potiùs quàm ad Naturalem hæc disputatio pertinere videatur; tamen si & naturaliter, & strictim tractetur, non inutilis, neq; à proposito aliena esse iudicabitur. Quoniam igitur tres esse videntur naturalium corporum gradus, qui sub præsentem considerationem cadunt, elementa, mista inanima & viuentia; de elementis quidem, quòd vna tantùm forma constet, manifestum est, & à nemine vnquam negatum: ego verò de mistis quoque inanimatis idem dicendum esse arbitror; quandoquidem forma misti, vt alibi dictum est, nō est addita formis elementorum, neque re ab eis distincta, sed quatuor ipsæ elementorum formæ per mistionem in eam vnam migrârunt; ideò in misto inanimato vna tantùm forma inest, quæ mistionis forma nominari solet, nec distinguitur re à formis elementorum. De corporibus igitur inanimatis omnibus, tam simplicibus, quàm mistis, ego quidem huius sententiæ sum, eorum quodlibet ex prima materia, & vna tantùm forma constare; discrimen autem esse solùm in modo generationis, sicut alibi declarauimus. De corporibus verò animatis dissentio penitùs à negantibus multitudinem formarum in quolibet viuente; credo enim in his ex necessitate plures formas inesse: primùm quidem formam mistionis, quæ pro-

Elementa & mista inanima vnā tantum formam habent.

In omni viuente plures sunt formæ.

A uenit ex congressu formarum elementarium, neque eadem est in singulis animati corporis partibus, sed diuersæ, prout variæ sunt diuersarum partium temperaturæ; alia namque est forma mistionis in carne, alia in neruo, alia in osse: præter hanc habent animam tanquam formam additam formæ mistionis, & re distinctam ab illa: posset etiam considerari, an partes animę sint in eodem viuente distinctæ formæ, an vna tantùm, quæ varijs facultatib. B prædita sit; sed hoc à præsenti consideratione alienum est, & ad propositum nihil conducit: siue enim vna in quolibet viuēte insit anima, siue plures, certum est, vnum & eundem esse earum omnium interitū, siue recessum à corpore, nec fieri posse, vt vna sublata remaneant aliæ, ideò ad alium locum hanc considerationem remittemus; satis in præsentia esse arbitrantes, animam tanquam formam vnam, & formam mistionis in viuente corpore consi- C derare: harum igitur duarum realem distinctionem ostendere multifariam possumus. Primùm quidem argumento ab ipsa rei natura deducto: forma enim nobilior nobiliorē, & elaboratiorēm materiam postulat; anima igitur, quæ est forma nobilissima, non debet hærere immediate in materia prima, sicut forma elementi, sed in materia magis elaborata, qualis est materia formata formis elementorū, hoc est, forma mistionis, quæ ex eis proue- D nit. Hoc idem confirmatur argumento sumpto à motu naturali: in animali enim duo sunt distincti naturales motus, vnus, qui fit ab anima, & progressio dicitˀ, cuius species sunt ambulatio, natatio, volatus, & si quę alię sunt; alter verò, qui fit iuxta elementū prævalens; si enim de turri animal demittatur, descendit motu recto simplici, quem nemo diceret esse violentum, siquidem ab interno principio fit, neque est minùs naturalis, quàm si terra deor- E sum feratur, idq; apertè asserit Aristot. in contextu 27. libri 8. Physicorum; hi autem sunt duo distincti, & inuicem pugnantes motus; ergo non ab vno principio fiunt, sed à pluribus, proinde à pluribus formis, quia omniū naturalium motuum principium est forma; hæc enim propriè natura dicitur, vt alibi demonstrauimus: hunc autem animalis descensum naturalem attribuere animæ ita vanum est, vt nihil vanius esse queat, quum potiùs re- F pugnet animæ, quàm eam insequatur; patet enim, eius principium esse grauitatem, quæ est causa laboris, quem animalia in progrediendo patiuntur, quoniam interna grauitas deorsum trahēs repugnat motui animæ; quo fit, vt progressio sit motus violentus corpori animalis, quatenus graue est, quamuis sit ei naturalis, quatenus est animatum, vt ait Aristoteles in eodem loco. Ob id non est admit-

tendum.

In lib. de facultatibus animæ.

Quid anima sit re distincta à forma mistionis.

Primum argumentum.

Secundum.

In lib. de Natura.

tendum id, quod aliqui dicunt, animam animalis fungi omnibus muneribus inferiorum formarum, & esse principium omnium naturalium motuum in animali; descensus enim, qui à grauitate prouenit, non fit ab anima; quum & dormiens animal cadat, & cadauer quoq; eodem motu feratur naturaliter. Sumitur etiam ad hoc comprobandum efficax argumentum ex Arist. in contex. 28. & 29. libri 8. Physicorum, vbi dicit, sola animalia mouere seipsa, quia diuiduntur in partem per se mouētem, & partem per se motam; anima namq; est mouens instar nautæ, & corpus instar nauis est motum: quod quidem de inanimatis dicere non possumus, quia nō diuiduntur nisi in primam materiam & formam, materia verò neq; mouens dici potest, neq; per se mota; ratio autē est, quia tam id, quod mouet, quàm id, quod mouetur, debet esse actu; de mouente clarum est, quia omne agens agit per actū; de moto autem habemus testimonium Arist. clatum in quinto libro Physicæ auscultationis, vbi hoc discrimine separat id, quod mouetur, ab eo, quod generatur, quòd id, quod mouetur, est actu, id autem, quod generatur, non est actu, sed potestate: quicquid ergo à seipso mouetur, debet habere duos in re distinctos actus, proinde duas formas, ita vt vna sit forma mouens, altera verò materiam informans cōstituat corpus per se mobile; oportet igitur animal diuidi in animam, & corpus alia forma formatum; secus enim non diuideretur in partem mouentem, & partem per se motam: quòd si vtroque officio sola anima fungi diceretur, ita vt sola ratione distinguerentur mouens & motum in animali, vt aliqui dicunt, hoc idem de inanimatis dicere possemus, quod tamen ibi Aristoteles negat, qui omnino vult realem esse debere distinctionem mouentis & moti, si quid debeat mouere seipsum eo modo, quo animal seipsum mouet. Præterea videmus, non eodem interitu animam & formam mistionis interire: anima enim interit per mortem, quæ est caloris vitalis, atque insiti extinctio; forma verò mistionis interit per putredinem, quæ est eductio caloris elementaris à calore ambientis; duæ igitur distinctæ formæ in corpore viuente sunt anima & forma mistionis. Hoc idem plura accidentia testantur, nam odores & sapores formam mistionis insequuntur, non animam: quum enim in demortua herba, vel planta idem seruetur odor, qui in viuente fuerat, eandem formam insequitur & in viuente, & in demortuа; non igitur animam, sed solam formam mistionis. Hæc omnia quisquis bene consideret, negare non audebit, duas in viuentibus distinctas formas; si autem duas simul esse non repugnat rationi, nec quatuor, nec centrum repugnabit simul esse in eodem; quare non est neganda in philosophia multitudo formarum in eodem composito. Illud autem, quod maximè huic sententiæ aduersari, & multos mouisse videtur, est, quòd quælibet res constituitur, & suscipit esse à forma; vnius autem rei vnum tātùm est esse, quare vnius rei vna tantùm est forma, non plures: ideò Auerroes quoque in commentario 63. lib. 1. Physicorum inquit, quicquid aduenit illi, quod est actu, est accidens; quoniam ergo per formam res fit actu, non potest formæ alia forma superuenire, sed sola accidentia. Nos verò ad hæc facilè respōdemus; dicimus enim, licèt vnius rei vnum sit esse, per hoc tamen non stare, quin eadem res sit & corpus, & mistum, & viuens, & animal, & homo, licèt aliud sit esse hominem, aliud sit esse corpus, & cætera, quæ dicta sunt; si enim idem esset esse mistum, & esse hominem, omne mistum esset homo: igitur sano modo intelligendum est dictum illud; vnius rei vnum tantùm esse; quum enim aliud sit esse generale, aliud verò esse speciale, potest vna res habere plura esse generalia, non tamen plura specialia, sed vnū tantùmodò; potest enim idē indiuiduum esse & corpus, & animal, & homo, at non potest simul esse homo, & equus: hoc significauit Auerroes lib. 1. Metaphysicorum, commentario 17. quando dixit materiam priùs recipere formas vniuersales, deinde per eas recipere etiā formas proprias, & particulares: quoniam enim forma generalis officio materiæ fungitur; est enim tanquam præparatio materiæ ad recipiendam formam specialem, ideò à sola speciali forma res sumit nomen, & esse; hæc igitur vna tantùm esse potest vnius rei, non plures, quia vnius rei vnum est esse. Quamobrem per dictum illud, vnius rei vnum tantùm est esse, excluduntur illæ formæ solùm, quæ non sunt subordinatæ, nec vna est præparatio ad aliam recipiendam, cuiusmodi sunt forma hominis, & forma equi, & aliæ speciales formæ; at non excluduntur formæ subordinatæ, quarum sola vltima fungitur officio formæ & perspicit omnes alias, quæ cum prima materia constituūt materiam proximam, & propriam ipsi vltimæ formæ; hęc enim alias continet, & vnū tantùm compositum constituit, quoniam, vt ait Aristoteles in context. 7. lib. 2. de Anima, ex actu & potestate vnum fit: quando igitur ex prima materia, & omnibus præcedentibus formis constituitur vna quædam materia potestatem habens recipiendi vltimam formam, ex hac, & illis omnibus vnum fit, si verum est dictum illud Aristotelis, ex actu & potestate fit vnum. De hoc igitur vltimo, ac speciali actu loquitur Auerroes in cōmentario 63. lib. 1. Physic. quando dicit, quic-

Margin notes: Tertium. Quartum. Quintum. Obiectio. Solutio. Quomodo vnius rei vnū sit esse, & quomodo plura.

quid aduenit ei, quod est actu, accidens est: quum enim talis actus non habeat potestatem recipiendi alium actum, ex illo, & alio actu non fieret vnum: ideò quicquid aduenit actui speciali, est accidens: at formæ generali potest alia substantialis forma superuenire, quia non solùm est actus, sed coniunctam habet potestatem ad alium actum, est actus generalis, & potestatem habet recipiendi actum specialem perfectiorem.

Quòd aliqua substantialis forma seruari possit in genito, quæ eadem fuerat in corrupto. Cap. III.

De mutua elementorum mutatione.

His ita constitutis, ad propositam quæstionem facile est de mutua elementorum inter se mutatione respōdere: necesse enim est, resolutionem fieri penitùs in materiam primam, si vna tantùm in elemento est forma, quoniā hac sublata manet sola materia.

De mutatione misti inanimati.

In mistis verò inanimatis res non videtur carere difficultate. nam si in misto formæ elementorum non sunt penitùs interemptæ, sed manēt secundùm aliquos gradus; qua de re tunc fusiùs loquemur, quum de mistione differemus; non videtur fieri prorsus resolutionem in materiam primam, siue mistum in aliud mistum mutetur, siue in elemēta dissoluatur, siue ex elementis per mistionem generetur; his enim omnib. modis fit mutatio, nō in tota forma, sed in solis gradib. quibusdam formarum elementarium, ita vt aliqnib. seruatis, & aliquibus mutatis alia forma fiat, & mutetur species; manet ergo materia cum aliquot gradibus formarum elementarium, proinde non fit resolutio in materiam primam. Attamen si rem diligentiùs expendamus, dicendum est, in his quoq; ad primā vsq; materiam fieri resolutionem; quia si gradus formarum elementarium in misto essent aliquid re distinctum à forma misti, & hac interempta, illi cum materia seruarentur, iam misti forma esset addita formis elementorū, quę manerent post interitum misti: at non ita sese res habet, gradus enim formarum elementarium in misto ab ipsa misti forma non distinguuntur, sed simul iuncti euadunt forma misti, adeò vt præter formam misti nil aliud in misto sit, nisi prima materia: quare si ex eo misto generetur aliud mistum, in eo similiter nil aliud est præter formam propriā, nisi prima materia, quæ sola illam formam præcessit: dicere autem gradus aliquos formarum elementarium, qui sunt in hac forma genita, præfuisse etiam in forma corrupta; nil aliud est, quàm considerare illarum formarum conuenientiam & inter se, & cum formis elementorum, quæ modò est maior, modò minor, semper tamen cum distinctione specierum;

A at non est ponere aliquid præter formam genitam, quod præfuerit in corrupto, quum isti gradus non sint aliquid distinctum à forma genita, sed sint illamet, qui per variationem mensuræ, & proportionis euadūt alia forma, & aliam speciem constituunt; sed hoc clarius fiet, quum de mistione agemus. Quod si contendere etiam aliquis velit, hos manentes gradus esse aliquid, quod præfuerit, & ita præter B primam materiam aliquid, quod præfuerit, remanere, id meo quidem iudicio nullius est momenti, quū Arist. nunquam dixerit, necessarium esse, vt in substantiæ mutatione omnes substantiales partes præter primam materiā intereant, sed solùm dixerit, mutari formam substantialem, quæ rem constituit, & in specie collocat: sic aūt sola realitas aliqua formarū elementarium manere diceretur, at non formalitas; hanc enim mutari necessarium est, & C ita speciem variari; quando enim talis est mutatio, vt species varietur, vtcūq; id fiat, ea semper appellatur mutatio substātialis; quemadmodum è contrario non potest dici substantialis mutatio, vbi nulla noua species est facta: parum igitur refert, vtro modo dicamus, dūmodò quomodo se res habeat, intelligamus; nihil enim præter primam materiam manet, quod sit re distinctum à forma misti genita, & à forma misti corrupta, sed manent gradus e- D lementares, qui re ipsa non sunt ab illis distincti, amissa tamē vna formalitate aliam formalitatem subierunt, & aliam speciem constituerunt.

De mutatione misti animati.

In mutatione aūt substantiali animatorum, non potest in primam materiā resolutio fieri, quia post viuentis interitū remanet forma mistionis cum prima materia: quare etiā in generatione credendum est generari priùs formam mistionis, siue vnā, siue plures, deinde post quandam membrorum statutam for- E mationem animam aduenire: quamuis enim hoc in generatione viuentis occultius sit, quā in eiusdem interitu, asserēdum tamen esse videtur, idem euenire in generatione, quod in interitu satis est cōsiderantibus manifestum. Quòd enim post recessum animæ maneat aliquandiu forma mistionis, ostenditur duobus his fundamentis constitutis; non idem est interitus animæ, ac formæ mistionis; & forma mistionis nō potest in toto corpore interire, F nisi priùs intereat anima. Ratio prioris fundamenti est, quam suprà tetigimus, quia duplex in viuente est calor; vnus elemētaris, qui est calor temperaturæ; alter vitalis, qui insequitur animā, de quo loquit Arist. in lib. de Vita & morte, & in 2. de Ortu animalium, cap. 3. vbi apertè distinguit calorem animalem, quem cœlestem & prolificū vocat, à calore elementari, quem appellat igneum, & destructiuum esse dicit, non prolificum: horum autem duorum calo

Duplex calor in viuente.

rum calorum non potest eadem esse destructio, nam calor elementaris non corrumpitur nisi per putredinem, at corpus animalis non putrescit totum, durante vita animalis; adiectus enim calor vitalis calori elementari magnum reddit calorem, qui non potest educi à calore ambientis; ideò vitalis calor non interit per putredinem, sed eius corruptio mors est: postea verò hoc per mortem extincto, remanet calor elementaris, qui vitali calore destitutus, educitur à calore ambientis, & ita post mortem corpus interit per putredinē. Ex his alterius quoq; fundamēti ratio colligitur: nō solùm enim distincti sunt horū duorum calorum interitus, sed vnus est altero posterior tēpore, & illum necessariò præsupponit; quoniā enim vterq; interitus fit post alterationē præuiam, proinde non subitò, sed in tempore; corpus aūt non putrescit, nisi post mortem; ideò forma mistionis nō interit, nisi post recessum animæ: interitus ergo viuentis, qui vocatur mors, non est resolutio in materiam primam, quia præter materiam remanet in eo forma mistionis eadem, quę in viuente fuerat. Quod verò aliqui dicunt, in viuentis interitu nullā mistionis formam manere, sed statim generari formam nouam, quæ vocatur forma cadaueris, id nullo pacto admittendum est; neq; enim datur forma cadaueris, neq; illud, quod nos cadauer vocamus, est vnum per formam aliquam vnam, qua totum informetur, nam omne inanimatum homogeneum est, quum sit proprium animatorum, vt sint heterogenea, & organica, vt in definitione animæ manifestum est; quare inanimati corporis nulla est alia forma, nisi forma mistionis, quę oritur ex congressu formarum elementarium cum statuta quadam mensura, & proportione, quę pro specierum diuersitate variatur. Quoniā igitur partium cadaueris non eadem est temperies, quod ex eo manifestè patet, quòd non simul omnes putrescunt, sed aliæ citiùs, aliæ seriùs, variæ etiam in cadauere sunt formæ mistionis, proinde cadauer non est verè vnū corpus, sed est plurium corporū congeries, quorum singulū homogeneum est, & per propriā mistionis formam constituitur per aliam caro, per aliam neruus, per aliam os, & reliqua: erat quidem corpus vnum, quando erat animatum quia tunc anima partes corporis omnes cōtinebat, & informabat, & totius veram vnitatem constituebat; sed posteà hac forma destitutæ diuersæ manserunt, neq; aliam habent vnitatem, quàm continuitatis, siue contactus, ex qua fit, vt cadauer soleamus appellare vnum corpus; respicimus verò præterea etiam viuens, quod præcessit; quum enim illud fuerit verè vnum, cadauer quoque illius hoc respectu vnum vocare cōsueuimus, qua-

Forma cadaueris non datur.

A tenus vnius viuentis materia fuit. Illud etiam quod aliqui ad suam sententiam tuendam commenti sunt, vanum prorsus est, & omni ratione caret; dixerunt enim nonnulli ex varijs illis cadaueris partibus compositis vnam prodire formam mistionis communem, quæ cadaueris forma appellatur. Sed hoc dicentes, significāt se ignorare quid mistio, & quid forma mistionis sit; in mistione enim oportet miscibilia diuidi mutuò in partes minimas, B & ita inuicem alterati, vt desinant esse id, quod erant, & fiant vnum quoddam tertium medium quodammodo inter illa, quod in cadauere non euenit, nō enim diuidūtur se mutuò in partes minimas caro, & os, & neruus, sed integra manent, nec commiscentur, nec proprias naturas amittunt; caro enim manet caro, & os manet os, & sic reliquæ omnes, nē pe ratione solius formæ mistionis; nam si animam spectemus, & officium, quo fungebatur C caro, vt inseruiret animæ, hac ratione non remanet fortasse caro, nisi æquiuocè: quoniam igitur hæ omnes partes integræ manserunt, & proprias singulæ naturas seruauerunt, nulla est facta earum inter se mistio, qua ad vnam omnes naturam redactæ sint: nulla igitur ibi est vna totius cadaueris forma, sed plures, quę ex animæ recessu distinctę manserūt, quæ priùs ab Anima in vnum colligebantur; neq; aliā assignare causam possumus diuersitatis, ac ge D nerationis earum, nisi animam; hęc enim propter suam nobilitatem pluribus facultatibus prædita est, & apta varias edere operationes, quarum gratiā natura ipsi varia instrumenta subministrauit, vt ad varias operationes edendas varijs instrumentis vteretur, quorum varias esse oportuit temperies, & commistiones elementorum: quoniām igitur animæ gratiā partes viuentis sortitæ sunt varias formas mistionis, nulla esse potest causa diuersitatis ha- E rum partium in cadauere, nisi hæc vna, quòd illas easdem mistionis formas retinent in cadauere, quas priùs in viuente obtinebant. Ex his igitur patet, post viuentis interitum formam aliquam substantialem seruari, imò & plures, quæ eædem in viuente fuerant.

Nonnullorum error.

Solutio difficultatum, quæ ex definitione generationis oriuntur, & ipsius definitionis declaratio.

Cap. IV.

F Haec, quę modò diximus, clariora fient, si dubia quædam, quæ ex generationis definitione oriuntur, soluerimus. Primùm quidem difficultatē faciunt verba Arist. dicentis generationem esse mutationem totius, nam si totum interit, & totum aliud generatur, quomodo dici potest aliquam formam seruari? Præterea inquit Aristotel. nul- *1. Dubium.* *2. Dubium.*

quid aduenit ei, quod est actu, accidens est; quum enim talis actus non habeat potestatem recipiendi alium actum, ex illo, & alio actu non fieret vnum; ideò quicquid aduenit actui speciali, est accidens; at formæ generali potest alia substantialis forma superuenire, quia non solùm est actus, sed coniunctam habet potestatem ad alium actum, est actus generalis, & potestatem habet recipiendi actum specialem perfectiorem.

Quòd aliqua substantialis forma seruari possit in genito, quæ eadem fuerat in corrupto. Cap. III.

De mutua elementorum mutatione.

His ita constitutis, ad propositam quæstionem facile est de mutua elementorum inter se mutatione respõdere; necesse enim est, resolutionem fieri penitùs in materiam primam, si vna tantùm in elemento est forma, quoniã hac sublata manet sola materia. In mistis verò inanimatis res non videtur eatenus diffi. ultate.nam si in misto formæ elementorum non sunt penitùs interemptæ, sed manẽt secundùm aliquos gradus, qua de re tunc fusiùs loquemur, quum de mistione disseremus; non videtur fieri prorsus resolutionem in materiam primam, siue mistum in aliud mistum mutetur, siue in elemẽta dissoluatur, siue ex element is per mistionem generetur; his enim omnib. modis fit mutatio, nõ in tota forma, sed in solis gradib. quibusdam formarum elementarium, ita vt aliquib. seruatis, & aliquibus mutatis alia forma fiat, & mutetur species; manet ergo materia cum aliquot gradibus formarum elementarium, proinde non fit resolutio in materiam primam. Attamen si rem diligentiùs expendamus, dicendum est, in his quoq; ad primã vsq; materiam fieri resolutionem; quia si gradus formarum elementarium in misto essent aliquid re distinctum à forma misti, & hac interempta, illi cum materia seruarentur, iam misti forma esset addita formis elementorũ, quę manerent post interitum misti: at non ita sese res habet, gradus enim formarum elementarium in misto ab ipsa misti forma non distinguuntur, sed simul iuncti euadunt forma misti, adeò vt præter formam misti nil aliud in misto sit, nisi prima materia: quare si ex eo misto generetur aliud mistum, in eo similiter nil aliud est præter formam propriã, nisi prima materia, quæ sola illam formam præcessit: dicere autem gradus aliquos formarum elementarium, qui sunt in hac forma genita, præfuisse etiam in forma corrupta, nil aliud est, quàm considerare illarum formarum conuenientiam & inter se, & cum formis elementorum, quæ modò est maior, modò minor, semper tamen cum distinctione specierum,

De mutatione misti inanimati.

A at non est ponere aliquid præter formam genitam, quod præfuerit in corrupto, quum isti gradus non sint aliquid distinctum à forma genita, sed sint illi met, qui per variationem mensuræ, & proportionis euadũt alia forma, & aliam speciem constituunt; sed hoc clarius fiet, quum de mistione agemus. Quod si contendere etiam aliquis velit, hos manentes gradus esse aliquid, quod præfuerit, & ita præter B primam materiam aliquid, quod præfuerit, remanere, id meo quidem iudicio nullius est momenti, quũ Arist. nunquam dixerit, necessarium esse, vt in substantiæ mutatione omnes substantiales partes præter primam materiã intereant, sed solùm dixerit, mutari formam substantialem, quæ rem constituit, & in specie collocat: sic aũt sola realitas aliqua formarũ elementarium manere diceretur, at non formalitas; hanc enim mutari necessarium est, & C ita speciem variari; quando enim talis est mutatio, vt species varietur, vtcunq; id fiat, ea semper appellatur mutatio substãtialis; quemadmodum è contrario non potest dici substantialis mutatio, vbi nulla noua species est facta: parum igitur refert, vtro modo dicamus, dũmodò quomodo se res habeat, intelligamus: nihil enim præter primam materiam manet; quod sit re distinctum à forma misti genita, & à forma misti corrupta, sed manent gradus e- D lementares, qui re ipsa non sunt ab illis distincti, amissa tamẽ vna formalitate aliam formalitatem subierunt, & aliam speciem constituerunt. In mutatione aũt substantiali animatorum, non potest in primam materiã resolutio fieri, quia post viuentis interitum remanet forma mistionis cum prima materia; quare etiã in generatione credendum est generari priùs formam mistionis, siue vnã, siue plures, deinde post quandam membrorum statutam for- E mationem animam aduenire: quamuis enim hoc in generatione viuentis occultius sit, quã in eiusdem interitu, asserẽdum tamen esse videtur, idem euenire in generatione, quod in interitu satis est cõsiderantibus manifestum. Quòd enim post recessum animæ maneat aliquandiu forma mistionis, ostenditur duobus his fundamentis constitutis; non idem est interitus animæ, ac formæ mistionis; & forma mistionis nõ potest in toto corpore interire, F nisi priùs intereat anima. Ratio prioris fundamenti est, quam suprà tetigimus, quia duplex in viuente est calor, vnus elemẽtaris, qui est calor temperaturæ; alter vitalis, qui insequitur animã, de quo loquit Arist. in lib. de Vita & morte, & in 2. de Ortu animalium, cap. 3. vbi apertè distinguit calorem animalem, quem cœlestem & prolificũ vocat, à calore elementari, quem appellat igneum, & destitutum esse dicit, non prolificum: horum autem duorum calo

De mutatione misti animati.

Duplex calor in viuente.

rum calorum non potest eadem esse destructio, nam calor elementaris non corrumpitur nisi per putredinem, at corpus animalis non putrescit totum, durante vita animalis: adiectus enim calor vitalis calori elementari magnum reddit calorem, qui non potest educi à calore ambientis; ideò vitalis calor non interit per putredinem, sed eius corruptio mors est: postea verò hoc per mortem extincto, remanet calor elementaris, qui vitali calore destitutus, educitur à calore ambientis, & ita post mortem corpus interit per putredinē. Ex his alterius quoq; fundamenti ratio colligitur: nō solùm enim distincti sunt horū duorum calorum interitus, sed vnus est altero posterior tēpore, & illum necessariò præsupponit: quoniā enim vterq; interitus fit post alterationē præuiam, proinde non subitò, sed in tempore: corpus aūt non putrescit, nisi post mortem; ideò forma mistionis nō interit, nisi post recessum animæ: interitus ergo viuentis, qui vocatur mors, non est resolutio in materiam primam, quia præter materiam remanet in eo forma mistionis eadem, quę in viuente fuerat. Quod verò aliqui dicunt, in viuentis interitu nullā mistionis formam manere, sed statim generari formam nouam, quæ vocatur forma cadaueris, id nullo pacto admittendum est: neq; enim datur forma cadaueris, neq; illud, quod nos cadauer vocamus, est vnum per formam aliquam vnam, qua totum informetur, nam omne inanimatum homogeneum est, quum sit proprium animatorum, vt sint heterogenea, & organica, vt in definitione animæ manifestum est; quare inanimati corporis nulla est alia forma, nisi forma mistionis, quę oritur ex congressu formarum elementarium cum statuta quadam mensura, & proportione, quę pro specierum diuersitate variatur. Quoniā igitur partium cadaueris non eadem est temperies, quod ex eo manifestè patet, quòd non simul omnes putrescunt, sed aliæ citiùs, aliæ seriùs, variæ etiam in cadauere sunt formæ mistionis, proinde cadauer non est verè vnū corpus, sed est plurium corporū congeries, quorum singulū homogeneum est, & per propriā mistionis formam constituitur per aliam caro, per aliam neruus, per aliam os, & reliqua: erat quidem corpus vnum, quando erat animatum, quia tunc anima partes corporis omnes cōtinebat, & informabat, & totius veram vnitatem constituebat; sed postcà hac forma destitutæ diuersæ manserunt, neq; aliam habent vnitatem, quàm continuitatis, siue contactus, ex qua fit, vt cadauer soleamus appellare vnum corpus, respicimus verò præterea etiam viuens, quod præcessit; quum enim illud fuerit verè vnum, cadauer quoque illius hoc relictum vnum vocare cōsueuimus, quatenus vnius viuentis materia fuit. Illud etiam quod aliqui ad suam sententiam tuendam commenti sunt, vanum prorsus est, & omni ratione caret; dixerunt enim nonnulli ex varijs illis cadaueris partibus compositis vnam prodire formam mistionis communem, quæ cadaueris forma appellatur. Sed hoc dicentes, significāt se ignorare quid mistio, & quid forma mistionis sit; in mistione enim oportet miscibilia diuidi mutuò in partes minimas, & ita inuicem alterari, vt desinant esse id, quod erant, & fiant vnum quoddam tertium medium quodammodo inter illa, quod in cadauere non euenit, nō enim diuidunt se mutuò in partes minimas caro, & os, & neruus, sed integra manent, nec commiscentur, nec proprias naturas amittunt; caro enim manet caro, & os manet os, & sic reliquæ omnes, nēpe ratione solius formæ mistionis; nam si animam spectemus, & officium, quo fungebatur caro, vt inseruiret animæ, hac ratione non remanet fortasse caro, nisi æquiuocè: quoniam igitur hæ omnes partes integræ manserunt, & proprias singulæ naturas seruauerunt, nulla est facta earum inter se mistio, qua ad vnam omnes naturam redactæ sint: nulla igitur ibi est vna totius cadaueris forma, sed plures, quę ex animæ recessu distinctę manserūt, quæ priùs ab Anima in vnum colligebantur; neq; aliā assignare causam possumus diuersitatis, ac generationis earum, nisi animam; hęc enim propter suam nobilitatem pluribus facultatibus prædita est, & apta varias edere operationes, quarum gratiā natura ipsi varia instrumenta subministrauit, vt ad varias operationes edendas varijs instrumentis vteretur, quorum varias esse oportuit temperies, & commistiones elementorum: quoniām igitur animæ gratiā partes viuentis sortitæ sunt varias formas mistionis, nulla esse potest causa diuersitatis harum partium in cadauere, nisi hæc vna, quòd illas easdem mistionis formas retinent in cadauere, quas priùs in viuente obtinebant. Ex his igitur patet, post viuentis interitum formam aliquam substantialem seruari, imò & plures, quæ eædem in viuente prius fuerant.

Nonnullorum error.

Forma cadaueris non datur.

Solutio difficultatum, quæ ex definitione generationis oriuntur, & ipsius definitionis declaratio.

Cap. IV.

Haec, quę modò diximus, clariora fient, si dubia quædam, quæ ex generationis definitione oriuntur, soluerimus. Primùm quidem difficultatē faciunt verba Arist. dicentis generationem esse mutationem totius; nam si totum interit, & totum aliud generatur, quomodo dici potest aliquam formam seruari? Præterea inquit Aristotel. nul-

1. Dubium.

2. Dubium.

lum idem subiectum sensile remanere in genito, quod fuerit in corrupto; at cadauer siue vna, siue pluribus formis formatum dicatur, est subiectū sensile; itaq; si illæ formæ mistionis etiam in viuente præfuerunt, remanet idē subiectū sensile, quod Arist. negat. Illud quoque omnibus non paruum negotium facessit, quòd non datur alicuius rei interitus, qui nō sit alterius rei generatio, vt apertè Aristoteles dixit; generatio autem non dicitur, nisi aliqua noua forma adueniat materiæ; quomodo igitur fit interitus viuētis absq; alterius rei generatione? vel, si dicatur cadauer generari, quomodo fit generatio sine vllius substantialis formæ aduentu? iam enim diximus, nullā nouam formā cadaueri aduenire. Prima difficultas apud Zimaram tanti fuit, vt eum dicere coegerit, definitionem generationis non esse nisi generationis elementorum, quum in ea sola intereat totum, & totū generetur, & in primam materiam resolutio fiat; non sic in mistis, quia formę elementorum remanent in misto genito, & post misti interitum seruantur; quare definitio illa generationis non amplectitur generationem mistorum: hoc apud eum legere possumus in theoremate vigesimo. Sed hac in rę deceptus est Zimara. Aristoteles enim generationem ibi definit amplissimè sumptam, quæ omnem & simplicium, & mistorū generationem comprehēdat, vt ipse in eius lib. Præfatione expresiè proposuerat; quum enim nullam aliam generationis definitionem in ijs duobus libris legamus præter illam, quæ in contextu 23. libri primi habetur, dicendum omnino est, eam esse maximè amplam, & communem generationis definitionem; quod etiam exempla, quibus Aristoteles ibi vtitur, restātur; nam & simplicia corpora, & mista indistinctè nominat ad eam definitionem declarandam. Sed res manifesta fiet, si dubiū, quod Zimara soluere nequiuit, soluerimus. Dicimus igitur, eam dictionem, totum, in ea definitione sumi coniunctim tātùm, non disiunctim; non enim significare voluit Arist. ita interire totū, vt omnes partes nulla seruata intereant: qđ patet argumento sumpto à prima materia; hæc enim est pars substantiæ totius, nec tamen interit, sed eadē seruatur, attamē oporteret hanc quoq; interire, si sensum illū, quē censuit Zimara, verba Aristotelis haberent: sed totū ibi significat integritatem substantiæ cuiusq; corporis naturalis, quę ex omnib. partib. conflata est, sed potissimùm cōstituitur ab vltima forma, quę omnes alias continet, ideò ab Aristot. in contextu 5t. libri 2. Physicorum, forma vocatur totum, quoniam rei integritatem constituit: quemadmodum igitur interire, ac destrui quaternarium numerum dicimus, si vnitate sublata manear ternarius, quoniam destructa est illa integritas, & alia est facta numeri species; ita ex vnius substantialis partis interitu totum compositum interire dicimus, & aliud totum generari, quia fit alia species corporis naturalis: sed quoniam in misto omnes substantiales partes ita sunt ordinatæ, vt quælibet præcedens ad sequentem dirigatur tanquam materia ad formam, & potestas ad actum, proinde dirigitur materia ad formam generalem, & hæc ad formam specialem, & vltimam, quę tem in specie collocat; nec potest posterior existere sine priore, prior tamen existere potest sine posteriore: hinc fit, vt sublata forma aliqua generali necesse sit, alias omnes sequentes auferri, vltima tamen auferri possit, manente aliqua alia priore; quamobrem necesse est, vt in omni substātiali interitu pereat forma vltima, quæ specifica dicitur, & alia specifica exoriatur, & sic totum intereat, & aliud totum generetur, id est, aliud compositum specie differens ab eo, quod interijt: hunc esse sensum verborum Aristotelis, alia eius verba declarant, quæ in context. 10. eiusdem libri leguntur, vbi alijs verbis eandem affert generationis definitionem nominalē: quod enim in 23. dicit, totū mutari in totum, illud in 10. dicit, mutari ex hoc in hoc; patet autem eam dictionem, hoc, apud Arist. significare substantiam compositam, quę extra animā per se existit actu: quare nil aliud in definitione generationis denotare Arist. voluit, quàm hoc compositum interire, & hoc aliud compositum generari, quod nihil aliud est, quàm mutari vltimam formam; hac enim mutata, etiamsi nihil aliud mutetur, mutari tamē totum dicitur, & fieri aliud cōpositum. Est etiā trita ac vulgata res in philosophia, generationem & interitum propriè non tribui formæ, sed toti composito, idq; ex vltimæ formæ aduentu generari; hoc igitur respiciēs Arist. dixit totum interire, & aliud totum generari: quare manifestum est, definitionem illam generationi æquè omni generationi competere, tam mistorū, quàm simpliciū. Colligimus etiam ex his rationem, cur Aristoteles ibi vti voluerit illa dictione, totum: id enim fecit, vt generationem ab alteratione seiūgeret; quoniam in alteratione non mutatur aliqua substantiæ pars, proinde totum integrum manet, mutantur autem sola accidentia, quæ totum non constituunt, neque eius partes sunt. Secunda quoque difficultas facilè tollitur, si bene verba illa Aristotelis intelligamus, neq; ea peruertamus, vt aliqui faciunt, qui dicunt esse legendum [*vt subiecto eiusdem*] propterea quòd Græca verba vtramque conuersionem patiuntur; ducti autem sunt hoc argumento, quòd si legamus [*in subiecto eodem*] nugatio esset in

3. Dubium.

Primi dubij solutio Zimaræ.

Confutatio. Error Zimaræ in definitione generationis.

Vera Solutio.

Secundi dubij solutio. Error aliquorum in definitione generationis.

tio est in verbis Aristotelis: quandoquidem **A** etiam absque illa dictione, eodem, idem sensus significatur, proinde satis fuisset dicere, nullo manēte sensili vt subiecto. Sed isti dum Græca Aristotelis verba perpendunt, non animaduertunt illa hanc conuersionem non recipere: Græca enim verba sunt [*ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ*] sed quamuis nos dicere Latinè soleamus, subiectum huius, quia voce illa, subiectum, quæ per se participium est, nos etiam vt nomine vtimur: Græci tamen, qui non sumunt participiū, nisi vt participium, non **B** construūt participium illud, *ὑποκείμενον*, nisi cum datiuo: quare non dicerent *ὑποκείμενον τοῦ αὐτοῦ*, si id significare vellent, quod isti dicunt, sed dicerent, *ὑποκείμενον τῷ αὐτῷ*, vt Aristot. ibi secundùm istos dicere debuisset: patet igitur verba Arist. conuersionē illam non recipere. Sed sensus quoq; eam lectionem non patitur: si enim legamus [*non manente vllo sensili vt subiecto eiusdem*] dictio illa, eiusdem, non potest **C** significare nisi eiusdem formæ; at quomodo eandem formam dicere possumus, si non eadem est forma in vtroq; termino generationis, sed alia, & alia? eorum autem ratio friuola est, quia fuisset quidem sensus idem verborum Aristotelis, etiam absq; illa dictione, eodem, sed obscurior, ideò ad maiorem declarationem voluit eam Aristoteles adijcere, sic enim sensus clarissimus redditur, quo omnis tollitur difficultas; quum enim nomen subie**D**cti sit relatiuum, & respiciat formā, seu quicquid aliud in subiecto hærere dicatur, necesse est, dum dicimus subiectum idem, vt ad duas formas subiectum referamus, & denotare velimus, idem duarum formarum esse subiectum: non satis ergo Aristoteli fuit dicere, nullo manēte sensili, quia vt ipsemet ibi declarat, potest substantialis mutatio fieri etiam manente aliquo sensili eodem, quod fuit in corrupto, vt quando in generatione elementi ma**E**net symbola qualitas; ideò adiecit [*vt subiecto*] id est, quod ita maneat, vt sit subiectum formæ acquisitæ, non vt sit accidens aliquod rei genitæ; sed vt clariùs mentem suam significaret, adiecit etiam [*vt subiecto eodem*] scilicet respectu vtriusq; formæ, ita vt illud idem, quod subiacet formæ acquisitæ, fuerit etiam subiectum formæ deperditæ; reuera enim in nulla substātiali generatione potest idem ita cōmune subiectum remanere, nisi sola prima **F** materia, quæ nō est sensilis, resq; ita clara est, vt non sit alicui dubitandum; quod quidem in viuentium mutatione substantiali, in qua minùs notum esse videtur, declarare nunc libet, vt hoc idem in omni prorsus substantiali mutatione verum semper esse intelligamus: moritur animal, & in cadauer mutatur, considerādum est, quænam duæ formæ sint, quas

A huius mutationis terminos statuere debeamus, ita vt vnam dicamus interire, & alteram generari; certum est, terminum à quo, qui recedit, esse animam; terminum verò ad quem, qui accedit, esse formam cadaueris, hoc est, congeriem illam plurium formarum mistionis, quam antea declarauimus; hāc igitur denotando per formam cadaueris, dicimus eam in hac mutatione locum habere termini ad quem, & huic nullum aliud subiectum sub**B**sternitur, nisi prima materia; sic ergo tollitur omnis difficultas, nam remanet quidem cadauer sensile, quod idem in viuente erat, sed non remanet vt subiectum idem vtriusq; termini; nam priùs erat quidem subiectum termini à quo, nempe animæ, quia forma mistionis in viuēte locum tenebat subiectæ materiæ, animæ namque substabat; recedente autem anima, non obtinet ampliùs subiecti locum, sed formæ, & termini ad quem: quod **C** enim nūc vocamus cadauer, illud priùs in viuente erat altera pars compositi, & materia subiecta animæ; nunc verò nō est ampliùs materia alicui formæ subiecta, sed est totum cōpositum constans ex prima materia, & forma mistionis; ergo remanet quidem idem sensile corpus, quod in viuente fuerat, at nō remanet vt subiectū idem vtriusq; termini: quamobrem si diligenter consideremus, quodnam sit idem commune subiectum formę cadaueris & animæ, nullū inueniemus nisi primam **D** materiam. Alij quoque fuēre, quibus difficultatem fecerunt formæ elemētorum, quæ constituunt subiectum sensile, elementum enim est corpus sensile, & in misto seruātur vt subiecti locum tenētes, quo fit, vt in generatione misti ex alio misto maneat idem subiectum sensile sub vtroque termino, quia manēt formæ elementorum, proinde elemēta ipsa sub vtraque misti forma: ideò isti hac moti difficultate aliam adinuenerūt verborum Aristo**E**telis interpretationem, quam nō refero, quia nimis obscura, & violenta est, proinde nulla cōsideratione digna; solùm dico, nullam nobis difficultatē facere debere formas elementorum, quoniam hæc non constituunt aliud subiectum sensile, nisi elementa, vel mistum, quādo per mistionem ad naturæ vnitatem redactæ sunt, sed vtroque modo locum habent termini, seu à quo, seu ad quem, non subiecti; illi verò existimantes elementorum formas **F** vt elementa constituentes manere in misto distinctas à forma misti, & illi subiectas, in laqueos inciderunt, quibus se explicare nequiuerunt: mens autem Aristotelis, & prædictorum verborum sentētia ea est, quam diximus, & sic intellecta, omnem difficultatem tollit. Non est autem ignorandum, in ea definitione generationis, verba illa [*nullo sensili rema-*

Aliorum error in definitione generationis.

nente vt subiecto eodem] esse declarauit a præcedentium: quamuis enim ad seiungendam generationem ab alteratione satis fuisset dicere totum mutari in totum; attamen ad id clariùs significãdum, adiecit Arist. [*nullo sensi-bili manente vt subiecto eodem*] scil. vtriusq; termini; hoc enim euenit, quando totum mutatur in totum: neq; hoc absurdum est in definitione nominali, sicut etiam notare possumus in definitione primæ materiæ in calce 1. libri Physic. & in definitione naturę in initio lib. 2. vbi ad maiorem declarationem ponuntur verba idem significantia: ideò alium quoq; notare possumus eorundem errorem: dixerunt enim generationem definiri ab Aristotele & per subiectum, & per terminum, quum tamẽ nihil in ea definitione dicatur ab Aristotele de subiecto, nisi negatiuè. Soluenda manet postrema difficultas, quomodo in interitu misti dicatur generari cadauer, nulla adueniente noua forma, si eadem cadaueris forma præfuit in viuente, tanquam forma mistionis singulas viuentis partes constituens. Hanc igitur soluentes dicimus, nullam quidem nouã substantialem formam accedere in viuentis interitu, quando cadauer generatur, perinde tamen esse, ac si noua forma accedat: forma enim mistionis in viuente nõ fungebatur officio formæ, respectu ipsius viuentis totius, sed potiùs materiæ; sublata autem anima incipit eadẽ forma mistionis fungi officio formæ, & corpus illud in specie cõstituere: quod quidem ex eo patet manifestissimè, quòd specie differunt animal, & cadauer; illud enim species est viuentis corporis, hoc autem misti inanimati; mutata ergo specie factũ est aliud compositum & aliud totum, quia si ab vltima forma compositum constituitur, necesse est ex diuersitate vltimarum formarum constituentium varia etiam composita exoriri, & eorum varias esse definitiones; viuens quidem constituitur ab anima, cadauer autem à forma mistionis, & hæc tametsi pręfuit in viuente, non tamen ipsum constituebat, quia tunc formæ officio non fungebatur: quemadmodum si mortuo Rege seruus aliquis fiat Rex, is erat priùs etiam Rege viuente, at non erat vt Rex, ideò si quærat quispiam, an sit creatus nouus Rex, nécne, dicendum absq; dubio est, esse nouum Regem creatum, mutatumque esse Regem: sic igitur in viuentis interitu caret. nus noua forma acquiritur, quatenus quæ priùs erat tanquam conditio materiæ substãs formæ nobiliori, nunc incipit esse forma, & compositum constituere & imperare: hac itaque ratione dicimus animatũ interire, & generari cadauer, & ita totum mutari; res enim ipsa loquitur, & quilibet eam diligenter considerans, deberet veritatem inspicere, & nulla

Tertij dubij solutio.

Quomodo forma cadaueris sit noua forma.

A difficultate perturbari. Illud quoq; discrimẽ in forma mistionis notare possumus, quòd dum in viuente est, nõ est forma specifica, sed communis, & generalis: eadem aũt in cadauere euadit specifica, & speciẽ specialissimã constituit; priùs enim in viuente cõstituebat ipsum sub genere misto, & restringebatur ab anima, tanquam à forma specifica; postea verò quando nõ ampliùs ab anima coarctatur, speciem constituit specialissimã, & potest existentiam

B actu tribuere absque alia forma specifica.

Forma mistionis in viuente est generica, sed in cadauero est specifica.

Quòd eadem definitio sit generationis, et interitus, & quomodo generatio vnius sit corruptio alterius. Cap. V.

VAnam ego quidem semper existimaui quorundam disputationem, an generationis definitio ab Arist. tradita cõpetat etiam interitui, multò autẽ vanius id negare, quum Aristoteles apertissimè illud af-

C firmet; inquit enim in contextu 23. [*quando autem totum mutatur*] quibus verbis expressè significatur potiùs interitus, quàm generatio; deinde exempla adducens inquit [*ex semine sanguis, ex aqua aër, aut ex aere aqua*] postea verò dicit [*generatio iam hoc tale, huius autem corruptio*] mutatio enim vnius substantiæ in aliam necesse est vt vnius sit corruptio, alterius verò generatio; hoc idem dixerat priùs in contex. 10. his verbis [*est enim generatio sim-*

D *plex, & interitus, quando mutatum fuerit ex hoc in hoc*] illa enim dictio, hoc, significat indiuiduam substantiam; dicit ergo vnam substantiam interire, & aliam generari; quare eadem dicta definitio & generationis, & interitus definitio dicẽda est. Quoniam autem huiusce rei ratio cõsistit in illa propositione, generatio vnius est corruptio alterius, quam legimus in context. 17. eiusdem libri, non erit abre, si illius propositionis sensum, in quo plu-

E rimi decepti sunt, aliquantum cõsideremus: certum est Aristotelem loqui de generatione & interitu compositi; hoc enim propriè dicitur generari, & interire, non forma, neq; materia; ideò dictum hoc duobus nititur fundamentis: Vnum est, quòd prima materia non potest nuda existere sine vlla forma; ratio autem huius est, quia si materia existeret sine vlla forma, sequeretur id, quod non est actu, esse actu, imò & dari ens aliquod, quod non es-

F set vllum ens; ex hoc priore fundamento infertur, vnius rei interitũ esse necessariò alterius rei generationem; quum enim interitus fiat per formæ recessum, necesse est forma recedente vt alia forma adueniat, si materia sine forma existere nequit: alterum verò fundamentum est, quòd duæ formæ specificæ non possunt simul esse in eadem materia; & huius ratio est, quia non potest aliqua res esse simul

Quomodo generatio vnius dicatur corruptio alterius.

sub di-

sub diuersis vltimis speciebus categoriæ sub stantiæ, vt non potest aliquid esse simul homo & equus, neque esse simul aër & aqua; ex hoc autem posteriore fundamento infertur generationẽ vnius esse necessariò alterius interitum, nam vna adueniente forma, aliam recedere necesse est; ideò dici solet, naturam primariò generationem velle, secundariò autem interitum, quia non potest rem aliquam generare, nisi aliam intertimat. Ex his etiam rationem colligimus, cur dictum illud Arist. B quum de substantijs semper verum sit, non sit tamen semper verum de accidentibus, quod Arist. ipse asserit in cõtex. 20. illius lib. 1. ratio namq; est, quoniam duo prædicta fundamẽta in formis accidentalibus locum non habent; quoniam enim ab his materia non recipit esse, sed iam actu est per formam substãtialem, ideò potest accidens aliquod recedere à subiecto; sine alicuius accidentis aduentu, quod euenit, quando accidens nõ habet contrariũ, C cuiusmodi est lumen; recedit enim lumen, & nullum aliud accidens illi materiæ aduenit: possunt etiã plura accidentia specie differentia hærere simul in eodem subiecto, idem enim potest esse dulce & albũ simul, quare nõ est necessarium vt vno aduenięte alia eiusmodi recedant: in solis ergo substantijs necessitatem habet hæc Aristot. propositio, generatio vnius est interitus alterius, & interitus vnius, est alterius generatio, & intelligitur de generatione & interitu compositi, quod ab Arist. D in definitione generationis hoc, seu totũ vocatum est. De hac autem propositione quæritur an ita sit intelligenda, vt vna & eadem numero sit mutatio, quæ dicatur huius rei esse interitus, & illius generatio, an potiùs duæ sint mutationes; nec satis liquet, vtrum duorũ sit asserendum: nam si vna esse mutatio dicatur, ergo cõtrarium erit idem suo contrario; interitus enim est generationi contrarius: si E verò duæ, ergo vna nõ est altera, quare corruptio vnius non est generatio alterius. Videntur omnes dicere, duas esse mutationes, non vnam. Ad obiectionẽ verò aliqui dicunt, propositionem Arist. ita esse intelligendam, generatio vnius præsupponit alterius interitũ, seu insequitur alterius interitũ: alij verò rem diligentiùs considerantes, & videntes eodem momẽto vnam formam recedere, & alteram F aduenire, dixerunt interitum non præcedere tempore generationi, sed natura, & è contrario generationẽ præcedere interitum ratione scopi, & intentionis naturæ; quoniam natura præcipuè vult generare, nec alio consilio interimit, nisi vt aliam rem generet; per hæc tamen non stare, quin tempore simul sint generatio vnius, & corruptio alterius, idque respicientes alij, dixerunt vtendum esse verbo,

Aliorum varia sententia.

comitari, generationem enim vnius rei comitatur, interitus alterius rei, ita vt hic sit sensus propositionis Aristotelis, generatio vnius rei coniunctum habet alterius rei interitum, & interitus vnius rei coniunctam habet alterius generationem. Ego verò hæc omnia vana esse existimo, & eos omnes esse deceptos in eo, in quo consenserunt, quòd duæ sint mutationes, non vna; puto enim vnam numero esse mutationem, quæ duorum terminorum respectu dicatur interitus vnius, & alterius generatio: si enim ignis in aquã agens, eam mutet in aërem, erit interitus aquæ, & generatio aëris, vna tamen erit mutatio, & facta ab vno & eodem agente, & per vnam & eandem actionem, etenim ignis calfaciens vertit aquam in aërem; ab vno autem, quatenus est vnum, non pronenit nisi vnum; & reuera ita se res habet; omnis enim motus, & omnis mutatio est à termino ad terminum, nec fieri potest, vt aliqua detur mutatio, quæ duobus terminis conclusa non sit, neq; per hoc stat, quin vnus sit transitus ab hoc termino ad illum, ijsq; dicatur simul esse vnius termini amissio, & alterius acquisitio, & hoc negare mihi quidem fatuum esse videtur: conspici autem potest manifestissimum in motu locali; nam si descendat lapis de summa turri ad imam, transit à loco ad locum, & vnus numero est motus, qui dicitur recessio ab altero loco, & accessio ad alterũ; nec solùm est vnus, sed etiam simplex, qui in plures resolui non potest; patet enim omnes in eo conditiones inesse, quæ ad vnitatem motus numeralem requiruntur; est enim vnius mobilis, & in vno tẽpore, & per spatium vnũ, & à motore vno: quod igitur de motu locali negare non possumus, id de alijs motib. inficiari vanum est; itaque si muretur aqua de frigore in calorem, vna numero est calefactio, & vnus numero motus, & quia alteratio vocari potest modo aliquo etiã generatio (vt dicũt) secũdùm quid, idem numero motus est interitus frigidi, & generatio calidi; cur ergo non idem dicendum est de mutatione substãtiali? vna enim est mutatio aquæ in aërem, quæ est aquæ interitus, & aëris generatio. Ad argumentum autem antea adductum in promptu est responsio; nam ex ipsismet Aristotelis verbis in hac propositione desumitur, & consistit in illis dictionibus, vnius, alterius: nam est quidem contrarius interitus aquæ generationi, eiusdem aquæ, proinde nõ potest eadem numero mutatio esse simul eiusdem rei, & generatio, & interitus; attamen eadem numerò mutatio interit⁽⁾s aquæ, & alterius rei generatio absque vlla absurditate esse potest: sic etiam de contradictoria oppositione, quæ maxima omnium est, dicere Aristoteles solet, negationẽ enim affirmationi opponi ait con-

Confutatio, & vera sententia declaratio.

Difficultatis solutio.

tradictoriè, nõ tamen quamlibet cuilibet; sed eiusdem de eodem, & secundùm idem, huic enim affirmationi, homo est animal, hæc negatio non opponitur, lapis non est animal, imò neque huic, Aethiops est albus, opponitur hæc, Aethiops non est albus, nisi secũdum easdem partes intelligantur: quum ergo dicat Aristoteles interitum vnius, & generationem alterius, nulla in his est cõrrarietas, quare eadem mutatio respectu diuersorũ est generatio, & interitus simul; vna enim est mutatio realiter, quę varijs rationibus & generatio, & interitus appellatur: hæc autem rationis diuersitas oritur ex vtriusque termini duplicitate; iam enim aliás diximus, cum qualibet substantiali forma esse coniunctam alterius formæ priuationem, quia esse vnius rei, est coniunctum cum alterius rei non esse, & cum potestate ad illud: quãdo igitur ex aqua fit aër, terminus à quo duplex est, esse aquæ, & nõ esse aëris, sic etiam terminus ad quem duplex est, esse aëris, & non esse aquæ: illa igitur mutatio, quum vna sit, generatio dicitur, quatenus est de non esse aëris ad esse aëris, & dicitur interitus, quatenus est de esse aquæ ad non esse aquæ: at quia cuiusque rei nominatio sumitur à positiuo, non à priuatiuo, scilicet à forma, non à priuatione cõiuncta, ideò mutatio illa dicitur aquę in aërem, & ita duo termini positiui experimũtur, quorum vnius est generatio, alterius verò interitus, ita enim loqui Aristotelem manifestum est in declarãda generationis definitione prædicta. Nõ est igitur dicẽdum, vt aliqui dicunt, duas esse distinctas numero mutationes, generationem vnius, & interitum alterius, vnam tamen & eandem specie, quatenus vtraque continetur sub mutatione substantiali; sed potiùs dicendum est, vnam esse numero mutationem, quæ duabus rationibus & generatio, & interitus dicitur; Aristot. autem vna definitione vtramque complexus est, quia realem conuenientiam respexit, quæ est vna numero mutatio, non differẽtiam rationis, qua distinguuntur: quoniam enim secernere volebat mutationẽ substantiæ ab alteratione, eam definiuit tanquam vnam, nam re ipsa vna est, dixitque esse mutationem totius, seu totius in totum; postea verò significare volens comprehendi hac definitione & generationem, & interitum, dixit, est huius generatio, illius verò interitus: quòd si vtramq; definire vellemus, quatenus differunt ratione, diceremus generationem esse mutationem de non esse ad esse, interitum verò esse mutationem de esse ad non esse, sed hoc ibi Aristoteles, vt per se manifestum, exprimere neglexit.

A *Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt, & eorum solutio. Cap. VI.*

HAec, quam declaraui, est huiusce rei veritas, & sententia Aristotelis, vt ego arbitror: quæ manifestior reddetur, si quasdam difficultates soluerimus; omnium enim solutio ex ijs, quæ dicta sunt, colligi facilè potest. Prima difficultas est: in interitu animalis nihil generatur, quia nulla noua forma acquiritur, siquidem forma cadaueris est illa ipsa forma mistionis, quæ in viuente præfuit; ergo datur alicuius corruptio, quæ nullius est generatio. Secundò ex comparatione generationis cum alijs speciebus mutationis sumitur argumentum tale: vt se habet accretio ad imminutionem, ita generatio se habet ad interitum, sunt enim hæ inter se contrariæ mutationes, sicut illæ inter se; atqui accretio vnius non est imminutio alterius; ergo neq; generatio vnius est corruptio alterius: sic etiam ab alteratione argumentari possumus, nam calfactio vnius non est refrigeratio alterius: sic etiam à motu locali, quoniam ascensio vnius non est alterius descensio. Tandem oritur dubium ex misti generatione ex elementis: vel enim in misto remanent formæ elementorum, vel non remanent; si remanent, ergo generatio misti non est alicuius corruptio: si verò non remanent, ergo generatio vnius non est alterius corruptio, sed potiùs, plurium. Ad primam difficultatem sumenda est responsio ex ijs, quæ antea dicta sunt; negamus enim id, quod assumitur, animalis interitum nullius generationem esse, nam dicimus esse generationem cadaueris, hoc est, misti inanimati, sicuti prædiximus: quum autem obijcitur, nullam nouam formam produci, iam diximus, hoc nõ omnino verum esse, nam forma mistionis ea ratione produci dicitur, quatenus incipit fungi officio formæ, quũ priùs functa esset officio materiæ; priùs enim non constituebat compositum, neque illi nomen largiebatur; postea verò incipit fungi officio formæ, quod ex eo patet, quia specie differunt cadauer, & animal. Ad secundam neganda est similitudo, quamuis enim aliqua ratione sint similes, vt quatenus sunt mutationes contrariæ, tamen non sunt in omnibus similes, habẽt enim potissimè discrimẽ illud, quo dissidet generatio à motu; nam de generatione, verũ est dictum Aristotelis, at non de motu, quemadmodum manifestũ est in ijsdem mutationibus, à quibus dubium sumebatur, nam si considerentur, non vt motus, sed vt generationes, eis propositio Aristotelis accommodabitur, vt si calfactio sumatur vt generatio calidi, eadem mutatio dicitur etiã corruptio frigidi; sic etiam & si accre-

Margin notes: 1. Dubium. — 2. Dubium. — 3. Dubium. — Solutio primi. — Quomodo in cadauere dicatur gigni noua forma. — Solutio secundi.

Section letters in the gutter: B (at "ma acquiritur"), C (at "generatio vnius est corruptio"), D (at "ratio vnius non est"), E (at "produci dicitur"), F (at "tissimè discrimẽ").

si acervatio sumatur vt generatio maioris quā titatis, eadem erit interitus quātitatis minoris: verùm si consi lerentur vt motus, non potest idem motus esse simul duo cōtrarij motus, vt in dubitatione dicebatur: ratio autem huius discriminis est, quoniam licèt in hoc conueniant generatio, & motus, quòd sunt de positiuo in positiuum, tamen in eo differunt, quòd motus est de positiuo, quatenus est positiuum, generatio autem est de positiuo, non quatenus est positiuum, sed quatenus habet coniunctum priuatiuum: nam terminus à quo primarius generationis hominis est priuatio formæ hominis: terminus autem à quo secundarius eiusdem generationis est semen; hinc autem patet, vtrunque terminum generationis esse duplicem; proinde in omni generatione quatuor terminos in cōsiderationem cadere, quo fit, vt varijs rationibus eadem mutatio dici possit & huius generatio, & illius corruptio: termini autem motus sunt ambo simplices, ac per se positiui, est enim omnis motus de subiecto in subiectum, vt ait Aristot. in 5. lib. Physic. auscult. id est, de positiuo in positiuum, absq; vlla cōsideratione termini priuatiui: quocirca locum in motu non habet ea duplex consideratio, quæ locum habet in generatione, quum duo tātùm termini in considerationem cadere possint: quo fit, vt non possit eadē mutatio esse simul duo contrarij motus, quia hoc dato, idem secundùm idem esset duo contraria simul, seu esset sibimet contrarium, quod ne imaginari quidem possumus. Ad postremum dubium dicimus, formas elementorum quatenus formæ elementorum sunt, non seruari in misto, proinde elementa eatenus interire, quatenus desinunt esse id, quod erant: quare generatio misti est elementorum interitus. Quod verò dicebatur, generationem vnius hoc pacto esse interitū plurium, hoc nihil refert: quia non ideò dixit Aristot. vnius & alterius, vt singularem numerum denotaret, ad excludendum pluralem, sed vt realem terminum significaret siue vnum, siue plures; quare non negat ex interitu plurium posse generari vnum, & è contrario posse ex interitu vnius plura generari, quod euenit in dissolutione misti: hæ namque omnes mutationes sub hac propositione comprehenduntur, generatio vnius est corruptio alterius, & corruptio vnius est alterius generatio. Quòd igitur vera sit hæc propositio, & quomodo sit intelligenda, ex his, quæ hactenus diximus, manifestum est: vnde etiam patet ratio, cur definitio generationis ab Aristotele adducta interitum quoque complectatur: ratio enim est, quoniam eadem numero mutatio & generatio, & interitus dicitur, respectu diuersorum.

Solutio tertij.

An idem numero accidens possit in genito remanere, quod fuerit in corrupto, contrariæ aliorum sententiæ, & eorundem argumenta. Cap. VII.

HActenus in generatione & interitu formas substantiales considerauimus, restat vt accidentia quoq; consideremus: & magnum illud dubium soluere nitamur, an in substantiali mutatione possit in genito aliquod accidens seruari, quod idem numero fuerit in eo, quod interijt. Hac de re contrariæ extiterunt philosophorum sententiæ: alij nanq; penitus negarunt, posse aliquod idem numero accidens in genito remanere, inter quos Petrus Pōponatius in libro suo de nutritione, & accretione efficaciter hanc sententiam tuetur: nituntur autē hi potissimùm hoc argumento: si idem numero accidens remanere dicatur, alterum duorum absurdorum sequi necesse est, aut accidens idem numero migrare è subiecto in subiectum, aut omnia accidentia immediatè hærere in prima materia: nam si subiectū accidentis esse dicatur totum compositum, quod ex materia & forma constat, certè fit accidentis migratio, mutato enim composito subiectum accidentis mutatur: quare idem numero accidens migrat è subiecto in subiectum, quod ab omnib. philosophis impossibile esse censetur: quòd si ad vitādam migrationem dicamus, subiectū accidentis non esse totum compositū, sed solam materiam, in aliud absurdū incidimus, quòd facimus accidentia omnia hærere immediatè in materia prima, quod Arist. aduersatur, qui in contex. 24. lib. 1. de ortu, & interitu inquit, accidentia habere subiectū sensile, & in contex. 8. septimi Metaph. inquit, materiam priùs recipere formas substantiales, postea verò accidentales: quare existimauit subiectū accidētis esse compositū constans ex materia, & forma substantiali. Auerroes quoq; in Cōment. 63. primi Phys. hoc discrimē statuit inter formas substantiales, & accidētia, quòd subiectū formarum est ens potestate; subiectum autē accidentiū est ens actu: vult ergo formas substantiales inhærere in materia prima, accidētia verò non in materia, sed in cōposito, quod ex materia & forma cōstat. E contrariò autem alij dixerūt, posse idem numero accidens seruari in genito, quod fuerit in corrupto: quam sententiam & testimonio sensus, & ratione, & auctoritate Aristotelis comprobarunt: sensus enim iudicat eandem numero, figuram, & eandem cicatricem manere in cadauere, quæ in viuente fuit, eaque est omnium hominum communis opinio. Ratio quoque id confirmat, nam si in cadauere alia est cicatrix, non

Pomponatij opinio.

Argumentum Pomponatij.

Aliorum contraria opinio.

illamet, quæ in viuuente fuit, dicendum est, à A quonam agēte fuerit impressa, oportet enim in puncto temporis impressam fuisse cadaueri, quod ne imaginabile quidem est; quum præsertim nullum appareat agens, à quo imprimi potuerit. Aristoteles quoque in contextu 24. primi de ortu & interitu affirmat, in mutatione aquæ in aerem seruari eandē perspicuitatem, & eādem humiditatem, & apertè fatetur posse in genito aliquod idem sensile accidens remanere, solùm autem negat remanere posse vt obtinens locum subiecti; & B in context. 34. lib. 2. inquit, in elementis symbolam qualitatem habentibus, faciliorem esse mutationē, propterea quòd symbola qualitas eadem manet in genito, quæ fuit in corrupto. Hanc sententiam plures sequuti sunt, Gregorius Ariminensis in 2. Senten. distinct. 12. quæst. a. artic. 2. & Marsilius, & Buccaferreus in libros. de generatione. Patet igitur vtramq; opinionem maximis vrgeri difficul- C tatibus, & in ijs soluēdis alij plurimùm laborarunt: Pomponatius enim in libro suo prædicto volens hæc, quæ à secunda secta adducta sunt, soluere, se tamen explicare non potuit, & multa vana dicere coactus est, quę non sunt digna consideratione, neq; est in ijs tempus conterendum; nam cuiq; ea legenti manifestum fiet, vel deserendam esse eius sententiam vel meliùs contraria argumenta soluenda. Marsilius verò & Buccaferreus prædictum D argumentū considerantes, quo alterum duorum absurdorum inferebatur, vel accidēs migrare de subiecto in subiectum, vel accidētia omnia inhærere immediatè in materia prima, migrationem accidentis confessi esse penitus impossibilem, vt eam euitarent, negarunt alterius cōsequentis absurditatem, & dixerunt accidētia immediatè inhærere in prima materia, tanquam in communi subiecto omnium formarum tam substantialiū, quàm E accidentalium. Ad Aristotelem autem dicentem accidētia habere subiectum sensile, & ad Auerroem dicentem accidentia habere subiectū ens actu, dixerunt, eos ibi loqui de subiecto denominationis, non de subiecto inhærentiæ; compositū enim esse accidētium subiectum denominationis, at primam materiā esse eorundem subiectum inhærentiæ. Ad illud autem, quod ab Arist. dicitur in septimo Metaphysicorum, de ordine in formis à ma- F teria recipiendis, dixerunt, eum esse ordinem recipiendorū, non ordinem recipientis: quod enim ad materiam attinet, ipsa æquè apta est recipere immediatè formam accidentalem, atq; substantialem, sed formæ ipsæ recipiēdæ hunc ordinem postulant; forma namq; substantialis pręcedit natura accidētalem, & forma accidentalis præsupponit receptam substantialem: & hæc causa est, cur subiectū nominationis, cui accidentia attribui solent, sit totum compositum, quia forma accidentalis recipitur post receptam substantialem; at verum subiectum, in quo immediatè recipiuntur omnes formę tam substantiales, quàm accidentales, est prima materia. Hæc sunt præcipua, quæ de hac re ab alijs dicuntur, breuiter tunc à me relata, alia namq; plura in prolixis disputationibus legere quisque potest.

Aliorum responsio ad argumentum Pomponatij.

Confutatio opinionum aliorum.

Cap. IIX.

IN hac summa difficultate ego puto, falsam omnino esse priorem sententiam, alteram autem veriorem; standum enim est testimonio sensus, qui iudicat idē numero esse accidens, quod in genito remanet, & priùs fuit in corrupto, Idq; inficiari pertinacis prorsus hominis esse videtur: defensionem tamē, qua posterior secta vtitur, approbare minimè possum; quum enim soluendum sit illud aliorum argumentū, quo inferebant, vel accidens migrare de subiecto in subiectū, vel in prima materia immediatè inhærere, illi quidem rectè responderunt negando falsitatem posterioris membri admissa falsitate prioris, nempe dicendo impossibilem esse accidentis migrationem de subiecto in subiectum, sed accidentia omnia in prima materia tanquam in subiecto inhærere, proinde remanente eodē accidente in re genita nullam fieri migrationem, quum idem accidētis subiectum remaneat, nempe eadem portio primæ materiæ. Sed quia huic sententię refragari videbantur Aristotelis, & Auerrois verba varijs in locis, isti ad soluendam omnem difficultatē vsi sunt duabus distinctionibus, quarū neutram ego probare possum, quū per eas difficultas hæc non tollatur. Prior enim distinctio subiecti in subiectum inhærētiæ, & subiectum denominationis, seu attributionis, vera quidem per se est, sed ad rem non pertinet: nam quando Arist. & Auerroes dicunt accidentia habere subiectum sensile, & ens actu, id dicunt ad distinguenda accidentia à formis substantialibus, quę non habent subiectum sensile, neqꝫ ens actu; attamē per hanc illorum distinctionem non secernitur accidens à forma substātiali, siquidem tam accidentia, quàm formæ similiter secundùm eos inhærent primæ materiæ, tanquam subiecto inhærentię, & habēt tum compositum vt subiectum denominationis, seu attributionis; forma enim lapidis inhæret quidem in prima materia, non tamē forma materię nominatur, sed forma lapidis quod idem de omnibus formis substantialibus notare possumus, quęlibet enim attribuitur composito, non primæ materiæ: itaque si Arist. &

Responsionis impugnatio.

Arist. & Auerroes dicentes accidentia habere subiectum sensile, & ens actu, intelligunt subiectum denominationis, non separari per hoc, vt separare volunt, accidétia à formis substantialibus, quum ipsæ quoq; habeant subiectum denominationis ens actu, & sensile, quia omnis nominatio fit ab actu, & ipsamet materia nomen sumere solet ab actu, quem recipit. Altera verò distinctio est prorsus reijcienda; dum enim dicunt, ordinem esse formarum recipiendarum, at non materiæ recipientis, in duobus peccant: quia dictum hoc tum falsum est, tum etiamsi admittatur, difficultatem non tollit: falsum enim est, quia nihil est frustra in natura, nec datur aliquid potens pati, vel fieri, quin detur etiam agens potens illud facere, & è conuerso; quare non datur receptiuum sine receptibili, nec receptibile sine receptiuo, sed est summa consonantia in rebus naturæ, quæ nihil patitur esse frustra: ergo si in formis est hic naturalis, ac necessarius ordo, vt priùs recipiendæ sint substantiales, posteriùs verò accidentales, necesse est, eundem concedere ordinem etiam in materia recipiente, vt priùs appetat recipere formas substantiales, postea verò accidentales; idque est etiam maximè consentaneum naturæ primæ materiæ, id enim quod materia appetit, est esse actu, non fit autem actu nisi à forma substantiali, hanc igitur priùs ac magis appetit: oportet etiam (vt modò dicebamus) materiam ita formarum receptionem appetere, vt formæ ipsæ aptæ sunt recipi; at non sunt aptæ recipi, nisi hoc ordine, vt priùs recipiantur substantiales, deinde accidentales; ergo eodem ordine debet materia appetere earum receptioné, quocirca idem est ordo formarum recipiendarũ, ac materiæ recipientis. Præterea etiamsi admittamus ordinem hunc esse in formis tantùm recipiendis, non in materia recipiente, per hoc tamen præsens difficultas non tollitur, vt illi eam tolli arbitrantur; putant enim si is ordo in ipsa materia statuatur, non esse ampliùs materiam subiectum immediatum accidentium, quod ipsi omnino tueri contendunt. attamé idem sequitur etiam posito ordine in formis recipiendis; quia si in his est hic necessarius ordo, vt formæ accidentales non possint immediatè recipi in materia nuda, sed requirant receptas priùs formas substantiales; ergo subiectum, in quo inhæreant, requirunt constans ex materia, & forma substantiali, proinde in composito immediatè inhærét, non in prima materia. Quum igitur ita manifestus in formis hic ordo sit, vt negari nequeat, nec possit etiam negari in materia recipiente; aliam defensionem adducere oportet, & alia ratione ostendere, quomodo hic ordo tum formarum recipiendarum, tum materiæ recipientis non tollat, quin subiectum immediatũ omnium formarum tam substantialium, quàm accidentalium sit ipsa-

Materia magis appetit formam substantialem, quàm accidentalem.

A met prima materia, quod quidem nos præstare pro viribus enitemur.

Declaratio veritatis, ac difficultatis solutio. Cap. IX.

VT hæc in re veritas cognoscatur, statuendum ante omnia est illud, quod apud Aristot. legimus in contextu 55. lib. 1. de ortu & interitu, & fusiùs in 9. Metaphys. potestaté patiendi, quam nostri potentiam pas- B siuam appellant, esse primæ materiæ propriã, neq; alicui competere nisi per illam; ideò in illo context. 55. Aristot. inquit, si daretur calor à materia separatus, is nihil vtiq; pateretur; præter materiam igitur nihil patitur per se, sed quicquid patitur, per materiam patitur; quare forma non est per se patibilis, sed quatenus est in materia; & ipsum quoq; compositum patitur quidé, ac recipit, non tamen quatenus ex materia & forma constans, sed solùm C quatenus habet materiam: quapropter iure Aristot. 7. Metaphys. context. 8. dixit, materiam esse subiectum omnium categoriarum, quum solius materiæ officium sit recipere, & pati. Cæterùm etsi materia est subiectum omnium formarum tam substantialium, quàm accidentalium, negari tamen non potest, eam esse aptam eas recipere ordine quodam, ita vt eo ordine perturbato non reciperentur; priùs enim recipit substantiales formas, postea acci- D dentales, & inter substantiales vnam priùs, quàm aliam; aliquæ enim sunt, quæ vt recipiantur, requirunt alias priùs receptas, vt anima non recipitur in materia, nisi priùs formata formis elementorum, & inter ipsas quoque animæ partes aliquis est necessarius ordo, qui à nobis alio in loco opportuniùs considerabitur: hoc autem eodé ordine, quo formæ sunt aptæ recipi, ipsa quoque materia est apta eas recipere, nec minùs est recipientis ordo, quàm E recipiendorum, sicut antea aduersus alios dicebamus. Per huius tamen ordinis constitutionem non stat, quin proprium materiæ sit pati, & ipsa sola sit receptaculum omnium formarum: itaq; dicere cogimur ad omnem tollendam difficultatem, aliud esse subiectum recipiens, aliud esse conditionem illi necessariam ad recipiendum; forma enim substantialis est quidem conditio necessaria materiæ ad recipiendas formas accidentales, at non ob F id est subiectum recipiens, nec pars recipientis; quod quidem etiam in alijs notare possumus, qualitas enim non recipitur in materia, nisi post receptam quantitatem, quantitas tamen non fungitur officio recipientis, sed est solùm conditio necessaria ad recipiendã qualitatem; sic igitur forma substantialis est necessaria materiæ conditio, si debeat materia recipere formas accidentales, sola tamen materia est subiectum recipiens; ideò manens in cadauere cicatrix, quæ in viuente fuerat, non migrat de subiecto in subiectum, quia manéts

Aliud est subiectũ recipiens, aliud est conditio necessaria ad recipiendum.

eadem portione primæ materiæ, quæ est prima radix omnis receptionis, non dicitur mutatum subiectum; sed si idem accidens ad aliam materiæ portionem transiret, illa vtique esset migratio, quam philosophi omnes impossibilem esse existimarunt; ea enim non aliter est intelligenda, quàm cum transitu ad aliam portionem primæ materiæ. Possumus autem ad hoc comprobandum vti tali ratione: illud est subiectum inhærentiæ omnium accidentium, de cuius potẽtia educitur quodlibet accidens; atqui omnia accidentia, quæ generantur, educuntur de potẽtia solius materiæ, non de potentia compositi vt ex materia & forma constantis; ergo sola materia est subiectum, in quo accidentia omnia inhærẽt: maior clara est eo fundamento constituto, quòd formæ in materia inhærentes educuntur de materia, non inducuntur, quod in philosophia Aristot. omni prorsus dubio caret, vel saltem id nemo inficiabitur, de quo subiecto forma aliqua educi dicatur, in eadẽ etiam inhærere: minor sic probatur: ignis calefacit aquam, & ita calorem educit de potentia ad actum; vel igitur de potentia aquæ prout est aqua, vel de potentia solius materiæ, quæ in aqua inest; non primum, quia dicere aquam, quatenus est aqua, est dicere ratione formæ aquæ, qua aqua est, hæc autem repugnat calori, ac renititur calefacienti, quia calor inimicus est naturæ aquæ, ergo nullam habet naturalem aptitudinẽ recipiendi calorem, sed hanc habet sola materia, quæ est apta recipere omnes formas tam substãtiales, quàm accidentales. *Dubium.* Sed obiiciet aliquis, quomodo igitur forma aquæ dici potest conditio necessaria materiæ ad recipiendum calorem, sicuti paulò antè dicebamus? recipit enim aqua calorem, nec reciperet nisi materia illa iam haberet formam substantialem; non habet autem aliam, quàm formam aquæ; hæc igitur tum inimica est calori, tum est conditio necessaria materiæ ad recipiendum calorem quæ videntur implicare contradictionem. *Solutio.* Ad hoc dicimus, aliud esse subiectum recipiens accidentia, aliud esse causam à qua accidens producitur, vel emanat: calor non consequitur quidem naturam aquæ vt causam, quum ab externa causa producatur, habet tamen in aqua subiectum receptiuum ipsius; materia enim, quæ est in aqua, est per se receptiua caloris, sicuti omnium aliarum formarum: sed quia non potest recipere formam accidẽtalem nisi priùs receperit substantialẽ, forma aquæ hanc operam præstat, vt absolutè est forma, non vt aquæ forma; quum enim quælibet portio materiæ sit æquè apta recipere omnes formas, ideo omne corpus mundi huius inferioris est capax caloris vel vt amici, vel vt inimici, hoc enim est illi necessarium propter materiam, quam habet: vt igitur materia possit calorem recipere, satis ei est quælibet forma specifica,

A etiamsi calor sit illi formæ inimicus, quælibet enim forma quatenus materiã perficit, & eam reddit ens actu, facit etiam receptiuam & caloris, & frigoris quatenus subiectum recipiẽs, recipere autem cogitur ab agente externo, etiamsi forma substantialis, quam habet, talĩ accidenti repugnet. Potest etiam hæc sententia confirmari auctoritate Aristot. in prædicto context. 8. septimi Metaphysicorum, vbi duo dicit: primùm enim inquit, materiã esse sub-
B iectum omnium categoriarum, proinde receptiuum omnium formarum tam substantialium, quàm accidentalium, & per hoc ipsius materiæ naturam describit: deinde verò dicit, materiam priùs recipere formas substantiales, postea accidentales: priore igitur dicto significat accidentia omnia in prima materia inhærere, proinde materiam esse per se eorum omnium subiectum inhærentiæ; si enim hoc non per se materiæ competeret, definiretur
C ibi materia per accidentalia: altero autem posteriore denotat, formas substantiales esse conditionem necessariam materiæ ad recipiendas accidentales, non esse tamen subiectum recipiens, quoniam recipiendi officium iam ipsi materiæ attribuerat. *Dubium.* Sed aduersus hunc ordinem dubitare quispiam posset: forma enim substantialis non educitur de materia, nisi post præuiam alterationem, ergo non minùs requirit receptas iam formas accidenta-
D les, quàm ipsæ accidentales requirant receptas substantiales; non est ergo in receptione formarum necessarius ille ordo, quem ibi Arist. ponit, nempe vt priùs formæ substantiales, quàm accidentales in materia recipiantur. *Solutio.* Ad hoc dicimus, aliud esse receptionem formæ in materia, aliud esse eius productionem, seu eductionem: forma substantialis pro sui inhærentia in materia non requirit inhærẽtiam formę accidentalis, sed solùm pro sui eductio-
E ne de materia requirit formas accidentales vt præparationem: at forma accidentalis præsupponit pro sui inhærentia inhærentiam formæ substantialis, quod quidem in illa ipsa præuia alteratione notare possumus, non enim in materia nuda fit alteratio præuia, sed in materia formata, habet enim tunc materia formam corrumpendam, quæ priùs inhæret materiæ, quàm accidentia, quæ in illam materiam pro eductione formæ generandæ introducuntur;
F forma nanque illa præcedens, licet accidentibus illis inimica sit quatenus est talis forma, tamen quatenus absolutè est forma, facit vt materia possit accidentia illa recipere, quemadmodum de calefactione aquæ antea dicebamus. Ad verba igitur Aristot. & Auerrois, quæ superiùs adducta sunt, arbitror sic esse respondendum: quando Aristot. dicit accidentia habere subiectum sensile, & Auerroes inquit accidentia habere subiectum ens actu, non solum subiectum inhærentiæ respexerũt, sed aggregatum ex eo, & conditione necessa

ria ad recipiendum: per hoc enim diſtinguun-
tur ab accidentibus formę ſubſtantiales, quòd
hę non requirunt receptas priùs accidentales,
at accidentales requirunt priùs receptas ſub-
ſtantiales, & hac ratione habent ſubiectũ ſen-
ſile, & ens actu; id tamen, in quo propriè re-
cipiuntur, eſt prima materia, quare hac ma-
nente non dicuntur migrare de ſubiecto in
ſubiectum; quia forma ſubſtantialis eſt qui-
dem mediatrix inter accidẽs & materiam, non
tamen ita mediatrix, vt ſit medium ſubiectũ,
vel pars ſubiecti recipientis, ſed ſolùm tanquã
conditio materiæ vt recipere poſſit. Admo-
nere tamen volumus, hæc de illis tantum ac-
cidentibus, quæ in materia generantur, eſſe
intelligenda, non de illis, quæ nunquam à ma
teria ſeparantur; nam quantitas interminata
inſequitur primæ materiæ naturam, nec re-
quirit formam ſubſtantialem vt in materia re-
cipi poſſit, ſed potiùs è contrario eſt neceſſa-
ria conditio materiæ pro receptione formæ
ſubſtantialis; forma nanque per ſe indiuidua
eſt, & omni quantitate carens, quare vt diui-
dua fiat, indiget materia per ſe quanta, in qua
extenſionẽ ſuſcipiat. Sic igitur patet primam
materiam eſſe ſubiectum, in quo omnes for-
mæ tam ſubſtantiales, quàm accidentales in-
hærent; idq; Auerroes apertè aſſerit in 1. Com
ment. lib. 1. de ortu & interitu, dum inquit i-
dem eſſe ſubiectum generationis & alteratio-
nis. Quare cuilibet ea, quæ diximus, conſide-
ranti facilè eſt omnia Ariſtotelis, & Auerrois
dicta cõciliare, & eorum verba ad rectum ſen-
ſum trahere, & omnia hac in re dubia ſoluere.

Nota quomodo prima materia ſit ſubiectum accidentium.

*Cur poſt rei interitum aliqua eius acciden-
tia ſeruentur in genito, aliqua verò
non ſeruentur. Cap. X.*

QVæreret aliquis poſſet huius diſcrimi-
nis rationem, cur poſt rei interitum a-
liqua eius accidentia in genito rema-
neant, aliqua verò non remaneant: quæſtio
hæc aliena fortaſſe videbitur à præſenti con-
templatione, quum ſatis fuiſſe videatur oſten-
dere, quòd poſſint aliqua remanere: ideò bre-
uiter dicimus, eſſe conſiderandam cauſam, à
qua ſingulum accidens pendet, ex diuerſo e-
nim reſpectu accidentis ad ſuam cauſam hoc
diſcrimen oritur: nam aliqua accidentia ſunt,
quæ exiſtere nequeunt non exiſtente cauſa,
ideò hæc non poſſunt ſublata cauſa ſeruari; in
horum numero ſunt illa omnia, quorum na-
tura conſiſtit in fieri, vt ambulatio, loquutio,
intellectio, ſenſus, nutritio, accretio, & huiuſ-
modi omnes operationes animæ; ideò nulla
harum remanet poſt viuentis interitum, quia
ſublata eſt anima, quæ earum cauſa erat: ali-
quorum autẽ natura conſtituta eſt (vt vocant)
in facto eſſe, & horum alia exiſtere poſſunt e-
tiam non exiſtente cauſa, cuiuſmodi ſunt o-
mnia arte facta, remanent enim etiã interem-
A pto artifice: alia verò cum ſua cauſa recipro-
cantur, & ea ſublata non remanent, vt odores,
& ſapores; certam enim quandam primarum
qualitatum temperiem cõſequuntur, qua de-
ſtructa nequeunt ſeruari: hæc igitur in alicu-
jus rei interitu remanere neceſſe eſt, ſi eorum
cauſa interierit: contrà verò interire, ſi eorum
cauſa interierit: ideò ſapores & odores aliqua-
rum plantarum etiam poſt plantæ interitum
manere ſolent, quia inſequuntur formam mi-
B ſtionis, quæ remanet poſt animæ interitum;
ſed hi non poſt putrefactionem illorum cor-
porum non ſeruantur, quia per putredinẽ ſol-
uitur miſtio, ſublata autem forma miſtionis
manere non poſſunt. Si verò poſſint exiſtere
etiam non exiſtente cauſa, hæc poſſunt etiam
ſublata eorum cauſa poſt rei interitum ſerua-
ri, dummodò non repugnent formę generan-
dæ: vt figura eſt accidens animati corporis &
animam inſequitur, vt figura humana animã
C humanam: ſed quia exiſtere poteſt etiam ſine
anima, & in rebus inanimatis, quum ſit termi-
natio quanti, & quantitas primùm inſequa-
tur naturam materiæ, ideò remanet in cada-
uere, quia corpus inanimatum nulli certæ fi-
gurę addictum eſt, & nulla ei figura repugnat:
ſic cicatrix remanet, quia eſt quædam figuræ
vitiatio: in mutatione verò aquæ in aërẽ non
remanet quantitas aquæ, ſed deſtruitur; quia
licèt aeri quantitas illa non repugnet vt abſo-
D lutè conſiderato, ſiquidem poteſt eſſe aër tan-
tæ quantitatis, attamen illi repugnat vt ex tan
ta aqua genito; quum enim aer ſit elemẽtum
rarius aqua, neceſſe eſt in mutatione aquæ in
aerem, vt etiam quantitas aquæ in maiorem
mutetur: quando igitur accidens abſque ſua
cauſa exiſtere poteſt, & formæ generandę non
repugnat tum vt abſolutè conſideratę, tum vt
relatæ ad formam pręcedentem, quæ interijt;
poteſt idem numero accidens in re genita re-
E manere, quod fuit etiam in re corrupta: &
hæc pauca hac de re ſufficiant.

*De cauſis generationis, & interitus.
Cap. XI.*

OMnia, quæ hactenus dicta ſunt, ad de-
clarandam generationis naturam, ac
definitionem pertinuẽre, vt quid ge-
neratio ſit, intelligatur; reliquum eſt, vt de cau
ſis generationis & interitus aliqua dicamus,
F quas Ariſtot. quoq; poſt traditam generatio-
nis definitionem in eiſdem libris perueſtiga-
uit. Quum autem quatuor cauſarum genera
ſint, de tribus dicendum eſt, materia, efficien-
te, & fine, quia de forma iam diximus; nulla
nanq; alia eſt generationis forma, quàm ipſius
eſſentia, quæ per definitionẽ iam declaratam
ſignificatur; eiuſmodi enim ea definitio fuit,
quam eſſentialem, ſeu nominalem vocari, &
in demonſtratione locũ maioris extremi ob
tinere iam in libris Logicis diximus. Materiã
generationis duplicem Ariſtot. in ijs libris tra-

Forma generationis.

Materia generationis duplex.

dit: vnam maximè communem & remotam, quæ prima materia dicitur; quæ quum apud Arist. secundùm suam substantiam æterna sit, nec possit existere sine forma, necesse est vt recedente vna forma recipiat aliam, & ita interitus vnius rei sit alterius rei generatio, proinde causa non est solum vt generatio esse possit, sed etiam vt possit perpetuari: altera est propinquior materia, nempe quatuor vocata corporum elementa, de his enim tanquam de generationis materia Aristoteles in ijs libris sibi agendum proposuit, vt videre est & in context. 43. lib. 1. & in initio secundi: qua de re nec disputandum in præsentia est, nec plura dicenda; satis enim in libro de naturalis scientiæ constitutione ostendimus. corpus mistum esse id, quod præcipuè generationi & interitui obnoxium dicitur, elementa verò in ijs libris cõsiderari vt principia generationis, nempe vt materiam generationis mistorum: non enim aliam ob causam Aristot. in illo 43. context. proposuit agendum de tactu, de actione & passione, ac de mistione, nisi quia elementa non sunt materia misti, nisi prout in mistionem veniunt, & ad naturæ vnitatem rediguntur; quocirca de mistione priùs agere oportuit: sed quia non commiscentur inter se elementa, nisi per mutuam actionem & passionem, ideo de actione & passione agendum etiam priùs fuit, quàm de mistione: & rursus quia non agunt inter se, nisi se tangant, ideò de tactu agere priùs oportuit, quàm de actione & passione; quare clara est Aristot. sententia, quòd de elementis agit in ijs libris, tanquã de materia generationis mistorum: ideò si quæratur, quodnam generationis & interitus primum subiectum sit, dicendum est, primum primitate scopi & intentionis naturę esse corpus mistum; sed primum primitate adæquationis esse commune illud, quod & mista omnia, & elementa complectitur. Effectrix autem generationis causa multiplex est pro rerum, quæ generantur, multitudine, & varietate; ideo singillatim omnes causæ effectrices singularum rerum propriæ in memoratis libris considerandæ non fuerunt, quum in illis Aristot. vniuersè tantùm de generatione agendum sibi proposuisset, non particulariter de generatione singulorum: quamobrem nulla effectrix causa relinquebatur, quæ ibi esset consideranda, nisi cœlestis motus, qui est causa vniuersalis omnium generationum & interituum in hoc mundo inferiore: de hac igitur Aristot. ibi loquitur in lib. 2. & eam duplicem esse docet, videlicet duos cœlestium sphærarum motus; primum, qui diurnus dicitur; & secundum, qui planetarum proprius est; nam à primo motu, qui semper vniformiter perseuerat, prouenire inquit incessantem generationis perseuerantiam in hoc inferiori mundo; à secundo autem motu varietatem generationũ & interituum prouenire dicit; quum

Primum subiectũ generationis quodnam sit.

Efficiens causa generationis.

A enim per illum Sol, & astra modò propinqua puncto nostro verticali, modò ab eodem remota ferantur, causæ sunt harum varietatum; eandem enim rem modò generant, modò perimunt, quia modò calfaciunt & magis, & minùs, modò etiam per nimiam remotionẽ corpora hæc inferiora cœlesti calore destituta relinquunt, proinde interitus causæ sunt. Causa verò finalis generationis est cõseruatio specierum; quum enim apud Aristot. illud sit naturæ vniuersalis præcipuum consilium, vt ad

B huius mundi tum perfectionẽ, tum ornatum species omnes seruentur æternæ, ideò illas, quarum natura in eodem indiuiduo æternitatem non patitur, æternas seruare statuit per continuam & perseuerantem generationem, vt interempto hoc indiuiduo aliud eiusdem speciei generetur, & ita in pluribus saltem indiuiduis æternitas speciei seruetur per generationem incessantem, ob memoratas causas.

Finis generationis.

C Illud autem hac in re est summoperè annotandum, aliud esse, absolutè alicuius rei causas, quæ plures esse possunt, considerare, aliud esse, æquatam causam quærere, propter quam res est; hæc enim non potest vnius rei nisi vna esse, vt Aristot. docet in lib. 2. Poster. Analyt. & vt nos in operibus Logicis diffusè declarauimus. Quum autem Aristot. non soleat alicuius rei causam adducere, nisi æquatam, quæ satisfaciat quæstioni propter quid, dubium

D oriri potest, quomodo duobus in locis causam perpetuitatis generationis aliam & aliam attulerit: nam in lib. 1. de ortu & interitu quærens, cur generatio sit perpetua, causam inquit esse naturam primæ materiæ, quæ, quum existere nequeat sine forma, & amissa vna forma accipiat aliam, quò fit, vt interitus vnius rei, sit alterius rei generatio, facit vt generatio nunquam deficiat: in secundo autem libro causam huiusmet perpetuitatis non ampliùs

Dubium de causa perpetuitatis generationis.

E in materiam refert, sed in motum Cœli æternum, qui facit in hoc inferiori mundo generationem perpetuari. Sciendum igitur est, vt etiam in operibus Logicis diximus, causas quidem vnius rei plures esse posse remotas, & non ęquatas, sed earum tamen quamlibet esse proximam causam alicuius effectus, nempe vel alicuius communioris, vel eiusdem alio modo considerati: vt prima materia, quum sit ens mera potestate, non potest facere vt gene-

Solutio.

F ratio sit, proinde non est eius æquata causa; posita enim materia, non ex necessitate ponitur generatio, sed est causa sine qua non, agẽs autem generans est causa generationis æquata, posito enim generante, generatio ponitur, & ablato aufertur; cum eo autem est coniuncta causę finalis consideratio, quia propter aliquem finem generat: alia tamẽ ratione etiam materia est æquata causa generationis; quum enim aliud sit potestas aliud sit actus, neq; eadem sit causa vtriusque, vt risibilitatis, & risus; ideo vt generatio esse possit, causa est materia;

Quomodo materia sit æquata causa generationis, & quomodo non sit.

Alia est causa potest- alia est

vt au-

vt autem actu sit, causa est agens generans; ea- A dem autem est causa generationis vniuerse sumptæ, ac perpetuitatis generationis; quæ enim facit vt generatio sit in rebus, eadem facit vt incessanter & perpetuò sit; iccirco aliud est perpetuitas generationis, aliud est eiusdem perpetuabilitas: perpetuitatis quidem causa est motus Cœli, sed perpetuabilitatis æquata causa est materia, quum non possit esse causa actus, sed solùm potestatis, posita enim materia, perpetuitas generationis non quidem po- B nitur, sed possibilis est, perpetuatur autem ab agente; & rationi consentaneum hoc est: quum enim agens agat quatenus est actu, & materia patiatur quatenus est potestate, conuenienter causam actus in agens referimus, causam verò potestatis in materiam, & ambo hæc fuerunt necessaria in natura, vt nihil esset frustra; nam frustra daretur agens, cui nullum responderet potens pati, & frustra poneretur materia pati potens, nisi assignatum illi esset C agens, à quo pateretur. Sed quum & agẽs indigeat materia, in quam agat, & vicissim materia egeat agente, à quo patiatur, agens tamen non appellatur causa sine qua non, sed sola materia; appellatio enim causæ sine qua A non, soli causæ secundariæ conueniens est, nempe illi, quæ inseruiat alij causæ principaliori, cui præcipuè attribuatur effectus, & quæ absolutè illius causa dicatur; principalior autem est actus potestate; ideò absolutè causa alicuius rei illa esse dicitur, quæ facit vt res sit actu, deinde verò alias ministrantes causas spectando dicimus illam id præstare non sine aliarum ministerio, propterea illis conuenit appellatio causæ sine qua non: quum igitur B materia sit mera potestas, & ipsa per se nihil producat, non possumus agens vocare causam sine qua non; quia sic iam statueremus, materiam per se producere, & illi primas in ea productione tribueremus: sed quum agentis nomen suo formali sensu actum producendi significet, huic ascribimus productionem effectus, & ei primas tribuimus, dum dicimus, ipsum agere non sine materia. Forma verò generationis, quæ per eius definitionem si- C gnificatur, effectus potiùs est, quàm causa; est enim declaratio nominis, quæ in demonstratione ponitur vt maius extremum, cuius causa quæritur, quemadmodum de accidentibus omnibus aliàs in operibus Logicis declarauimus.

Cur materia dicatur causa sine qua non.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber

DE REACTIONE.

Dicendorum propositio ac declaratio. Cap. I.



REACTIONAM in corporibus naturalibus satis manifestè posuit Aristotel. tum in 3. Physic. contex. 8. ac 16. dum dixit omne mouens Physicè in mouendo moueri, tum in primo de ortu & interitu 53. dicens omnia, quæ conueniunt in materia, agere & pati inuicem; sed E in modo declarando tanta inesse videtur difficultas, vt plurimi sententiam Aristotelis tueri non valentes, ad varios sensus, eosq; ab Aristot. alienissimos illam trahere, & extorquere coacti sint: ob id licet multas hac de re disputationes aliorum habeamus, præsertim verò librum doctissimum Petri Pomponatij, cuius quidem viri iudicium ego semper plurimi feci, adhuc tamen non videtur sublata esse hac F in re omnis difficultas, idque me mouit, vt de ea breuiter aliqua scriberem, & illa quæ philosophando excogitare potui, ad communem studiosorum vtilitatẽ in medium proferrem.

D Hac igitur de re scripturus, non tempus teram in referendis omnium aliorum dictis, siquidẽ tum apud eos legi possunt, tum etiam in libro Pomponatij, in quo omnes aliorum sententiæ diligentissimè recensentur & expenduntur: sed illa solùm adducam, quæ ad veritatis declarationem conferre videbuntur, & quæ vel ab alijs tacta esse non viderim, vel tacta quidem, sed ita obscurè, vt explanatione indigeant. Ante omnia vt nomen reactio- E nis, de qua nobis in præsentia disputatio proposita est, intelligatur, dicimus reactionem esse retributam quandam mutationem, qua id, quod patitur, renititur aduersus agens, & illud commutat, dum ab illo mutatur adeo vt & agens pati, & patiens agere modo aliquo dicatur. Quoniam autem plures sunt mutationis species, quæstio hæc neque in mutatione substantiali, neque in accretione, atq; imminutione locum habere vllum potest, nisi qua- F tenus hæ coniunctam habent alterationem: generãs enim ab ipsomet genito vicissim nec generatur, nec interimitur in ipso generandi actu, nec modo vllo secundùm formam sub-

Reactio quid sit.

stantialem labefactatur, quum hæc indiuidua A sit, neque intendi, aut remitti possit: sic neq; augens dum auget, augetur ab illomet, quod augetur. Est igitur præcipuè hæc disputatio instituta de motu alterationis, & modo aliquo etiam de motu locali, an agens à patiente vicissim patiatur: quum enim alteratio fit in qualitate, quæ intendi ac remitti potest, quæritur, an agens alterans alteretur modo aliquo à patiente, & obtundatur, vt an calidum agens in frigidum patiatur simul à frigido, ita B vt eius calor in illa actione remittatur: non est autem quæstio de agente remoto, sed de proximo tantùm, & quod conueniat in materia cum patiente, vt ipsemet Aristot. in memoratis locis nos expressè admonet; nam agens remotum non est cum patiente coniunctũ, ideò nihil ab eo recipere posse videtur: sed neque agens proximum, quod non conueniat in materia cum patiente; nam Cœlum si immediatè agere aliquid dicatur in his inferioribus, nõ C patitur vicissim ab eis, quia non conueniunt in materia, neq; ipsum capax est illarum qualitatum, quas in illis producit, quum sit agens (vt vocant) æquiuocum & virtuale. Loquimur præterea de agente per se, non de agente per accidens, quale est agens per antiperistasin; nam calidum refrigerat, nec propterea vicissim calefit: neque loquimur de actione spiritali, seu de alteratione perfectiua, qualis est sensus, & intellectio, quoniam in hac non fit D vlla reactio, nec de ea vnquam aliquis dubitauit, quum manifestum sit obiecta, quæ & sensum & mentem mouent, non posse simul esse sentientia, & intelligentia in illomet actu, quo mouere dicuntur. Non est etiam quæstio de mouente per Metaphoram dicto, sicuti quum finis mouere dicitur, vt cuilibet considerandi patet; neq; enim Aristoteles vnquam tale mouens respexit, quando dixit omne mouens physicè in mouendo moueri. Est igitur E proposita quæstio de alteratione materiali, an agens per se, & propriè dictum, & patienti proximum, & cum eo in materia conueniens, dum in ipsum agit, ab eodem repatiatur. De motu etiam locali dubium est, quoniam Aristot. de hoc maximè loqui videtur in 3. Physicæ auscultationis, dum inquit, omne mouens Physicè in mouendo moueri; & alijs quoque in locis, quos postea perpendemus, expressè reactionem ponere videtur etiam in motu lo F cali: propterea de hoc quoque aliqua nobis dicenda erunt, ijsdem tamen conditionibus constitutis, quas de alteratione statuimus, loquimur enim de mouente per se, & proximo patienti, & conueniente in materia cum illo.

Argumenta quæ reactioni refragantur.

Cap. II.

TAlem, qualem diximus, reactionem, multa sunt argumenta, quæ de medio tollere A videntur; quorum aliqua præcipua, quæ rei declarandæ occasionẽ dabunt, in medium afferemus, reliqua apud alios legenda dimittemus. Primum est argumentum, quo vtitur Burlæus in context. 8. tertij Physicorum; statuit in primis fundamentum, quod sumit ex Auerroe in Cõmentar. 71. quarti Physic. quod etiam apud Aristot. clarè legitur in libro de motu animalium, actio non prouenit nisi à victoria, & excessu agentis respectu patientis; B & ex eo ita argumentatur: si duæ res sumantur, in quibus actio & passio esse debeat, vt portio ignis, & portio aquæ, hæ vel æquales habent vires, vel inæquales, si æquales, neutra in alteram aget, quia neutra alteram vincit; si verò inæquales, illa, quæ validior est, in alteram aget, sed vicissim hæc in illam non aget, quoniam, vt modò constitutum est, & vt per se manifestum esse videtur, debilius in validius agere non potest. *Primum argumentum.* Secundum est argu C mentum Calculatoris tale: posita reactione sequeretur idem moueri simul duobus contrarijs motibus, & simul intendi ac remitti secundum eandem qualitatem, quod omnino absurdum est: consequens autem deducitur; quia si ignis aquam calfaciat per aërem medium, & ab eadem aqua refrigerari dicatur, necesse est vt aer medius simul ab igni calefiat, & ab aqua refrigeretur, proinde vt eius calor simul intendatur, ac remittatur: præterea sic D quoque idem consequens deducitur; si agat ignis etiam absque medio in aquam, necesse est vt pars ignis propinquior aquæ priùs repatiatur, & refrigeretur ab aqua, quàm pars remotior; illa igitur pars erit minùs calida, quàm pars remotior, quare calefiet ab illa, nam minùs calidum respectu calidioris est instar frigidi; & vna alteri continuata est, itaque pars illa eadem ignis simul ab aqua refrigerabitur, & calefiet ab alia eiusdem ignis parte. *Secũdum argumentum.*

E Tertiò, data reactione fieret vt agẽs nunquam possit reddere patiens sibi omnino simile, hoc autem est absurdum, quia nullum aliud esse videtur agentis consilium, & scopus, quàm sibi simile patiens reddere: consequens probatur; quia si statuatur agens calidum vt quatuor, & patiens frigidum vt duo, scopus illius agentis erit illud patiens reddere calidum vt quatuor, hunc tamen non assequetur, sed frustrabitur; quia in illa actione & reactione ca F lor agentis remittetur, & fiet calidum solùm vt tria, deinde verò etiam vt duo, in fine igitur illius pugnæ non erit amplius calidum vt quatuor, quocirca nec reddere poterit patiens calidum vt quatuor, quia nihil agit supra suarum virium gradum. *Tertium argumentum.* Quartò, sint duo agentia contraria, vt ignis, & nix, & ignis possit calfacere per distantiam decem pedum ad summum, nix verò refrigerare possit per distãtiam duorum pedum tantummodò, igitur si quatuor pedibus distare inuicem statuantur, aget ignis in niuem, nec repatietur ab illa, quare *Quartum argumentum.*

no

Quintum argumentum. non omne agens naturale in agendo repati tur. Postremò, si talis reactio daretur, idem secundùm idem, & respectu eiusdem esset simul potestate & actu, quod nullo modo dicēdum est; nam si agat ignis in aquam, & ipsam calfaciendo ab ea vicissim refrigeretur, aget quatenus calidus, proinde quatenus est actu, sed à frigido patietur etiam quatenus calidus; ergo eadē ratione, qua calidus est, & aget, & patietur, & simul erit actu, & potestate.

Variæ aliorum sententiæ, & earum confutatio. Cap. III.

QVamuis & verba Aristotel. tum in memoratis, tum in plerisq; alijs locis satis apertè reactionem statuant, & testimonium sensus eandem cōfirmet; videmus enim cōtingere, vt si quis manu calida rem aliquam frigidam apprehēdat, tum eam calfaciat, tum simul ab eadem refrigeretur: tamen argumenta prædicta apud complures tanti momenti fuere, vt eos cuegerint ab Aristotel. sententia deuiare & in alias opiniones, quæ omnes, & earum impugnatio legi possunt in libro Petri Pomponatij, ego aliquas breuiter referam.

Aliquorum opinio. Dixerunt quidam, vt horum argumentorum vim effugerent, dari quidem reactionem, vt Aristot. asserit, non tamen secundùm eandem contrarietatem, sed secundùm diuersas, ita vt possit ignis agens in aquam vt calidus in frigidam, ab eadem repati vt siccus ab humida, at non vt calidus à frigida; quia si calor ignis præualeat frigori aquæ, agere tantùm potest ignis in aquam, non aqua in ignem, per contrarietatem calidi & frigidi; sed si tunc eueniat vt humiditas aquæ præpolleat siccitati ignis, reaget aqua in ignem vt humida in siccum, sed ab eodem vt sicco non patietur, quoniam à debiliore in validius actio fieri non potest.

Confutatio. Sed hæc sententia & experientiæ, & Aristot. & rationi aduersatur: nam experientia (vt modò dicebamus) docet fieri reactionem secundùm eandem contrarietatem; nam si quis manu calida rem frigidam apprehendat, simul eam calfacit, & ab ea refrigeratur; ita si ferrum ignitum in aquam frigidam iniiciatur, calfacit illam, & ab esdem refrigeratur, quæ est reactio secundùm eandem contrarietatem. Hoc idem significauit Aristot. in locis prædictis, si bene ipsius verba perpendantur: sed alius est locus omnium clarissimus in 4. lib. de ortu animalium, cap. 3. vbi dicit omne agens in agendo repati, & tum de motu locali, tum de alteratione hæc exempla subiungit, vt pellēs pellitur. & calfaciens refrigeratur; ponit ergo in alteratione reactionem secundùm eandem contrarietatem. Ratio quoq; quam loco suo considerabimus, hoc idem demonstrat; nunc autem satis sit argumentum sumptū *Argumentum à mistione.* à mistione, non posset enim fieri mistio sine reactione secundùm eam cōtrarietatem: quia si ad mistionem congrederētur ignis & aqua,

A & ignis ratione caloris ageret tantùm, non pateretur, calor eius maneret integer; sic etiam integra seruaretur humiditas aquæ, si aqua p humiditatem ita ageret in ignem, vt ab eius siccitate non pateretur; quare ad mediam temperiem qualitates elementorum non redigerentur, proinde nulla mistio fieret. Aliqui verò alij vt experientiæ, & verbis Aristot. satisfacerent, ad hoc confugerunt, quòd reactio est quidem primò secundùm diuersas contrarie- *Opinio aliorum.*

B tates; sed secundariò, & per quandam sequelam est etiam secundùm eandem contrarietatem: si namque ignis per calorem agat in aquam vt frigidam, & ab eadem vt humida repatiatur vt siccus, labefactatur simul, & imminuitur etiam calor ignis per quandam sequelam ex labefactatione siccitatis coniunctæ; calfacit igitur aquam, & ab eadem refrigeratur secundariò quatenus imminutionem siccitatis consequitur imminutio caloris. Sed

C neque hoc defendi potest: Primùm quidem, quia eorum dictum est omnino arbitrarium, & omni carens ratione; nulla enim adest ratio, cur ad siccitatis imminutionem labefactetur calor, siquidem calor non postulat necessariò siccitatem, quum possit æquè existere cum humiditate, vt in aëre patet, qui est naturaliter calidus & humidus: deinde quia nulla daretur reactio inter elementa symbolam qualitatem habentia, nam si aër vt calidus agat in aquam vt frigidam, nō potest ab eadem *Confutatio.*

D repati vt ab humida, quū & ipse sit humidus; non est igitur verum id, quod Aristot. dicit, omne agens Physicum in agendo repati. Non est etiam dicendum, Aristot. in prædictis locis hoc intelligere: quando enim dicit calfaciens refrigerari, non potest intelligere nisi per se, quoniam illa, quæ sunt per accidens, in disciplinis non considerantur: hoc etiam patet in exemplo motus localis adducto ab Aristote-

E le: nam dicit, pellens pelli, quod quidem non potest esse per accidens, sed per se, & primò, quia ne fingi quidem potest alia loci contrarietas, secundùm quam illa reactio fiat; quare etiam quando dicit calfaciens refrigerari, intelligit per se & primò secundùm eandē contrarietatem. Hæc omnia quidam alij considerantes, & tueri volentes reactionem per se secundùm eandem contrarietatem, confugerunt ad reactionem priuatiuam, positiuam e- *Suessani opinio.*

F nim nullo pacto admittere voluerunt; positiuam reactionem ipsi vocant, quando & calidum agit in frigidum imprimendo aliquid caloris, & frigidum eodem tempore vicissim in calidum imprimendo aliquid frigoris; priuatiuam autem reactionem vocant illam, quæ in sola patientis resistentia consistit, & hanc isti solam admittunt, quia licèt hoc calidum sit validius hoc frigido, & in ipsum agat, nec ab eo aliquid recipiat, ipsum tamen frigidum antequam destruatur, resistit aliquandiu, & retardat actionem calidi agentis,

quodlibet enim nititur se conseruare quantum potest; sed positiuam reactioné impossibilem esse dicunt: quam sententiam tandem secutus est Augustinus Suessanus in suis Comment. in 2. Physic. vt videre est in context. 11. eius libri, vbi fatetur se hac in re sententiam mutasse; quum enim in lib. 1. de Ortu & interitu positiuam reactioné tutatus esset, inquit, se postea eam senténtiam deseruisse, & ductum esse hoc potissimum argumento, quia si agens est tantæ potentiæ, vt possit vincere, & destruere penitus aliquod patiens, debet etiam tantam habere vim, quæ sufficiat ad se defendendum ne ab illo aliquid patiatur; quod quidem argumentum in idem cadit cum primo à nobis antea aduersus reactionem addutto. Sed huic sententiæ, vt antea diximus, & experientia, & ratio, & testimonium Aristot. refragantur. Quod enim ad experientiam attinet, vana est Suessani fuga, quum dicit aquã feruentem non esse calidam, sed videri calidam propter vapores in ea existentes; hoc enim dicere est negare aquam posse alterari, quod manifestè repugnat communi philosophantium consensioni, omnes enim concedunt elementa posse etiam alterari ad contrarias qualitates absq; mutatione substantiæ: quemadmodum igitur aër seruata substantia sua potest & calidus & frigidus fieri, sic etiam aqua; propterea negandum non est, ipsam quoq; aquæ substantiam à ferro ignito aliquid recipere caloris, quem postea consequatur conuersio tenuiorum aquæ partium in vaporem: sed si argumentum ab aqua ad aërem transferatur, nullus Suessano locus confugiendi relinquitur, vt consideranti manifestum est. Similiter vanum est id, quod ipse dicit de glacie apprehensa manu calida, negat enim fieri simul vtramq; actionem, & inquit refrigerari priùs manum à glacie, postea verò transmitti ab anima nouos spiritus, à quibus glacies calefit, & ita non eodem tempore actionem & reactionem fieri, sed diuersis. Attamen nemo est qui non videat vtramque fieri simul; statim enim calefit glacies à manu, quod & sensu cognoscitur, & ratione comprobatur: quia si glacies retinens frigus suum non calefit à manu calida, minus potest calefieri postea à manu refrigerata, & credendum est, spiritus calidos interna potiùs petere, quàm ad manum transmitti, dum stabilitur integrum manere glaciei frigus. Nititur etiam Suessanus soluere argumẽtum, quo suprà vsi sumus à mistione acceptũ, & inquit remissionem qualitatum elemẽtarium in mistione nõ fieri ex mutua earum inter se actione, ac reactione, sed fieri ab agente generante mistum, aut ab aliquo cœlesti influxu; vñ censuit Aristot. ipsas elementares qualitates esse proximum agens in mistione: & vt concedamus, ab aliquo etiam externo posse mistũ tanquam ab agente proximo generari, negari tamen in philosophia Peripatetica nullo modo potest, ex mutua etiam elementorum actione posse mistioné absolui. Quod verò de influxu dicit, ita vanum est, vt confutationé non mereatur; certum enim est, influxus ab Arist. non admitti, neq; ipsemet Suessanus id, quod dicit, intelligit: nam simpliciter ad influxum confugere absq; vlla ipsius influxus declaratione nil aliud est, quàm dicere id fieri ab aliqua causa, quæ ignoratur. Clara etiam sunt Arist. verba antea memorata; Arist. enim non dicit patiens resistere tantùm agenti, sed dicit calfaciens refrigerari, quæ est absq; dubio reactio positiua. Præterea vti possumus contra Suessanum tali argumento: si reactio, quam Arist. ponit, non est intelligenda, nisi priuatiua, sequeretur dari reactioné etiam inter illa, quæ non conueniunt in materia, vt inter Cœlum, & inferiora corpora, etenim hæc quoque resistunt actioni cœlestium, & eam retardant resistendo: aqua enim resistit omni calefacienti, non solùm igni sed etiam Cœlo: quare si diceretur liceret calfaciens refrigerari à patiente ratione solius resistentiæ, quæ dicatur appellari refrigeratio, etiam Cœlum dici poterit à corporibus inferioribus per resistentiam refrigerari: hoc tamen nemo sanæ mentis diceret; & consequẽs apud Aristot. est manifestè falsum, qui omnino negauit corpora inferiora in Cœlum reagere, & in contex. 53. lib. 1. de Ortu & interitu apertè dixit, nullam dari reactionem inter illa, quæ in materia non conueniunt. Ex his igitur patet, negandam nullo pacto esse reactioné positiuam, sed solùm cogitandum, quomodo difficultates, quæ illam de medio tollere videntur, soluendæ sint.

Suessani argumentum.

Confutatio, & Reiectio defensionum Suessani.

Quid sit agere, quid pati, quid reagere, & quid repati, & cur reactio sit necessaria. Cap. IV.

QVoniam igitur omnes hæ opiniones falsæ sunt, & in eas illi inciderũt, quoniam argumẽta à nobis antea adducta soluere nequiuerunt; nos in eo laborare oportet, vt posita vera reactione positiua per se secundùm eandem contrarietatem, vt eam Aristot. posuit, omnia aduersantia argumẽta soluamus. Ante omnia declarandum accuratiùs est, quid sit agere, quid pati, quid reagere, & quid repati, & quot modis dicantur hæc omnia quatenus secundùm qualitates considerantur, nam præcipuè de alteratione est nobis proposita disputatio. Agere est mouere ad contrariam patiens qualitatem, sic pati est mutari ad contrariam qualitatem, hanc autem non ea ratione dicitur agens imprimere, seu tribuere patienti, quòd illam inducat, sed quòd educat de potestate ad actum; non enim dicẽdum est, calidum agens tribuere patienti suummet calorem eundem numero, siquidem non potest accidens migrare de subiecto in subiectum; sed per calorem, quem habet,

Quid sit agere, & quid pati.

educit

educit alium calorem similem de potestate patientis ad actum, & hoc modo dicitur imprimere contrariam qualitatem. Hæc autem actio sumi potest duobus modis, vno modo pro impressione alicuius gradus qualitatis absolutè, altero modo pro actione perfecta, quæ est cum victoria agentis aduersus patiens. Exemplis res clarior fiet. Aliquis manu calida paruā glaciei particulam apprehendit, certum est, glaciem illam in initio non solùm calefieri à manu, sed etiam è contrario manū refrigerare, & in ea producere aliquid frigoris; ad hoc enim ostendendum ita sufficiens est testimonium sensus, vt quisquis id inficietur, is sensu indigere dicendus sit: procedente autem actione absumitur glacies, & totum eius frigus destruitur à calore manus superante: dum igitur actio sumitur pro impressione alicuius gradus qualitatis, tum manus agit in glaciem, tū glacies in manum; at si totam ab initio ad finem actionem illam, & passionem spectemus manus potiùs, quàm glacies, vocabitur agens, glacies verò patiens, quia calor manus frigus glaciei superauit. Quando igitur cum Aristot. dicimus, actionem non fieri nisi ab inæquali superante, id intelligendum est de tota & cōpleta actione, quę est cum victoria agentis, sed non de qualibet actione indistinctè; quando enim in contrariorum pugna vnum debet alterum vertere in suam naturam, id facere non potest, nisi præualeat, & maiorē habeat vim, quàm alterum; attamen si initium tantùm actionis, & pugnæ consideremus, negare non possumus, etiam debilius agere in validius, vt modò de parua glacie dicebamus, etiamsi in fine pugnæ totum glaciei frigus à calore manus victum sit. hoc nisi concedamus, cogimur in hoc absurdum incidere, quod plures inani ratione coacti confiteri ausi sunt, quòd si duo contraria æquales vires habentia sumantur, & vnum alteri apponatur, vt portio ignis, & portio aquæ, quibus & intensionis graduum, & magnitudinum habita ratione æquales prorsus sint vires, neutrum aget in alterum; hoc enim dicere est absurdum manifestissimum: qui enim fieri potest, vt duo extremè contraria actiua & passiua inuicem secundùm proprias naturas, & se mutuò tangentia ita otiosa maneāt, vt neutrum in alterum agat? fieri quidem non potest, vt alterum vincat alterum, & in suam naturam conuertat, necessarium tamen est vt pugnent, & in se inuicem agant, idque negare est mistionem penitus de medio tollere, sicut antea dicebamus: quando enim vnum contrarium tanto excessu præualet alteri, vt mutet illud in suam naturam, tunc certum est, non fieri mistionem. sicut ait Aristotel. in calce lib. 1. de Ortu & interitu; sed quando viribus quodammodo æquantur, id est, vel æquales habent vires, vel non tanto discrimine inæquales, vt vnum possit alterum penitus in suam naturam mutare, tunc mutant se

Actio duplex.

Actionem fieri à proportione maioris inæqualitatis quomodo verum sit.

A mutuò, ac distrahunt à proprijs naturis, & transeunt in vnam quandam naturam mediam, hæc enim est mistio. Sic itaque dicendum est, quando in fine pugnæ vnum vertit alterum in seipsum, necesse enim est, vt in principio agant in se mutuò, licèt vnum debiliter, alterum autem vehementiùs: nam in mistione quoque hoc euenit; quum enim vnum miscibilium validius sit, magis mutat alia, quàm mutetur ab illis; quò fit, vt illud B medium, quod per mistionem generatur, magis ad eius naturam vergat, quam ad naturas aliorum. Huiusce autem rei vera ratio ea est, quam Aristot. adducit in cōtex. 8. & 16. 3. Physicorum: causa enim, cur multa inuicem agant & patiantur, est, quia singulum est simul potestate & actu, respectu diuersorum; id enim, quod est frigidum actu, est potestate calidum, & id, quod est actu calidum, est frigidum potestate; cōtraria namq; versantur in eodem C subiecto; & vbi vnum est actu, ibi necesse est alterum esse potestate: quoniam igitur agere est formæ, pati verò est materiæ, & res agit quatenus est actu, & patitur quatenus est potestate, necesse est, vt admoto agente actu tali ad patiens potestate tale fiat actio: quādo igitur admouetur ignis aquæ, necesse est vt actu calidum agat in calidum potestate, & vt actu frigidum agat in frigidum potestate, vt etiam in contex. 77. lib. 2. de generatione Aristote- D les dicit: nec refert dicere, alterum altero valentius esse: hoc enim facit quidem, vt in fine pugnæ vnum alteri succumbat, sed per hoc non stat, quin antea debilius quoque agat in alterū, quod validius est: vt si ignis in aquam agat, & validior esse statuatur, necesse est, vt tum ignis tanquā actu calidus agat in aquam vt potestate calidam, tum aqua tanquam actu frigida agat in ignem vt potestate frigidum; materia enim, quæ actu sub calore est, E potestatem habet recipiendi frigus, & materia, quę est actu sub frigore, potestatem habet recipiendi calorem: etenim si ignis per formam suam & ageret & pateretur, vtiq; nulla fieri reactio posset, quia frigus aquæ nō posset agere in calorem ignis potentiorem; at non ita sese res habet, ignis enim non per formam patitur, sed per formam agit, per materiā verò patitur: quoniā igitur à nulla forma, à nulla qualitate materia abhorret, sed æquam ha- F bet potestatem recipiendi omnes; ideò apta est pati etiā à debili aquæ frigore, quum ipsa sit frigida potestate: quamobrem necesse est vt in initio pugnæ remittatur tum frigus aquæ per actionem ignis, tum calor ignis per reactionem aquæ, magis tamen remittatur frigus aquæ, quia ignis vehementiùs agit; ideo perseuerante pugna augetur continuè excessus caloris ignis ad frigus aquæ, & semper vehementior fit actio, debilior autem reactio; quia necesse est tamdiu reactionem durare, quamdiu durat actio; nam actio tunc cess-

Ratio cur necessarium sit reactionem fieri.

stat, quando patiens omnino succubuit agenti, tunc autem reactio cessat, quia dum patiens habuit aliquid virium, quamuis id minimum fuerit, per illud necesse fuit vt reageret tanquam actu tale in agens tale potestate: neque dicendum est, actionem agentis fieri cōtinuè debiliorem, quòd per repassionem vires agentis imminuantur, propterea quòd si imminuuntur agentis vires, magis imminuuntur vires patientis, proinde vehementior semper fit actio, quia crescit continuè excessus virium agentis ad vires patientis: in comparandis autem inter se agentis, ac patientis viribus non sola attendenda est intensio graduum, sed etiam extensio magnitudinum, in maiore enim corpore vis maior inest; ideò contingere potest vt contrarium remissius vincat alterum contrarium intensius, propter excessum magnitudinis: nam multum vini extinguit paruū ignem, licèt vinum sit minùs frigidum, quàm ignis calidus, & minùs humidum, quàm ignis siccus. Ex his igitur patet, si actio sumatur amplè pro impressione alicuius gradus qualitatis, nō fieri actionem ignis in aquam absque eiusdem aquæ reactione in ignem, nec manum per calorem agere in glaciem apprehensam, quin glacies quoque per frigus eodem tempore in eandem manum reagat: si verò totius pugnæ finem, & alterius victoriam spectemus, manifestum est, manum dici agentem, & glaciem patientem; neque hac ratione potest fieri reactio, quia eadem glacies non potest simul vinci & vincere; & in hoc sensu verum est dictum Arist. & Auerrois, actio non fit nisi ab inæquali superante; non potest enim agēs conuertere patiens in suam naturam, nisi illo validius sit; remitti tamen, & obtundi potest etiam validius à debiliore. Reactio igitur nil aliud est, quàm retributa seu reciprocata actio; si namque hoc in illud agere dicatur, illud in hoc dicetur reagere, sic repassio est reciproca passio: sumi autem possunt tum latè, tum strictè; latè enim sumuntur, dum nullo considerato discrimine agentis & patientis, vtrunque dicimus reagere, & vtrunque repati; propriè verò, quādo id, quod in actione principalius est, & vincit, vocatur agens, alterum autem vocatur patiens, sic enim patienti reactio attribuitur, & agenti repassio: sicut enim alterum solū vocatur agēs, quatenus principalius est, ita reliquum, tanquam debilius, vocatur reagens; & è conuerso hoc idem vocatur patiens, agens verò principalius repatiens potiùs dicitur, quàm patiens, ita vt reagere propriè significet secundariò agere, & repati secundariò pati. Principalitas tamen, ex qua alterum potiùs, quàm alterum, solet appellari agens, duplex est: vel enim solum agendi vigorem respicimus, & ita id, quod validius est, vocamus absolutè agens, id autem, quod inualidius; absolutè patiēs; vel solam intentionem, seu scopum attendimus in appellando agente; vt

Reagere, & repati dicitur dupliciter.

quando aquam igni infundimus ad illum extinguendum, aqua dicitur agens, & ignis patiens, etiamsi quandoque contingat vt aqua infusa nequeat ignem extinguere, sed ab illo potiùs absumatur: tunc igitur si respiciamus id, quod est validius, ignis dicetur absolutè agens, & aqua patiens; si verò cōsilium, scopūque infundentis, aqua dicetur agens, & repatiens, ignis verò patiens, & reagens: hoc spectasse videtur Aristoteles in lib. 4. de ortu animalium, cap. 3. dum dixit contingere quādoque vt agens magis repatiatur, quàm agat; nā si magis repatitur, inualidius est, sed tamen vocatur agens ratione scopi, & intentionis, secundùm quam debebat esse validius. Sic igitur patet quid sit agere, quid pati, quid reagere, & quid repati, & quot modis dicantur, & cur necesse sit agens proximum repati, & patiens reagere: ratio namque est, quoniam agens non solùm est actu ratione propriæ qualitatis, sed est etiam potestate respectu contrariæ; ideo necesse est vt in agendo ab illa repatiatur, quia necessarium est vt id, quod est potestate tale, patiatur ab eo, quod est actu tale, si illi adiungatur.

Quid sit resistentia, & vnde proueniat. Cap. V.

Considerandum præterea est quid sit resistentia qua de re maior nos difficultas manet, quum multi multa dixerint, nemo tamen eam plenè declarasse videatur. Pomponatius in libro suo de reactione probare contendit resistere non esse agere, neque esse pati, sed solùm esse impedire ne agens agat in id in quod agere nititur, hoc autem vel absolutè, & perfectè, vel aliquatenus, & (vt aiunt) secundùm quid: nam si digito ferrum premamus, ferrum perfectè resistit: quia nulla ex parte comprimitur; si verò premamus ceram, comprimimus quidem, sed cum aliqua mora, quo fit, vt actio illa retardetur modò magis, modò minus, pro maiore, vel minore resistentia rei pressæ, quæ imperfectè, & secūdùm quid resistere dicitur, quatenus non sinit se statim pelli, & moram aliquam, ac difficultatem modò maiorem, modò minorem in illo motu punit; nil igitur aliud est resistentia, quàm impedimentum. Hæc Pomponatij sententia à posterioribus improbatur, quòd ignotum per ignotius declarare videtur, dicit enim resistere esse impedire, sed adhuc dubiū manet quid sit impedire, si neque est agere, neque pati. Hanc difficultatem vidit quidem Pomponatius, sed se ab ea explicare nō potuit: quū enim ad hoc declarādum multa dixerit, tamē ex eius dictis non apparet quid sit impedire, quum ipse non declaret in quanam categoria statuendum sit; dum autem in quo genere impedimentū sit ignoramus, ipsius quoque resistentiæ genus ignoramus, ignorato autem rei genere nihil de ipsius rei essentia nosse possumus

Recentiorum obiectio contra Pomponatium.

Recentiorum ...

mus. Quidam recentiores resistentiam redigunt ad secundam speciem qualitatis, quæ dicitur potentia vel impotentia naturalis: nam resistētia, quam ferrum facit secanti, nil aliud esse videtur, quàm impotentia naturalis patiendi ab agente secare nitente, & dicere ferrū resistere secanti, idem videtur ac dicere, non posse, seu non facilè posse secari, quemadmodum paleam non resistere igni est facile pati ab igni.

Confutatio.

Sed hæc sententia, quanquam primo aspectu aliquid habet probabilitatis, tamen si bene perpendatur, vera non est, quoniam non B idem est potentia agēdi, atque agere actu, nec potentia patiendi, ac pati actu: nam potentia agendi, & potentia patiendi est in secunda specie qualitatis; sed actu agere, & actu pati, non sunt qualitates, quum manifestum sit hæc habere proprias categorias actionis & passionis: ita potentia resistendi, potest vocari qualitas secundæ speciei, est enim potētia non patiendi; at actus ipse resistendi non est qualitas, sed C quoddam aliud, & videtur euitari non posse quin sit agere, vel pati, vt vox ipsa significare videtur.

Aliorum recentiorum opinio.

Ob id recentiores quidam hæc considerantes dixerunt, resistentiam esse in categoria actionis, & pro hac sententia adduxerunt verba Aristotelis in memoratis locis, præsertim quarto de ortu animalium, cap. 2. vbi dicit calfaciens refrigerari.

Confutatio.

Sed isti resistentiam cum reactione confuderunt, nam positiuam reactionem esse actionem quis negare potest, D videntur autem ipsimet suam sententiā euertere, & errorem suum patefacere, dum in illis, quæ agendi vim non habent, asserunt dari resistentiam, eamque non esse amplius in genere actionis, sed in secūda specie qualitatis, quę dicitur impotentia naturalis: dum enim fatētur dari resistentiam sine aliqua actione, fatētur etiam esse quiddam diuersum à reactione, itaque etiam in illis, quæ reagunt, aliud est resistentia, aliud reactio, proinde non potest resistentia poni in categoria actionis. E

Aliorum recentiorum error.

Quidam verò alij recentiores reprobant quidem & ipsi sententiam Pomponatij, tanquam non declarantis quid sit resistere, tamen ipsi postea in eundem errorem labuntur, multa enim dicūt pertinentia ad docendum cur fiat resistentia, sed in quonam genere sit, non declarant; quare adhuc quid sit ignoramus.

Opinio propria.

Nobis igitur considerandum manet quid sit resistere, nam cognita eius essentia faciliùs postea erit causam inuestigare, & adducere. F Credo resistentiā in nulla esse categoria directè, neque esse aliquid positiuum, sed priuatiuum, proinde per reductionem tantùm esse in generibus actionis & passionis; est enim priuatio quędam actionis & passionis, vt considerantibus potest esse manifestum; quia nil aliud est agenti resistere, quàm non pati ab illo, proinde & ipsum agens non agere, si perfectè illi resistatur ne agāt, vel si quadantenus tantùm illi resistatur, est non facilè pati, proinde agens non

A facilè agere: est igitur per reductionem propriè in categoria passionis, & respectu agentis est etiam modo aliquo in categoria actionis.

Pomponatij defectus.

Propterea optimè naturam resistentiæ declarasset Pomponatius per verbum, impedire, si declarasset quid sit impedire, & dixisset esse quid priuatiuum, non positiuum; nam dicere parietem impedire ne Sol me calefaciat; non est dicere aliquid positiuum, quòd insit parieti, sed solum est dicere, me non pati à Sole, & B Solem in me non agere: sic dicere nimiam distantiam impedire ne ignis aliquis me calsaciat, est dicere distātiam loci facere priuationem actionis in igne, & passionis in me: hoc idem dicendum est de illo, quod non sit penitus impediens, sed secundùm quid, vt consideranti patet.

Quæ sit causa resistentiæ.

Quoniam igitur resistentia impedimentum quoddam est, vt rectè Pomponatius dixit, impedimentum autem est priuatio, quod ipse videtur ignorasse; considerandum C est vndenam proueniat hoc impedimētum, quod vocatur resistētia, quandoquidem priuationes quoque causam aliquam habent. Certum est, materiam non posse huius impedimenti causam esse: nam si resistentia est priuatio passionis, natura autem materię est prima radix, & prima causa omnis passionis, non potest eadem esse causa impediendi passionē, sed potius promptissima est ad quodlibet patiendum. Relinquitur vt causa resistentiæ sit D forma, qua in re concordes esse omnes vidētur, sed in modo dissident:

Aliquorum opinio.

aliqui enim considerantes esse officium formæ agere, necessarium esse putarunt, vt quantum actiua quælibet forma est, tantum sit etiam resistitiua;

Confutatio.

quam sentētiam si admitteremus, sequeretur debuisse ignem iampridem omnia consumpsisse, & in ignem mutasse: quum enim maximè omnium sit actiuus, si esset etiam maximè omnium resistitiuus, nulla afferri posset ra E tio, cur non sint omnia in ignem mutata: quoniam igitur ad seruandum elementorum æquilibrium, pro ipsorum conseruatione necessarium fuisse videtur, vt maxima actio cum minima resistētia coniungeretur, & maxima resistentia cum minima actione,

Aliorum opinio.

ideo alij dixerunt, in qualitatibus elementorum duos esse ordines inter se contrarios, vnum actionis, alterum resistentiæ: & in actione primum locum obtinere calorem, qui maximè omnium F qualitatum est actiuus, secundum verò frigus, tertium humiditatem, quartum demum siccitatem, quæ minimè omnium est actiua. Huic contrarium statuunt ordinem resistentiæ, siccitatem enim maximè resistere dicunt, aliquantò minùs humiditatem, adhuc minus frigus, minimam autem resistendi vim obtinere calorem.

Confutatio.

Mihi tamen videtur hæc sententia vrgeri eadem difficultate; sequeretur enim similiter ignem iampridem omnia consumere debuisse, quum per calorem sit maximè actiuus, & per siccitatem maxi-

me resistitiuus: quamuis enim non per calorē resistat, tamē satis est si resistat per siccitatem, ne ab alijs elementis mutetur; non facit enim calor ne resistat per siccitatem, sicut etiam siccitas, quum parum actiua sit, non propterea facit ne per calorem maximè agat; attamen vt demus ignem, etsi maximè siccum, minimam tamen resistendi vim habere, igitur non rectè in siccitate constituitur maxima resistentia.

Opinio propria.

Alia multa, quæ ab alijs dicuntur, omitto, quoniam omnia apud Pomponatium, & alios legi possunt: dicam quid ipse sentiam; & aliqua aliorum dicta recipiendo, aliqua etiam, quæ ab alijs dicta non sunt, adijciendo, nitar huiusce rei veritatem reddere manifestam. Resistentiam prouenire à forma, vt multi dicunt, omnino confitendum esse arbitror ob rationem antè adductam; sed vanam esse puto nonnullorum additionem, qui dicunt resistētiam fieri tum à forma, tum ab annexis, hoc est, ab affectionibus, & accidentibus subiecti, quæ sunt coniuncta cum forma, nam ab his quoque fit resistentia; vt ignis in ferro magis resistit, quàm extra ferrum, idque non propter formam ignis, sed propter densitatem materiæ; sic terra propter densitatem maximè resistit alijs elementis; dantur igitur aliqua accidentia in subiecto patiente, quæ faciunt vt illud ægrè patiatur, & agēti resistat.

Opinio aliquorum.

Confutatio.

Ego autem arbitror soli formæ esse resistentiam attribuendam; accidentia enim vel insequuntur formā, vt densitas terræ, vel illi penitus accidunt, vt densitas igni existenti in ferro: de illis quidē, quæ formam insequuntur, clara res est, forma enim vt non agit extrà, nisi per accidentia media, ita neque resistit actioni agentis externi, nisi per accidentia consequentia: dicere igitur hæc resistere agenti, est dicere formam per hæc; actio enim magis est tribuenda primario agenti, quàm secundario, vt ait Aristotel. in context. 33. 8. Physic. quia causa secundaria nō per vim propriam agit, sed per vim causæ primariæ. Si verò accidentia formam non insequantur, sed extranea sint, ab his non fit resistentia, nisi per accidens; per se enim semper fit à forma, vt in exemplo ab his adducto notare possumus; densitas enim ferri nihil conferret ad resistentiam ignis, nisi ignis suapte natura resisteret extinguenti: quoniam igitur præcipuum resistens est forma ignis, densitas autem ferri facit vt in parua illa mole sit constipatum multum ignis, & à multo igni maior fit resistentia, quam à pauco, ideò densitas facit vt ille ignis magis resistat; proinde non per se resistit, sed per accidens, quatenus facit vt ibi sit multum ignis, qui secundùm propriam naturam resistit; in multo enim quàm in pauco maior vis inest, vt agendi, ita & resistendi. Alium quoque errorem mihi videntur istimet committere, dum declarant, quomodo forma faciat resistentiam; dicunt enim formam resistere agendo, & eius resistentiam esse actionem: quod declarant exemplo illius, qui gladio ictus inimici reijciat, agendo enim resistit, & illa actione vires etiam inimici obtundit: sic ergo & quando agit ignis in aquam, dicitur aqua resistere, & actionem ignis retardare, quatenus reagendo minuit calorem ignis, resistit enim dum vires agētis reddit debiliores: quum igitur hæc resistentia sit actio quædam, hinc colligunt, de hac actione verum esse id, quod aliqui dixerunt, quamlibet formam tantam habere vim resistendi, quantam habet agendi.

De modo quo forma resistit, opinio aliorum.

Confutatio.

Sed meo quidem iudicio hoc nulla ratione probandum est, quia sic non distingueretur resistentia à reactione positiua; distinguitur tamen, quia resistentiam concedunt omnes, reactionem non omnes; quocirca illi, qui talem reactionem negant, negarent etiam resistentiam in tali reactione constitui, quum resistentiam concedant. Præterea hanc non possumus appellare resistentiam, nisi per accidens; quia per se & primò nō est nisi actio, hanc autem consequitur vt imminuatur proportio agentis ad patiens, ita vt minùs agat: quare hæc impropriè vocatur resistentia, vt ait Pomponatius in cap. 5. sect. 2. libri sui; non enim immediatè resistit patiens agenti, sed quatenus obtundendo eius vires ab eo minùs patitur: adde quòd non semper verum est id, quod ipsi dicunt, per hanc reactionem imminui proportionem agentis ad patiens; imò frequentiùs euenit, vt augeatur; nam si agens sit validius patiente, augetur ista proportio, quia magis imminuitur ab agente vis patientis tum actiua, tum resistitiua, quàm a patiente imminuatur vis agentis per reactionem. In eo præterea decepti sunt, quòd non viderūt alium magis proprium resistendi modum, quo forma absq; vlla actione resistere dicitur, isq; non fuit omnibus incognitus; vt apud Pomponatium legere possumus: aliqui enim considerārunt quamlibet formam habentem contrarium præditam esse duabus viribus, quæ confundendæ non sunt; est enim tum actiua in contrarium, vt calidum in frigidum, tum suijpsius conseruatiua, & se conseruare nititur quantum potest, ideò conatur actionem agentis non admittere, & vel omnino impedit ne agat, vel saltem quadantenus actionem eius retardat, & hac ratione resistere dicitur, etiam nulla eius reactione considerata: huius igitur impedimenti nulla alia est afferenda causa, nisi ipsa formæ natura, quæ se conseruare volens, non statim admittit actionem agentis, à qua necesse est imminui ipsius vires, ac tandem etiam destrui: hæc propriè resistentia dicitur, propulsatio quædam actionis absque vlla reactionis consideratione, & propulsatio talis, quæ non habet aliud esse, quàm priuatiuum; est enim tantummodò actionis non admissio, siue non passio, & insequitur naturam formæ nitentis se conser-

Aliorum opinio vera.

Nota duas vires formæ.

Resistentia quid sit.

uare

uare, & est diuersum qoiddam à reactione; quod quidem illi, qui dixère, non dari positiuam reactionem, sed priuatiuam, cognouisse videntur. etsi enim in eo sunt reprehendendi, quòd positiuam non concesserunt, in hoc tamen optimè senserunt, quòd hanc ab illa differre existimârunt, & quòd hanc vocârunt priuatiuam, quia reuera nil aliud est resistentia, quàm priuatio, licèt positiuam formæ naturā insequatur. Differre autem à reactione resistentiam testatur experientia, qua etiam ostēditur falsitas sententiæ illorum, qui dicunt quamlibet formam habere tantam resistendi vim, quantam agendi, terra enim magnā vim resistendi habet, quia in ignèm etiam iniecta, non absumitur, agit autē debiliter; sic res terræ, vt lapis, plurimùm resistuot, parum autem agunt; coocrà verò ignis plurimùm agit, parum resistit, quia facilè extinguitur: patet igitur res noo tantam habere vim resisteodi, quantam habent agendi; patet etiam dari vim resistēdi, quæ oon est vis actiua, sed alia quædam siue actione: hoc autem factum est a natura, propter rerum conseruationem, quia sic seruatur æqualitas virium in rebus actiuis & passiuis; quæ noo io eo consistit, vt æquas agendi vires habeaot; sed vt quantum hæc actiua est, tantum sit illa resistitiua, vt quâtum actiuus est ignis, tantum est terra resistitiua, & quantum actiua terra, tantum resistitiuus ignis: sic igitur seruantur, nec vnum ab altero absumitur, nisi quū portiones ita inæquales sumuntur, vt propter maiorem quaotitatē alterum habeat maiorem agendi vim, quàm alterum resistēdi, tunc enim præualet, ac destruit illud. Ob aliam quoque rationem oon debuit quodlibet æquas habere vires ad se tuendum, & ad alia opprimenda: quemadmodum scribit Aristoteles in libris de Partibus animalium, natura nihil facit superuacaneū, ob idque dedit singulo animali vnum tantùm instrumentum ad se tuendum, non plura, vt equis pedes posteriores, bobus cornua, canibus dentes, & alijs alia; superuacaneum enim fuisset equis dare etiam deotes ad mordendum idoneos: hoc idem de elementis, ac de mistis inanimatis, quæ elementorum naturas redolent, dicendum est; hæc eoim omnia se conseruant, vel destruendo alia, vel alijs opprimere nitentibus resistendo, & eorum actionem non recipiendo, quæ duæ conditiones nulli simul datæ sunt summæ, sed vna tantùm summa, vel duæ mediocres: terra enim maximè resistit actioni externæ, sed minimam agendi vim habet, contrà ignis plurimùm agit, minimam habet resistendi vim, elementa verò media vtrunque habent mediocriter; videtur tamē aqua plus agere, quàm resistere, & aër plus resistere, quàm agere: & horum omnium causa (vt ego arbitror) non io singulam elementarem qualitatem referenda est, qua io re plures decepti sunt, dicentes ca-

Quòd forma non tantū sit actiua, quantū resistitiua.

A lidum esse maximè actiuum, siccum verò maximè resistitiuum, & alia similiter; sed io varias primarum qualitatum coniugationes, calidum eoim cum sicco magnam agendi vim habet, minorem cum humido; videtur enim humiditas vires caloris obtundere, nec posse pati summum calorem, coottà verò frigus magis agit cum humido, quàm cum sicco, ideò magis est actiua aqua, quàm terra: sic calidum cum sicco parum resistit, cum humido multùm; contrà verò frigidum cum sicco plurimùm resistit, cum humido minùs: hæc autem omnia dicentes, dicimus formas elementorū & agere, & resistere per medias qualitates, quæ eas insequuntur, sicut antea dicebamus. Neque est vnquam prætermittēdum id, quod antea monuimus, maiorem, & minorem tum actionem, tum resistentiam non solùm à oaturarum diuersitate prouenire, sed etiam à diuersis quantitatibus eiusdem naturæ; magis enim agit, & magis etiam resistit maior terra, quàm minor, & maior ignis, quàm mioor: ideò fieri potest, vt plus agat magna terra quàm paruus ignis, quia multiplicantur vires per quantitatis incremētum, licèt gradus non intendatur, idem enim est gradus caloris in magno igni, atque in paruo: nec dicere possumus, in maiore esse maiorem calorem, si vterque est summus calor, sed dicere tamen possumus, in igne maiore esse plus caloris, quàm in minore, ideò alicuius patientis vires minor ignis superare non poterit, maior tamen poterit, nam si quantitas duplicetur, crescit proportio, & fit tanquam duorum ad vnum, quæ priùs erat tanquam vnius ad vnum, si priùs æquales vires habebant; sicuti si tres sint homines æqualis roboris inter se, & eorum duo inuicem pugnent, neuter alterum vincet, sed si duo simul iuncti pugnent cum tertio, facilè eū superabunt, quia plus roboris habeot duo simul sumpti, quàm vnus.

Causa maioris & minoris resistētia quænam sit.

Collectio totius veritatis de Reactione in motu alterationis: Cap. VI.

EX his omnibus, quæ hactenus declarata sunt, possumus duabus assertionib. colligere, quid sentiendum sit de reactione io motu alterationis, quarum prior hæc est: Si actio sumatur pro sola impressione gradus, necesse est in omni alteratione reactionem fieri patieotis in agens proximum, dummodò cōueniant in materia, & conuenienter propinqua sint, & secuodùm quantitates commensurata. Huius ratio clara sumitur ex ijs, quæ dicta sunt: quando enim agens appropinquat patienti habenti aptitudinem recipiendi eandem qualitatem, quàm illud agere potest, necesse est, vt actio fiat: quando igitur calidum frigido cōuenienter appropinquet, necesse est vtrunque in alterum agere, quia contraria versantur in eodem subiecto, & id, quod est actu calidum, est potestate frigidum, & il-

Prima conclusio.

lud, quod est actu frigidum, est potestate calidum; vtrunque igitur ab altero pati necesse est, sicut enim vtraque qualitas actiua est, ita subiectum vtriusque est æquè vtriusque receptiuum, & dum habet vnã actu, potest à contraria pati, & eam recipere: neque est quòd aliquis obijciat, vnum esse validius altero, hoc enim facit quidem, ne vtrunque possit alterũ penitùs vincere, quia si vnum vincit, necesse est alterum vinci, non vincere; at nõ facit, quin etiam id, quod inualidius est, antequam victũ penitùs, ac destructum sit, imprimat aliquid B in alterum validius, quum habeat qualitatem actiuam, & alterum habeat materiam passiuam, & receptiuam illius; imprimi autem gradus frigoris nõ potest in subiecto calido, quin aliquem caloris gradum extinguat, & ita alterius calorem obtundat; ideò necesse est, vt agẽte calido etiam validiore in frigidum, obtundatur, ac remittatur agentis calor, etiamsi in fine pugnæ totum frigus sit destruendum: hæc autem omnia intelligenda sunt, adiectis C conditionibus memoratis, nempe vt sint propinqua, non impedita, & quantitatibus commensurata: quoniam enim in quantitate maiore inest vis actiua maior, ideò si vnum nimio excessu alterum superet, nulla fit reactio; vt si in ignem fornacis ardentem inijciatur palea, credibile est eam ab igne statim absumi, sine vlla reactione, ob virium inæqualitatem incomparabilem; ideò has omnes conditiones constituisse Aristotelem credẽdum est, D quando vniuersè dixit, omne agens naturale conueniens in materia cum patiente in agendo repati. Altera assertio est: Si actio sumatur pro perfecta pugna duorum inter se cum victoria alterius, reactio positiua impossibilis est: quoniam ita sumendo reactionem, nomen reactionis implicat contradictionem, quum fieri non possit, vt aliquod destruat aliquod aliud, & ab illo vicissim destruatur, ita vt & illud perfectè mutetur in hoc, & hoc in illud, vt si agant inuicem portio aquæ, & portio aëris, reactio quidem fiet accepta pro impressione gradus, at nõ pro perfecta victoria; E nam si validior sit aër, tãdem mutabit aquam in aërem, nec fieri potest, vt etiam ille idem aër simul in aquam mutetur: ob eandem rationem antea dicebamus, reactionem in mutatione substantiali non posse locum habere, nisi ratione alterationis præuiæ; in hac enim fit reactio sumpta pro impressione gradus qualitatis; sed in eductione formæ substantialis ne imaginari quidem reactionem aliquã possumus; agens enim interimit subitò formam patientis, nec potest ipsum quoque eodẽ momento interimi ab illo; hoc enim esset remanere vtronque integrum, & vtrunque interijsse, quæ est repugnantia manifesta: & eadem ratio vrget in alteratione, quæ sumatur pro perfecta victoria agentis: de mistione autem alia ratio est; nam miscibilia intertimunt quidem se mutuò, neutrum tamen mutat alterũ in suam naturam, qualem mutationem nos in præsentia consideramus, sed mutantur ambo in aliam quandam naturam mediam diuersam ab vtrisque. Cæterùm ea, quæ hactenos diximus, vrgeri videntur difficultate non parua, quæ multos conturbauit: nam si agant inuicem aër & aqua, validior autem sit aër, & tandem vincat aquam, ipse quoque aër in fine pugnæ manebit ob aquæ reactionem debilitatus; ergo finem quoque pugnæ spectando, mutua est reactio, & mutua victoria; siquidem etiam aqua vicit aërem aliqua saltem ex parte, quum extinxerit in aëre gradum aliquem caloris naturalis: oporteret itaque naturam aëris in fine pugnæ integram seruari, si verum esset id, quod diximus, non esse victoriam mutuam. Vt dubium hoc, & alia quoque plura soluantur, sciendum est, non esse necessarium, vt ex qualibet remissione qualitatum elementarium fiat remissio etiam formæ substantialis; quoniam remissiò formæ elementaris non potest fieri, nisi cum ipsius elementi interitu, ac qualitatis remissio fieri potest, etiam integra manente elementi natura: etenim si intra quosdam terminos fiat intensio, vel remissio qualitatum naturalium in elemẽto, forma integra manet: quòd si intensio vel remissio modum excedat, forma quoque destruitur, & migrat in formam misti, si mutua fiat remissio omnium formarum elementarium; vel mutatur vnum elementum in aliud, si alterius forma seruetur, alterius verò destruatur; tũc enim in elemento succumbente, tanta est facta qualitatum remissio, vt forma quoque sit remissa, proinde necessariò interierit: in elemento autem præualente, atque vincente minor facta est naturalium qualitatum remissio, quare forma & natura elemẽti seruata est integra; nam si hæc quoq; intereat, mistio sit, vt modò dicebamus, & formæ elementares migrant in vnam formam mediam, quæ est misti: itaque si in mistione mutationem formę substantialis, quę alterationis terminus est, attendamus, negare non possumus, in mistione mutuam esse omnium miscibilium victoriam, quatenus quodlibet est à sua natura distractum ob actionem aliorum: quodlibet igitur & vincit, & vincitur secundùm partem, licèt enim in omni mistione vnum elementum alijs domi- F netur, victum tamen illud quoque esse dicitur, quatenus non seruat ampliùs suam naturam, sed in naturam misti migrauit; sed hæc postea, quum de mistione loquemur, manifestiora fient. Ex his colligimus, secundam nostram assertionem nõ esse omnino veram de mistione, quãdoquidem manifestum est, mistione absoluta, omnia elementa agentia & patientia interijsse, quia omnia à suis naturis distracta sunt, & modo quodam omnia sunt victa, licèt modo quodam dicere possumus

Dubium.

Solutio.

Secunda conclusio.

vnum aliquod ipsorum vicisse, ad cuius naturam magis vergit illud mistum; & hac ratione dicere possumus, non esse victoriam mutuã, quatenus non possunt plura esse præualentia, sed est vnum tantummodo. Potissimè autem locum habet assertio nostra extra mistionem, quando duo contraria agunt inuicem, & alterius natura seruatur: nam si duo elementa inuicem agant, & patiantur, & alterius forma aboleatur, alterius verò seruetur integra, certum est, hoc solùm perfectam victoriam obtinuisse ratione formæ substantialis, ratione autem qualitatum si non omnino perfectã, quia ipsum quoque est debilitatum, saltem modo aliquo victoriam obtinuit, & secundùm gradus, quia minùs est debilitatum, quàm alterũ contrarium, quod illi succubuit: non est igitur ita intelligenda victoria vt vincens nullo dicatur affectum esse detrimento; hoc enim minimè dicendum est; sed vt sit quidem passum aliquam remissionem, sed minorem, quàm alterumquod victum esse dicitur: hoc igitur modo victoriam intelligẽdo cum respectu ad alterum, quem respectum victoriæ nomen denotare videtur, non potest mutua esse victoria agentis & patientis in tota pugna: dictum autem illud Aristotel. & Auerrois, actio non fit, nisi ab inæquali superante, non est intelligendum summodo amplissimè nomen actionis, sed in illa tãtùm actione verum est, in qua alterum dicatur agens, alterum verò patiens; hæc enim nominatio fit ab excessu, & defectu virium, dum totam eorum pugnam respicimus.

De Reactione in motu locali.
Cap. VII.

Considerandum manet, quomodo in motu locali reactio fiat; hanc enim ponere manifestè visus est Arist. in 4. lib. de Animal. ortu, cap. 3. dum inquit, pellẽs pellitur; & in 3. Physic. contex. 8. ac 16. vniuersè de omnibus pronuntiasse videtur, præsertim verò de motu locali, omne mouens physicè in mouendo moueri: videtur etiam res ipsa satis manifesta, & per experientiam comprobata; nam si trabs erecta stet, ita vt leui in eam facto ictu cadere possit, & saxo, vel pila lignea percutiatur, cadit trabs, & pila repercutitur, quare pellens pellitur ab illo ipso; quod ab eo pellitur; sic etiam in ludo pilarum in mensa videmus pilam percutere aliam pilam, & illã pellere, & ipsam quoque pellentem pelli ad aliã partem ex eodem ictu, neque rectã suum motum prosequi; duo quoque gladij se mutuò percutientes, se mutuò secant & obtundunt, imò hoc idem euenit altero solo percutiente, altero autem quiescente; serra etiam secans lignum, non secatur quidem ab illo, hebetatur tamẽ, proinde repatitur aliquid ab illo eodem ligno in illa eadem actione. Attamen dubium est, an ita fit in omnibus: Aristoteles enim de omnibus vniuersè protulisse videtur in 3. Physic. dicens, omne mouens physicè in mouendo moueri; & in 4. de Ortu animal. cap. 3. hoc idem dicit, & addit, excepto primo. In multis tamen hoc verum esse non videtur; nam homo hominem pellit, nec ab eo pellitur, manus mouet baculum, nec mouetur à baculo. Videtur dici posse, omne mouens corporeum moueri quidem, non tamen necessariò moueri ab illomet moto, sed vel ab illo, vel ab aliquo alio, vel etiam à semetipso; qua ratione propositio Aristotelis vera est de omni mouente corporeo, etiam de Cœlo; mouet enim inferiora, & mouetur necessariò, licet nõ ab ipsismet inferioribus; sic pellẽs pellitur, nõ tamen ab illomet, quẽ pellit, sed à seipso, quatenus non posset illum pellere, nisi ipse moueretur: hoc significare videntur verba Aristotelis in loco prædicto 4. de Generat. animal. dum vniuersè de omnibus dicit, omne mouẽs mouetur, & excipit solum primum, quod est immobile; quare vult Cœlum quoque hac propositione comprehendi: præterea addit [*motu aliquo*] quasi dicens, vel mouetur à moto, vel ab aliquo alio; satis enim est, si omne mouens corporeum motu aliquo moueatur dum mouet. Veruntamen si exempla ab Aristotele ibidem adducta perpendãtur, significat mouens moueri à moto, nam dicit [*pellens pellitur quodammodo, & quod premit, reprimitur*] imò etiã apertè ibi dicit Aristoteles, mouens moueri, & repati ab ipsomet patiente: quare dicendum videtur, Aristot. loqui præcipuè de illis mouentibus, quæ conueniunt in materia cum motis; in his enim mouẽs mouetur à moto, nempe mouens propinquum & corporeum: hoc quidem in illis, quorum antea exempla attulimus, manifestum est; in alijs verò, in quibus dubium videtur, ita potest declarari. Sit spatium A. B. in cuius medio sit pũctum, C. pellat aliquis alium ab A. ad B. necesse est, vt pellendo sentiat resistentiam, qua repellitur quodammodo, & motus ille est cõpositus, constans modo quodam ex pulsu & repulsu, quia nisi ille, qui pellitur, resisteret, pelleretur tanto quodam suo conatu eum ad B. vsque pelleret, sed resistentia facit, vt illo conatu non pellat, nisi vsque ad C. quare motus ille constat quodammodo ex duobus cõtrarijs motibus, quia perinde est, ac si pellens pellat alterum vsque ad B. deinde ab illo repellatur à B. ad C. vsque, vincit enim primus pellens, ideò maior est motus ab A. ad B. quàm à B. ad C. quamobrem ibi illud idem contingit, quod in alteratione contingere dicebamus: sicut enim calefaciens dicitur refrigerari, non quòd calorem simul cum frigore habeat, tanquam duas qualitates, sed quòd calorem habeat remissiorem, quàm priùs; ita hic non dicimus fieri seorsum hos duos motus, vnum pulsionis ab A. ad B. alterum repulsionis à B. ad C. sed vnum, qui

Nota quomodo in motu locali reactio fiat.

etiam solus apparet, ab A. ad C. hic enim est, A qui præualet, & est minor, quàm esset si pellens non repelleretur; qui enim deberet esse ab A. ad B. est solùm ab A. ad C. & est veluti motus mistus ex duobus contrarijs motibus cum dominio vnius, qui fit à primo pellente, tanquam validiore: hoc significauit in dicto loco Aristot. dicens [*pellens pellitur quodammodo*] non enim absolutè dicit pellens repelli, quasi retrò pellatur, sic enim nõ diceretur pellens, sed pulsus; sed quia quum reuera pellat, est in illa pulsione repulsio aliqua admista, B quæ facit, ne tanta sit pulsio, quanta esset sine illa repulsione: in pressione autem clarior res est, premens enim (inquit Aristotel.) reprimitur, quia si digito rem aliquam premamus, ab illa vicissim reprimitur digitus: si verò gladio secemus aliquid, nõ secatur quidem vicissim gladius, obtunditur tamen, ideirco inquit ibi Aristot. [*motu aliquo*] indicans non esse necessarium, vt repassio sit secundùm eandem speciem, seu modum motus, sed esse necessariũ, C vt aliquo motu repatiatur, & aliquam mutationem recipiat etiam mouens à moto. De Cœlo autem mouente hæc inferiora verum quidem est illud Aristotelis dictum, non tamẽ omnino, neque eo modo, quo de his inferioribus mouẽtibus, sed modo aliquo, quatenus non mouet hæc inferiora, nisi ipsum quoque moueatur, etsi non ab illis; ob id Cœlum quoque comprehendi videtur illa vniuersali Aristotelis propositione in lib. 3. Physic. omne D mouens physicè in mouendo mouetur: at de mouentibus inferioribus verum est etiam intellectum de reactione; mouens enim repatitur aliquid ab ipsomet moto; & huius rationem affert Aristoteles in contex. 53. lib. 1. de Ortu & interitu, quia conueniunt in materia; ea enim quæ in materia non conueniunt, ea agunt quidem, sed non repatiuntur: ideò quãdo Aristoteles libro 4. de Ortu animalium, cap. 3. inquit [*excepto primo*] quod immobile E esse significat, ea verba intelligi possunt de primo mouente corporeo, quod Cœlum est, quum enim præcedentibus verbis expressè dixisset, omne mouens moueri vicissim à patiente, & moto, postea excipit Cœlum, quod vocat immobile, id est, non ab his inferioribus vicissim mobile, ita enim agit, vt ab his non repatiatur, & hac ratione vocatur immobile.

Contrariorum argumentorum solutio. F
Cap. VIII.

Ad primum argumentum. Veritate declarata, ad argumenta initio adducta facile est respondere. Ad primum iam responsum est: quando enim Aristoteles & Auerroes dicunt, actionem non fieri nisi à superãte, totam pugnam respiciũt, qua debeat patiens mutari ab agente, ita vt illud dicatur absolutè patiens, hoc verò ob victoriam dicatur absolutè agens, quia mutauit alterum in naturam suam; hoc enim facere minimè potest, nisi præualeat patienti; per hoc tamen non stat, quin durante pugna patiens quoque reagat in agens, etiam si non vincat illud; quia reactio non debet esse cum victoria, proinde sub illa Aristotelis propositione non continetur, quoniam patiens non est absolutè nominandum agens, sed solùm reagens, quia eius natura mutanda est; alterum verò, cuius natura est seruãda, nominatur absolutè agens, etiamsi repatiatur, & ex pugna debilitetur: sic igitur agens appellari non potest, nisi superet, eaque est mens Aristotelis in illa propositione, vt manifestum est illa considerantibus, quæ ab ipso dicuntur de mistione in contex. 88. & 89. lib. 1. de Ortu & interitu: ibi namque duo ponit genera actionum vnum, quando patiens mutatur in naturam agentis, tanquam dominantis; alterum, quando vtrunque mutatur quodammodo in alterum, vt in mistione fit, neutrum enim remanet, sed medium diuersum ab vtroque: sunt autem ibi notanda Aristotelis verba, qui vtrunque vocat dominans, non alterum determinatè, propterea quòd non remanet determinatè natura alterius, sed vtrunque ex natura sua distractum est ab altero; vtrunque igitur vincit, & vtrunque vincitur; quare illa non est talis pugna, in qua alterum possit determinatè vocari agens, & alterum patiens, quũ neutrius natura seruetur; proinde huiusmodi actio non comprehenditur sub illa propositione Arist. & Auerr. actio non fit, nisi ab inæquali præualente, seu (vt Latini nostri loquuntur) à proportione maioris inæqualitatis: primum ergo hoc argumentum nullius est roboris: ideò argumentum quoque Suessani, quod diuersum ab hoc esse non videtur, facilè soluitur; ipse enim dicebat, agens debet esse validius patiente, ergo quantam habet potẽtiam agendi in illud, tantam etiam habere debet se defendẽdi, ne ab eo aliquid patiatur; dicimus enim negandum esse consequens, & rationem negationis manifesta est, tum quia agens agit ratione formæ, patitur autem non ratione formæ, sed ratione materiæ: quum igitur statuãtur conuenire in materia, necesse est vt agens quoque aliquid patiatur ob rationem antea declaratam; tum etiam, quia etiam solam formam spectando iam ostendimus, non æquas in singula re esse vires agendi in alium, & resistendi, seu defendendi semetipsam: quisquis ergo ea, quæ antea diffusè declarauimus, bene considerat, facilè intelliget, argumentum hoc nihil habere efficacitatis. *Ad argum. Suessani.* Secundum argumentum, etsi multis arduum visum est, leuissimum tamen est, ac facilè soluitur. *Ad secundum.* Primùm quidem dicere possemus, illud ad rem non facere, siquidem loquimur de agente corporeo, & proximo patienti; quare dum fumitur ignis & aqua cum aëre medio interposito, nec ignis agit immediatè in aquam, nec aqua in ignem,

in ignem, sed ambo in aërem medium; quòd A si illi quærat, quomodo possit idem aër simul calefieri ab igni, & refrigerari ab aqua, hæc est alia difficultas, quæ ad præsentem considerationem non pertinet, loquimur enim de reactione patientis in agens proximum; ideò id solùm esset nobis considerandum, an aër ille in ignem reagat, vel etiam in aquã, nam ignẽ & aqua esse duo distincta agentia, manifestum est. Dicimus tamen, hanc quæstionem, siue opportuna esse dicatur, siue importuna, B facillimè solui, & nihil in se habere difficultatis: nam si quis similiter quærat de aqua feruẽtissima, quæ cum aqua frigidissima commisceatur, quomodo possint duo contraria simul esse, nempe magnus calor, & magnum frigus, responsio in promptu est: duo contraria integra & perfecta in eodem subiecto simul existere nequeunt; at fracta, & mutuò castigata, & ad vnam mediam qualitatem redacta, possunt simul esse in eodem, sicut ibi patet; nam C tota illa aqua neque frigidissima ampliùs est, neque feruentissima, sed tepida. Sic igitur ad argumentum dicendum est: aër ille medius & calorem ab igne recipit, & frigus ab aqua, non tamen vt duas qualitates distinctas cõtrarias, sed vt vnam mediocrem ex vtrisque prouenientem; ignis enim in illum aërem agit per calorem, tamen non tãtum caloris imprimit, quantum deberet imprimere, quia castigatur, & remittitur à frigore, quod eodem tempore D imprimit aqua; sic etiam aqua non tantum frigoris imprimit, quantum imprimere deberet, quia castigatur à calore, quem imprimit ignis; ab vtrisque igitur contrarijs agentibus simul patitur idem aër medius, non tamen recipit duas qualitates contrarias extremas, tanquam distinctas, sed vnam mediocrem, quæ ex earum commistione exoritur; agens enim non agit nisi in patiens aptum ad recipiendum; maiorem igitur calorem imprimeret ignis ille E in illum aërem, si nulla tunc aqua in eundem aërem ageret, sed propter illius aquæ actionẽ non ita est aptus ille aer ad recipiendum calorem ignis, sicuti esset, si nulla in eum aqua ageret; & è contrario non est ita aptus ad recipiendum ab aqua frigus, vt esset, si à nullo tunc igni pateretur; itaque ex vtriusque actione qualitas vna media in illo aëre prouenit, quæ in parte igni propinquiore magis vergit ad calorem, in parte autem propinqua aquæ magis vergit ad frigus. Hoc idem dicendum est F de igni immediatè agente in aquam; pars enim aquæ propinquior igni agenti recipit maiorem calorem, quàm pars remotior, quare hæc respectu illius habet rationem frigidi: igitur necesse est, vt calor partis propinquæ remittatur aliquantum à frigore partis remotioris, & ita minùs caloris recipiat pars illa propinqua, quàm si non haberet coniunctam aliam aquæ partem remotiorem: quò fit, vt magis, ac citiùs calefiat ab igni parua aquæ portio, quàm magna; etenim magna iuuatur a partibus distantioribus ab igne agente, quæ fouent partes propinquiores, & faciunt vt illæ minùs patiantur ab igni, & magis illi resistant; propterea etiam pars remota recipit aliquid caloris a parte propinqua, sicuti vicissim pars propinqua recipit ab ea aliquid frigoris; hoc autem dicere, est dicere, totam aquam recipere calorem ab igni, ita tamen vt in tota sit vnica qualitas media, quæ in parte igni propinqua magis ad calorem vergit; in parte autem remota magis vergit ad frigus: hæc est verissima huius argumenti solutio. Aliqui tamen aliter soluunt: dicunt enim, nõ posse distingui illius aquæ partes, sed aquam totam pati ab illo igni, tanquam corpus vnum continuum, & totam etiam reagere in illum. Sed experiẽtia docet, hanc responsionem non esse tutam; ego enim vidi carbonem accensum, cuius partem quandam particula aquæ extinxerat, manentibus cæteris carbonis partibus accensis, à quibus postea parti extinctæ pristina accensio est restituta: patet igitur, partem eiusdem continui propinquiorem agenti magis pati, quàm reliquas, & ab illis quoque aliquid recipere, quod illi negant. Sunt etiam qui ad argumentum de aere medio respondeant, esse quidem absurdum dicere duo cõtraria simul in eodem recipi vt fixa & permanentia, at non esse absurdum vt transeuntia, cuiusmodi sunt in illo aere medio calor, & frigus; sunt enim in transitu, quia calor transit ab igni ad aquam per aerem medium, & ita frigus ab aqua ad ignem. Hæc tamen responsio probanda non est; quoniam de accidentibus quidem spiritualibus, à quibus illi decepti esse videntur, verum est id, quod dicunt, siquidem pendent ab agente, à quo producuntur, non à subiecto, in quo recipiuntur, ideò per eundem aerem medium simul transeunt species contrariorum colorum, neque se mutuò vitiãnt, vel remittunt, neque inter se commisceri dicuntur: at de materialibus qualitatibus verum non est, hæ namque non possunt per aerem medium transire, quin se mutuò lædant; immò & fixæ in eo remanent vel longo, vel saltem breui tẽpore, vt in cubiculo remanet calefactus aer etiam post ignis extinctionem; non possunt igitur simul in eodem aere recipi summus calor, & summum frigus, ita vt vtraque maneant summa: quare abijcienda est hæc responsio, & altera sumenda, quam priùs adduximus. Ad tertium argumentum negandum est consequens; scopus enim agentis est, sibi assimilare patiens quantum potest; ideò si ex pugna sit debilitatum, assimilat sibi patiens, si non omnino, saltem ex parte; non igitur fine suo frustratur, sed eo potitur vel perfectè, vel ex aliqua parte: immò neque dicendum est, hunc esse naturæ scopum, quem isti fingunt, in actione & passione rerum naturalium inanimatarum; nam si naturę consilium est, vt ignis

Aliorum responsio.

Impugnatio.

Aliorum responsio.

Impugnatio.

Ad tertium.

P

vertat perfectè aquam in ignē, & vt aqua vertat perfectè ignem in aquam, nec potest natura fine suo frustrari, vt illi dicūt, quomodo potest duos habere cōtrarios scopos, quos simul assequi nullo pacto potest? nam si is est finis horum duorum elementorum, necesse est, vt altero saltem natura frustretur. Dicendum igitur potiùs est, naturę vniuersalis, quę omnia regit, non hunc esse scopum, sed potiùs vt agant mutuò, & patiantur, & se mutuò obtundant, & vnum alterius vires frangat, propter ipsorum conseruationem, & propter generationem mistorum: quòd si naturam cuiusque rei propriam spectemus, scopus quidem huius ignis est, vertere illam aquam perfectè in ignem, sed illius quoque aquæ scopus est vertere hunc ignem perfectè in aquam; frustrari igitur, & impediri, quid absurdi est, quum id necessarium sit ob repugnantiam contrarij? hoc enim se mutari penitus non sinit, vt vtrumq; singulum viribus suis, & nititur, quantum potest se conseruare, & contrarium oppugnare; idque si facere nequeat, non dicitur suo fine frustrari, quia aliquid agit, etiam quando agit in contrarium validius; vel si aliquam esse frustrationem concedamus, at saltem natura vniuersalis, vti diximus, non frustratur. Falsum præterea est, quòd nunquam possit agens perfectè assimilare sibi patiens; quia si aër mutet aquam in aërem, & maneat in qualitatibus debilitatus, in forma tamen substantiali manet integer, & in talem aërem mutauit illam aquam: quòd si in calore læsus est aliquātum, & mansit minùs calidus, quàm conueniat aëri, restituitur tamē ei pristinus calor à circumstantibus aëris partibus, & ab actione cœlesti: quare etiam aër ex aqua illa genitus vertitur tandem perfectè in aërem. Leuissimum ergo est argumentum hoc, quia hæc omnia in natura contingere necesse est, vt agens quandoque mutet patiens perfectè in suam naturam, quandoque imperfectè, quandoque etiam mutare nequeat, quandoque etiam mutetur ab illo; hæc enim omnia eueniunt ex lege naturæ vniuersalis, quæ statuit hæc omnia posse contingere: quoniam igitur propriæ singularum rerum naturæ subditæ sunt legibus naturæ vniuersalis, frustratio est semper referenda ad naturam vniuersalem; quia si natura particularis non potest suam actionem perficere ob repugnantiam contrarij, nō est frustratio, quia natura vniuersalis talem rebus naturam tribuit, vt hoc euenire possit, immò vt omnino sit necessarium, vt id possit contingere; si enim nunquam posset accidere, nulla fieret actio inter elementa, vel vnum verteret alia omnia in suam naturam: esset autem hoc potiùs modo frustratio, quàm illo, quia res, & earum vniuersitas non conseruaretur, conseruatio autem rerum est scopus præcipuus naturę vniuersalis. Ad quartum, concedimus, nullam fieri reactionem, vbi nimia distantia loci prohibet ne fiat. Ad quintum, negandum est consequens, non enim in reactione idem secundùm idē agit, & patiatur; sed ignis agit, quatenus calidus; patitur autem, non quatenus calidus, sed quatenus est potestate frigidus; agit enim per formam, & patitur per materiam. vt antea diximus. Quare omnia hæc argumēta, & alia eiusmodi commenta Latinorum vana sunt, & facilè soluuntur per ipsam rei cōsiderationē, quia nituntur oppugnare rē manifestā.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, LIBER DE MISTIONE.

Mistionis definitio, & difficultates, quæ ex ipsa oriuntur.

Cap. I.



Difficillimum semper fuit intelligere, quid secundùm Aristot. sit mistio, de qua nunc scribere constituimus; idque discordia interpretum, ac disceptatio declarat, quum multæ, & contrariæ ab his sententiæ Aristoteli attribuantur, & ad hanc vsque diem hæc altercatio perduret: orta autem est hæc in re difficultas ex ijs, quæ ab Aristot. in calce 1. lib. de Ortu & interitu de mistione tradūtur, & ex ipsa mistionis definitione, quam Arist. tandem colligit in postremis verbis illius libri, dum ait, mistio est miscibiliū alteratorum vnio: repugnantia namq; esse videtur in hac definitione; quia, quum dicat, alteratorum, nec dicat, corruptorum, indicat illa quæ come-

misceantur, in mistione non interire, sed remanere in misto, quod idem denotat etiam nomen mistionis, vt consideranti patet; si enim commisceantur, ergo non intereunt; sed ibi paulò antè ipse quoque Aristot. apertè dixerat, miscibilia non interire, sed seruari: contrarium autem significat illa vox, vnio, quæ ibi non denotat meram congregationẽ, siquidem hanc sententiam iam Aristoteles reprobauerat, sed vnionem naturarum, ita vt ex pluribus naturis vna natura oriatur: itaque si plures miscibilium naturæ, quæ prius erant, non existũt ampliùs, sed vna quædam alia facta est illæ interierunt; id enim quod nõ est ampliùs, absque dubio interijt, siquidem nil aliud est interire, quàm desinere esse; sed hoc expressè etiam protulerat ibidem paulò antè Aristoteles, dicẽs, neutrum miscibilium remanere, sed generari quoddam tertium ab illis diuersum. Hæc igitur de re est nobis in præsentia disputãdũ, vt omni, si fieri possit, difficultate sublata, definitio mistionis clara & perspicua reddatur; quam bene intelligere non possumus, nisi ea, quæ tetigimus, dubia soluantur: hæc autem duo sunt potissimè: vnum de formis elementorum, an seruentur in misto, alterum de eorundem qualitatibus, quas in præsentia statuimus non esse formas elementorum, sed accidentia consequentia. Repugnantia autem prædicta traxit alios in varias opiniones, quæ mihi videntur quatuor esse ad summum, easque singillatim cum earum argumentis nos considerare oportet, postea verò rei veritatem declarare nitemur, ac denique omnia aduersantia argumenta soluemus.

Auicennæ opinio & argumenta.

Cap. II.

Prima est Auicennæ sententia ab Auerroe relata, & confutata in comment. 67. lib. 3. de Cœlo: putauit enim Auicenna formas elementorum remanere in misto integras, & nulla ex parte læsas; qualitates verò manere quidem, non tamen integras, sed castigatas, & fractas ob mutuam inter se actionem & passionem. Ad hanc sententiam comprobandam vsus est hoc potissimùm argumento: *Primum argumentum.* certum est formas elementorum manere in misto; hoc enim indicat ipsum mistionis nomen, & fuit ab Aristotele apertè affirmatum, dum in contexto 84. lib. 1. de Ortu & interitu dixit, neque ambo miscibilia interire, neque alterum, sed remanere vtrunque, & in 88. dixit guttam vini non admisceri multæ aquæ, quia gutta destruitur: vult igitur omnia miscibilia seruari in misto, quum neget illa, quæ non seruantur, commisceri; atqui seruati non dicitur, nisi maneat forma eam constituens; manere igitur debent formæ elementorum: sed hæ, quum sint substantiales, non possunt intendi, neque remitti; necesse est igitur, si manent, vt integræ maneãt. Qualitates verò intendi, ac remitti possunt, quare necesse est, vt frangantur mutuo earum excellentiæ, & fiat qualitas vna media, quæ est temperatura misti. Secundò, sumitur huius sententiæ confirmatio ex definitione mistionis, *Secundum.* mistio namque (vt inquit Aristoteles) est miscibilium alteratorum vnio; non dixit autem, corruptorum, sed, alteratorum, corruptio enim est substantiæ, alteratio autem respicit qualitates; vult igitur Aristoteles formas elementorum seruari integras, & solas qualitates per mutuam alterationem remitti. Tertiò, sumitur argumentum ex Aristotele in contex. *Tertium.* 3. lib. 5. Metaphysic. vbi definiens elementum dicit esse id, ex quo inexistente res fit, vult igitur elementa inexistere, proinde remanere in eo, cuius sunt elementa, at non remanent, nisi ipsorum formæ seruentur; itaque seruantur in misto formæ elementorum. Quartò, Aristoteles in contex. 67. lib. 3. de Cœlo, disputans cõtra Platonem, docet elementa non habere figuram aliquam propriam, & hoc argumento *Quartum.* vtitur, quia si haberent, remanere in misto nõ possent: quum igitur consequens hoc putet Aristoteles esse absurdum, putat elementa remanere in misto. Quintò. Aristoteles in initio 1. lib. de Cœlo inquit, mistum moueri ab *Quintum.* elemento præualente, vult igitur elementa manere in misto; præualens enim elementum quomodo moueret, nisi esset actu? hoc autem si remanet, ergo etiam reliqua, quibus dominari, ac præualere dicitur. Sextò, nisi elementa seruarentur in misto, mistio à generatione & interitu non differret; quia nil aliud *Sextum.* esset mistio, quàm generatio misti, & interitus elementorum. Postremò mistum in elementa dissoluitur, nam Aristoteles in contex. *Septimum.* 84. lib. 1. de Ortu & interitu inquit, miscibilia posse iterum separari à misto; ergo ex eisdem constat actu mistum; ex eisdem enim res constat actu, in quæ dissoluitur. Quoniam igitur manent elementa in misto, necesse est, vt eorum formæ seruentur, à quibus constitui elementa dicuntur.

Auerrois opinio, & aduersus Auicennam disputatio.

Cap. III.

Secunda est Auerrois opinio, quam apud eum legimus in comment. 67. lib. 3. de Cœlo, vbi dicit, tam formas substantiales elementorum, quàm qualitates manere actu in misto, fractas tamen omnes, & castigatas, & ad mediocritatem redactas; ideò de qualitatibus consentit Auicennæ, sed de formis dissidet; censuit enim formas elementorum, licèt substantiales sint, in hoc tamen ad accidentium naturam accedere, quòd possunt intendi, atque remitti, proinde sunt quodammodo mediæ inter formas substantiales perfectas, & accidentia. Auicenna verò quia putauit formas elementorum neque inten-

di, neque remitti posse, & vidit Aristot. dicentem miscibilia in mistione non interire, dicere coactus est, formas remanere integras, aduersus quam opinionem Auerroes multifariam argumentatur. *Primum argumentum.* Primùm sic: si formæ elementorum seruantur integræ, ergo etiam qualitates, quoniam qualitates insequuntur formas. *Secundum.* Præterea eadem est ratio de vno gradu qualitatis, ac de alio; ergo si potest forma elementi existere sine aliquo gradu suarum qualitatũ, potest similiter existere sine alio, quocirca & sine omnibus; hoc tamen est impossibile, neque aliquis diceret formam elementi seruari posse, destructis penitùs omnibus gradibus suarum qualitatum. *Tertium.* Præterea sequeretur, generationem misti esse alterationẽ, quia quicquid aduenit rei actu existenti per formã specificam, est accidens: igitur si formæ elementorum sunt in misto integræ, & dant esse specificum secundùm speciem specialissimam, accedens formam misti non potest esse nisi accidens, vel, si nulla misti forma formis elementorum superuenire dicatur, mistum non esset vnum; quia id, quod constituitur à pluribus formis substantialibus distinctis, & eiusdem ordinis, & specificis, non potest esse vnũ. *Quartum.* Sequeretur etiam secundùm Auicennam, nil aliud esse mistionem, quàm congregationem, quem mistionis modum reiectum esse ab Aristotele certum est: probatur consequẽs; quia si formæ elementorum integræ, ac perfectæ manent, non possunt simul omnes informare vnam & eandem materiæ particulam; hoc enim de formis substantialibus non subordinatis, sed eiusdem gradus, ne imaginabile quidem est, quia non potest eadem particula esse simul ignis, & aqua; oportet igitur vnam materiæ particulam forma ignis informari, aliam forma aëris, aliam forma aquæ, & aliã forma terræ, & has particulas se tangere inuicẽ; quare non erit mistio: nisi secundùm tactum, quæ est congregatio. *Quintum.* Simul etiam sequeretur, non quamlibet misti particulam esse mistam, aliqua enim particula esset purus ignis, aliqua purus aër, & sic de reliquis; at tamen censuit Aristot. talem esse debere mistionem vt qualibet misti particula mista sit. *Opinio Auerr.* Has omnes difficultates putauit se euitare Auerroes, statuendo formas elementorum posse intendi, & remitti, & frangi, & castigari, ita vt ex omnibus fiat vna forma media: sic enim non sunt amplius plures formæ specificæ, sed vna, quam insequitur etiam qualitas vna media oriens ex congressu & mutua alteratione, & castigatione excellentiarum qualitatum elementarium. Sic etiam non sequitur, generationem esse alterationem, quia fit noua forma substantialis specifica, quæ est forma misti; & elementa non seruant amplius nomina, ac definitiones, ac species, quum per illam castigationem iam desierint esse ignis, aër, aqua, terra, & totum incæperit esse aurum vel ferrum, vel aliud e-

A iusmodi; hoc autem ad saluandam generationis naturam satis est, quum nouum esse substantiale acquiratur, & noua species fiat. Similiter non sequitur amplius, mistionem esse cõgregationem, quia formæ non sunt amplius quatuor, sed sunt factæ vna, quæ sola informat quamlibet materiæ particulam; quare non est congregatio, sed potius natura, ac substantiæ vnio per mutuam elementorum alterationẽ. Sic tandem fit, vt singula misti particula mista B sit, quoniam in qualibet inest eadem forma mistionis; quamobrem seruatur etiam misti vnitas, quam secundùm opinionem Auicennæ tueri non possumus.

Scoti opinio & argumenta.

Cap. IV.

Tertia est opinio Scoti, quam apud eum legimus in 2. lib Sent. distinct. 15 putauit Scotus & formas, & qualitates eleC mentorum in mistione penitùs interire, & nouam misti formam generari, & nouam qualitatem, quæ est temperatura misti: quod autem dici solet, mistum cõstare ex elementis, id inquit ita esse intelligendum, quòd forma misti habet quandam similitudinem, & conuenientiam cum formis elementorum, quemadmodum medium habet quandam conuenientiã cum extremis, ex quibus constare dicitur: sic propriam misti qualitatem dicit esse diuerD sam à qualitatibus elementorum, & æquè simplicem, ac illas, dici tamen ex illis cõstare propter similitudinem, quam cum illis omnibus habet; quam similitudinem, & cõuenientiam inquit Aristotelem significasse, quando dixit, remanere in misto virtutes miscibilium, non ipsa miscibilia actu: putauit igitur Scotus nec formas, nec qualitates elementorum vllo modo remanere in misto, id est, neque integras, neque refractas: in qua opinione Thomam E quoque fuisse recentiores Philosophi arbitrãtur, quod ego falsum esse existimo, quũ Thomas hoc in loco sententiam suam proferens apertè dicat, formas quidem elementorũ nullo modo seruari, sed penitus interire; at qualitates manere remissas, & ad mediocritatem redactas. Cęterùm parum refert, quid hic, quid ille senserit, satis nobis erit ipsas per se sententias, cuiuscunque fuisse dicantur, expendere. F Præcipua argumenta, quibus vtitur, vel vti potest Scotus, hæc sunt: *Primum argumentum.* Primùm quidem de formis substantialibus ita argumentatur: nõ sunt multiplicanda entia sine necessitate; at nulla nos necessitas cogit, vt in misto ponamus quatuor formas elemẽtorum, sed sufficit vna misti forma, ergo illæ in misto ponendæ nõ sunt: minorem sic probat: non est necessarium, eas ponere propter operationes, quia mistum habet operationes proprias specie distinctas ab operationibus elementorum, & consequentes solam misti formam; neque propter qualitates, nam qualitas cuiusque misti differt

fert specie à qualitatibus elementorum,& sta- A tis à forma misti prouenit,atque seruatur,nec formis elementorum eget: neque demum propter generationem,quia tam forma misti, quàm formæ elementorum habent entitatem sufficientem,vt possint esse termini suæ generationis,& in hoc forma misti non eget formis elementorum, nisi tanquam termino à quo, hic autem in generatione misti recedit: igitur in misto non remanent formæ elementorum. Secundò,si formæ elementorum seruarentur in misto,mistum non esset vnū; plu- B res enim formæ specificæ constituunt plura indiuidua de categoria substantiæ. Tertiò, quamlibet formam specificam consequitur propria quantitas;ergo si quatuor formæ elementorum seruātur in misto, erunt in eodem plures simul quantitates, quod est impossibile.Quartò,duo termini generationis,à quo,& ad quem,simul manere non possunt;at forma misti,& formæ elementorum se mutuò respiciunt vt termini generationis oppositi, quum C ex elementis generetur mistum, & ex misto elementa; ergo non possunt in misto formæ elementorum manere cū forma misti.Quintò,sequeretur non esse verum illud Aristotelis dictū, generatio vnius est corruptio alterius, quia quando generatur mistum, nihil interiret,si elementa non intereunt. Quod autem etiam qualitates elementorum penitùs intereant, ostenditur duobus argumentis. Primò, quia qualitates insequuntur formas, ergo D quod de formis dicitur, idem de qualitatibus dicendum est; atqui formas nullo modo seruari ostensum est;ergo neque qualitates seruari possunt. Præterea, si destructis formis qualitates manerent, accidens idem numero migraret de subiecto in subiectum; subiectū enim accidentis est compositum ex materia & forma constans,quod deleta forma dicitur interire, & adueniente alia forma dicitur aliud cōpositum generari; ergo mutatur sub E ijsdem accidentibus, si qualitates elementorum in misto remanent,hæc autem est migratio, quam impossibilem esse omnes Philosophi censuerunt.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Aliorum Latinorum opinio & argumenta. Cap. V.

QVarta sententia est,vt mihi videtur,cæterorum Latinorum, qui de formis elementorum Scoto consentientes di- F cunt,eas nullo modo seruari, neque integras, neque refractas; sed in qualitatibus ab eo discrepant, has enim putant in misto remanere fractas,& ad mediocritatem redactas: tuetur hanc sententiam apertè Marsilius in 1. lib. de Generat. & ad eandem accedere videntur Thomas,& Aegidius,& eam sequitur Ludouicus Buccaferreus,& alij nonnulli recentiores:pro hac opinione,quātū attinet ad formas substantiales, faciunt illa eadem argumenta, quæ pro Scoto adducta fuere:de qualitatibus verò hi nituntur duobus potissimum argumentis:vnum ex Aristotele sumūt in contextu 84.libri primi de Ortu & interitu,vbi dicit, miscibilia nō manere actu in misto, vt corpus & album,neque etiam interire, sed seruari ipsorum vires;quum enim dicat ea non manere actu, significat formas non seruari, etenim per formam res est actu:quum autē dicat manere miscibilium vires, significat seruari qualitates, nam si hæ quoque penitùs interirent, nil vtique de elemētis seruaretur in misto,quo modo igitur manere dicerentur eorum vires? alterum simile argumentum accipiunt ex alijs verbis Aristotelis clarioribus in 2.lib.de Partibus animal.cap.1.vbi dicit,tres in animali esse compositiones;& earum primam esse ex ijs corporibus,quæ à nonnullis elementa vocantur, scilicet terra, aqua, aëre,igni; sed statim subiungit,melius fortasse esse,si dicamus, corpora constare ex viribus elementorum,quàm ex elementis ipsis, & virium nomine statim asserit se intelligere qualitates elementares, quas etiam expressè nominat, calorē, frigus, humiditatem, & siccitatem, quas inquit esse materiam mistorum,quum ex his constent omnia mista; cæteras verò omnes qualitates inquit esse posteriores,& ab his deriuatas, proinde non esse materiam corporum,nempe leuitatem,grauitatem,raritatem,densitatem,& alias eiusmodi; igitur clara est Aristotelis sententia,quòd elementa remaneant,non secundùm formas substantiales,sed secundùm qualitates;hæ autem quum sint contrariæ,nō possunt simul existere integræ; manent ergo fractæ & remissæ:sic igitur conditiones mistionis optimè seruantur, miscibilia namque actu in misto non manēt,quia formæ non seruantur; manēt tamē eorum vires,quia seruantur qualitates castigatæ,& fractæ, quod sensus quoque confirmat;sentimus enim mista esse calida,& frigida, & humida,& sicca.

Primum argumentum.

Secundum.

Latinorum disputatio aduersus Auerrois fundamentum de formis elementorum. Cap. VI.

QVoniam autē Auerrois opinio eo potissimùm fundamēto nititur,quòd formæ elemētorum intēdi,ac remitti possunt,& hac ratione participant quodammodo conditione accidentium,Latini fundamētum hoc demoliri conantur, quoniam eo sublato, sentētia Auerrois manifestè corruit. Thomas aduersus Auerroem duobus vtitur argumentis,quorum vno improbat illud, quod Auerroes ait,formas elementorum esse medias inter substantiam & accidens, itque tale est: si hoc esset verum, daretur medium inter duo contradictoria, quod quidē est manifestè falsum:probatur consequens, quia substantia & accidens coniunctam habent oppositionem

Primum argumentum contra Auerroem.

affirmationis & negationis, quatenus accidēs est in subiecto, substantia vero non est in subiecto. Altero autem impugnat id, quod Auerroes dicit, formas elemētorum suscipere magis & minùs, hoc pacto: si id concederetur, esset in substantia continuus motus, quod Aristoteles negat in lib. 5. Physic. sic enim formæ elementorum essent diuiduæ secundùm gradus, quemadmodum etiam qualitates; quapropter acquiri possent gradus post gradum, qui esset verus motus. Tertiò, argumentantur alij: si vera esset opinio Auerrois, sequeretur etiam formas mistorum suscipere magis & minùs: consequens est falsum, vt ipse quoque Auerroes confitetur: consequentiam ita probant: in compositione theriacæ, & aliorum similium, illa quæ commiscentur, non sunt elementa, sed mista, quæ omnia seruant in theriaca vires suas, quemadmodum in misto seruantur elementorum vires; itaque oporteret mista quoque theriacam ingredientia intendi, ac remitti secùndùm formas suas substantiales. Et quia diceret ad hoc aliquis poterat, non esse validam consequentiam, propterea quòd Aristoteles in capite de Mistione loquitur de sola mistione elemētorum, non de cōmistione aliorum; proinde id, quod dicitur, miscibilia manere in misto, de solis elementis intelligendum est: hoc ipsi inquiunt non esse verū, quia ibi Aristoteles de mistione loquitur vniuersè, non de illa tantùm, quæ est elementorum; nam si de sola elementorum mistione loqueretur, debuisset priùs de elementorum natura differere, postea verò de eorundem cōmistione; loquitur ergo de quorumlibet corporum mistione; proinde illa, quæ ab Aristotele ibi dicuntur, omni prorsus mistioni competere debent. Quartò, sic argumentantur; omnis substantia quantumcunq; imperfecta, perfectior est quolibet accidente, quantumlibet perfecto; atqui recipere magis & minùs notat imperfectionem, dantur autem accidentia, quæ non recipiunt magis & minùs, vt patet; ergo nulla substantia recipit magis & minùs; hoc enim dato, sequeretur aliqua accidentia esse perfectiora aliqua substantia, quod dicendum non est. Addunt etiam authoritatem Aristotelis in libro categoriarum, vbi dicit, proprium esse substantiæ nō suscipere magis & minùs: ad quam, si quis dicat Aristotelem de composita substantia loqui, non de forma, quæ est substantia simplex, obijciunt ipsi hoc dici non posse; quia si formæ elementorum suscipiant magis & minùs, ipsa quoq; elementa suscipient magis & minùs; quum enim à suis formis elementa constituantur, necesse est, si forma ignis suscipiat magis & minùs, ignem quoque aliquem esse magis ignem, quàm alium ignem. Et quia videtur Auerroes respondere, Aristotel. ibi loqui de formis tantùm perfectis, non de imperfectis, quales sunt formæ elementorum,

Secundum. *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Solutio.* *Impugnatio solutionis.* *Alia solutio.*

A hanc responsionē dupliciter impugnant. Primò, quoniā Aristotel. ibi de substantia generaliter loquitur, neq; excipit imperfectā; quū igitur id, quod generi competit, debeat etiam cōpetere cuilibet speciei, de substantijs quoq; imperfectioribus debet Aristotelis dictū verū esse: adde quòd Arist. in eo libro quando proprium aliquod adducit, quod non omni competat, solet expressè admonere, id non omni competere; de hoc tamen proprio substantiæ nullam exprimit exceptionem. B Secūdò, quia Aristot. libro 8. Metaphysic. contex. 10. inquit species esse vt numeros, proinde nō suscipere magis & minùs, quemadmodum neque numeri suscipiunt magis & minùs; quicquid enim alicui numero addatur, vel detrahatur, illa numeri species destruitur; quamobrem si elementa sunt species corporis naturalis, non possunt esse magis vel minùs, sed suā essentiam habent in indiuisibili cōstitutā.

Impugnatio solutionis prima. *Impugnatio secunda.*

C *Defensio opinionis Auerrois, & declaratio veritatis. Cap. VII.*

Hæ sunt aliorum de mistione sententiæ, & totius disputationis summa ea est, quam retulimus: in qua considerare quisq; potest, in quo huiusce rei difficultas sit constituta. Iam ad veritatis declarationē accedendum est: & quum hæc in recta intelligentia sententiæ Auerrois, quam solam veram D esse arbitror, consistat, notanda summoperè est hæc distinctio, quam apud Auerroem legimus 10. Metaph. cōment. 23. & 6. Physic. 32. & 3. Meteorol. cap. de Iride, medium inter extrema, quod per participationem, seu per compositionem extremorum medium dicitur, duplex est. vnum, quod differt specie ab vtroque extremo, idq; sit Auerroes vocat, propriè medium, cuiusmodi est rubeum inter album & nigrum; de quo medio non est verum dictum E illud, transeunti ab extremo ad extremū, necesse est trāsire per omnia media, vt Auerroes notat lib. 2. de Anima, cōment. 105. alterū est medium, quod non differt specie ab altero extremorū, vt si multo albo parum nigri admisceatur, remittitur albedo, & fit minùs album, species tamen non mutatur, quia adhuc vocatur albū, licèt minùs album sit: hoc igitur dicetur medium quodāmodo inter nigrum, & purum album; impropriè tamen, quia nō F est nisi album, & de tali medio verum est dictū illud; transeunti enim continuo progressu ab extremo ad extremum, necesse est per omnia eiusmodi media transire: ideò propriè loquēdo, intēdi & remitti, latiùs patet, quàm suscipere magis & minùs, quāuis ampla quadam significatione accepta confundi soleant; remissio enim albi esse potest, & absq; variatione speciei, & cum speciei variatione: at magis & minùs non variant speciem, & comparationē denotant inter illa, quæ sint eiusdem speciei; oportet enim vtrūq; esse album, si di-

Medium per participationem duplex est. *Intendi & remitti latius patet, quam magis & minus suscipere.*

cere

cere liceat vnum esse magis album, alterum verò minùs album. Intensio igitur & remissio esse potest duobus modis; vno modo sine variatione speciei, quod propriè dicitur suscipere magis & minùs, & ita remissio constituit medium, quod nō differt specie ab altero extremorum; altero modo cum mutatione speciei, & sic remissio constituit medium, quod specie differt ab vtroq; extremo. Hac distinctione constituta, possumus totam huiusce rei veritatem duobus dictis cōcludere. Vnum est: si intendi & remitti sumatur priori modo, prout idem est ac suscipere magis & minùs, nulla substantia siue simplex, siue cōcreta, siue perfecta, siue imperfecta, potest intēdi, vel remitti: hoc modo intellexit Aristotel. in cap. de Substantia, quando dixit propriū esse substantiæ non suscipere magis vel minùs; hoc enim de omni substantia, & absque vllius exceptione verū est; neq; enim elementa, neq; formæ elementorum hoc modo intendi, aut remitti possunt, nec Auerroes vnqnam dixit, elementorū formas hoc modo suscipere magis & minùs, nec fortasse vllus Auerroistarum, si bene consideraret, hoc assereret; omnis enim substantia habet suam essentiam constitutā in indiuisibili, nec potest dici magis, vel minùs; quocirca etiam ignis quum sit substantia, non potest de hoc igni magis prędicari, quā de illo, ita vt hic sit magis ignis, qnàm ille, idq; significauit Aristot. 8. Metaphys. context. 10. qui locus, quamuis ab aduersarijs contra nos adductus, sententiæ tamen nostræ mirum in modum fauet: inquit ibi Aristoteles species esse vt numeros, & substantiam, quæ est secundùm formam, non suscipere magis vel minùs, significare volens, cuiusq; substantiæ essentiam indiuiduam esse, nec dici posse magis, vel minùs: quoniam igitur non potest ignis esse magis, vel minùs ignis, & vnūquodque à sua forma cōstituitur, necesse est, vt neque forma ignis suscipiat magis, & minùs; qa si forma ita intenderetur & remitteretur, necesse esset, vt ignis quoq; diceretur magis & minùs ignis, quod Aristoteles negat, tùm in dicto loco, tum in lib. Categor. cap. de Substantia: in hoc igitur substātia à qualitate distinguitur, quòd qualitas intēdi ac remitti potest absq; mutatione speciei, substantia verò minimè. Alterū dictum est: si sumatur intensio & remissio altero modo, nempe cum variatione speciei, aliqua substantia intendi, & remitti potest: quamuis enim Aristoteles dixerit, nullam substantiam posse intēdi aut remitti absq; mutatione speciei, quod vocatur suscipere magis & minùs; non tamen negaret formas elemētorum posse remitti illa remissione, qua variatur species: forma namque ignis potest remitti, & amittere aliquem gradum; sed ea remissio mutat necessariò speciē, & fit per admistionem aliorum elemētorum contrariorū, per quam alia quoq; elemēta similiter remittuntur, & ex eà remissione, desinunt esse ignis, aër, aqua, terra, & fit noua species, vt caro, vel aurū, quod rectè ab Aristotele vocatum est mediū, & diuersum à miscibilib⁹, quia est tale mediū, quod differt specie ab extremis. Huius dicti ratio conspici facilè potest, considerando qualis esse debuerit natura illorū corporum, quæ essent materia aliorū; debuerunt enim esse talia, vt eorū formæ varijs modis remissæ possent euadere formæ omniū mistorum, & horū omnium species cōstituere: adeò vt omnes mistorū formæ (animā semper excipio, quæ est forma addita formis elementorū) reipsa nihil aliud sint, quàm gradus aliqui omnium formarū elementariū, diuersæ tamen formaliter à forma elementorum, quia non ampliùs constituunt elementa, sed mista, & dant aliud esse specificum: hoc nisi fateamur, nullam possumus afferre rationē cur magis elementa dicantur materia misti, quàm mistum misti, nec magis elementa dicerētur materia hominis, quàm semen materia hominis, & homo materia cadaueris: nā si formæ elementorū in mistione penitùs interirent, ita ex elementis generaretur mistum per interitum formarū elemētorum, vt ex pane sanguis per interitū formæ panis, & ex semine homo per interitum formæ seminis, & ex homine cadauer per interitum formæ hominis: nec satis est id, quod aliqui dicūt, qualitates elementorum remanere, & hac ratione dici elementa manere vt materiam misti; certum enim est, quālibet rem constitui à sua forma substantiali, non à qualitatibus, quare non ob id manere elementa dicuntur, dum formę substantiales penitùs deletæ statuuntur: præterea hoc etiam dato, nulla adhuc notari potest dissimilitudo inter elementa, & mistum, ex quo aliud mistum generetur, nam sæpe videmus, in misto genito manere aliqua accidentia, quę fuerūt in misto corrupto, vt in sanguine accidentia aliqua cibariorū, & in homine accidentia aliqua seminis, neq; propterea dicitur manere in homine semē, tanquā eius materia. Neq; etiam satis est cū nonnullis dicere elementa manere in misto, non actu, sed potestate, quatenus possunt iterū generari elemēta ex eodem misto: nam si ita intelligeretur id, quod Aristot. dicit, miscibilia in misto manere potestate, non minùs etiam mistū maneret potestate in alio misto, quod ex eo generatur: nam si ideò sunt in pane elementa potestate, quia potest panis in elementa mutari, eadem ratione erit in pane caro, quia potest panis mutari in carnē; imò eò magis diceretur in pane inesse caro potestate, quàm elementa, quò facilior est transitus à medio ad medium, quàm à medio ad extremum; quod idem de qualitatibus dicendū est; facilior enim debet esse transitus à temperie ad temperiem, quàm à temperie ad qualitatem extremam: quoniā igitur cōsequens hoc Aristoteli

Intensio & remissio sit duplex. *Prima conclusio.* *Secunda conclusio.*

aduersatur, qui dixit, miscibilia ita potestate inesse in misto, vt possint iterum separari, neque dixit inesse hoc eodem modo etiam mistum in misto, necesse est fateri elementa ita remanere potestate in misto, vt seruēt aliquid actus; remanent enim cum amissione suarum excellentiarum, id est, remanent aliqui gradus formarum elementarium, & aliqui interierunt, ita vt forma misti realiter nil aliud sit, quàm collectio plurium graduum formarum elementarium, quibus accessit noua formalitas, coiuerunt enim in naturam aliam distinctam formaliter à naturis elementorum: & hanc elementorum realitatem in mistis omnibus manētem respiciebant illi prisci Philosophi, qui dicebāt, omnia sunt aër, omnia sunt aqua, vel aliud aliquod elementum, vel etiam plura, quę ab ipsis principia rerum esse statuerentur. Propterea notanda maximè est hæc differentia: dicimus hominē ex elementis fieri tanquam ex materia, dicimus etiam hominem fieri ex semine tanquam ex materia; sed nomine seminis nil aliud denotamus, quàm primam materiam cum priuatione; sic enim significare volumus materiam primam, quæ sit facta hominis propria per priuationē, peculiariter oppositam formæ humanæ, significatam nomine formæ coniunctæ quę est forma seminis, & constituentem proprium terminū à quo generationis hominis, qui in aduentu formæ humanæ recedit simul cum forma seminis coniuncta; at quum dicimus hominem ex elementis generari, dicimus materiam secundam remanentem in homine genito, ita vt nō solùm prima materia, sed etiam elemēta dicantur modo aliquo remanere, quatenus maneant fractæ & castigatæ ipsorum formæ; manent enim aliqui ipsarum gradus, & aliqui etiam recesserunt, ex qua remissione interijt formalitas elementorum, & accessit alia formalitas, quæ est misti, diuersa ab illa. Ex his etiam colligimus, aliam esse remissionem formarum elementarium, aliam qualitatum; nā qualitates recipiunt magis & minùs, proinde remitti possunt vtraque remissione, etiam illa, quæ non variat speciem; aër enim quandoque est magis, quandoque est minùs calidus, & tam intēsior, quàm remissior calor vocatur calor aëreus, & est eiusdē speciei; nō sic forma aëris, hæc enim remitti quidem potest, non tamen ita, vt seruetur aër, quoniam amisso aliquo gradu, non est amplius forma aëria, sed facta est forma alicuius misti: ideò non est ignorandum, non ex omni remissione qualitatis elementaris fieri remissionem formæ substātialis elementi; nam si semper remissionē qualitatis remissio formæ insequeretur, elementa ex qualibet leui alteratione interirēt, nec possent diu conseruari: quamobrem ob eorum conseruationem decreuit natura formam cuiuslibet elementi non ita esse alligatam certo cuidam qualitatis gradui sibi naturali, vt absque illo existere nequeat; sed quum ipsa forma sit constituta in indiuisibili, & statutū habeat gradum qualitatis perfectè naturalē, non tamen ob quemlibet recessum ab illo gradu remittitur forma, quod esset interire elementum, sed ad sui conseruationem forma requirit qualitatem non in indiuisibili cōstitutam, sed in quadam latitudine certis quibusdā terminis cōclusa; idq; maximè apparet in duobus elemētis medijs, potissimùm verò in aëre; nā eius calor potest notabiliter intendi, & remitti absq; vlla intensione, vel remissione formæ substantialis: at si præter statutos latitudinis terminos intēdatur, vel remittatur, necesse est formam aëris interire. Ignis verò vix aliquam admittit suarum qualitatum remissionē, cum qua possit existere; aliquam tamen admittere dicēdum est, quum sit necessariū, vt ipse quoque, dum agit, repatiatur absque formæ suæ interitu. Patet igitur, non omnē remissionem qualitatis in elemēto facere remissionem formæ; quia remissio formæ semper est cum elementi interitu, at qualitatis remissio non semper. Sed aduersus hoc posset aliquis obijcere argumētum illud, quo supra diximus vsum esse Auerroē contra Auicennam: nam dicebat Auerroes; si forma elemēti potest integra seruari, ablato aliquo gradu suæ qualitatis naturalis, ergo etiam ablato alio, proinde & ablatis omnibus, quia de quolibet gradu eadē est ratio: hoc igitur eodem argumēto videtur ostendi posse, formam elementi non posse integram seruari cum remissione qualitatis, quoniam huius contrarium voluit Auerroes hoc argumēto demōstrare. Ego verò hac in re sum in opinione multorum, qui putant argumētū hoc Auerrois aduersus Auicennam nihil habere roboris, licèt sententia illa Auicēnæ falsa sit; etenim inefficax est ratio à diuisis ad coniunctum: potest quidē existere forma elemēti sine quolibet gradu qualitatis separatim accepto, sed non propterea sine omnibus simul, vt aër fortasse seruari potest sine vno, vel sine duobus gradibus sui naturalis caloris, at non sine tribus; quēadmodum scamnūm quadrupes stabit sine vno pede, & quolibet vno ablato stabit, quia de singulo eadē est ratio, dummodò quilibet seorsum accipiatur, manentibus alijs; sed duobus ablatis, non ampliùs stabit. Nisi pro Auerrois defensione dicamus, ipsum loqui de remissione graduum qualitatū extra statutos limites, hoc enim constituendum videtur iuxta opinionem Auicēnæ: quia si formis elemētorum integris servatis (vt ipse dicit) non sunt tamen elementa, sed est genitum mistum, videtur esse necessarium, vt dicat, qualitates esse fractas extra latitudinem naturalem: & hac ratione verum est id, quod Auerroes dicit, eandem esse rationem de vno gradu, ac de omnibus, nempe de vno, qui sit vltra limites naturales; quoniam est contra elementi naturam & excedere vno, & excedere.

Alio modo elemēta sunt materia hominis, alio modo semen est materia hominis.

Alio modo formæ remittuntur, alio qualitates.

Argumētum Auerrois inualidum contra Auicennam.

Defensio argumento Auerrois.

re duobus, & omnibus excedere, quia nullo horum modorum seruari elementum potest: itaque si hoc intelligat Auerroes, potest eius argumentum defendi. Auerroistæ verò absq; dubio decipiuntur, putantes argumentum illud absolutè quoque validum esse, quum sit merus cauillus.

Quòd ea, quæ hactenus declarata est, sententia, Auerrois fuerit.

Cap. IIX.

HOc modo, quem hactenus declarauimus, defenditur optimè opinio Auerrois, eaq; sola vera est, dum sic intelligitur, quòd autem Auerroes ita intellexerit elementa in misto manere fracta, & formas elementares castigatas cum mutatione speciei, non est quòd in demonstrando laboremus; est enim clarissimum legentibus commentarium illud 67. libri 3. de Cœlo, cuius verba non referimus, sed alijs consideranda relinquimus. Notandus etiam est alius apud Auerroem locus in comment. 23. lib. 10. Metaphys. vbi duo illa mediorum genera ponit; vnum, quod ab altero extremo non differt specie, sed solùm secundùm magis & minùs; alterum verò, quod specie differt ab vtroq; extremo: deinde subiungit esse ibi motum, vbi est magis & minùs; vbi verò omnia media differunt specie ab extremis, ibi non esse motum: ex his autem duabus propositionib. colligitur in secunda figura hæc conclusio, ergo vbi omnia media differunt specie ab extremis, ibi non est magis & minùs: quoniam igitur mista omnia ab Arist. vocantur media inter elementa, & ab elementis specie differunt, sententia Auerrois est, elementa non recipere magis & minùs, sed intendi & remitti cum variatione speciei: sic igitur intelligenda sunt ea, quæ alibi dicuntur ab Auerroe, præsertim in cõment. 67. lib. 3. de Cœlo, vbi etiam notare possumus obiectionem, quam contra se affert, & eius solutionem; obiectio enim est illa vulgata, sequeretur formas substantiales recipere magis & minùs, quod Arist. aduersatur: solutio autem Auerrois non illa est, quam ei multi tribuunt, vt excipiat formas elementorum tanquam imperfectas, & afferat eas recipere magis & minùs: non enim concedit Auerroes eas recipere magis & minùs, sed veritatem declarans inquit, ex admistione formarum elementarium prouenire aliam formam, sicut ex cõmistione albi & nigri fiunt multi colores medij: sic autem significat formas elementares remitti ea tantùm remissione, quæ speciem variat, non illa, quæ faceret minùs tale in eadem specie; iam enim dixerat in alio à nobis notato loco, vbi media differũt specie ab extremis, ibi non esse magis & minùs: differre autem mista ab elementis specie asserit apertè Auerroes, dum ait, ex admistione formarum elementarium prouenire aliam formam, quod etiam clarè dicit, vtens exemplo colorum; nam colores medij differunt specie ab extremis, vt aliâs in cõment. 32. lib. 6. Physic. ipsemet dixerat: quo etiam in loco inquit, media hæc differẽtia specie ab extremis non esse nisi finita numero, sic enim patet, necessarium esse, vt finitæ sint species mistorum, nec possint esse infinitæ. Rationẽ autem cur formæ elementares ita possint intendi & remitti, & migrare in formas mistorum, refert Auerroes in harum formarum imperfectionem, dicẽs eas in hoc similes esse accidentibus quodammodo; non sunt enim omnino similes quum non recipiant magis & minùs vt accidentia, sed solùm quatenus modo aliquo intendi ac remitti possunt, quod non competit alijs formis substantialibus. Hæc est absq; dubio opinio Auerrois, & ipsa rei veritas, quã ego diu existimaui nullum Auerroistarum assequutum fuisse; quum enim vsi non sint ea distinctione, qua nos vsi sumus, & ea quidem non à nobis inuenta, sed ab ipso Auerroe posita, non potuêre se penitùs à magnis difficultatibus explicare, nec plenè Auerrois sententiam tueri: sed quum mihi & ipsa rei natura, & consideratio verborum Aristotelis & Auerrois hanc sententiam suggessisset, res enim penè ipsa loqui videtur; postea contigit, vt quum de hac re publicè in Patauina Academia disseruissem, quidam discipulus meus valde eruditus, & ex Carmelitana familia religiosus, lætus ad me accedens dixerit, eandem fuisse sententiam Ioannis Baeconij Doctoris sui, & locum notauit, quem fateor me antea non animaduertisse; quanquam semper Baeconij scripta libentissimè legi, & illius viri doctrinam plurimi feci: quum igitur statim locum illum auidè legissem, qui est in lib. 3. Sentẽt. dist. 16. non potui non eius summum iudicium maximoperè admirari; non potest enim meliùs, aut exquisitiùs huiusce rei veritas declarari, quàm ibi declaretur à Bacconio, qui ea in re, vt in alijs quoq; facere solitus est, solertissimè philosophatur, & ex ipsa rei natura veritatem petit. In prædicto autem loco ipse non modò distinctionem illam mediorum, quæ apud Auerroem clarè legitur, ad huius quæstionis solutionem applicuit, quod cæteri Auerroistæ non fecerunt; sed etiam vsus est eisdem vocibus, quas ego ad rem hanc declarandam excogitaueram, realiter, & formaliter; realitatem enim eandem formarum elementarium inquit esse in elementis, & in misto, sed diuersas formalitates, prout varias species constituunt: & ne eandem rem fateri videatur esse elementum, ac mistum, inquit, non esse in misto realitatem formarum elementarium, sed esse in misto realitatem eandem, quæ fuit realitas formarum elementarium; eadem enim res est, quæ fuit elementa, & nunc est mistum, sed mutata est formalitas, proinde etiam species, quæ omnia verissimè dicuntur.

Auerrois responsio ad Aristotelem in prædicamentis.

Ioan. Bacconius.

Confirmatio prædictæ ſententiæ ex dictorum Ariſtotelis conſideratione.

Cap. IX.

HAnc, quam declarauimus, Ariſt. fuiſſe ſententiam, oſtendere facilè poſſumus varijs in locis ipſius dicta cõſiderando. Primùm quidem illa, quæ dicuntur in poſtremo capite lib. 1. de ortu & interitu, huic ſoli ſententiæ atteſtantur: nam in contextu 89. inquit, miſcibilia non mutari alterum tantùm in alterum, ſed vtrunq; in alterum, ita vt non alterum ipſorum generetur, ſed medium, & commune; medium enim & commune non appellaret, niſi aliqua ex parte retineret vtriuſque naturam; & hoc commune inquit eſſe aliud, & differens ſpecie ab extremis: hæc autem non habent locum, niſi iuxta opinionem Auerrois à nobis declaratam; quî enim fieri poteſt, vt ſimul aqua mutetur in ignem, & ignis in aquam, ita vt id, quod generatur, nec ſit ignis, nec aqua, ſed quid medium, in quo ambo illa ſeruentur, niſi eo, quem prædiximus, modo? miſtum enim differt ſpecie ab igni, & ab aqua, & participat gradibus naturæ vtriuſque, quum tamen ipſum ſit vnius tantùm naturæ. Inquit etiam ibi Ariſtot. in contextu 84. miſcibilia nec omnino remanere ſicut corpus album, quæ integra penitus coniunguntur; neque etiam interire, ſed ſeruare vires ipſorum; vires autem intelligit realitates formarum elementarium, quæ ſecundùm aliquos gradus ſeruantur; nam ſtatim ſubiungit; inde fieri vt poſſint iterum ſeparari, nam adiectis cuilibet illis gradibus, qui abiuncti fuerant, ſuſcipiunt iterum priſtinam formalitatem, & dicuntur ex miſto elementa generari, hoc enim facilius eſt quàm formalitatem, & realitaté totam elementi produci, ſicuti quando ex aqua generatur ignis; non enim diceret Ariſtot. ignem commiſtum fuiſſe aquæ, & poſtea ſeparatum, quia nihil formæ ignis in aqua inerat; nec poteſt vlla aduerſariorum ſeu proteruitas, ſeu cauillatio rectè interpretari verbum illud, ſeparari; non enim dicuntur ſeparari, niſi illa, quæ ita erant coniuncta, vt modo aliquo ineſſent actu; nec Ariſtot. aliunde colligit ea poſſe ſeparari, niſi ex eo, quod dixerat, miſcibilia non penitus interire: ſed adhuc clariùs loquitur Ariſtoteles in context. 48. libri 2. dum ait; quando in duorum elemétorum congreſſu vnum eſt abſolutè actu, & alterum poteſtate, non eſt miſtio, ſed huius generatio, huius verò interitus; at quando neutrum omnino interijt, ſed modo aliquo calidum factum eſt frigidum, & frigidum eſt factum calidum, & neutrum eſt actu abſolutè, ſed tranſijt vtrũq; in quoddam medium, tunc eſt miſtio: non vult igitur Ariſtot. elementa in miſto ita eſſe poteſtate, vt nihil retineant ſui actus, ſed ita poteſtate, vt etiam actu; non poſſunt autem eſſe actu, niſi per ſuas formas; quA te putauit Ariſtot. formas elemẽtorum aliquo modo ſeruari in miſto; & ibidé apertè inquit, elementa in miſtione ſolas amittere excellentias ſuas, & frangi, nec penitus interire. Illud autem eſt ſemper animaduertendum, Ariſtotelem formas elementorum non alijs nominibus appellare, quàm nominib. ſuarum qualitatum: ideo quando in ijs libris qualitates nominat, non eſt credendum, eas vt accidentia à formis diſtincta nominari, ſed ſumi loco B formarum, quia formæ elementorum per has qualitates agunt extra ſe: quando enim Ariſtot. dicit, elementa ſymbola facilè mutari inuicem, vt aquam in aërem, mutato frigido in calidum, & manente humiditate; ſi intelligamus in ſolis qualitatibus mutationem fieri, ita vt non in formis ſubſtantialibus, non erit generatio, qualem vult Ariſtot. eam mutationem eſſe, ſed ſola alteratio; niſi enim mutetur forma ſubſtantialis aquæ, non fit aër, ſed C manet aqua, licèt facta calida; formas igitur præcipuè reſpicit Ariſtoteles, & inquit has nõ penitus interire, ſed ſolùm excellentias ſuas amittere. Propterea etiam primo cap. lib. 2. de partibus animalium, quando dicit, miſtũ conſtare potiùs ex virib. elementorũ, quàm ex elementis ipſis, & vires inquit eſſe calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, per hæc non intelligit niſi formas elementorum, & ſignificare vult eleméta non remanere ſecundum ſuum D eſſe formale, quum iam per miſtionem ſuas formalitates amiſerint, & ita non ex elementis propriè loquendo conſtare miſtum, ſed potiùs ex eorum viribus, hoc eſt, ex realitatibus formarum elementarium, quæ aliam formalitatem ſuſceperunt: hoc autem ibi eſt maniféſtiſſimum, quum Ariſtot. dicat, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem materiam eſſe miſtorum corporum; nam ſi hæc vt accidentia accipiantur, dici non poſſunt materia cor-E porum, quia materia non eſt niſi ſubſtantia, proinde miſta non ex his qualitatibus vt ex materia conſtare dicuntur, ſed ex ipſa ſubſtantia elementorum, quæ ab eorum formis conſtituitur: quòd ſi etiam qualitates dicuntur formæ elementorum, quatenus conſtituunt elementa vt elementa ſunt, id tamen non eſt niſi præſuppoſitis formis ſubſtantialibus; has enim ſi abiungamus, euaneſcit officium qualitatũ, quæ non amplius materiam miſtorum F conſtituunt. Conſiderandũ prætetea eſt, tum in eo loco, tum in contextu 84. libri 1. de ortu & interitu Græcum nomen, δυνάμεις, quo ibi Ariſtoteles vtitur, vbi Latinus codex habet, virtutes, ſeu vires; nam δυνάμεις, ſignificat etiam propriam rei naturam, ſignificat etiam poteſtatem, quæ reſpicit actum; quare optimè vſurpatur ad ſignificandas formas elementorum fractas, & poteſtatem habentes ac totam ſuam perfectionem. Per hæc etiam optimè declaramus modum, quo Ariſtot. in illo poſtremo capite lib. 1. de ortu & interitu mi-

Virtutes elementorum quomodo ſint intelligenda.

δυνάμεως

ſtione

stionē fieri statuit: inquit enim miscibilia primùm debere se mutuò diuidere in partes paruas, ideoque oportere ea esse liquida, vel aliquod saltem ipsorum, vt possit alterum partes penetrare, & ita diuidi ac diuidere in paruas partes; nec dicit in minimas, quia id verū non esset, neq; enim absolutè minimum intelligi posset, neq; minimū naturale, nam minimum absolutè nō datur, quum omne quantum sit diuiduum in infinitum; minimum verò naturale datur quidem, vt ait Aristot. in 1. Physicæ auscultationis disputans contra Anaxagoram, & est illud vltimum, in quo potest forma seruari in diuisione cuiusque corporis naturalis; est enim necessarium peruenire ad paruam particulam, quæ vlteriùs quidem diuidi potest vt quanta, at, si diuidatur, non potest forma amplius seruari; in talia igitur minima si intelligeremus diuisionē miscibilium fieri in ipsa mistione, oporteret æquales semper inter se esse portiones omnium miscibilium, seu eandem in omnibus mistis esse illorum mensuram, & proportionē inter se, quod minimè verum est; sed oportet vnum alijs dominari, variumq; esse dominium, & variam elemētorum proportionem pro diuersis mistorum naturis. Facta igitur miscibilium diuisione mutua in partes paruas, necesse est, vt propter qualitatum inter se cōtrarietatem fiat inter ipsa actio & passio mutua, per quam elemēta se mutuò frangant, & ad mediocritatem redigant; quod quidem possumus cum Arist. in duobus miscibilibus considerare, id enim pluribus quoq; accommodari poterit; itaq; si generandum sit mistum, quod sex gradib. teferat naturam terræ, duobus autem naturam aeris, fiet actio mutua inter particulas terræ, & particulas aëris, & aër naturam terræ, quam in octo gradibus consistere statuimus, imminuet duobus gradibus, ita vt sex gradus terræ remaneant; terra verò tanquam præualens detrahet de natura aëris sex gradus, vt duo tantùm relinquantur; & sic tam particula terræ, quàm particula aëris erit facta eiusdem naturæ, quia vtraque redolebit sex gradus naturæ terræ, & duos naturæ aëris, & singula nec terra ampliùs erit, nec aër, sed quiddam medium, vt lutum: hac igitur ratione quælibet pars misti est mista: quælibet enim pars est lutum, neq; est amplius aër terræ appositus, sed & aër, & terra non tata in lutum retinens ex parte naturam terræ, & ex parte naturam aëris; quoniam vtriusque elementi formæ fractæ, & castigatæ migrarūt in formam mediam, quæ est forma luti. Sic etiam qualitates se mutuò castigant, & fit qualitas vna media, quæ cuiusq; misti temperatura appellatur. Præterea confirmatur etiam maximè hæc sententia per ea, quæ ab Aristot. dicuntur in context. 10. octaui Metaphysic. quem locum aduersarij contra nos adduxerunt; inquit enim species esse sicut numeros, quia numero dempta vnitate manent aliæ vnitates realiter, sed mutata est formalitas, & facta alia species numeri: quemadmodum igitur numeris detractio, & additio fieri potest manētibus iisdem realiter vnitatibus, quæ relinquuntur, sed mutata specie numeri; ita formæ elementorum intensionem, & remissionem recipiunt, ita tamen vt mutetur formalitas, & fiat alia species, licèt aliqui earundem formarum gradus seruētur; quod est seruari realitatem graduum formarū elementarium, sed formalitatem, ac speciem mutari: quod idem in numeris euenire videmus; propterea ad rem hanc declarandam maximè accommodatum est exemplum numerorum, quod ibi ab Aristot. consideratur.

Mistio non requirit diuisionem in minima.

Confirmatio eiusdem sententiæ auctoritate Græcorum interpretum, Cap. X.

EAndem sententiam Alexander & Ioannes Grammaticus sequuti sunt. Alexander enim in libello suo de mistione declarās quomodo mistio fiat, inquit, miscibilia inter se mutuò agunt & patiuntur; sed neutrum interimit alterū penitus, quia priùs desinit posse agere, quàm prorsus verterit alterum in naturam suam; quare mistio est mutatio quædam sine interitu: non vult igitur Alexander elementa interire, & apertè dicit ea non amittere nisi excellētias suas, quod est remanere fracta, & hebetata. postea dicit mistum non esse aliquod ex miscibilibus, sed esse illa omnia potestate: nisi igitur inuicem pugnent Alexandri dicta, significat elemēta amittere suas formalitates, & suum esse specificum; quia si hoc retinerent, iam mistum esset actu ignis, & aer, & aqua, & terra, seruare tamen suas realitates, hoc est, non prorsus interijsse: nā postea quoque declarans quomodo maneant potestate in misto, inquit, sunt potestate, quoniam exiguo egent auxilio, vt recuperent naturā suam; quum enim non tota sit amissa, sed solùm hebetata, possunt per additionem eius, quod amissum erat, redire in suam naturam integrā, propterea (inquit) non omnino generatione & interitu indigēt vt separentur, sed mutatione aliqua. Itaq; arbitratur Alexander formas elementorum non esse in misto penitus potestate, sicuti in prima materia, & sicut in semine humano est potestate forma hominis; sed potestatem intelligit, quæ cōiunctum habeat aliquid actus, at non integrum, actum: ideò hanc integritatem postea acquiri dicit per illam mutationem, qua mistum in elementa dissoluitur, eamq; nō esse omnino generationem, sed mutationē quandam, quæ est dimidiata quædā generatio: non est autē ignorandum, qualis sit hæc mutatio, qua mistum in elementa dissoluitur, & qua ex elemētis generatur mistum, ne fortè opinemur, eam non in substantia, sed in solis accidētib. mutationem esse, quæ dicitur alteratio; quinimò est sub-

Alexander.

Mistio, & mistι dissolutio est mutatio substantialis.

stantialis mutatio, neque ad aliam mutationis speciem redigitur, quam ad generationem & interitum: nam si horum corporum formalitates spectemus, est perfecta generatio, & perfectus interitus; nam penitus intereunt in mistione formalitates elementorum, & producitur noua formalitas, quæ est misti; vel interit formalitas misti, & generantur formalitates elementorum, quando mistum in elementa dissoluitur: at si realitatem tantummodò respiciamus, non est perfecta generatio, nec perfectus interitus, quemadmodum antea declarauimus: idq; respexit Alexander, quando dixit esse dimidiatam generationem, imò & Arist. ipse, quando in capite de mistione dixit, miscibilia non penitus interire, sed aliquo modo seruari. Notat autem ibidem Alexander quoddam summa animaduersione dignum, atq; verissimum: quoniam enim dicente Aristotele miscibilia posse ex misto iterum separari, credere aliquis poterat elementa redire eadem numero, quæ priùs in mistionem venerant; ideo nos monet ea non redire penitus eadem, sed alia secundùm numerum, eadẽ autem secundùm speciem tantùm; quum enim proprias formalitates amiserint, & desierint esse ignis, aer, aqua, terra, hac ratione interierunt; id autem, quod semel interijt, iuxta opinionem Aristot. non potest idem numero vnquam redire: igitur quando iterum separantur, redeunt eadem secundùm speciem, idq; satis faciliter, quia non totam suam naturam, id est, non totam realitatem amiserunt. Ex hia colligere possumus, non eandem esse hanc separationem elemẽtorum ex misto, atq; illam, qua ex mera congregatione dicuntur aliqua separari absq; vlla mutatione, vt quando ex aceruo tritici grana separantur: hæc enim eadẽ numero sunt, facta separatione, quæ priùs in compositione, & ante compositionem erant, quia nulla est facta naturarum mutatio; & elementa separantur à misto, in quo non omnino erant actu, proinde separantur cum alteratione, quæ non est absolutè in accidentibus, sed est dimidiata quædam generatio, talem enim alterationem Aristot. in definitione mistionis intellexit; non enim fieret naturarũ vnio, & plurium reductio ad naturam vnam, si seruatis penitus formis substantialibus in solis accidentibus mutatio fieret; non possunt igitur elementa ex misto ita separari, vt redeant eadem numero, quæ in mistionem venerunt. Eiusdem sententiæ fuit absq; dubio Ioan. Grammaticus in interpretando capite de mistione in calce lib. 1. de ortu & interitu: ibi enim in contextu 82. declarans quomodo miscibilia sint potestate in misto, inquit, nõ sunt penitus potestate respectu actus primi, quemadmodum quando dicimus aquam esse potestate æream; neq; sunt potestate respectu secundi actus tantummodò, sicuti quando dicimus, Geometram dormientem geometrizare

Elemẽta non separantur à misto eadem numero, quæ priùs erant.

Ioan. Gram.

A potestate, quum habeat actum primum perfectum; sed tertio modo medio, vt quando dicimus Geometram ebrium habere potestatem geometrizandi, nam habet quidẽ actum primum, id est, habitum Geometriæ, sed obfuscatum, & impuratum, ideò non perfectè geometrizat: sic elemẽta sunt in misto secundùm actum impuratum, qui coniunctã habet potestatem adipiscẽdi suam integram perfectionem. Hoc idem dixit Ioannes in context. B 84 vbi etiam apertè asserit, elemẽta in mistione non totam suam formam amittere, sed solùm excellentiam & complementum suæ formæ, proinde remanere in misto formas elementorum incompletas, & imperfectas: elementa igitur secundùm Ioan. Grammaticum non penitus potestate in misto sunt, sed & actu, & potestate, quatenus naturam suam non perfectè seruant. Deinde etiam in contextu 89. inquit, miscibilia non prorsus interimere C se mutuò, sed solùm frangere mutuò excellentias suas, ita vt medium quoddam remaneat, quod ex parte redolet naturam singulorum; quam Aristot. quoque sententiam fuisse iam ostendimus: quapropter de Græcorum opinione non est dubitandum.

Solutio argumentorum pro Auicenna adductorum. Cap. XI.

Veritate declarata, omnia aliorum aduersantia argumenta soluenda sunt; & D primo loco illa, quæ pro Auicenna adduximus. Ad primum igitur concedimus, formas elemẽtorum manere in misto: sed quum dicit, non possunt intendi, aut remitti, quum sint substantiales, ergo manent integræ, negamus antecedẽs; iam enim docuimus quomodo intendantur, ac remittãtur formæ elementorum, & quomodo neq; intendi, neq; remitti possint. Ad secundum dicimus, Aristot. non E ideò dixisse, alteratorum, quòd putauerit mistionem esse meram alterationem in accidentibus absque vlla substantiæ mutatione, sed quia si dixisset, corruptorum, perfectum miscibilium interitum intelligere potuissemus; quod aduersaretur ijs, quæ priùs dixerat, nempe miscibilia non interire, sed seruari in misto: maluit ergo dicere, alteratorum, ad significandam alterationem cum aliqua mutatione substantiæ, siquidem absq; hac non fieret F illa vnio, quam esse ipsam mistionis essentiam iam diximus. Ad tertium & ad quartum dicimus, omnia esse concedenda; ijs enim ostenditur elemẽta manere in misto, sed non ostenditur manere integra. Ad quintum petenda est responsio ex ijs, quæ scripsimus alias de motu grauium & leuium: illud enim, quod Aristot. dixit, mistum moueri iuxta elementum præualens, non ita est intelligendum, vt forma elementi præualentis dicatur integra esse in misto, & ita actu mouere mistũ; sed intelligẽdum est, non esse in misto aliud mouẽs, ni-

Ad primum.

Ad secundũ.

Ad tertium.

Ad quartũ.

Ad quintũ.

nisi ipsam misti formam, quæ magis redolet formam elementi prævalentis, quam aliorum, ideò eo motu mouet, quo illa: hoc ergo significauit Arist. qui non dixit mistum à prævalente elemento moueri, quasi mistum, seu eius forma sit mouens; sed dixit moueri secundùm prævalens elementum. *Ad sextum.* Ad sextum respondemus, mistionem, & generationē misti differre quidem ratione, sed re idem esse; non potest enim vera mistio fieri, quin misti generatio fiat: quomodo autem differant ratione, alibi *Lib. 1. de generat. misti.* considerabimus: nunc satis est si dicamus, mistionem vocari ratione graduum miscibiliū, qui seruantur, vocari autem interitum elementorum, & generationē misti ratione graduum deperditorum, sic enim est generatio misti, & destructio formalitatum elemētorum. *Ad septimū.* Ad postremū dicimus, nil aliud esse dissolui mistum in elementa, quàm elementa facilè recuperare gradus deperditos, propterea quòd non omnes gradus interierunt: ex hoc igitur nil aliud infertur quàm non fuisse in misto elemēta integra, sed fracta; sicut enim dissoluitur mistum in elemēta per amissorum graduum recuperationem, ita generatur mistum ex elementorum compositione per eorundem graduum amissionem.

Solutio argumentorum Scoti. Cap. XII.

Ad primum. AD primū Scoti negamus sequi id, quod ipse infert, multiplicari entia sine necessitate: sequeretur quidem, si cum nonnullis diceremus, formam misti esse additam formis elementorum, & re distinctam ab illis in ipso misto; at nos asserimus, solam misti formam sufficere ad mistum constituendū, & ad omnes operationes edendas, sed ad hanc esse necessarias formas elementorum, quum sit idem re, quod illæ, proinde illis penitus sublatis nulla misti forma possit existere: tanta igitur est necessitas formarū elementarium in misto, quanta ipsius formæ misti, quum hæc *Ad secundū.* non distinguatur re ab illis, sed sint illæ omnes ad vnitatem redactæ per mistionem. Ad secundum negamus consequens; nam formæ elementorum non manent in misto vt quatuor formæ, sed vt factæ vna, siquidem multis realitatibus aduenit vna formalitas, proinde mistum est vnum. *Ad tertium.* Ad tertium similiter negamus consequens; nam post elemētorum congressum non sunt amplius in misto quatuor quantitates, sed vna ex omnibus facta est; quid autem absurdi, si ex pluribus quantitis coniunctis vnam quātum fieri asseramus? vt autem omnis fallacia detegatur, animaduertendum est, quantitatem insequi naturam materiæ, & illi esse coæuam, terminos autem quantitatis cuique rei præscribi à sua forma: quoniam igitur in mistione perierunt formalitates elementorum, & vna misti formalitas producta est, factum etiam est vnum quatuorum ex quatuor materiæ portionibus quātis simul iunctis, quibus vnici termini sunt præscripti à forma, quæ vna tantùm est, non plures, nempe forma misti: quum igitur vnici sint termini totius illius quantitatis, vna est quantitas. Sed imaginatus est Scotus, nos dicere formas elementorum manere in misto integras, & eum eis manere proprios terminos à singula forma tributos suæ portioni materiæ: quod quidem nos non dicimus, quia neque verum, neque imaginabile est. *Ad quartū.* Ad quartum dicimus, totum esse concedendum; nam formæ elementorum prout elementorum formæ sunt, in generatione misti sunt terminus à quo, non terminus ad quē, nec possunt simul esse cum forma misti, quia non potest eadem res esse simul mistum, & elementa: terminos igitur generationis oppositos simul existere non dicimus; quamuis enim eadem sit realitas formæ misti, & formarum elementarium, diuersæ tamē sunt formalitates, & hoc satis est ad distinguendos generationis terminos, à quo, & ad quem; siquidem termini sunt ipsæ formalitates, quæ nunquā simul existunt. *Ad quintū.* Ad quintum negandum est consequens: quum enim in generatione misti intereant formalitates formarum elementarium, & ita desinant constituere elementa, & incipiant constituere mistum differens specie ab elementis, generatio misti est interitus elementorum; pereunt enim formæ, quatenus formæ elementorum sunt, & subeunt nouam formalitatem, & ita fit alia forma. *Ad sextum.* Ad primum de qualitatibus patet responsio ex ijs quæ dicta sunt, negamus enim, formas elementorum penitus interire: quare si ita manere, vel non manere qualitates debēt, vt formæ, qualitates quoque elementares in misto fractæ, & castigatæ remanent. *Ad septimū.* Ad alterum negamus consequens: quum enim subiectum, in quo accidentia inhærent, sit prima materia, vt aliàs demonstrauimus, & in misto eadem materiæ portio maneat, quæ in elemētis fuit, qualitates non migrant in aliud subiectum, sed potius idē earum subiectum remanet. *In lib. de communi rer. generat.* Sed eò inualidius hoc argumentum est, quò nos dicimus formas quoq; substantiales aliquo modo seruari, quocirca ne fingi quidē potest migratio vlla accidentis de subiecto in subiectum.

Solutio argumentorum Thomæ, & aliorum Latinorum. Cap. XIII.

Ad primum. AD primum Thomæ sumptum ex verbis Aristotelis in contextu 84. lib. 1. de *Ad secundū.* generatione, & ad secundū acceptum ex primo capite secundi de partibus animaliū, dicimus, omnia esse concedenda, quatenus ostendunt qualitates seruari fractas, & castigatas, & ad vnam mediam redactas: sed quatenus ostendere se putat, formas elementorum substantiales nullo modo seruari, negamus eam esse mentem Aristotel. dum ait vires ele-

… torum manere, vt velit ſolas qualitates A [ſ]eruari ſine formis: iam enim diximus, per vires elementorum ibi ſignificari gradus formarum elementarium remanentes, hoc eſt, realitates ſeruatas ſub alia formalitate, vt antea locos illos interpretantes declarauimus. Cætera quoque argumenta quibus Latini euertere nituntur fundamentum Auerrois de formis elementorum, facilè ſoluuntur. Ad primum enim, quo Thomas infert illud abſurdum, ergo daretur medium inter duo contradictoria, B negamus conſequentiam; ad probationē autem poſſumus cum Buccaferreo dicere, Auerroem non ſtatuere formas elemētorum abſolutè medias inter ſubſtantiam, & accidens, ſed inter formas ſubſtātiales perfectas, & accidentia: hæc autem non ſunt contradictoria, quoniam inter accidentia, & formas ſubſtantiales perfectas ſunt formæ ſubſtātiales imperfectæ.

Ad primum contra Auerroem.

Sed cōſiderare præterea poſſumus, Auerroem nō dicere eas eſſe verè medias, ſed dicere, quaſi C medias; nullum enim datur medium inter ſubſtantiam, & accidens; nec formæ elementorum ita dicuntur mediæ, vt ſint mediæ per participationē, vel per negationem extremorum, ſed ſolùm per quandam ſimilitudinem, ſeu participationem conditionis alterius extremi: quum enim reuera contineatur ſub altero extremo, & in formis ſubſtantialibus numerentur; ſimiles tamen ſunt accidentibus in hac cōditione, quòd modo aliquo intendun- D tur, ac remittuntur, etſi non omnino vt accidentia, & hac conditione ipſæ inter omnes formas ſubſtantiales ſolæ participant.

Quomodo formæ elementorum ſint media.

Ad ſecundum Thomæ, quo illud aliud abſurdum inferebatur, ergo in ſubſtantia daretur continuus motus, nonnulli recentiores reſpondent, hoc non ſequi, propterea quòd ſi debeat fieri verus motus, non ſolùm requiritur vt forma intēdatur, & remittatur, ſed etiam vt ſubiectum ſit ens actu, ſicut ait Ariſtot. in 5. Phyſic. ſubie- E ctum autem formæ elementi eſt prima materia, quæ eſt ens poteſtate; quare ad hanc formam non eſt motus.

Ad ſecundum reſponſio recentiorum.

Sed hæc reſponſio vana eſt, & nullo modo eſt admittendum id, quod iſti concedunt, dari mutationem, continuam ſecundùm Auerroem ad formam ſubſtantialem, ita vt forma elementi acquiratur paulatim, & per gradus, & in tempore, ſicut etiam qualitates; quod quidem Auerroes nunquam concederet, qui putauit omnem formam ſub- F ſtātialem acquiri ſubitò, & totam ſimul; quaſe aduerſarijs ſatis eſſet ad hoc euidētiſſimum abſurdum nos duxiſſe. Adde quòd hoc conceſſo nō videtur negari poſſe eum eſſe verum motum, eſſet enim à forma imperfectiore ad perfectiorem, à remiſſa ad intenſam; & tali mutationi omnino competeret definitio motus in 3. Phyſic. tradita, vt cuique eam conſideranti patet: quum enim omnes dicant, generationem ſub ea definitione non contineri, niſi comprehēſa præuia alteratione; tamen A ſecundùm iſtos definitio illa competeret generationi acceptę etiam pro ſola introductione formæ ſubſtantialis, quod quidem nullus philoſophus diceret: patet autem in ea definitione non poni conditionem illam, quòd motus habeat ſubiectum ens actu, licet hæc ex ea definitione colligatur, quatenus definitio illa non competit reuera niſi mutationi, quæ fiat ſecundùm accidentia, quia hæc ſola fit cum ſucceſſione, & in tēpore: quòd ſi cum B iſtis concederemus, etiam formæ ſubſtantialis introductionem hoc modo per ſucceſſionem fieri, vanum eſſet negare eam eſſe verum motum.

Confutatio.

Reiecta igitur hac ſolutione, nos eam accipere debemus, quam ponit, ac declarat optimè Ioannes Bacconius in memorato loco: eſt enim neganda conſequētia, propterea quòd nullus datur in ſubſtantia verus motus, quo forma elementi paulatim, & per ſucceſſionem adueniat, vel recedat, ita vt ea- C dem ſeruetur ſpecies in categoria ſubſtantiæ; ſed quum forma elementi remittatur cum variatione ſpeciei, cuiuslibet gradus mutatio eſt variatio ſpeciei, & ſingulus gradus, quo adueniente, vel recedente generetur elementum, vel miſtum, aduenit, ſeu recedit non in tempore, ſed ſubitò, & poſt alterationem præuiam, quæ eſt verus motus: nam in fine alterationis fit momento temporis acceſſio, vel remotio illius gradus, quæ eſt generatio ſubi- D ta, nec poteſt appellari motus: id autem quod Thomas imaginatur, vtique ſequeretur, ſi nos aſſereremus, formam elementi intendi, & remitti abſq; variatione ſpeciei; paulatim enim generaretur elementum, & pars formæ accederet poſt aliam partem intra ſpeciem eiuſdem elementi: ſed quum ſingula mutatio gradus fiat momento temporis poſt præuiam alterationem in tempore factam, & in illo momento dicatur accedere illa formalitas, qua res conſtituitur, non fit generatio ſubſtantia- E lis, niſi ſubitò: hoc ſignificauit Auerroes in Commēt. 23. decimi Metaphyſicorum, quando dixit, vbi eſt magis & minùs, ibi eſt motus; at vbi omnia media differunt ſpecie ab extremis, ibi non eſt motus, quoniam ſingulum horum eſt conſtitutum in indiuiſibili: licèt enim realitas formarum elementarium ſit diuidua in gradus, in ſingulis tamen gradibus conſiſtunt nouæ formalitates, quæ ſingulæ F ſunt indiuiduæ, & acquiruntur ſubitò poſt præcedentem alterationem factam in tempore.

Vera ſolutio Ioan. Bacconij.

Ad tertium; quando alij dicebant, ergo formæ miſtorum intendi, & remitti poſſent; negandum eſt conſequens; dicimus enim, nullam dari propriè dictam miſtionem, niſi elementorum, theriaca verò vel non habet veram miſtionem, vel ſi habet, ea eſt miſtio elementorum, non miſtorum theriacam ingredientium, hæc enim conſtabant ex elementis, & eorum formæ conſtabant ex realitatibus formarum elementarium, hoc eſt, ex illarum

Ad tertium.

Omnis vera miſtio eſt elementorum.

larum gradibus seruatis sub formalitate misti;
& quia horum graduum in singulo misto cer-
ta, & statuta est proportio, & alia in hoc mi-
sto, alia in illo, ideò ex plurium mistorũ com-
positione variatur proportio, & prouenit a-
liud mistum: & quia cuiusque naturalis cor-
poris formalitas siue simplicis, siue misti indi-
uidua est, nec potest intendi, vel remitti, nisi
imaginatur; realitas verò diuidua est in va-
rios gradus, & est præcipuè elementorum, mi-
storum verò per participationem; ideo solis
formis elementorum attribuitur intensio, &
remissio, non formis mistorum, quia natura
statuit elementa vt materiam mistorum, non
mistum vt materiam misti; & elementa sunt
materia mistorum ratione suæ realitatis diui-
duæ per gradus, quoniam sine tali diuisibili-
tate non possent esse materia mistorum: hoc
videtur significasse Aristoteles in context. illo
Declaratio contexti.10.in 8.Metaphys. 10. lib. 8 Metaphysic. quem antea contra nos
aduersarij adduxerunt; inquit enim species
esse sicut numeros: quod declarans subiungit
[*sicuti numerus non habet magis & minus, ita
neque substantia, quæ secundùm formam est; sed
si qua substantia suscipit magis & minus, ea est,
quæ secundùm materiam est*] significat enim
formam substantialem indiuiduam esse qua-
tenus est forma, & essentia; & huiusmodi sunt
etiam formæ elementorum quatenus consti-
tuunt elementa, nec datur ignis, qui sit magis
ignis, quàm alius ignis: sed eadem elementa
quatenus sunt materia mistorum, & ratione
realitatis suarum formarum abiunctæ mente
ab omni formalitate, intẽduntur, & remittun-
tur suscipiendo varias formalitates: denotat
ergo ibi Aristot. aliquam esse substantiam, quæ
intenditur, & remittitur, sumit enim magis &
minus in ampla significatione pro qualibet
intẽsione & remissione, & talem substantiam
inquit esse illam, quæ est materia, dum consi-
deratur vt materia, talia autem sunt elementa
quatenus sunt materia mistorum, sunt autem
materia ratione realitatum suarum formarũ,
sed non ratione formalitatum. Hoc autem,
quod de elemẽtorum mistione diximus, pos-
sumus exemplo declarare, crasso quidem, ac
rudi, sed ad propositum satis accommodato:
sit statua equi fusilis ex auro, argento, & ære
simul colliquatis, & commistis, in qua sit plus
auri, & minus aliorum; sit alia statua bouis ex
eisdem metallis, in qua tamen sit plus argenti,
& minus aliorum; sit alia tertia statua leonis
ex eisdem metallis, in qua sit plus æris, quàm
aliorum; ita vt variæ fiat in ijs tribus figuris
mensuræ, & proportiones horum metallorũ:
deinde colliquentur iterum tres illæ statuæ, &
ex tota illa materia fiat statua vna hominis, di-
cetúrne homo ille fusilis constare ex equo, bo-
ue, & leone, an ex auro, argento, & ære? Certè
ex his metallis cõmistis constare dicetur, cum
alia tamen proportione, & diuersa à propor-
tionib. quæ fuerunt in tribus illis statuis bru-

A torum; sic igitur theriaca constare propriè di-
citur ex elementis, & viribus elementorum,
& diuersam habet temperiem à qualibet tem-
perie singulorum ingredientium, & ea tem-
peries est similiter nempe ex qualitatum ele-
mentarium, sicut etiam temperies omnes il-
lorum singulorum: ratio etiam ad hoc com-
probandum efficacissima sumitur ex ipsa mi-
stionis natura; nam miscibilia debent agere,
& pati inuicem & alterari; at non dantur qua-
B litates vllæ actiuæ præter primas elementares
qualitates, quæ alteratrices dicuntur; ideò si
in theriaca sit vera mistio, qua de re non est in
præsentia disputandum, ea est primùm, & per
se mistio elementorum, non mistorum, nisi
per accidens; contingit enim vt tot gradus sin-
gularum formarum elementarium ad mistio-
nem delati sint per illa corpora mista, sicuti
contigit vt allata materia ad constituendam
hominis statuam fuerit materia equi, bouis, &
C leonis. Dicimus igitur omnem mistionem
propriè acceptam, cui competat definitio mi-
stionis ab Aristot. tradita, esse mistionem ele-
mentorum; ideo id, quod aliqui dicunt, Arist.
de mistione agentem non solam elemẽtorum
mistionem considerare, sed quamlibet indi-
stinctè, admitti potest, dummodo concedant,
omnem veram mistionẽ, quorumcunq; cor-
porum sit, reduci ad mistionem elemẽtorum;
commiscentur enim inter se alia corpora per
D vires elementares, ex quibus constant; quare
elementa sola sunt per se miscibilia, alia verò
per elementa, quæ in se continent; nam ex ele-
mentis constare omnia mista satis per se ma-
nifestum est, & legitur clarè apud Aristot. in
lib. 2. de ortu & interitu, à context. 46. vsq; ad
50. dum loquitur de generatione mistorum:
patet igitur theriacam quoque ex elementis
constare, & eius mistionem, si qua est, à viri-
bus elementorum esse factam. Quod autem
E illi dicunt, si Aristot. ibi de sola elementorum
mistione loqueretur, de elementis priùs age-
re, quàm de mistione debuisset; hoc omnino
est negandum, & potest aduersus eos argu-
mentum torqueri: quemadmodum enim si
sola elemẽta sint miscibilia, necessarium apud
eos esset agere priùs de elementis, quàm de
mistione; ita si plura sint miscibilia præter e-
lementa, vt ipsi putant, de illis omnibus ob
eandem rationem erat priùs agendum, quàm
F de mistione. Dicimus igitur ad mistionis co-
gnitionem satis fuisse rudem quandam & con-
fusam miscibilium notitiam per quasdam v-
niuersales conditiones, neque opus fuisse di-
stinctè priùs agere de elementis; sed id postea
Aristotel. facere in libro secundo, & ex ea ele-
mentorum tractatione colligimus, solis ele-
mentis competere conditiones miscibilium
priùs tactas in capite de mistione: quoniam
enim fit mistio per qualitates actiuas & passi-
uas, quæ videntur cõmuniter competere & e-
lementis, & mistis, ita vt mistio esse videatur &

simplicium, & mistorum corporum: ideo docens postea Aristoteles qualitates illas esse ꝓprias elementorum, & illis competere per essentiam, mistis verò per participationem significat sola elementa esse propriè, & per se miscibilia, cætera verò per elementa, è quibus constant. Sumitur etiam horum confirmatio ex ijs, quæ dicuntur ab Aristotele in context. 43. primi libri; ibi nanque proponens de mistione agendum, nullam aliam huius tractationis rationem adducit, nisi quia oportet de elementis agere tanquam de materia mistorum; asserit ergo se de mistione agere velle ꝓpter elementa, proinde elemētorum tantummodò esse propriè dictam mistionem: & potiùs censuit, cognitionem mistionis esse necessariam ad considerationem elementorum prout sunt materia mistorum, quàm è conuerso perfectam elementorum cognitionem requiri ad cognitionem mistionis, sicut isti in argumento sumunt. Neq; turbare nos debent exempla, quibus vsus est Aristoteles agens de mistione, visus enim est significare mista quoque esse miscibilia, sed rudia exempla sunt, & satis habuit Aristoteles, si per illa propositum declararetur; & talibus exemplis solitus est passim in suis libris vti, quia manifestiora, & faciliora intellectu sunt; ijs autem exemplis aliquæ tantùm mistionis conditiones declarantur, vt debere miscibilia esse liquida, & se mutuò diuidere in paruas particulas; ad has enim cōditiones declarandas satis erāt etiam exempla mistorum: at præcipua illa conditio miscibilium, quòd debeant esse actiua inuicem, & passiua, elementorum propria est; nec mistis alia ratione competit, quàm per elementa, è quibus constant.

Ad quartū. Quartum argumentum leue prorsus ac puerile est: datur enim res aliqua perfectior absolutè alia re, imperfectior tamen eadē re secundùm aliquam conditionem; vt asinus, quum sit substantia, est absolutè perfectior, ac nobilior motu Cœli, & luce Solis, quæ accidentia sunt; attamen hęc apud Aristotelem ratione æternitatis, quę est conditio nobilis, sunt nobiliora asino, qui mortalis est: quare ipsimet aduersarij dicerēt, asinum illis accidentibus nobiliorem esse simpliciter loquendo, sed illa esse asino nobiliora secundùm quid: sic etiam prima materia, quū apud Aristotelem æterna sit, est nobilior ratione huius cōditionis, quàm forma, & quàm compositum; tamen absolutè loquendo est ignobilior, & imperfectior illis. Sic ergo dicimus, formas elementorum esse absolutè nobiliores quolibet accidente, quia substantiam constituunt, & in specie collocant, quod acci-

A dentia præstare non possunt; posse tamen aliqua accidentia habere aliquam conditionem nobiliorem, vt si qua sint, quę nullo modo intendi, aut remitti possint; nam posse intendi & remitti notat imperfectionem: talia itaque accidentia secundùm hanc conditionem nobiliora dici possint formis elemētorum, sed illæ sunt ipsis absolutè nobiliores. Plura etiam eiusmodi in rebus videmus; nam multa bruta hominibus præstant robore corporis, vel efficacitate visus, vel aliqua alia eiusmodi conditione; homo tamen absolutè loquendo est omnium animalium præstantissimus, quandoquidem alijs pluribus, & illis quidem nobilissimis conditionibus, brutis omnibus antecellit.

Ad quintū. Ad auctoritatem autem Aristot. in libro categoriarum dicentis proprium esse substantiæ non recipere magis vel minus, ego quidem alienam ab Auerroe arbitror esse illam responsionem, quam ei attribuunt plures Auerroistę, nempe vt Auerroes dicat Aristotel. ibi loqui de perfectis tantùm substantijs, proinde non negare substantiam aliquam imperfectam suscipere magis & minus; hoc enim si Auerroes diceret, in errore esset: quia quodlibet esse substantiale indiuiduum est, neq; recipit magis vel minus, etiamsi respectu aliorum perfectiorum imperfectum dicatur; idq; vt verum est de omni composito in categoria substantiæ tam simplici, quàm misto, ita etiam de formis concedendum est; nequeunt enim formę recipere magis vel minus, quin ipsa quoque cōposita dicātur magis vel minus talia: quamobrem non opus est aduersarios in hac respōsione impugnanda laborare, ego enim eam penitus reijciendam arbitror, vt ab Aristotele & ab Auerroe alienissimam. Dico igitur Aristotelem ibi sumere magis & minus pro eo quod est intēdi vel remitti sine variatione speciei, quæ, vt antea diximus, est propria acceptio; hoc autem nulli substantiæ seu perfectæ, seu imperfectæ, seu compositæ, seu simplici competere potest; idque legentibus verba Aristot. manifestum est: sed non ob id negat Aristot. posse aliquam substantiam intendi, & remitti cum mutatione speciei, siquidem hanc intensionem, ac remissionē ibi non considerat; quum præsertim huic sententiæ attestetur dictum Aristot. in context. 10. octaui Metaphysicorum, vt antè considerauimus: species enim similes esse dicit numeris, quibus additio, ac detractio fieri potest cum mutatione speciei; sed quælibet numeri species indiuidua est secundùm essentiam, neque potest ei fieri additio, vel detractio, quin destruatur, & alia numeri species oriatur.

IACOBI

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Libri Duo

DE QVALITATIBVS ELEMENTARIBVS

LIBER PRIMVS.

Propositio, ac partitio dicendorum. Cap. I.

In lib. de Natur. scientia constitut.

DICTVM à nobis est aliàs, quatuor simplicium corporũ, quę elementa vocantur, duo esse munera in mundo, proinde etiam in philosophia naturali duas eorundem esse considerationes, vnũ prout naturalia, & simplicia corpora sunt, quæ per grauitatem, & leuitatem proprios quęque locos in mundo occupant; alterum verò quatenus mistorum principia & elementa sunt, & per quatuor primas qualitates, quæ alteratrices vocantur, in mistionem venientia constituunt mistum. Sed illa quidē, quę ad priorem eorum corporum considerationem attinent, satis à nobis tractata fuere in eo libro, quem de grauium, & leuium motu conscripsimus, nunc alteram, quæ multis magnisq; difficultatib. referta est, adgressuri sumus, & elementa consideraturi, quatenus elementa, & principia mistorum sunt: & quoniam, vt Arist. docet in initio lib. 2. de ortu & interitu, corpora hæc eo munere funguntur per primas qualitates, quarum inter se actione & passione absoluitur mistio, & generatur mistum; tota de his qualitatibus hæc disputatio nostra futura est; his enim optimè declaratis, cognita erunt elementa, quatenus principia mistorum, & elementa sunt. Tria autem sunt, quæ de his consideranda nobis proponuntur: primo enim loco videndum est, quid sint hæ, quæ primæ qualitates appellantur, & harũ definitiones, quæ ab Arist. traduntur, expendendæ; deinde verò de earum causis, vnde elementis proueniũt, agemus; ac demũ quasdam quæstiones, de quibus alij maximè disputare, & controuerlari consueuerũt, ad has qualitates pertinentes proponemus, atq; soluemus; in horũ enim plena intelligentia consistere arbitramur perfectam elementorũ cognitionem, quatenus mistorum principia, & elementa sunt: quomodo autem ex horum

In lib. de Generat. misti.

A congressu generetur mistum, ad alium locum opportuniùs considerandum remittemus.

Quomodo ad elementa se habeant primæ qualitates. Cap. II.

QVum duæ sint, quas modò diximus, elementorum considerationes in naturali philosophia, duob. etiam modis ad elementa se habere primas qualitates alibi ostendimus: nam si absolutè elementa vt B naturalia corpora cõsiderentur, hæ non sunt eorũ formæ substantiales, sed accidentia consequentia de genere qualitatis, quod probat pluribus argumentis Achillinus in lib. 3. de elementis, dubio 4. sed hęc consideratio à pręsenti nostro instituto aliena est: si verò eadem vt elementa mistorũ accipiantur, eædem sunt ipsorum elementorum constitutrices formę, quia sine his corpora illa non essent elementa mistorum. Non est autem ignorandum, pri C mas has qualitates ab Arist. in lib. 2. de ortu & interitu & formas, & principia elementorum, & materiam elemētorum vocari, & quandoq; etiam appellari elementa, & materiam misto rum: quatenus enim in generatione elementorum hæ qualitates sunt præparationes materiæ pro singulorum elementorum formis educendis, eatenus vocantur ab Arist. materia elementorum in 6. context. illius lib. 2. nam præuiæ dispositiones faciunt materiam pro D priam, & pręparatam ad recipiendam formã: dum autem elementa considerantur vt genita, & iam existentia, hæ sunt formæ ipsorum constitutrices, quia faciunt vt sint elementa mistorum, & hac eadem ratione ipsæ qualitates ab Arist. etiam elementa vocantur; nã sępe in appellatione confundere solet formã cum composito ab ea constituto: ideò quum hæ qualitates elementa constituant, ipsæ quoq; hac ratione elementa vocantur, veluti si quis animam humanam hominem appellaret: hæc legere possumus apud Aristot. in contex. 7. & 16. eius 2. lib. vbi has qualitates vocat indistinctè & elementa, & formas elemento-

Qualitates non sunt formæ elementorum.

Q

rum: & principia constitutiua elementorum: easdem vocat etiam materiam mistorum in cap 1.lib.2 de partibus animalium,quia dum constituunt elementa, materiam mistorũ constituunt:quæ igitur respectu elementorũ sunt formæ constituentes, & dantes elementis esse respectiuum, quo dicuntur materia mistorũ, eædem respectu misti dicuntur materia, quia totum elementum ita ab his constitutum materiæ locum habet respectu misti. Hæc igitur omnia secundùm varias considerationes vera sunt,nec pugnant inter se: cognita enim veritate non difficile est varia Arist.dicta, quæ discrepantia videntur, conciliare, & ad rectum sensum trahere. His igitur declaratis, ad primarum qualitatum definitiones, quæ ab Aristot. afferuntur, considerandas accedamus.

De definitionibus quatuor primarum qualitatum. Cap. III.

OStendere volens Aristot. quatuor primarum qualitatum duas esse actiuas, calorem,& frigus,duas verò passiuas, humiditatem,& siccitatem: in medium affert earum definitiones, in quibus id manifestum est, vt legere possumus in contex 8. & 9.lib.2. de Ortu & interitu : sunt autẽ definitiones tales:calidum est quod congregat homogenea, seu quod segregat heterogenea , vt homogenea congregentur : frigidum verò est, quod indistinctè omnia congregat , tam homogenea, quàm heterogenea ; congregare autem, & segregare est agere: quare ex his definitionibus patet has duas qualitates esse actiuas: humidum verò esse dicit id,quod non est terminatum proprijs terminis , sed facilè terminatur alienis,at siccum è contrario,quod terminatum est proprijs terminis , alienis verò non facilè terminatur: terminari aũt est pati: idcirco hę definitiones declarãt has duas qualitates esse passiuas. Videntur autem hæ omnes definitiones satis esse manifestæ : nam in vrina hypostasis secernitur à partibus aquosis,& est signum bonæ concoctionis,quæ fit à calore:sic autem separantur illa,quæ sunt diuersorum generũ,& simul congregantur omnia, quæ eiusdem generis sunt,in fundo enim congregantur omnes partes terrestres in parte autem superiore omnes aquosæ : ita in vino feruescente secernũtur à calore partes terrestres à tenuioribus:sic si in aliqua cera indurata commisti sint lapilli,& paleæ, & cera per calorẽ liquefiat,congregãtur in fundo omnes lapilli,in superficie verò omnes paleæ supernatant , & in medio manent omnes partes ceræ;separantur igitur à calore heterogenea, vt homogenea congregentur. Contrà verò à frigore manifestum est omnia congregari indistinctè, tam homogenea, quàm heterogenea;

Definitio calidi.

Definitio frigidi.

A sicut enim calidi est calefacere, vnde fit separatio eorum,quæ sunt diuersorum generum, ita frigidi est condensare,& constipare:quare si cera à frigore cõdensetur, omnia,quæ in ea sunt,cõiunguntur,vt prædicti lapilli, & paleę cum cera commisti ; nam si omnia hæc commisceantur, superueniens frigus ea coniungit & facit vt congregata,& coniuncta maneant:sic aqua turbida congeletur à frigore,coniunctę manent cum aquæ partibus particulæ terræ, B donec à calore congelationem soluente segregentur : sic verò etiam cera pura congregabitur à frigore;proinde frigus condensando coniungit omnia tam homogenea, quàm heterogenea , quæ commista esse contingat. Duarum quoq; passiuarum definitiones satis manifestæ sunt. humidum enim quum sit fluxile, proprios terminos retinere nequit, sed facilè recipit alienos ; figuratur enim facilè à continente,& figuram eius recipit, vt in vase C videmus aquam,vel aerem facillimè ad figuram vasis figurari:fluit enim statim ad omnes partes continẽtis, & ita recipit terminos alienos: contrà verò siccum iam est terminis proprijs terminatũ , sed alienos nõ facilè recipit: nam si in aliquod vas iniiciantur lapides, non figurantur ad figuram vasis, sed proprijs terminis terminati manent. Sic ergo(inquit Aristot.)ex harum qualitatum definitionib. apparet calorem & frigus notare aptitudinẽ ad a- D gendũ,humiditatem verò & siccitatem notare aptitudinem ad patiendũ. Hæc sunt,quæ ibi de his dicuntur ab Arist.quę eadem postea repetũtur in initio 4.Meteorol. Sed aduersus hæc magnæ oriũtur difficultates,quæ ad hãc vsq; diem omnib. negotiũ facessunt,& aliquæ etiam quæ à nemine tactæ vnquam fuere: dubia enim occurrunt primo loco aduersus veritatem harum definitionum,quatenus absolutè considerãtur vt prædicata quædam, quæ E his qualitatibus attribuũtur;deinde verò dubiũ videtur,quomodo essentiam harum qualitatum declarent,& sint earum definitiones; quum enim munus definitionis sit exprimere essentiam definiti,non apparet quomodo per has harum qualitatũ essentia exprimatur, ita vt aliter definiendæ nõ sint: hæc igitur vtraq; considerare oportet, quum vtraq; dubia esse videantur,vnum,an competant his qualitatibus ; alterum , an essentialiter competant, & F earum definitiones appellandæ sint.

Definitio humidi.

Definitio sicci.

Dubia aduersus veritatem prædictarum definitionum, & earum solutio. Cap. IV.

ADuersus harum definitionum veritatẽ multa dubia ab interpretib. Arist. proponuntur. Primùm quidem aduersus definitionẽ calidi : nam cera & pix,& simul à calido colliquentur, ita commiscentur, vt se-

iungi

iungi amplius nequeant; ita etiam stannum, & plumbum, sic multa ab aromatarijs per calorem ignis commiscentur, quæ non possunt amplius separari: ergo calidum congregat, & coniungit illa, quæ sunt diuersorum generũ: contrarium tamen asseruit Arist. dicens calidum segregare heterogenea.

2. Dubium. Dubitatur etiã de frigido; quia tempore hyemis fit emissio lachrymarum à frigore, ergo frigus segregat heterogenea, quod Arist. negauit: sic sanguis è venis eductus refrigeratur, & partes eius terrestres fundum petunt, aquosæ supernatant, purior autem sanguis in medio manet; itaq; à frigore segregantur heterogenea, & illa eadem videntur à calore congregari potiùs, quàm segregari: nam illæ eædem sanguinis partes heterogeneæ priùs erant commistæ, & confusæ, dum sanguis erat in venis; à calore igitur commiscentur, & cõgregantur, postea verò segregãtur à frigore: calidum igitur cõgregat heterogenea, frigus verò eadem segregat: igitur Arist. in vtraq; definitione falsum dixit.

3. Dubium. Dubitant præterea de definitione sicci; dixit enim Arist. siccum esse terminatũ proprijs terminis, alienis verò non facilè terminari: attamen contrarium cõtingit in igni, qui maximè siccus est; terminatur enim facillimè terminis continentis, nec retinet terminos proprios; quapropter igni conuenit potiùs definitio humidi, quàm definitio sicci. Sic etiam cinis & puluis facilè terminantur à continente, proprios autem terminos non facilè seruant: falsum igitur dixit Arist. in definitione sicci, dum contrarium asseruit, quum hæc sint corpora sicca.

Solutio primi & secundi. Vt hæc dubia, & alia eiusmodi omnia soluantur, statuendum præ cæteris est fundamentum hoc: potest aliquid alicui competere per se, & essentialiter, cuius tamen oppositum eidem competat, sed per accidens; vt calido nihil magis per se competit, quàm calfacere, tamen quandoq; calidum refrigerat, sicut etiam frigidum calefacit, sed per accidens, vt euenit in antiperistasi; neque per hoc tollitur quin per se dicatur calidum calfacere, & frigidum refrigerare: sic igitur per se competit calido etiam rarefacere, & extenuare, hæc enim est caloris natura, & ex hoc fit vt homogenea cõgregentur, heterogenea verò segregentur, nisi quid aliud prohibeat: quare hęc omnia per se cõpetunt calido, licet eidem quandoque competat per accidens vt cõgreget heterogenea, vt contingit in cera, & pice dum colliquantur; scopus enim naturę caloris esset separare picem à cera, sed propter cõuenientiam naturæ, & similitudinem liquationis fit vt simul colliquatæ nequeant separari, hæc n. conuenientia prohibet, ne calidum præstet suam operã naturalem: quare per accidens congregat heterogenea, quum

A potiùs ea congreget quatenus vergunt ad naturam homogeneorũ, nempe ratione conuenientiæ, & similitudinis, quam inter se habẽt. Hoc enim contingit in multis rebus, quæ ab aromatarijs per colliquationem commiscentur; sed ipsi præterea adijciũt commistionem artificiosam, quæ impedit separationem heterogeneorum, segregarentur enim frequenter res heterogeneæ ex actione caloris, quæ tamen prohibentur segregari per commistio- B nem artificiosam baculo factam; sed etiã sine hac possunt per accidens congregari ob conuenientiã in modo liquationis, sicuti dicebamus de cera & pice: sic etiam stannũ, & plumbum ob liquationis similitudinem à calore commiscentur, & cõiunguntur; at plumbũ, & cera non ita cõmiscerentur, sed segregarentur, quia dissimilem habent liquationem, cera enim faciliùs, plumbum verò difficiliùs liquescit. Potest etiam alia ratione calidum he- C terogenea per accidens cõgregare: quatenus enim res aliquas indurat, dum partes tenuiores resoluit, vt in luto cõtingere videmus, eatenus etiam facit vt res crassiores, quæ remanẽt, etiamsi diuersorum sint generum, maneant tamen congregatę; quia crassities, ac durities, in qua res illę conueniunt, impedimento est earum separationi. Considerandum præterea est alia competere calori vt secundùm propriam naturam agenti, alia eidem com- D petere, vt agenti instrumentario, & gubernato ab aliquo agente primario: quoniam enim actio pręcipuè attribuitur agenti primario, ideo potest à calore aliqua actio prouenire, quæ sit præter ipsius caloris naturã, sed secundùm naturam, & consiliũ agentis primarij, à quo regatur calor: patet autem hoc discrimẽ in sanguine existente priùs in venis, deinde ex venis educto, de quo nũc dubitabamus: dum enim sanguis est in venis, regitur ab anima, E quare tunc calor agit ex intentione animæ, non ex intentione propriæ naturæ; nam si secundùm propriam tantùm naturam ageret, vtiq; heterogenea segregaret, quod manifestè facit postquam est eductus è venis, nam terrestres partes fundũ petunt, aquosę supernatãt, prior aũt sanguis in medio loco manet; fit enim separatio hæc à calore, quem adhuc seruat sanguis, non à frigore; quia si statim eductus sanguis omni calore destitueretur, vide- F remus ipsum ita condensari, vt illa omnia in eo commista, & coniuncta manerent absq; vlla separatione; agit autem tunc sanguis proprijs viribus, neq; est amplius subiectus imperio animæ, ideo eius calor separat heterogenea: qui idẽ quando in venis inclusus sanguis continebatur, quanquã maior, atq; intensior calor erat, non segregabat heterogenea, quia obtemperare cogebatur imperio animę, quæ

vult ex tota illa massa sanguinea omnes corporis partes nutrire, & illā vertere in substantiam animalis: sic dicimus de vrina, separantur enim in ipsa partes heterogeneę à calore, non à frigore, nam vrina egreditur calida, vt manifestum est; dum autem erat in vesica, vel similiter partes terrestres ad fundum descenderunt, & postea in emissione sunt commistæ cum vrina, vel etiam ab animæ regimine prohibetur aliquantum illa segregatio ob vtilitatem animalis. Ad horum aūt cōfirmationem cōsiderare possumus motum localem nutrimenti in eisdem viuentib. corporibus; nā alimentū, quod sua natura est graue, & naturaliter descenderet, mittitur tamē ab anima etiā ad superas corporis partes: sicut ergo anima imperare potest graui ne descendat, & facere vt ascendat, ita etiam potest imperare calido ne segreget heterogenea, nisi vbi ipsamet anima hanc separationem molitur; nam per vasa huic vsui assignata segregantur aliquæ partes sanguinis aquosiores ad renes, terrestriores verò aliquæ ad lienem, sed aliæ tamen in venis manent commistæ cum sanguine, quas natura non vult segregari; patet aūt in eodem sanguine è venis educto idem contingere de eius motu, qđ de calore dicebamus; eductus enim sanguis quum ab anima ampliùs nō regatur, nō mouetur naturaliter alio motu, quā descensu; agit enim tūc secundùm propriam naturam, quemadmodum etiā eius calor tūc imperio animæ absolutus incipit agere secūdùm naturā suam, & heterogenea separat. Ex his igitur manifestum est, cōpetere posse quādoque calori vt congreget heterogenea, neq; per hoc stare, quin eidem per se competat vt segreget heterogenea; hæc enim non congregat nisi per accidens, & ratione alicuius prohibentis; definiendæ aūt sunt res per illa, quæ eis per se competunt, non per ea, quæ per accidens. Sic dicendum est de emissione lachrymarum à frigore, fit enim per accidens, nam per se frigido competit constringere, & condensare, hoc aūt per se facit congregationem omniū indistinctè; quòd si in illa constrictione eueniat vt aliquid humoris tenuis exprimatur, id fit per accidens, & præter intentionē frigidi agentis, quod quidem per se solā congregationem molitur, quia fit per se congregatio ex constrictione; sed propter differentiam, quę est inter crassum, & tenue, fit per accidens expressio partium tenuiorū, & earum à crassis partibus segregatio, talis nanq; est emissio lachrymarum à frigore: sic etiam dicebamus, fieri etiam quandoq; à calido condensationem, sed per accidens, vt quando calor lutum indurat; quum enim per se competat calido rarefacere, rarefiūt in luto partes aquosæ, & in vaporem resolutæ exhalantur, partes

A autem terrestres non ita facilè resoluuntur, ideo induratæ manent, quoniam humore destituuntur: calor itaq; per se extenuat aqueas partes, & eas separat à partibus terreis, sed facit per accidens vt partes terreæ maneant duriores. Ad alia verò dubia adducta aduersus definitionem sicci respondet de igni Ioannes Grāmaticus, flammam, quæ est in fornace, nō facilè terminari, seu figurari à figura fornacis, quia non cōquiescit in fornace, vt aer, sed

B erumpit, & ascendere nititur, atq; si id facere nequeat, extinguitur; terminos quoq; proprios habet, nam habet figuram pyramidalem; quare illi competit definitio sicci. De cinere autem & puluere negat Ioannes corpora hæc esse ita fluxilia, vt corpora humida; non enim ita locum adimplent, & perfectè figurantur à continente, vt aer, & aqua, & alia humida, quæ statim à continente recipiūt terminos & figuram, & perfectè omnes continētis partes

C attingūt; quo fit, vt cinis & puluis habeant etiam figurā propriam, & eam retineant, quando coaceruātur, aceruus enim propriā habet figuram. Sed has Ioannis solutiones ego quidem penitus approbare non possum. Quod enim de igni dicit, ipsum nō facilè terminari à continente, admitti potest, quia nullam reuera stabilitatem habet flamma in fornace, totum verò elementum ignis terminatur quidē à cœlestis corporis superficie, sed cum maxi-

D ma partiū perturbatione, & instabilitate. Sed illud, quod dicit, flammā habere propriam figuram, nulla ratione admittendum videtur: id enim propriam habere figurā dicimus, quod stabilitatem habet, cuiusmodi non est flāma, semper enim fit alia & alia, neq; seruatur eadem: quòd si quam figuram habere videtur, eandem habet etiā aqua descendens, quando ex aliquo vase effunditur, quū tamen sit corpus humidū, quod Arist. negat habere termi-

E nos proprios: quocirca difficultas integra manet. Possumus igitur aliter dubiū soluere dicēdo cōditiones humido attributas ab Arist. videri quidē modo aliquo etiā igni, q siccus est, cōpetere, sed id esse per accidens; fit enim propter partium tenuitatem, vt facilè terminari alieno termino videatur, nō propter siccitatem, quum non omni sicco id competat: Itaq; hoc ei competit, quatenus est tenuis, nō quatenus siccus: quo fit, vt nō perfectè ei com-

F petat, sicuti perfectè competit humido; quatenus enim est humidum, eatenus fluidū est, nec potest retinere proprios terminos, & facilè recipit alienos. Sed dignum consideratione est id, quod pro huius dubij solutione dicitur ab Auerroe in initio suæ Epitom. 4. Meteor. eaq; mihi videtur omniū tutissima esse responsio: inquit Auerroes Aristo. telem describere has qualitates per quasdam propri-

etates.

Ad tertium.

Responsio Ioan. Gram.

Confutatio.

Solutio vera.

Alia solutio.

tates, quæ cōpetunt elementis prout elementa sunt, & prout in mistionem veniunt, ac respiciunt productionem misti; mistio autem omnis celebratur in terra, vel prope terram, propterea quòd ibi commodè fit mistio, vbi adsunt omnia elementa: adsunt autem omnia apud terram, vbi manifestè fit triū elementorum inferiorum contactus, & partes quoq; igneæ tum supra terrā, tum in terra genitæ ab actione cœlesti: præterea in omni perfecto misto terra præualet, & illi adhibetur aqua ad compagem faciendā, deinde aër & ignis propter calorem, vt castigatus à frigore terræ & aquæ regat, & moderetur siccum iunctum humido, & mistionem absoluat, mistū enim recipit à calore terminos propter humidum, & retinet propter siccum: igitur si facilè vel non facilè terminari considerentur in sicco & humido vt acceptis in constitutione misti, tollitur omnis difficultas: Arist. enim definiens siccum respexit præcipuè siccum terræ, quod cum à calido & frigido terminari debeat, requirit ad mistionem humidi aquei, vt possit facilè terminari: ignis aūt videtur in mistionē venire potiùs vt calidus, quàm vt siccus; vt enim est calidus, agit, ac moderatur; vt aūt est siccus, non fungitur nisi officio materiæ, sed condensatus, & adiunctus sicco terreo patiā admodum molem adijcit, & parum materiæ misto suppeditat, quoniam ad paruam quantitatem restringitur siccum igneum dūadiungitur sicco terreo: quare totum ferè illud siccum, quod est materia misti, terreū est, vt expresè dicitur ab Arist. in contex. 49. & 50. lib. 2. de ortu & interitu Sententia ergo Auerrois est, non esse necessarium, vt hæ descriptiones veræ sint de qualitatibus elemētorum, prout insunt elementis secūdùm se, & absolutè consideratis, sed solùm prout in mistionem veniunt vbi siccum humido iunctum debet à calido terminari; in mistione aūt totum siccum terreum est propter magnum terrę excessum, & illi adiunctū aliquid sicci ignei non habet amplius illā tenuitatē, quam habet ignis per se, & ab alijs elementis seiunctus: quoniam igitur Arist. accepit has qualitates vt ꝓductionem misti respicientes, in productione aūt misti totum siccum iam est factū solidum, ac difficulter ab alio terminabile, quia per magnū excessum est siccum terreum, & illi adiunctū patum sicci ignei est factū crassum, ac densum; de hoc sicco vera maximè est definitio sicci ab Arist. allata, & omni carens difficultate, neque necessarium est, vt accōmodetur elementis vt simpliciter, & extra mistionem considératis; quū præsertim traditæ sint elemētis hæ qualitates propter constitutionem misti, non pront sunt absolutè corpora naturalia, sicut alio in loco demonstrauimus: hanc esse puto

In lib. de Natur. scientia persist.

A verissimam solutionem difficultatis; quæ de sicco ignis oriebatur. De cinere aūt, ac de puluere præter id, quòd à Ioanne Grammatico dictum est, addere nos possumus, cinerem seu puluerem non esse vnum corpus continuum, sed congeriem particularum terræ minutissimarum; proinde mirandum non esse, si videantur faciliùs terminari à continente, quàm siccum aliquod continuum, quod sit verè vnum corpus; hæc enim sunt multa corpora B collecta, sicuti aceruus frumenti, in quo disiuncta inuicē sunt grana, quò fit, vt fluxū aliquē habeāt, per quem recipiūt aliquam figurationē à continente: at si conglobetur, & cōstipetū aceruus pulueris, ita vt fiat vnū corpus, non amplius recipiet facilè terminos ab alio, sed proprios terminos habebit, ac retinebit.

C

Quomodo primarum qualitatum duæ dicantur actiuæ & duæ paßiuæ.

Cap. V.

Dubium præterea est illud, quod Arist. dicit tum in prædicto loco lib. 2. de Ortu & interitu, tū in initio 4. Meteorol. calorem & frigus esse qualitates actiuas, humiditatem verò & siccitatē esse passiuas; huic enim sententiæ aduersantur illa, quæ & in primo, & secundo de Ortu & interitu lib. dicūtur: in primo quidem docuit Arist. contrariū agere in suum contrarium, & pati à suo contD trario; agit ergo & calidum in frigidum, & frigidum in calidum, & patitur frigidum à calido, & calidum à frigido; ergo hæ duæ qualitates nō solùm actiuæ, sed etiam passiuæ sunt: sic etiam humiditas & siccitas, quum sint contrariæ, agunt inuicem, ac patiuntur; ergo non modò passiuæ sunt, sed etiā actiuæ; agit enim & humidum in siccum, & siccum in humidū: in secundo aūt lib. docuit, quodlibet elementum à quolibet elemento pati ratione contra E rietatis, & aliquod pati ab aliquo per vtranq; qualitatē, nempe si vtranq; habeat contrariā vtrique, vt patitur aqua ab igni, & ignis ab aqua: aliquod verò pati ab aliquo secundùm alteram tantùm qualitatem, videlicet si in altera conueniant; patitur ergo & aër ab igni, & ignis ab aëre: atqui non possunt pati ratione caloris, quum ambo sint calidi: quare patitur aër ab igni vt humidus à sicco, & ignis ab aëre vt siccus ab humido; igitur etiam siccum & F humidum sunt actiua in se mutuò, non solùm passiua: sic terra & aqua agunt in se mutuò, at nō secundùm frigus, quū in eo conueniāt, ergo ratione siccitatis & humiditatis. Marsilii & alij nonnulli hanc difficultatē ita soluunt: omnes hæ qualitates sunt actiuæ, & omnes passiuæ, vt Arist. in memoratis locis significauit; sed calidum & frigidū sunt magis actiuæ, quàm humidum & siccum, & è contrario hæ

Opinio Marsilij.

sunt magis passiua, quàm calidum & frigidū: hoc igitur considerans Aristot. per comparationē dixit duas esse actiuas, & duas passiuas, id est, duas esse magis actiuas, duas verò magis passiuas. Sed hæc sententia à multis recentioribus reprobatur, nec iniuria; patet enim Arist. hac comparatione non vti, sed absolutè loquendo has vocare actiuas, illas verò passiuas. Præterea ostendit hoc Arist. ex earū definitionibus: at in definitionibus calidi & frigidi sola actio significatur, de passione nihil dicitur; sic in definitionibus humidi & sicci ne verbum quidem de actione fit, sed sola passio tangitur. Adde quòd dum duas vocat actiuas, & duas passiuas, non cōsiderat actionem contrarij in contrarium, vt calidi in frigidū, sed totius contrarietatis calidi & frigidi in totam contrarietatē humidi & sicci; sic aūt patet calidum & frigidum esse solùm actiua, humidum verò & siccum passiua solùm, quia nemo vnquam dixit humidum & siccum agere modo vllo in calidum & frigidum: itaq; dictū Arist. non est comparatiuum, quia comparatiuum præsupponit positiuum, quod hic dici non potest: fatuum enim esset dicere calidum & frigidum magis agere in humidū & siccū, quàm hæc in illa, quum hæc in illa nullo modo agant: neq; enim dicendum est, calidum & frigidum magis agere inuicem, quàm humidum & siccum inuicem, quum Arist. (vt diximus) non consideret actionem contrariæ in contrariam, sed totius contrarietatis in totam contrarietatem. Præterea non possumus dicere calidum & frigidum esse magis actiua inuicem, quin dicamus esse etiā magis passiua; etenim dum vnum agit, alterum patitur: quare si intelligant calidum & frigidum magis agere inuicem, quàm humidum & siccum inuicem, & hæc magis pati; quàm illa inuicem, est in eorum sententia repugnantia manifesta, & insolubilis. Hac igitur reiecta videntur cæteri omnes hanc difficultatem soluere dicendo has omnes qualitates esse actiuas, & omnes passiuas, dum cōsiderantur in simplicibus secundùm se sumptis: at dū considerantur respectu misti; & prout ad misti generationem cōgrediuntur, duas esse actiuas tantùm, & duas tantùm passiuas: Arist. igitur quando dixit omnes esse actiuas, & omnes passiuas, cōsiderauit eas in simplicibus corporib. prout mutantur inuicem, absq; vllo mistorū respectu; aqua enim in terram agit humectando, terra verò in aquam exiccando, vt in dubitatione dicebatur: quando aūt dixit duas esse actiuas tātùm, duas verò tantùm passiuas, cōsiderauit eas in elementis vt congredientibus ad generationem misti: quare secundùm varias considerationes verum est vtrunque: sumunt autem hanc solutionem ex Auerroe in initio 4. Meteorol. & ex Ioanne Grammatico in cōtex. 8. lib. 2. de Generatione. Mihi tamen videtur hæc communis solutio aliquam pati difficultatem; quia in mistione quoq; & misti generatione necesse est omnes agere, & omnes pati: quū enim in mistione oporteat fieri miscibilium diuisionem in minutas partes, & earum inter se actionem, qua ad mediocritatem redigātur, necesse est particulam siccam exiccare particulam humidam iuxta se positam, & vicissim ab eadem humectari, & calidam à frigida refrigerari, & frigidam à calida calefieri: oportet igitur omnes agere, & omnes pati, vt contrariæ omnes se mutuò obtundāt, & totum ad naturam mediam redigatur, quare difficultas integra manet, quomodo etiam in productione misti, quam respexit Aristot. dicens duas actiuas esse tantummodo, & duas passiuas, verum est dictum hoc, si etiam patiuntur? nō est ergo distinguēda harū qualitatum cōsideratio in simplicib. & in mistis, quod illi faciunt, sed melius est, vt hac distinctione vtamur. Actio harum qualitatū duplex est; vna vniuoca, quia est apta singulā gignere similem, quod facere non potest, nisi suam cōtrariam interimendo; altera verò æquiuoca, qua producūt secūdas omnes qualitates, & ipsam quoq; misti naturam diuersam à naturis elementorum. Priorē actionē exercēt hæ omnes qualitates non solùm in simplicibus, sed etiā in mistis, & hac ratione omnes sunt actiuæ, & omnes passiuæ, quælibet enim suam contrariā destruere, & similem producere nititur; quare humidum quoq; agit in siccū, vt ipsum interimat, & producat humidum, & è contrario siccum agit in humidum, vt ipsum perimat, & generet siccum. Alteram verò posteriorem actionē exercent in mistis tantùm, eaq; est præcipua elemētorum operatio prout elementa sunt; huius enim gratia data eis est à natura altera prior actio, quia sine illa hanc posteriorē exercere minimè potuissent: ratione igitur huius secūdæ actionis, quam nos æquiuocam appellauimus, Arist. duas tantùm actiuas vocat, calorem & frigus; duas verò passiuas tantùm, humiditatem & siccitatem; hæc enim nō est ampliùs actio contrariæ in contrariam, sed tanquam artificis in materiam; siccitas enim & humiditas nullam habent vim actionis æquiuocæ, qua agendo aliquod diuersum producant, sed sunt conditiones constituentes materiam aptam ad patiendum à duabus actiuis, tanquam ab artifice elaborante: calor enim nec secūdas qualitates, nec mistum produceret agendo in solum humidum, vel in solum siccum, sed in humidum cum sicco coniunctum; ipse autem calor nō debet esse summus, sic enim igneus, ac destructiuus esset, sed debet esse

Confutatio. — Aliorum opinio. — Confutatio. — Opinio vera. — Actio primarum qualitatū alia vniuoca, alia æquiuoca.

debet esse remissus, & castigatus à frigore, & modò magis, modò minùs, prout diuersæ mistorum naturæ, & diuersæ secundæ qualitates requirunt: hac igitur ratione calor & frigus sunt solùm actiuæ qualitates & locum habēt artificis, humiditas verò & siccitas sunt solū passiuæ, quia constituunt subiectā materiam ad patiendū idoneam: hoc modo tollitur omnis difficultas, & hanc sententiam significant Auerrois verba in 1. comment. 4. Meteorol. si bene perpendantur; nō enim distinguit actionem harum qualitatū in simplicib. ab actione earundem in mistis; sed productionē similis, qua sunt agentia vniuoca, à productione alicuius diuersi, qua sunt agentia æquiuoca.

Cur passiuæ qualitates non patiantur ab actiuis, nisi coniunctæ. Cap. VI.

Dubium. EX his sumitur solutio eiusdē dubij, quod turbare aliquem posset: quando enim materiæ aptæ ad patiendum adiungitur agens, necesse est vt actio fiat; quum igitur quodlibet elementum vnam habeat qualitatem actiuam, & alterā passiuā, deberet quodlibet agere in seipsum; ignis enim vt calidus deberet agere in seipsum, vt siccū, & sic reliqua omnia elemēta. *Solutio.* Sed soluitur, quia materia idonea ad patiendum à duabus actiuis nō est solum siccum, nec solum humidū, sed ambo coniuncta; ideò duæ actiuæ nō possunt in passiuas agere, nisi in misto, quod cōstat ex sicco & humido: quisquis enim nouit quid sit congelatio, nouit etiam non posse aquam puram, si daretur, ab vllo frigido congelari, sed ideò congelari aquam, quòd habet aliquid terræ commistum, & ita cōstat ex humido & sicco: quod idem de reliquis omnibus dicendū est: loquimur aūt de tali actione, qua producantur secundæ qualitates; nam pati posse etiam elementū simplex à simplici, vt antè dictū est, nō inficiamur. Huic tamen solutioni vidētur verba Arist. aduersari, quæ leguntur in 1. context. 4. Meteor. vbi dicit humidum, & siccū pati à duab. actiuis, tum vtraq; simul iuncta, tū etiam alterum separatim acceptū sine altero: *Dubium ex verbis Aristotelis in 4. Meteor. ca. 1* ideò verba illa magnam interpretibus difficultatem fecerūt, qui varias interpretationes afferendo significārunt magnam esse illius loci obscuritatem; quum præsertim illarum interpretationum nulla, si bene perpēdatur, ita satisfaciat, vt in ea possit animus acquiescere: eas igitur ego alijs consideradas relinquam, & illam adducam, quam puto esse illius loci veram interpretationem. *Solutio.* Credo Arist. dicentem humidum secundùm se, & siccum secundùm se, nō intelligere elemēta verè simplicia, & pura, qualia an dentur, ambigitur, sed in hoc sequi cōmunem loquendi consuetudinē etenim nomine elemēti appellare solem⁹ id, in quo magnus illius elementi sit excessus, quia reliqua in eo cōmista non animaduertimus: aquam enim & maris, & fluuiorum vocamus aquā, licèt pura non sit, & dicimus aquam cōgelari, quoniam corpus illud non alio nomine appellamus, quàm aquam, propter magnū aquæ excessum; quamuis non congelaretur, nisi aliquid terræ commistum haberet: hoc igitur ab Arist. ibi vocatur humidū secūdùm se, & siccū secundùm se, hoc est, terra & aqua, quæ nobis vidētur esse elementa pura quoniam in aqua nō videmus cōmistum siccū, & in terra non animaduertimus humiditatē admistam: sic igitur siccum secūdùm se, & humidū secundùm se appellat elementa, quæ creduntur esse simplicia, propter magnū alicuius elemēti excessum; mista verò corpora, quæ nō elementi nomine appellanī, quoniā manifestè sunt mista, vocat constantia ex sicco & humido: itaq; si spectemus id, quod apparet, videntur siccū & humidū tum cōiuncta, tum separatim accepta pati à duabus actiuis; attamen secundùm rei veritatem non patiuntur nisi coniuncta. Confirmant autem maximè hanc nostram sententiam illa, quæ de putredine elementorum dicuntur ab Arist. in context. 5. eiusdem libri; inquit enim omnia elementa putrescere, excepto igni, & expressè nominat terram, & aquam, & aërē: attamen quisquis intelligat quid putredo sit, is cognoscet eam soli misto competere, quū nil aliud sit, quàm misti dissolutio in elementa, è quibus constabat; est enim proprius misti interitus, quatenus mistū est, qui elemento verè simplici competere nullo modo potest, dissolui namq; in componentia nō potest id, quod simplex est: vocat igitur ibi quoq; Aristot. elementa iuxta communem hominum appellationem, quia propter magnum illius elementi excessum nominibus elementorum appellari consueuerunt; putrescunt tamen, quia reuera sunt mista, nam si verè simplicia existerent, putredini obnoxia non essent: ita igitur dicendum videtur etiam in 1. contex. eiusdem libri, Aristotelem dicentem humidum solum, & siccū solum, non rem ipsam respicere, sed solam loquendi consuetudinem.

Cur Aristoteles non aliter definiuerit primas qualitates, quàm vt definiuit. Cap. VII.

CAEterum quia definitio nō solùm eiusmodi esse debet, vt illa, quę in ea sumūtur, verè prædicētur de definito, sed & essentiā quoq; ipsius perfectè exprimat, hoc quoq; in præsentia considerandum est; dubitare enim non absq; ratione aliquis posset, ne per has definitiones essentia primarū qualitatum exprimatur; sic enim definiri videntur

non modò per posteriora, sed etiam per acci- A
dentalia; nam primaria operatio calidi est ca-
lefacere, sicuti frigidi refrigerare; at congre-
gare homogenea, & heterogenea, sunt opera
tiones secundariæ, & remotæ, quæ à calido, &
à frigido non exercentur, nisi per medias pri-
marias, calfactionem, & refrigerationem; effe
ctus aût remotus videtur esse accidentalis suę
causæ, quum per alium priorem effectū pro-
ducatur; non potest igitur illius causæ essen-
tiā declarare: Arist. ergo vel p priora definire B
primas qualitates debuit, vel si per posteriora
& per effectus definire voluit, debuit saltem
definire per proximos & primarios, non per
remotos & secundarios. Pompnnatius in ini-
tio lib. 4. Meteorol. ad hoc dubiū respondet,
Arist. ibi sic definire primas qualitates, quia
in illo lib. eas considerat, prout respiciunt mi
stum & generationem misti; secundùm hanc
enim cōsiderationem non fuisset cōueniens
illas definire p primas operationes, quæ sunt. C
calfacere, & refrigerare, quum has edant non
minùs in simplicibus, quàm in mistis, eas igi-
tur definire voluit per secundas operationes,
quas edunt in solis mistis; hæ namq; sunt prin
cipaliores respectu cōstitutionis misti, quàm
calfacere, & refrigerare, licèt istæ sint illis,
principaliores origine. Hinc colligit Pompo-
natius discrimē illius quarti Meteorologici,
& duorum de Ortu & interitu in elementis,
& eorum qualitatibus considerandis; in lib. D
enim de Ortu & interitu considerauit Aristot.
primas qualitates, prout edunt operationes
suas in simplicibus, nō in mistis; in quarto aût
Meteorologico, prout operantur in mistis, nō
in simplicibus: quò fit, vt in libris de Ortu &
interitu dicamus, primam operationem cali-
di esse calfacere, & frigidi refrigerare, & hu-
midi humectare, & sicci exiccare, quoniam i-
bi omnes sunt actiuæ, & omnes passiuæ: in
quarto aût Meteorologico dicamus, primam E
operationem calidi non ampliùs esse calface
re, sed potiùs cōgregare homogenea, quoniā
hæc est magis præcipua in constitutione mi-
sti. Per hanc igitur operationem definiuit ibi
Arist. calidū, & alias qualitates similiter: quo-
niam aliter eas definire conuenit in quarto,
Meteorologico, aliter in libris de Generatio-
ne. Hanc responsionē ego quidem aliqua ex
parte probo, sed aliquā ex parte probare mi-
nimè possum: quod enim ad dubium ipsum F
attinet, veram esse solutionem puto; quia quū
definiantur hæ qualitates vt principia misto-
rum tum materialia, tum efficientia, rectè de-
finiuntur per effectus posteriores; nomen e-
nim principij respectiuū est, & notat relatio-
nem ad effectus, quorum est principium, pro-
inde p hunc respectū illa omnia, quæ vt prin-
cipia definiuntur, definiri debent; talem vide-

Pomponatij solutio.

Vera solutio.

mus esse definitionem primæ materiæ in cal-
ce primi Physicorum, & naturæ in initio se-
cundi, & animæ in principio secundi de Ani-
ma: quum aût per effectus posteriores ibi de-
finiri debuerint primę qualitates, vbi vt prin-
cipia considerantur, & horum effectuum plu-
res sint gradus, rectè etiam factum est vt defi-
nirentur per illos effectus, qui spectant pro-
ductionem misti; per calefactionem verò non
rectè fuisset definitum calidum, neq; per refri
gerationem frigidū, quoniā hæ operationes
à calido, & frigido eduntur nō minùs in sim-
plicibus, quàm mistis; rectè igitur fuit defini-
tum calidum per congregationem homoge-
neorum, & frigidum per congregationem o-
mniū indistinctè, quoniam istæ operationes
respiciunt mistum; hæc igitur est dubij solu-
tio optima atq; firmissima. Sed quando Pom-
ponatius hinc colligit discrimē quarti Meteo
rologici, & duorū de Ortu & interitu in pri-
marum qualitatum cōsideratione, meo qui-
dem iudicio egregiè decipitur; quia nō aliter
definiuntur primæ qualitates in secundo de
Ortu & interitu, quàm definiantur in initio
quarti Meteorologici, sed eodem prorsus mo
do vtrobique; immò in illo quarto hæ defini-
tiones non omnino exprimuntur, sed imper-
fectè tanguntur, tanquam diligentiùs traditæ
priùs in secundo de Generatione, vt in pro-
prio loco: quamuis enim in lib. de Ortu & in-
teritu considerentur etiam primæ harū qua-
litatum operationes, quæ sunt calfacere, refri
gerare, humectare, & exiccare, quia sine his a-
liæ secundę operationes produci nō possunt;
attamen quando vult definitiones assignare
primarum qualitatum in contex. 8. & 9. lib. 2.
Arist. nulla facta mentione de primis earum
operationibus, definit eas per secundas solas,
quæ misti generationē respiciunt, vt ipsemet
Pomponatius confitetur; inquit enim calidū
esse quod congregat homogenea; frigidum
verò, quod indistinctè congregat omnia, tam
homogenea, quàm heterogenea; deinde hu-
midū, quod non habet proprios terminos, &
alienis facilè terminatur, & siccum, quod est
proprijs terminis terminatum, nec facilè re-
cipit alienos; quæ eædem definitiones tangū-
tur etiam in initio quarti Meteorologici: ex
his ergo definitionibus, & ex ipsiusmet Pom-
ponatij confessione colligimus & elementa,
& primas qualitates considerari vtrobiq;, vt
principia mistorum, neq; in hoc cōsistere eo-
rum librorum discrimen, sed in alio, quo con
siderare non est præsentis contemplationis,
sed fuit à nobis cū diligentia declaratū aliàs,
dum publicè in Patauina Academia 4. illum
Meteorolog. interpretaremur: itaq; mirandū
profectò est, quomodò Pomponatius dicat
esse aliter definiendas primas qualitates in li-
bris de

Pomponatij error.

bris de Ortu & interitu, aliter in 4. Meteorol. A quum tamen nulla in libris de Ortu & interitu legatur harum qualitatum definitio, nisi quam habemus in context. 8. & 9. lib. 2. quam eandem legimus in initio lib. 4. Meteorologicorum, quæ indicat vtrobique considerationē cum respectu, & relatione ad mista. Vt igitur ad id, de quo sermo erat, redeamus, primæ operationes primarum qualitatum sunt quidē origine principaliores secundis operationib. eorundem: alia tamen ratione non sunt præ- B cipuæ, sed ipsis secundæ sunt principaliores, nimirum in mente, & intentione naturæ molientis generationem misti; dum enim mista respicimus, primæ operationes ad secundas tanquam ad finem diriguntur. Sed alia de his difficultas oritur, quam considerare oportet: quum enim secundæ primarum qualitatum operationes plurimę sint, cognoscendum est, cur non per alias sed per solas memoratas Aristot. definire eas voluerit; calidi namque se- C cundæ operationes sunt & congregare homogenea, & terminare, & indurare, & mollire, & liquare, & aliæ plures: cur ergo Aristotel. potius per congregationem homogeneorum, quàm per alias calidum definiuit, quum aliæ quoque similiter mistum respiciant? sic etiam de alijs primis qualitatibus dubitare possumus. Ad hæc dico. non potuisse Arist. per aliquam aliam secundam operationem primas qualitates definire, nisi per has; per quas de- D finiuit: nam si alias calidi operationes cōsideremus, per nullam illarū secernebatur calidū à frigido, sed per hanc vnam, quæ est segregare heterogenea, vt homogenea congregētur: nam terminare, indurare, mollire, humectare, exiccare, & si quæ aliæ sunt, nō minùs frigido attribuūtur, quàm calido, licèt varijs modis; etenim quæ à calido indurantur, ac terminantur, ea molliūtur, ac soluuntur à frigido; & illa, quæ indurantur, ac terminantur à frigido, E ea molliuntur, & soluūtur à calido: per nullā ergo istarum poterat calidùm à frigido, & frigidum à calido separari: poterant quidem separati per primas operationes, quæ sunt calfacere, & refrigerare, sed hę nō respiciunt mistum, quum competant elementis etiam in se mutuò agentibus; immò & absurda talis definitio videretur; esset enim quodammodo idē per semetipsum definire: adde quod per F effectus posteriores definire primas qualitates conueniens non esset, nisi vbi considerandæ proponuntur vt principia mistorum. Separari etiam poterāt per rarefacere, quod est proprium calidi, & immediatè insequitur calefactionem, & per condensare, quod est proprium frigidi, & immediatè refrigerationem insequitur; sed neque hæc respiciunt mistum, quia etiam in actione elementorum mutua

A absque vllo respectu ad mista fit rarefactio, & condensatio; calidum enim in aquam agendo eam rarefacit, & in vaporem aeremque conuertit; frigidum verò in aerem agendo condensat ipsum, & vertit in aquam: non poterant ergo per has operationes, quæ non respiciūt mista, bene definiri primę qualitates, vbi erant considerandæ vt principia mistorū. Hac igitur norma si semper vtamur, errare nō possumus: primæ qualitates vel definiūtur vt secundùm se, & absolutè cōsideratæ, vel vt prin- B cipia mistorum; si secundùm se, & absolutè, non per effectus posteriores sunt definiendæ, sed per causas priores, quum sint accidentia à causis, quas mox cōsiderabimus, pendentia; quapropter hoc modo per nullam operationem eas definire conuenit: si verò mistorum principia considerentur, per effectus quidem posteriores definiendæ sunt, sed per illos tantùm, qui respiciunt mistum, cuiusmodi non C sunt calfacere, refrigerare, rarefacere, & condensare. At quia proprium calidi est per rarefactionem segregare inuicem illa, quæ sunt diuersorum generū, idque non insequitur aliā rarefactionem; quam illam, quæ fit in mistos; ideò calidū à frigido rectè separatur per segregationē heterogenorū; quàm insequitur congregatio homogeneorum, quum hæc operatio fiat per solam rarefactionem, & extenuationē, quæ est propria calidi, & ipsum di- D stinguit à frigido: sic etiā frigidum rectè definitur per cōgregationem omnium tam homogeneorum; quàm heterogeneorum, quū hæc fiat per cōdensationem, & constrictionē, quæ est propria frigidi, & ipsum distinguit à calido. Patet igitur nullam esse operationem calidi, vel frigidi, per quā melius definiri potuerint, atque à se inuicem distingui, quàm per has, per quas Arist. calidum, & frigidum definiuit. De sicco autē, & humido longè clariores est: quum enim hæ sint qualitates passiuæ, E & receptiuæ omnium actionum calidi, & frigidi, cōuenientissimè definiuntur per has patibilitates, quia per has significatur primariū harum officium in productione misti: cur enim mistum constare debeat sicco, & humido terminandis, atque regendis à calido, & frigido, nulla est alia ratio, nisi quia siccum solum non facilè terminos reciperet ab actiuis, quia siccum non facilè terminatur ab alio; adiectū F ergo fuit humidum, vt cum sicco cōmistum redderet totum facilè terminabile ab actiuis: facilis ergo terminatio habet merito humidi, idque est præcipuū munus humidi in mistione: cōtrà verò, quia solum humidum, etsi facilè terminos ab alio recipit, nō tamen eos retinet, quia labitur, ac diffluit: ideo necessaria fuit cōmistio sicci, per quod termini iam per humidum recepti retinerētur: vt ergo of-

ficiũ humidi in mistione est facere, vt termini facilè recipiantur, ita officium sicci est facere, vt recepti retineantur,& conseruentur: rectè igitur hæ duæ passiuæ qualitates definiuntur in contex.9.lib.2. de Generatione, per operam, quam præstant in constitutione misti: vnde colligere possumus id,quod antea dicebamus, considerari præcipuè in his definitionibus siccum terreũ, & humidum aqueum, quorum ea sunt officia in mistione, vt ipsemet Arist. docet in eo secundo libro. Sed alia exoritur quæstio, ex cuius solutione mirandum profectò erit, quàm bellè omnia cõsonent veritati; quum enim quatuor primæ qualitates sint accidentia, & causas habeant priores,per quas etiam definiri poterant; cur Arist. nusquã inuenitur eas ita definiuisse; sed semper eo modo, quẽ declarauimus, per effectus posteriores? huius dubij nullam apud alios solutionem vnquam vidi, immò ne retigisse quidẽ aliquis dubiũ hoc videtur. solutio aũt nulla, meo quidem iudicio, afferri potest, nisi illa, quã alias exposui fusè in libro de Naturalis scientiæ cõstitutione: sunt enim à philosopho naturali cognoscendæ res naturales, vt sunt à natura constitutæ; elementa autem producta sunt à natura, tum vt sint naturalia corpora mundum complentia, tũ vt sint principia mistorum; ideò debuit Arist. distinctis in locis ea his duobus modis cõsiderare: non sic animam; hæc enim nõ ita est in rerum natura, vt sit ens per se completum in specie, sed vt complementum, & perfectio alterius sit, nempe formale principium corporis animati; ideò Arist. nullibi eam considerauit absolutè vt ens quoddam, sed solum vt principiũ ipsam definiuit, proinde per respectum, & relationem ad corpus animatum. Sic ergo de quatuor primis qualitatibus dicendum est; non sunt enim alia ratione elementis tributæ à natura, nisi propter mista, & vt per eas elementa sint principia mistorum: idcircò Arist. respiciens consilium naturæ in his constituẽdis, non alio modo eas considerare, ac definire voluit, nisi vt sunt principia, & vt respiciunt mistum; hic enim solus fuit naturæ scopus in tribuendo elemẽtis quatuor primas qualitates; & hoc modo tantùm, non alio, Aristot. eas considerasse fatendum est, nisi cæci vel pertinaces simus: ob id in contextu 8. & 9. libri 2. de Ortu & interitu in adducẽdis harum qualitatum definitionib. denotauit essentialem eis esse hũc respectum ad mista; dicens enim calidum & frigidum ita appellari, quia sunt actiua, humidum verò & siccum ita dici, quia sunt passiua; indicauit ipsamet vocabula hũc respectum significare. Hanc vnam ego videre potui huius quæstionis solutionem; illi verò qui negant elementa, & primas qualitates in

Dubium. | Solutio.

A libris de Ortu & interitu vt mistorum principia considerari, & sententiam illam Auerrois, & nostram non recipiunt, aliam responsionem, si possunt, inueniant.

De causis primarum qualitatum in elementis opinio aliorum, & eius reprobatio. Cap. IIX.

QVoniam aũt primæ qualitates, vt prædiximus, accidentia sunt; accidentia B verò omnia causam aliquam extra se habere necesse est, à qua producantur, eamq; vel in eodem subiecto, vel extrà: hanc nos cõsiderare & cognoscere oportet, quũ aliquid in se habere videatur difficultatis. Arist. enim in lib.1. Meteor. cap.4. dicere videtur, elemẽta recipere has qualitates à Cœlo; propterea q; aër, & ignis, cùm circũferantur, accenduntur, & calida reddũtur, quia motus calorem producit; terra verò, & aqua propter immobilitatem frigidæ manent, hoc est, quoniã illo motu non participant: hoc tamen Arist. dictum omnibus negotium facessit, quia si hæ qualitates sunt elementis naturales, & eorum naturas cõsequuntur, nõ ergo eis tribuũtur à Cœlo, vel ab vlla alia externa causa; si enim à Cœli motu aër & ignis calorem reciperent, non consequeretur calor propriam horum elemẽtorum naturam: ob id Græci prædicta Arist. verba condiscentes, ad alium sensum ea traxerunt: quum enim Aristoteles ibi dicat, totã hanc inferioris mundi materiam esse potestate calidam, & frigidam, & humidam, & siccã, actu autem talem reddi à motu, & immobilitate; ipsi talem eorum verborum interpretationem adinuenerunt, elemẽta calida habent potestatem vt fiant frigida, & elemẽta frigida sunt potestate calida; quare omnia elementa quum sint actu prædita aliquibus qualitatibus, potestatẽ habent cõtrarias qualitates recipiẽdi; q; verò Arist. ait [*fit talis, & est, à motu, & immobilitate*] ipsi non de Cœli motu intelligũt, sed de ipsorũ elementorũ mutua inter se mutatione, vt sensus sit; elementum frigidum fit calidũ à motu, id est, à mutatione illa, qua mutatur in calidum; & elementũ calidum fit similiter frigidũ à motu, id est, ab illa mutatione, qua vertitur in frigidum: est aũt seu calidum, seu frigidũ ab immobilitate, id est, à priuatione talis mutationis, & à perseuerantia in suo calore, vel frigore: & ita elemẽta singulas eas, quas iam habẽt, qualitates retinẽt per immobilitatẽ, id est, quando nõ mutatur in aliud; illis verò contrarias, quas non habent, recipiunt per mutationem, & alterationẽ: hanc Græcorum sententiam alij cõplures sequuti sunt, vt eam, quam diximus, difficultatem vitarent. Ea tamen alienissima est à verbis, & consilio Aristotelis eo in loco, & omnino

C | D | E | F

Græcorum opinio. | Confutatio.

omnino verba illa eum sensum habent, quem antea diximus, & quem ipsi reiecerũt; nam id, quod isti dicunt, nõ de elementis totis, sed de eorum tãtum particulis verum est; non enim mutantur tota, sed particulæ, idq; fit etiã absque vlla Cœli consideratione; nam particula ignis mutat particulam aquę, tanquam agens proximum, nec fit illa mutatio à Cœlo, nisi vt ab agente remoto, & vniuersali. Arist. aũt ibi loquitur de elementis totis, & de ipsorum vniuersitatibus, & totam hanc inferioris mundi materiam vt patientem & gubernatam comparat cũ Cœlo, vt agente, & gubernante proximo: cõsiderat igitur totam hanc materiam omnibus naturis secundùm se nudatam, quæ totum hunc inferiorẽ mundum complet, & inquit eam esse potestate calidam, & frigidã, & humidam, & siccam, actu aũt recipere has qualitates à Cœlo, nempe à motu Cœli, & à negatione illius motus; quod etiam ibi declarat apertissimè, dum inquit; quum Cœlum secatur circulo, pars inferioris mundi illi propinqua accenditur, & calida redditur; procul aũt à Cœlo in medio mundi positum est id, quod grauissimum ac frigidissimum est: ipsemet igitur Aristot. declarat quem motum, & quam immobilitatem intelligat, nimirũ motum Cœli in orbem, quo participant duo elementa superiora, ignis & aër, & eius negationem in duob. elemẽtis à Cœlo remotis, terra & aqua; testatur q; se non de particulis elemẽtorum loqui, quæ inuicem mutantur, sed de eorum vniuersitatibus, quarum duæ à Cœlo circunferuntur, quoniam illi propinquæ participant motu circulari, vnde calorem adipiscuntur; duę verò eo motu immobiles manẽt, quoniam ita sunt remotæ à Cœlo, vt non circunuoluantur. Esset etiam iuxta illorum sententiam incongrua & inepta admodum Aristotelis loquutio; ridiculum enim est dicere aquã fieri calidam à motu, quando mutatur in elementum calidum; non enim ab illa mutatione fit calida, sed à generante, quod dans formam dat omnia consequentia formam. Sed multò vanius est, dicere aquam esse frigidam ab immobilitate, & ignem & aërem esse calidos ab immobilitate, hoc est, quòd in elemẽtum contrarium non mutentur: ineptissima enim est hæc loquutio; quoniam ignis non ideò est calidus, quòd non mutetur in corpus frigidum, sed quia est ignis. Est etiam aliena ea interpretatio à scopo, & à consilio Aristotelis in eo loco, & importunissima ea sententia: nam Aristot. iam quæstionem proposuerat de vniuersitatibus elementorum ignis & aëris, quomodo ob varios eorum situs respectu Cœli, seu varias substantias à Cœlo, diuersas etiã qualitates, & naturas adepta sint; vt per huius quæstionis dissolutionem intelligeremus etiam discrimen trium regionum aëris ratione primarum qualitatũ; à quo instituto alienum penitùs est considerare mutationem particularium elementorum inuicem, quæ ad illud nihil conducit. Hoc aũt cuilibet eum locum bene consideranti ita manifestum est, vt mirandum sit, quomodo tot præstantes viri ad eam sententiam verba Aristotelis extorquere ausi sint; sed videntur in illud absurdum incidisse, vt aliam difficultatẽ, quam absoluere nequiuerũt, effugerent, eaq; est, quam nos paulò antè tetigimus, qui fieri possit, vt primæ qualitates sint elementis naturales, & ipsorum formas consequantur, si tribuantur illis à Cœlo. Ideò alij, vt hæc vtraque absurda vitarent, aliam illorum verbosũ interpretationẽ excogitarunt: dixerunt enim harum qualitatũ singulam posse in elementis duplicem cõsiderari, nempe tum naturalem, quæ propriam elementi formam cõsequitur, tum aduentitiam, quę eidem elemẽto tribuitur ab actione cœlesti, vt in igne duplex sit calor, vnus naturalis, & inseparabilis, qui emanat à propria ignis natura, alter aduentitius, quem recipit ignis è motu Cœli, dum circunducitur: de hoc igitur loquitur in dicto loco Arist. quãdo dicit, corpus mundi huius Cœlo propinquũ circunuolui, & accendi; non enim loquiẽ de naturali ignis calore, sed hunc præsupponens respicit solum calorẽ aduentitiũ, qui in duobus elementis, igni, & aëre generatur à motu Cœli præter calorẽ eorundẽ elementorum naturalem: sicut enim duo elemẽta frigida præter frigus ipsorum naturale recipiũt etiam aliquid caloris ab actione cœlesti per radios, tãquam distinctam qualitatem ab eorum frigore naturali; sic de duobus elementis calidis dicendum est, ea præter calorẽ naturalem recipere alium extraneum calorẽ à Cœli motu. Hæc illi dixère, & ita putarunt se omnẽ hac in re difficultatẽ sustulisse, quod vtinã præstitissent, nobis enim nihil ampliùs laborandum hac in re fuisset: at certè verba Arist. hanc interpretationẽ non recipiunt, inquit enim totã hanc inferiorem mũdi materiã esse potestate calidã, & frigidam, & humidã, & siccam, actu autẽ talem fieri à motu, & ab immobilitate; nullum igitur calorem elemẽtis tribuit, præter illum, quem à motu Cœlĩ recipiunt: præterea quale frigus in elementis considerat ibi Arist. talem etiam debet considerare calorẽ, quia eadem esse debet harũ omnium qualitatum, quas ibi nominat, consideratio; atqui frigus cõsiderat naturale, siquidẽm Cœlum agendo non refrigerat, sed potiùs non agendo, quare dum dicit, frigidissimum in medio consistere, naturale respicit frigus, quũ pręsertim superlatiuo vtatur, quia non datur summè calidũ, aut summè frigidũ,

nisi naturale: adde quòd adijcit, & grauissimũ, loquitur aũt de grauitate naturali, ergo & de naturali frigore, proinde etiam de calore elementorum naturali: quam sententiam clarè apud Auerroem legimus, in comment. 94. lib. de Cœlo, vbi dicit [*remotio à motu circulari dat quietem, frigiditatem, & grauitatem, sicut propinquitas dat motum, calorem & leuitatem*] quæ verba non possunt intelligi, nisi de qualitatib. naturalibus, & in elementis totis, non in eorũ particulis. Sumitur aũt huius sententię validissima cõfirmatio, ex consideratione loci, cuius conditiones in 4. lib. Physic. auscult. ab Arist. egregiè declarãtur: locus enim non modò cõtinere locatum debet, sed etiam cõseruare per vim, seu facultatẽ, quam habet, illius cõseruatricem, in qua est præcipuè loci natura cõstituta; nulla. n. afferri ratio potest, cur ad locum suum ferãtur corpora naturaliter, nisi hæc vna, vt in eo conseruentur, indita enim cuiq; rei à natura est propensio ad se cõseruandum quantum potest: quapropter illa, quæ plenã se conseruandi facultatem non habent, externo conseruante, quem locum vocamus, indigeruntː ipsum igitur naturaliter appetunt, vt ab illo conseruẽtur; neq; enim propria cuiusq; rei natura eam moueret ad suum locũ, nisi in illo conseruaretur; quoniam vniuersè in omnibus, in quibus causa effectrix propter finem agit, finis præcipua causa est, & eo ablato efficiens illud non efficeret: hæc quum loci natura sit, manifestum est, sola elemẽta locum propriè sumptum habere; mista nanq; omnia locum in mundo habent ratione elementi in eorum mistione prævalentis, iuxta quod habent etiã motũ naturalem, qui eis competit quatenus grauia, aut leuia sunt; cœlestia verò corpora non sunt propriè in loco, licèt enim orbes inferiores à superioribus contineantur, non ob id in loco sunt, quia ab eis non conseruantur, quum ob eorum perfectam naturam conseruante externo non indiguerint: solis igitur elemẽtis per se competit locus, mistis verò per participationẽ elementorum, at Cœlo (vt inquit Aristoteles) per accidens, quod quomodo intelligẽdum sit, cõsiderare, ad nos in præsentia non attinet; sed, quũ de qualitatibus elementarib. sermo nobis propositus sit, & elemẽta suapte natura ad suos locos ferantur, & in eis quiescant, vt cõseruẽtur, cognoscendũ est, quænam sit facultas conseruatrix, quæ in locis elementorũ inesse dicitur: de inferioribus quidẽ elementis dicere possumus, cõseruari singulum à superiore ratione symbolę qualitatis, & in hac cõsistere vim conseruatricẽ elementi locati; sed hoc de ignis loco dicere non possumus, quoniam in nulla qualitate cõuenit ignis cũ Cœlo, cur igitur in concauo Cœli conseruat ignis?

Conditiones loci.

Sola elementa locum verè habent.

Cœlestia non sunt in loco.

A certè non potest alia ratio afferri, nisi hęc vna, vt in orbẽ voluatur, sic enim cõseruatur, quia nisi moueatur, extinguitur: attamen si cum illis diceremus, ignem à Cœli motu non recipere alium calorẽ, quàm extraneum, propriũ verò eius calorem ita formã ignis insequi, vt illi à Cœlo non tribuatur, nõ esset cur ad Cœlum moueretur ignis, siquidem eius cõseruatio consistit in conseruatione propriæ qualitatis, non in adeptione qualitatis extraneæ; B immò calor ille extraneus ad ignem ita se haberet vt calor febrilis ad corpus animalis, qui excedẽs gradum naturalem inimicus animali est, & eius destructiuus potiùs, quàm conseruatiuus; itaq; tantum abest, vt sponte superum locum petere ignis deberet, vt potiùs illum fugeret, vt perniciosum, & hostilem. Præterea sentẽtiam hanc magnum aliud absurdũ sequeretur; daretur enim calor calore ignis maior & intensior, quod communi omnium C consensione falsum esse existimatur; asserunt enim omnes, summè calidum naturaliter esse ignem, neq; posse existere sine summo calore, proinde non dari calorem intensiorem calore ignis naturali, consequens autem facilè ostenditur, quum enim Aristoteles dicat corpus Cœlo propinquum accendi & calidum reddi à motu Cœli, hoc ipsi intelligunt, non de calore ignis naturali, quem dicunt iam ex se ignem habere, sed de aduẽtitio: igitur secũ- D dùm eos Aristot. diceret ignem accendi, & calidiorem reddi, quàm per semetipsum erat.

Opinio propria & eius declaratio.

Cap. IX.

QVoniã igitur negare nullo modo possumus, Aristotelem in eo loco de naturalibus elementorum qualitatibus loqui, id nobis relinquitur declarandum, quomodo naturales elementis dici possint illæ E qualitates, & eorum naturam consequi, si tribuuntur elementis à Cœlo. Nos igitur dicimus, non pugnare inter se hæc duo, quamuis pugnare videantur: quatuor enim primæ qualitates, quæ & elementis & mistis omnib. insunt, siue extremæ, siue ad mediocritatem redactæ, quę dicuntur mistorũ temperaturę, nõ ea ratione dicũtur singulis corporib. naturales, quòd eorũ naturas ita consequãtur, vt cõsequitur effectus causam à qua producitur, F adeò vt forma ignis producere in igni dicatur summum calorem; hoc enim dato, non egeret elementum conseruante externo, proinde ad locũ suum nõ moueretur naturaliter: sed ea ratione naturales dicuntur, quia ipsæ elemẽtorum naturæ has qualitates requirũt, & sine his existere nequeunt; dantur tamen illis à Cœlo, & ab eodem conseruantur, & earum conseruatio est conseruatio naturę ipsorum ele-

Primæ qualitates quomodo sint elementis naturales, & à Cœlo prouenia.

rum elementorum; in loco enim proximo cœlesti motui conseruatur igni summus calor, & cum eo ipsamet ignis natura, quemadmodum si ibi non esset ignis, generaretur ab illo motu in illa materia summus calor, & forma ignis; ita igitur dat Cœlum igni summũ calorem, vt det etiam ipsam ignitatem: itaq; si bene consideremus, primæ qualitates, siue summæ, siue castigatæ tum in elementis, tum in mistis omnibus præcedunt generatione formas substantiales, quia sunt præuiæ præparationes pro eductione formarum, & tribuuntur ab agente externo alterante, & generante singulam rem; non igitur ab ipsa rei forma proueniunt: naturales tamen cuique rei sunt, quia conuenientes naturæ, immò & necessariæ; etenim sine his propria cuiusque misti, & elementi natura non conseruaretur, sicuti neque generaretur sine præcedente harum aduentu in materia: hoc significauit Aristoteles in 6. contextu libri 2. de Ortu & interitu, dum causarum materialium seriem exponens dixit esse primo loco materiam primam nudam, & prorsus informem, secundo autem loco esse materiam præparatã primis qualitatibus, tertio demum loco iam esse elementa ipsa, ignem, aerem, aquam, terram, quæ sunt propinqua materia omnium mistorum. Si quis igitur quærat an primæ qualitates sint formis elementorum priores, an posteriores, dicendum est, & priores, & posteriores esse varijs rationibus, nam origine, & generationis ordine priores absq; dubio sunt, sicuti præuiæ dispositiones sunt generatione priores forma substantiali, ad cuius eductionem diriguntur: sed natura posteriores sunt, quatenus sunt accidentia, nam accidẽtia sunt substantijs posteriora; & quatenus sunt effectus, formæ verò sunt causæ, non quidem effectrices causæ, sed finales; nam qualitates in materia producuntur formarum substantialium gratia, & ad eas tanquam ad finem diriguntur, sicut etiam conseruantur in elementis à Cœlo, vt ipsa elementa conseruentur; ita vt causa harum qualitatum finalis propinqua sit elementorum constitutio, remota verò, & vltima sit productio mistorum, nam elementa constituuntur propter mista, & vt eorum materia sint. Sic igitur dici possunt qualitates consequi formas elementorum, quatenus formæ sunt earum causæ finales: ipsæ verò qualitates, etsi sunt præparationes pro eductione formarum, non ob id causę formarum dici possunt, sed effectus tantùm posteriores, quum accidentia sint natura posteriora substantijs: quare dum simul in elemẽtis existũt, vt naturaliter coniunctę & formæ substantia-

Primæ qualitates sunt formis elementorum & priores, & posteriores.

Formæ elementorũ sunt qualitatum causæ finales.

A les, & propriæ qualitates, formæ tamen priores sunt, qualitates verò posteriores, & ita dicunt consequi formas elementorum, quum præsertim, vt modò dicebamus, formarum & educendarum, & conseruandarum gratiâ tribuantur elementis à Cœlo. Hæc igitur fuit Aristotelis mens in memorato 4. capite libri 1. Meteorologicorum, quando dixit, totam hanc inferiorum materiam secundùm se esse B potestate calidam, & frigidam, & humidam, & siccam, actu autem talem fieri à motu Cœli, & ab immobilitate: hoc idem in primo eiusdem libri capite significauit, dum dixit, omnem huius elementaris mundi virtutem à cœlesti motu gubernari; idque rationi consonum maximè est: totum enim hunc elementarem mundum ad Cœlum referri putandum est, vt materiam ad agens, proinde ex se nihil habere, nisi potestatem, quicquid autẽ actus C habet, id à Cœlo recipere: quemadmodum enim si generari aliquando elementa vniuersa, & talia fieri cœpissent, à Cœlo essent genita per harum qualitatum productionem; ita quum Arist. nunquam inceperit generatio, ea continuè à Cœlo talia reddi, & conseruari dicendum est, quod in memoratis locis Aristoteles significauit: neque per hoc stat, quin primæ qualitates sint elementis naturales, & eorum naturam consequentes; hoc enim ve- D rum est eo modo, quem declarauimus, non vt à plerisque intelligi solet; putãt enim qualitates prouenire à formis, vt à causis efficientibus: quod quidem tanquam rude dictum, & exempli gratia prolatum, admitti potest; prodire enim videntur à formis per quãdam emanationem, reuera tamen non efficiuntur à formis, sed (vt dixit Aristoteles) à Cœlo, tũ qualitates gratia formarum, tum formæ per qualitates de potestate materiæ educuntur E ad actum: modus tamen difficultate non caret, quomodo enim à Cœli motu calor generetur, dicere facilè possumus, de frigore autem non ita facilè, sed de sicco & humido difficillimum: ipse namque Aristoteles in prædicto capite 4. libri 1. Meteorologicorum asserit quidem elementa à motu Cœli, & ab immobilitate reddi, & calida, & frigida, & humida, & sicca; sed de calido, ac frigido tantùm id declarauit, de humido autem & sicco F nil ampliùs dixit, ita vt τῇ ὀνομασίᾳ μόνῃ aliarum qualitatum siccum & humidum nominasse, calidum verò & frigidum præcipuè respexisse videatur: sed quid de hac re dici possit, ex ijs, quæ in progressu dicentur, intelligetur.

De ipsarum igitur primarum qualitatum natura, & causis hæc, quæ dicta sunt, sufficiant.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, DE *QVALITATIBVS ELEMENTARIBVS* LIBER SECVNDVS.

An in quolibet elemento amba qualitates sint summa, an possit altera esse remissa. Cap. I.



A omnia, quæ in libro præcedente dicta à nobis sunt, ad primarum qualitatum definitiones, & naturas, & causas declarãdas pertinuerũt: nunc ad multas de eisdem, & ardu-as quæstiones, de quibus omnes Philosophi

Opinio aliquorum.

controuersari solent, expendendas, atque soluendas accedendum est. Inprimis quærũt interpretes Arist. an in quolibet elemẽto ambæ qualitates sint summę, an vna summa, & altera remissa, & hac de re acerrimè disputãt; alij nanq; vnam tantùm dixère summã esse, alterã verò remissam, nitẽtes verbis Arist. in contex.23. lib.2. de Generatione, vbi dicere videtur, ignem esse magis calidum, quàm siccum, & aërem magis humidum, quàm calidũ, & aquã magis frigidam, quàm humidam, & terram magis siccam, quàm frigidam.

Aliorum cõtraria opinio.

Contrà verò alij locum illum aliter interpretantes putârunt vtramq; summam, & extremam in quolibet elemẽto esse debere, & ducti ratione, quòd remissio qualitatis fit per admistionem contrariæ, proinde mistionem præsupponit; at elementum est corpus simplex, nullam habens mistionem; ergo neutra qualitas in elemẽto potest esse remissa: alijs quoque & hi, & illi argumentis vtuntur, quorum aliqua in progressu considerabuntur, aliqua etiam tanquam leuia, & inutilia missa fient: constitui namque breuibus agere, nec totam hãc disputationem in medium adducere, sed ipsam rei veritatem, si fieri possit, explanare, ac manifestam reddere. Ante omnia id notare volo, quod meo quidem iudicio est verissimum, licèt ab alijs non animaduersum, nihil hac de re posse ex Aristot. colligi in libro 2. de Ortu & interitu; nõ enim ibi elemẽta sibi consideranda proponens qualia actu existunt, ipsorum qualitates inquirit, sed à qualitatum consideratione incipiens sumit

Nota de tractatione primarũ qualitatum in 2 libro de Generatione.

A inprimis quatuor ipsas primas qualitates esse elementa & materiam corporum mistorum, id est, esse formas constitutrices elementorũ, deinde faciens quatuor illarum coniugationes, docet ab his quatuor elementa constitui, vnũ à calido & sicco, aliud à calido & humido, aliud à frigido & humido, aliud à frigido & sicco, nil adhuc dicẽdo de corporibus, quibus hę differẽtiæ seu coniugationes competunt: nam ipsas elementorum constitutri-

B ces differentias considerans, eas priùs abstrahit à consideratione corporũ, quibus insunt, & eas ipsas elementa appellat, vt notare possumus in contextu 16. libri 2. deinde verò his differẽtijs declaratis, applicat eas primis quatuor corporibus, vt ibidem videre est: patet igitur alienum esse à consilio Aristotelis eo in loco considerare, an illis quatuor corporibus insint hæ qualitates summæ, an remissæ; tales enim applicat primis corporib⁹, quales

C priùs secundùm se sumptas considerauerat; at absolutè & indistinctè primas qualitates cõsiderauerat, absque vllo discrimine intensæ, & remissæ, & absq; consideratione graduum singularum, & solùm docuerat calidum & frigidum, & humidum, & siccum esse primas qualitates, & ad corporum elementa constituenda idoneas: quemadmodũ igitur vanum esset in ea parte quærere an sumat calidum summum, an calidum remissum, & sic de re-

D liquis, quum absolutè, & absque hoc discrimine eas qualitates consideret; ita vanum postea est facta earum applicatione ad quatuor prima corpora, quęrere an in ijs existant summæ, an remissæ; quandoquidem consilium Aristotelis in eo libro est solam considerare differẽtiam elementi calidi, & elemẽti frigidi, & ita sicci, & humidi: quod quidem maximè comprobatur per illa, quę postea ibi dicuntur de mutua elementorum mutatione

E inter se; in habentibus enim symbolam qualitatem inquit facilem esse mutationem, quia vna tantum qualitas mutatur in suam contrariam, altera verò manet, vt si mutetur aer in ignem, mutatur humidum in siccum, sed calidum manet; attamen certum est, non eundem esse

dem esse calorem in aere, & in igne, prout reuera existunt extra animã: quisquis enim sensu non egeat, pro comperto habebit aërẽ esse minùs calidum, quàm ignẽ, proindenon posse in ignem mutari, nisi facta quoq; mutatione de minore calore in maiorẽ: sed quoniam Arist. discrimen hoc, quod in eadem qualitate penes varios gradus attenditur, ibi non respicit, sed id solum, quo secernitur contraria à sua contraria; ideò dicit manere calorem, & mutari humidum in siccum: reuera enim dũ graduum differentiam non spectamus, non possumus nisi dicere corpus, quod interijt, fuisse calidum & humidum; illud verò, quod genitum est, esse calidum & siccum. Difficultatem quidem aliquam facere possunt ea, quę priùs in eodem lib. dicuntur ab Arist. de elementis à contex. 16. vsq; ad 23. sed si bene considerentur, & scopus Aristotelis ea dicentis intelligatur, his, quæ modo diximus, minimè officiunt: ibi namque non vult aliquid prima intentione de elementis docere, sed solùm dubia quædam, quę turbare nos poterant, remouere: primùm enim dubitare poteramus de aëre, cui calorem & humiditatem iam attribuerat, quum ipsum quandoq; sentiamus frigidum, & quandoq; etiam appellemus siccum, quia videmus corpora quandoq; refrigerari, & quandoq; exficcari ab aëre: ad hanc igitur difficultatem tollendam monere nos Aristoteles voluit varietatem, quæ in elementis extra animam existentibus euenit ab externis causis; ob id notauit duo elementa extrema, terram & ignem, esse magis sincera, duo verò media esse minùs pura, & ita mista poriùs, quàm simplicia, nec penitùs affecta suis qualitatibus naturalibus; videmus enim quãdoq; aquam ex terra prodire valde calidam & feruentem, quemadmodum quoq; interdum sentimus valde frigidum: voluit igitur Aristoteles nos intelligere elementa ibi considerari vt naturaliter constituta, & vt abstracta quodammodo ab his varietatibus, quæ ipsis vt extra animam existentibus cõtingunt. Ob id excludit etiam in ea p... e ignem hunc nostrum, & glaciem; quia quum ex his nihil generetur, propter caloris, ac frigoris excessum, dubitare poteramus, quia propter eundem excessum digna maximè esse videbantur nomine elementi; attamen elementum non videtur dici posse id, ex quo nihil generatur. Aristot. igitur ibi significat, illa nõ esse elemẽta, nec simplicia corpora, propterea quòd nõ habent excessum ratione graduum; quia nihil datur calidius igne elemẽtari, neq; glacies est frigidior, quàm elementaris; sed habent excessum operationis tãtummodò, quia propter materiæ densitatem fit, vt validiùs agant calfaciendo, & refrigerando. Et quia dixerat,

A primas qualitates esse elemẽtorum constitutrices differentias, & duas cuilibet elemento attribuerat, ambigere etiam poteramus, quomodo vna & eadem differẽtia possit duo specie distincta corpora cõstituere, vt calor ignẽ & aerem, & frigus terram & aquam, & humiditas aerem & aquam, & siccitas terram & ignem; ideò ad hoc dubium tollendũ in contex. 23. dixit, vnam in vnoquoq; elemento esse magis præcipuam, id est, magis affinem naturæ B illius, & intimiorem, quàm alteram: hoc significare ibi voluit Aristotel. sed non alterã esse summam, alteram verò remissam, vt multi Latinorum perperã arbitrantur: nõ enim dicit Arist. ignem esse magis calidũ, quàm siccũ, sed esse magis calidi, quàm sicci, vt alij rectè animaduerterũt: quare colligi non potest, ignem nõ esse summè siccũ, sed solùm maiorẽ habere affinitatem cum ignis natura calorẽ, quàm siccitatem. His autem difficultatibus C sublatis, Aristotel. agere incipit de mutua elemẽtorum mutatione inter se, nec vllam facit mentionem intensionis, vel remissionis harum qualitatum, sed eas, vt prędiximus, absolutè, & secundùm proprias naturas cõsiderat. In eo igitur libro locum non habet hæc disputatio, an qualitates elementorum sint summæ, an remissæ, quia tractatio illa est quodammodo abstracta ab hac cõsideratione; sed locum potiùs habet in libris Meteorolo- D gicis, vbi considerantur qualitates, quæ elementis extra animam actu existẽtibus insunt, quę variæ sunt, quia multas ab externis causis varietates recipiũt; nec semper elementa sunt affecta suis naturalibus qualitatibus, præsertim duo elemẽta media, maximè verò omniũ aër: ideò secundùm hanc considerationem duplex oriri quæstio potest; vna de qualitatibus, quas hæc corpora extra animam existentia habent actu, quæ à præsenti instituto no- E stro aliena est, sed eã tractabimus postea, sumpta ab aëris qualitatib. occasione, de quarum discrimine mox loquuturi sumus; altera verò, quam in præsentia considerare nos oportet, quænam qualitates singulis elemẽtis conueniant in sua perfectè naturali constitutione, siquidem de qualitatibus elementaribus, hoc est, elementa prout elemẽta sunt constituentibus, dicendum in prę̨sentia nobis propofuimus; quũ enim aër modò calidior, modò frigidior esse videatur, cognitu dignum F est, quis caloris gradus aëri conueniẽs, & perfectè naturalis sit, an summus, an remissus; sic dico de cæteris elemẽtis, ac de eorum qualitatibus, quod est à nobis in præsentia considerandum. Proferam igitur breuiter sententiam meam, eamq; comprobare nitar: postea verò, si quæ aduersus eam difficultates ob aliorum opiniones existere videbuntur, eas

dissoluam. Quoniam autem harum qualitatum duæ sunt actiuæ, duæ verò passiuæ, nec vtrisq;, vt ego puto, eadem ratio accõmodatur, de vtrisque separatim dicemus. Primùm quidem de calore & frigore q̃ à Cœlo pendeant per motum circularem, & per eius motus priuationem, iam dictũ est: ea igitur si Arist. & vera sentẽtia est, inde necessario colligitur, in solo igni summum calorem inesse, & in sola terra summũ frigus, in duobus aũt elementis medijs vtrumq; remissum, in aère remisũ calorem, in aqua verò remissum frigus, & has esse his omnib. naturales qualitates; nam si à Cœlo per motum generatur in his corporib. calor, necesse est in proximo corpore summũ generari calorem, quum in eo fiat motus velocissimus: quoniam igitur in hoc mundo inferiore nullum corpus igne velòciùs circumfertur, fatendum etiam est, nihil dari calidius, & nihil rarius igni; sed ignem calore, ac tenuitate omnia inferiora corpora superare, proximus enim omnium est Cœlo mouenti, & maximum omnium circuitum peragit; aër verò quum naturaliter sub igne locetur distantior à Cœlo, ita vt minorem faciat circuitum, & tardiùs moueatur, non potest tantam habere raritatem, nec tantum calorem, quantum habet ignis, sed remissum habeat necesse est, eumq; vt sibi naturalem, nempe vt naturaliter conuenientẽ illi corpori, quòd natura sub igne statim locare constituerit: quinam aũt sit caloris gradus exquisitè aëri naturalis, non facile est dignoscere, sed id solùm statuere possumus, calorem aeris naturalem non esse summum, sed remissum; qui quũ & maior, & minor esse possit, manente aeris natura, aliquis tamen est gradus, qui est aëri naturalissimus, etsi eũ certa aliqua ratione statuere nemo potest, hanc, quam modò adduximus, esse certam demonstrationem à causa rei æquata desumptam, manifestum est: nam si motus in orbem in hac inferioris mundi vniuersitate est causa caloris per rarefactionem, & attritionem, & naturale aëri est sub igni locari, & tardiùs igni moueri; non potest aër ex motu in orbem consequi summum calorẽ, sed remissum, isq; est aëri naturalis: quocirca mirandũ profectò est, quomodo id negare multi audeant, & asserant aëris quoq; calorem naturalem summũ esse; nam hi præterquam quod rationi aduersantur, sensus quoq; testimonio refragãtur; etenim etiam tunc quando aërem calidissimum appellamus, vt æstiuo tempore, certum est minorem esse aëris calorem, quàm ignis, quum in eo animalia degant, & viuant, quæ in igne viuere nullo modo possent. Quod autem ad hoc aliqui dicunt, calorem quidem aëris maximum, & summum esse, à nobis tamen nõ sentiri propter humiditatem coniunctam, quæ non sinit ipsum summè calefacere; hoc certè vanum est, & gratis prolatum, quia sine ratione, imò verò aduersus rationem: ab humiditate enim contrarium potiùs ostenditur; nam si æquè summus in aere est calor, atque in igni, debet efficaciùs agere cum humiditate aeris, quàm cum siccitate ignis, propterea quòd aër igni densior est, idẽ aũt calor in materia densiore magis calefacit, quàm in rariore, vt ferrum ignitum magis vrit, quàm flamma: sed manifestum est hos abuti consideratione humiditatis, nec veritatem confiteri velle, quam ex humiditate deductã peruertũt & in prauum sensum trahunt; nam si bene cõsideremus, ea est humiditatis natura, vt tam calorem, quàm frigus obtundat, & neutrũ sinat esse summum, sicut postea considerauimus: itaq; humiditas aeris nõ facit ne calor aëris, quum sit summus, summè calfaciat; sed facit ne summus esse possit: causa igitur, cur aër non vrat, est, quia non est summè calidus: causa autem, cur non sit summè calidus, duplex est: vna sumitur ab agente, quod facit ne sit summè calidus, agẽs aũt est defectus velocissimi motus: causa enim caloris motus est, causa verò remissionis caloris, hoc est, defectus à gradu summo, est defectus velocitatis in motu, ex quo minor attritio fit: altera verò causa sumitur à materia; humiditas enim est qualitas materialis, & passiua, quę facit ne aër possit esse summè calidus; sic aliàs diximus causam perpetuitatis generationis esse motũ Cœli vt agentem, causam autem perpetuabilitatis eiusdem esse naturam primæ materiæ; ex eo igitur quòd aër tum remotior à Cœlo, quàm ignis, tum humidus est, colligimus eũ minùs igne esse calidum, proinde nõ esse summè calidum. Idem confirmatur ex consideratione secũdarum qualitatũ, quæ insequuntur primas; in aere enim minor est raritas, & minor leuitas, quàm in igni, ergo & minor calor; nam & raritas, & leuitas calorem insequitur. Quod verò ad aquam attinet, ob eandem rationem necesse est, vt summè frigida non sit; validum enim esse puto argumentum Thomæ, quando dicit, terra est omnium frigidissima, quoniam maximè omnium distat à principio, & fonte caloris, aqua verò minùs frigida, quòd minùs distat, proinde calore aliquo, licèt debilissimo, participare videtur, ita vt calidissimus omnium sit ignis, aër calidus quidem, sed minùs, aqua verò frigida, sed non summè, tandem terra summè frigida, nec detur aliquid frigidius terra: hoc autem confirmatur signo manifestissimo, sumpto à secundis qualitatibus, quę insequũtur primas: nam frigus facit grauitatem, ac densitatem; at terra est omnium elementorum grauissima, atque densissima; ergo etiam omnium frigidissima.

De qualitatibus actiuis, quibus sint summæ, & quib. remissæ.

Humiditas et calorem, & frigus obtundit.

Aqua nõ est summè frigida.

dissima; aqua verò nō est summè grauis, quare neq; summè frigida. Quoniam autem has qualitates obtinent elementa à Cœlo, nempe ratione situs, quem habent respectu Cœli, & situs, quem singula habent, est singulis naturalis, quatenus talia sunt; fatendum est eas, quas modò diximus, esse singulis elementis qualitates naturales. Multò maior in passiuis qualitatibus difficultas inest, quum ex situ & distantia à Cœlo iudicari minimè possint: nam si propinquitas ad Cœlū daret siccitatem, dicere possemus, humidius esse illud, quod à Cœlo distantius est: id tamen dicere non possumus, quum & siccus sit ignis, qui Cœlo proximus est, & sicca terra, quæ omnium remotissima; sed neque humiditatis causa est propinquitas, quum ignis sit siccus, neque remotio, quum sit sicca terra. Mihi quidem dicendum videtur, qualitates passiuas iudicari ex actiuis: quū enim sint qualitates materiales, & necesse sit omnem huius inferioris mundi materiam vel humidam esse, vel siccam, proinde ex materiæ necessitate prouenire videantur, non quidem altera separatim, quum hæc tota materia ita sit apta ad humiditatem, vt ad siccitatem recipiendam, sed ambæ coniunctim, hoc est, vel vna, vel altera; pendent istæ quoque ab actione Cælesti, quatenus materia hæc secundùm se non habet nisi potestatem recipiendi humiditatem, vel siccitatem: at determinatio prouenit ab actiuis, non quòd passiuæ sint effectus actiuarum, sic enim non essent primæ qualitates, sed secūdæ: & consideranti patet, siccum non posse dici effectum caloris, quum terra, quæ est frigidissima, sicca sit, neq; etiam frigoris, quum ignis sit siccus, & calidissimus: sic humiditas neque à calore prouenit, quum aqua sit humida, neq; à frigore, quum sit humidus aër: nō sic de secundis qualitatibus dicere possumus; nam si quis similiter diceret, durum neque esse effectum caloris, quū metalla indurētur à frigore, neq; frigoris, quum calor lutū induret, proinde videri etiam durum, & molle esse primas qualitates; nō recta est consideratio: quia durum, licèt neque ad calidum, neque ad frigidum reducatur, reducitur tamē ad siccum, & molle ad humidum, tanquam ad qualitates materiales priores, proinde siccum & humidum sunt primæ qualitates, vt passiuæ, & materiales; non sic durum & molle, quum habeant alias passiuas priores, à quibus pendent, tanquam à materia. Itaque si humidum & siccum pendent modo aliquo à calido & frigido, per hoc non stat, quin sint primæ vt passiuæ, siquidem non habent alias passiuas priores, vt Aristot. considerat in 2. lib. de Ortu & interitu; imò sunt omnes æquè primæ, hæ quidem vt passiuæ, illæ verò vt actiuæ; & pendentia quoque earum mutua est, quemadmodum pendere solet tum materia ab agente, à quo elaboratur, tum vicissim agens à materia, quæ nisi aptitudinem habeat, facit vt agens sit impotens ad agendum: quod quidem notare in his qualitatibus possumus; quamuis enim calidum & cum sicco, & cum humido possit existere, & frigidum similiter & cum sicco, & cum humido, & vicissim siccum tam cum calido, quàm cum frigido, & humidum tam cum calido, quàm cum frigido; tamen & passiuæ legem aliquam præscribunt actiuis, & aliquam actiuæ passiuis, vt non omnino hæ cum illis existere, sed statutis tantùm quibusdam modis possunt; humiditatem enim obtundere & calorem, & frigus considerantibus manifestum est, proinde nec cum summo calore, nec cum summo frigore existere posse; sicut è conuerso nec summus calor, nec summum frigus potest existere cum humiditate: huius autem ratio ab Alberto & à Thoma adducitur talis; quoniam summus calor totam humiditatem absumit, summum autem frigus, quum maximè constringat, exprimit & expellit omnem humiditatem: quam quidem rationem ego nō improbo, si sano modo intelligatur: non est enim intelligendum ignem vt calidum agere in seipsum, & in se totam humiditatem absumere, & terram vt frigidam constringere seipsam, & omnem humiditatem expellere: hoc enim in mistis tantummodò locum habet, vbi duæ actiuæ agunt in passiuas simul iunctas, & eas elaborant tanquam artifex materiam; in simplicibus verò non fit huiusmodi actio, etsi quodlibet habet vnā qualitatem actiuā, & alteram passiuam; sed ex eo, quod in mistis videmus, colligimus tale quiddam in simplicibus, quæ eorum principia sunt, contingere, nempe cum summo calore nullam existere posse humiditatē, itidem neque cum summo frigore, proinde & in igni, & in terra summā esse siccitatem absq; vllo penitùs gradu humiditatis: & rationi consonum fuisse videtur, vt duo extrema elementa haberent vtramq; qualitatem extremam, ita vt ignis sit summè calidus, & summè siccus, & terra summè frigida & summè sicca, idque asserit de igne Auerroes expressè in cōment. 67. lib. 3. de Cœlo, dicens, ignis non est ignis actu, nisi cum caliditate & siccitate, quæ sunt in summo. Ob aliam quoq; rationem necesse fuit & ignem & terram habere summam siccitatem: quoniam si bene consideremus, qualitates passiuę non possunt esse in simplicibus, nisi summæ, & eas dicere remissas est pugnātia dicere; quia non possunt remitti, nisi per admistionē suæ contrariæ; nec datur corpus aliquod remissè humidum, nisi per commistionem corporis sicci, neq; remissè siccū, nisi per cōmistionem humidi; omne igitur remissè humidū, vel remissè siccū, necessariò est mistū, nec potest esse simplex; itaq; arbitror etiam aërē & aquā esse summè humida, dūmodò accipiā ut simplicia, & in sua perfectè naturali constitutione,

De passiuis qualitatibus.

Cur humiditas neq; cum summo calore, neq; cum summo frigore esse possit.

Siccitas & humiditas in omnibus elementis sunt summa.

Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt. Cap. II.

Fient autem hæc omnia clariora, si dubia, ac difficultates, quæ aduersus ea existere videntur, sustulerimus. *1. Dubium.* Primo loco dubium oritur contra id, quod de aëre & aqua diximus: contrariorum enim eadem debet esse conditio; at igni ratione qualitatum contraria est aqua, & terræ aër; ergo si tum in igne, tum in terra ambæ sunt qualitates summæ, debent similiter & in aëre, & in aqua esse omnes summæ; secus enim non plenè contraria esset aqua igni, nec aër terræ. *2. Dubium.* Secundò dubitatur, ob illa quæ dicuntur ab Aristotele lib. 2. de Generatione, context. 23. ibi enim dicit, singulo elemento vnam qualitatẽ præcipuè competere, alteram verò minùs, ac secundariò; putat igitur vnam tãtùm esse summam, & alteram esse remissam: quod ratione quoque confirmatur, sumpta à definitione ad definitum; cui enim magis competit definitio sicci, illud est magis siccum; at definitio sicci magis competit sicco terræ, quàm sicco ignis; terra namque est difficillimè terminabilis termino alieno, ignis verò faciliùs; ergo minùs est siccus ignis, quàm terra; non igitur summè siccus: sic definitio humidi magis cõuenit aëri, quàm aquæ, quia faciliùs terminatur alienis terminis aër, quàm aqua, quum tenuior & fluxilior sit, aqua verò crassior; ergo minùs humida aqua est, quàm aër, non igitur summè humida. *3. Dubium.* Præterea experientia docet, magis aquam refrigerare, quàm terram, ergo aqua est frigidior: falsum igitur est id, quod diximus, terram esse frigidissimam, aquam verò non summè frigidam, quum potiùs è contrario sese res habere videatur, & terra sit remissè frigida, aqua verò summè: quapropter credendum etiam est hoc significare Aristotelem in prædicto loco voluisse, quum & rationi & sensui consentaneum esse videatur, nempe ignem esse summè calidum, sed remissè siccum, terram summè siccam, sed remissè frigidam, aquam summè frigidam, sed remissè humidam: idque confirmatur confessione nostra de aëre, quem fassi sumus esse summè humidum, sed remissè calidum; igitur si de aëre verba Aristotelis sic intelligimus, vt dicat eum esse summè humidum, non summè autem calidum, eodem modo de alijs elementis ea intelligere debemus, vt asserat singulum habere vnam qualitatem summam, & alteram remissam. *4. Dubium.* Præterea quicunque in aliquo elementorum ponunt qualitatem aliquã remissam, vrgeri maximè videtur illa, quam antea tetigimus trita, ac vulgata difficultate: remissio non fit, nisi per admistionem contrariæ qualitatis; ergo si elementum aliquod aliquã habet qualitatem remissam, non potest esse simplex, sed est mistum; quoniam igitur statutum iam à nobis est, ser- A monem esse in præsentia de elementis puris atq; simplicibus, etiamsi talia extra animam non reperirentur, oportet, si sunt simplicia, vt sint etiam expertia omnis mistionis: nullam ergo habere debent qualitatem remissam, vt sibi naturalem. Alia quoq; plura dubia aduersus cõmunem omnium consensionem à Latinis afferuntur atq; soluuntur, quorum aliqua difficiliora consideranda sunt. *5. Dubium.* Primùm quidem omnes fatentur terram esse summè siccam: attamen si hoc esset, oporteret nullam B in terra esse humiditatem; ergo nullam terra haberet continuitatem, quoniam ad compactionem & continuationem partium requiritur humiditas, vt ait Aristot. in lib. 2. de Generat. contex. 49. *6. Dubium.* Præterea humiditas ab aëre facilè separatur, quum quandoque fit siccus, & manifestè exsiccet alia corpora: sed non facilè ab aqua, perit enim aqua, si ab ea auferatur humiditas, ergo aqua est humidior aëre: & ex hoc duo colliguntur; vnum, quòd aër non est C summè humidus; alterum, quòd aquæ est intimior, atq; essentialior humiditas, quàm frigiditas: id enim intimius est, quod minùs potest separari; at ab aqua facile separatur frigus, quũ possit fieri calida, non ita facilè humiditas, vt patet; falsum igitur asserit Aristot. lib. 2. de Generatione, contex. 23. dum ait, intimiorẽ aquæ esse frigiditatem, quàm humiditatẽ.

Dictorum dubiorum solutio. Cap. III.

D Prima dubitatio tanti apud aliquos fuit, vt ea ducti crediderint necessarium esse, vt in omnibus elementis omnes qualitates sint summæ: *Solutio primi.* attamen apud me ratio illa nullius momenti est; natura enim non ideò has qualitates elementis dedit, quia elementa debuerint esse contraria: nam si hoc ita esset, fortassis aliquid roboris ea ratio haberet; sed è contrario quoniam qualitates elementorum constitutrices, contrarietatem inter se habẽt, E ideò factum est, vt elementa sint inter se contraria: quoniã igitur hæ qualitates insunt singulis elementis tales, quales eorum naturæ conueniunt, ideò elementa talem contrarietatem ex his qualitatib. assequuta sunt, qualem assequi potuerunt ratione situs, & respectus, quem ad Cœlum habent; igni enim contraria est aqua contrarietate extrema, ratione siccitatis & humiditatis, at ratione caloris & frigoris non extrema; quoniam aqua non est F summè frigida, & satis est, si extremè opponatur hac ratione terra igni, quum sit summè frigida, & ignis summè calidus: & hoc tãtùm probare ratio illa videtur; si enim datur elementum summè calidum, debuit etiam dari summè frigidum, talis autem non est aqua, sed terra: quòd autem dicitur contrariam maximè esse aquã igni, id ideò dicitur, quia opposita illi est secundùm vtramq; qualitatem, quod de terra dicere non possumus; sic dicimus contrarium terræ esse aërem, quia oppo-

ctus illi est secundùm vtramq; qualitatem, licèt terræ vt frigidæ magis contrarius sit ignis, quàm aër, quum ignis sit calidior aëre, & talis elementorum cótrarietas sufficiens atq; idonea ad mistorum constitutionem fuit, neque aliam esse contrarietatem oportuit. Confirmatur hoc ex consideratione qualitatum motricium: nam opponitur quidem ignis aquæ, vt leuis graui, non tamen extrema oppositione, quum aqua non sit summè grauis, sed maximè opponitur terræ, quæ grauissima est; insequitur autem leuitas calorem, & grauitas frigus; ergo extremè contrarius est ignis terræ vt frigidæ, non sic aquæ, quum hæc non sit extremè frigida: neque enim rationi consentaneum est, vt elementum extremum elemento medio opponatur extremè, sed extremum extremo, extremam autem contrarietatem calidi & frigidi insequitur similitudo in siccitate, quia, vt prædiximus, nec summum frigus, nec summus calor vllam patitur humiditatē; quapropter debuêre ambo elementa extrema esse summè sicca. *Solutio secundi.* Ad aliam difficultatem, quæ sumitur à definitionibus humidi & sicci, petenda est responsio ex ijs, quæ suprà de his definitionibus diximus; *Lib. 1, cap. 4.* dum enim has qualitates ita definitas in simplicibus secundùm se sumptis consideramus, in difficultates penè insolubiles incidimus; dum autē eas elementis aptamus, vt cógredientibus ad productionem misti, omnia dubia facilè tollimus; quū enim ex sicco & humido tanquam ex materia generetur mistum, illud est præcipuè siccum terreum, vt antea cum Aristotele diximus; paruam enim molem adijcit siccum igneum ob eius maximam raritatem; hoc igitur siccum facit, vt mistum terminos proprios habeat, atque retineat; sed quia oportet, vt priùs eos terminos recipiat, nec aptum est purum siccum eos recipere, quum difficulter alienis terminis terminetur, indiguit humido tum coniungēte partes sicci, tum faciente, vt termini facilè recipiantur; patet autem non minùs idoneum ad hoc munus esse humidum aqueum, quàm humidum aëreum; quare definitio humidi vt hanc operam mistioni præstantis non minùs competit humido aqueo, quàm humido aëreo; imò maximè competit humido aqueo ob eandem rationem, quā de terreo & igneo sicco tetigimus; plurimū enim humidi aquei in mistione requiritur: quoniam aqua ꝓpter suam crassitiem magis humectat, quàm aër, qui propter suam tenuitatem non ita hæret corporibus, & paruam molem misto adijcit, quemadmodum etiam de igni diximus: dum igitur & aquę & aëris humiditatem in mistione consideramus, magis aptari videtur definitio humidi humido aqueo, vtpote ad compagem, & ad terminationem magis conferenti, vt non absque ratione Thomas in contex. 23. libri 2. de Generatione dixerit, aquam esse aëre humidiorem, si modò hoc ipse respexit;

A etenim humidum aqueum in mistione magis fungitur officio humidi, quàm humidum aëreum, quemadmodum & siccum terreum in mistione magis fungitur officio sicci, quàm siccum igneum; reuera tamen nec aqua est ob id iudicanda humidior aëre, nec aër humidior aqua; prædicta enim differentia eis competit per accidens, ratione densitatis aquæ, ac tenuitatis aëris, quæ multos decepit: alij namq; considerantes aërem esse facillimè terminabilem, *B* dixêre ipsum esse humidiorem aqua, vt Auerroes 1. Cantic. comment. 15. vbi inquit, aër est humidior aqua, licèt aqua magis humectet; quum tamen hoc illi competat ratione tenuitatis, nō ratione humiditatis; quò fit, vt non sit iudicandus aër humidior, quàm aqua; hoc etiam manifestius fit mistionem considerantibus, vt prædiximus: ideò quum hoc ab Auerroe annotatum habeamus in initio suæ Epitomes in 4. Meteorolog. videtur *C* Auerroes in 1. Cantic. vel suorum dictorū immemor fuisse, vel pingui Minerua esse loquutus, & vt Medicus potiùs, quàm vt Philosophus, quemadmodum Medici in omnibus facere consueuerunt: hoc idem dicendum videtur de alia apud Auerroem repugnantia; nam in commen. 67. lib. 3. de Cœlo inquit, ignem esse extremè calidum, & extremè siccum, hoc tamen negare videtur in 1. Cantic. loco prædicto, dum dicit terram esse sicciorem igni. *D* Alij autem è contrario vidētes aquam magis humectare, quàm aërem, in quorum numero Thomas fuit, dixêre aquam esse aëre humidiorem, quum tamen hoc illi contingat per accidens, nempe ratione densitatis, non ratione humiditatis: dum enim elementorum vt simplicium naturas consideramus, non possunt esse nisi vel summè humida, vel summè sicca, vt in præcedētibus diximus, & vt magis in sequentibus ostendemus; necesse est enim *E* aquam & aërem habere summam humiditatē, licèt aëris tenuitas indicare videatur ipsum esse humidiorem, dum definitionem respicimus, & è contrario crassities aquæ faciat, vt eam putemus humidiorem, propter efficaciorem operationē, quia magis humectat, quàm aër. Hoc idem dicendum est ad aliud dubium *Solutio 3.* de frigore terræ; quòd enim aqua magis refrigeret, est per accidens, quia propter maiorem tenuitatem, & propter humiditatem hę*F*ret magis corporibus, quàm terra; hac enim ratione magis ea penetrat, proinde & magis refrigerat, non quòd frigidior sit secundùm gradum. *Solutio 4.* Sed omnium difficillima est alia sequens dubitatio, quomodo qualitas aliqua in elementis possit esse remissa, si elementa simplicia esse statuuntur, quum remissio fiat per admistionem contrariæ qualitatis, proinde & per illius corporis admistionē; vnde videtur colligi, nullū corpꝰ habēns qualitatem remissam esse simplex. *An omnis remissio fiat per admistionem contrarij.* Alexander hanc difficultatē cósiderans, eam soluit, negando omnē remis *Alexandri opinio.*

sionem fieri per admistionem contrarij, vt apud eum legere possumus in 2. lib. Quæst. naturalium, cap. 37. & sæpe in suis commentarijs in libros Meteorologicos, præsertim verò capite 4. libri 1. in commentario suo 13. vbi asserit ignem esse remissè siccum, aërem remissè calidum, aquam remissè humidam, & terram remissè frigidam, quod etiam dicit in libro 1. Quæstionum naturalium, cap. 6. nimirum illi sententiæ adhærens, quam significare Aristotelis verba videntur in contextu 23. libri 2. de Generatione; negat tamen remissionem hanc esse ob admistionem contrarij, & inquit, per eam non stare, quin pura ac simplicia elementa sint; hoc tamen quomodo sese habeat, nô declarat, neque aliquam eius rationem adducit. Auerroes quoque in commentario 15. libri 2. de Cœlo inquit, non omnem remissionem fieri per admistionem contrarij, & citat Alexãdrum, sed nil aliud hac de re dicit; ideò in eorum dictis acquiescere minimè possumus; nobis enim & alijs omnibus tribuentibus alicui elemento qualitatem aliquam remissam vt illi naturalem, necessarium est ostendere, quomodo sit remissa absque admistione contrariæ: neque Latinorũ aliqui difficultatem tollunt, dum dicunt alteram qualitatem in elemento esse remissam, non per admistionem contrarij, sed per distantiam à summo gradu; hoc enim dicentes, nihil reuera dicunt, quũ rem declarent per semetipsam; remissio enim qualitatis nil aliud est, quàm distantia à gradu summo, ideò non apparet, quomodo hanc distantiam ponere sit non ponere admistionem contrarij, sed necessarium videtur, vt à summo gradu distet qualitas per contrariæ admistionem; vel declarandum est, quomodo sine admistione contrariæ id fieri possit. Ego igitur dicam, quid hac de re sentiam, & seorsum actiuas & passiuas qualitates considerando priùs ostendam, quomodo duæ actiuæ in duobus elemẽtis medijs sint remissæ; postea verò cur passiuæ in omnibus elementis sint summæ. Quòd ad actiuas attinet, sciendum est, eam esse frigoris naturam apud Aristotelem, vt sit priuatio quædam caloris; id enim clarè legimus in 2. lib. de Ortu animal. cap. 4. & in 1. Meteorolog. cap. 4. vbi inquit, ex defectu motus circularis calorem facientis duo elementa manere frigida, quare vult solam priuationẽ caloris in materia apta calefieri, esse frigus; vel saltem dicendum est, frigus esse quidem secundùm se qualitatem positiuam, sed oriri ex priuatione caloris, ꝑinde respectu caloris habere locum priuationis, qua de re alio in loco diligentiùs loquemur. Illud quoque est in memoriam reuocandum, quod aliàs in libro de Mistione diximus, tum qualitates, tum formas elementorum intendi, ac remitti posse, non tamen eadem ꝑrsus remissione; nam qualitates remitti possunt etiam absque variatione speciei, & cum

Auerroes. — *Latinorum opinio.* — *Opinio propria.* — *Qualitates actiuæ in elementis medijs sunt remissæ.* — *Frigus est priuatio caloris.* — *In lib. de Calore cælesti.*

A illa tantùm differentia, quæ est secũdùm magis & minùs, formæ verò non possunt remitti, nisi cum variatione speciei; quò fit, vt non omnis remissio qualitatis faciat in elemẽto remissionem formæ, sed sæpe alterentur elemẽta sine aliqua substantiæ mutatione; propterea si sumatur aliqua portio aquæ, quæ pura ac simplex esse statuatur, ea poterit calfieri manente integra & illæsa eius forma; quamobrem frigus naturale remittetur, neque ob
B id stabit, quin aqua sit pura, ac simplex: vnde colligere possumus contrarij argumenti vanitatem; putant enim multi non posse qualitatem elementarem esse remissam sine commistione substantiæ elementi cum alia substantia; decipiuntur tamen, quia potest remitti qualitas, etiam cum admistione gradũ contrariæ qualitatis, seruata tamẽ puritate ac simplicitate substantiæ elementi: hoc igitur si verum est, non est in qualitatibus naturalibus e-
C lementorum impossibile existimandũ vt sint remissæ, demus etiam cum permistione contrariæ qualitatis, absque illa tamen remissione, vel mistione substantiæ: argumento sint qualitates motrices, quæ inter se contrariæ sunt, grauitas & leuitas; nam secundùm Aristotelem nec aquæ grauitas, nec aëris leuitas summa est, proinde & in aqua est aliquid leuitatis, & in aëre aliquid grauitatis, ita vt omnia elementa grauitatem habeant, excepto i-
D gni; siue igitur leuitas aëris sit remissa absque admistione grauitatis contrariæ, siue etiam cũ admistione alicuius gradus grauitatis, non propterea in aëris substantia ponitur aliqua mistio, neque ob id fit quin aër secundùm suã substantiam sit corpus simplex, & elemẽtum, cum illa qualitate remissa. Sed age, consideremus an qualitates elementorum sint remissæ per admistionem contrarij, & qualis sit illa
E remissio: vtuntur multi exemplo luminis, nec malè, si modò illud exquisitiùs expenderent; lumen enim non habet contrarium positiuũ, quia tenebra nihil est, nisi mera priuatio luminis; videmus tamen modò intensius, modò remissius in eodem aëre lumen fieri, quare fit remissio absque contrarij admistione, & per solam ablationem graduum, quam illi vocabant distantiam à gradu summo: huiusce igitur rei quæ est per se manifesta, ego hanc esse rationem existimo, quòd lumen est qualitas
F diuidua per gradus, & habet priuationem oppositam non solùm toti qualitati simul sumptæ, sed etiam singulis gradibus, ita vt detur tenebra tum exquisita, quæ est totius luminis perfecta priuatio, tum etiam imperfecta, quæ est priuatio alicuius gradus, non omnium, ꝑinde coniuncta cum gradu aliquo luminis: vbi namque est parum luminis, ibi est etiã priuatio aliorum luminis graduũ; eamq; appellare mistionem luminis cum tenebra, etsi nõ omnino conuenit; admitti tamẽ potest, si intelligatur esse positiui cũ priuatiuo, non cum positiuo.

Remissio luminis fit sine commistione contrarij.

positiuo. Hoc idem diceremus de remissione caloris per frigus, si frigus esset mera priuatio, qualis est tenebra; sed quũ sit aliquid positiuum insequens priuationem caloris, negare non possumus, caloris remissionẽ fieri per cõmistionem alicuius gradus frigoris, si modò ea est mistio appellanda; nam mistio est ꝓpriè corporum, non qualitatum: sed vtcunq; remissionem illam nominemus, certum est, remissum calorem esse non posse, nisi quando adsunt aliqui gradus caloris, nec tamẽ adsunt omnes, sed aliqui absunt; & quia horũ aliorũ graduum absentia est illorum priuatio, quam necessariò comitantur gradus aliqui frigoris; siquidem vt priuationem caloris insequitur frigus, ita priuationem aliquorũ graduum caloris insequũtur aliqui gradus frigoris; ideò in omni remisso calore insunt gradus caloris cũ gradibus frigoris, nec ob id sunt duæ qualitates, sed vna mediocris ex gradibus vtriusq; ꝓueniens, quę dicitur vel remissus calor, vel remissum frigus: si enim gradus caloris excedant, vocatur calor remissus, si verò excedant gradus frigoris, vocatur remissum frigus, saltem si multum excedãt: quandoq; enim rem aliquam vocamus calidam etiam cum debili calore, quod euenit ob caloris præstantiam, & frigoris imperfectionem, atq; ignobilitatẽ, qua fit vt locum habeat priuationis respectu caloris: ideoq; nominatio sumatur à gradibus caloris, quãdo dignosci in re aliquis calor potest: neq; absurdum est dicere in eadem qualitate simul existere gradus caloris cum gradib⁹ frigoris, nulla enim est repugnãtia, dummodò statutam latitudinem non excedant simul sumpti: quod optimè declaratur à Marsilio in sua quęstione de hac re in lib. 2. de Ortu & interitu. Talem igitur dicimus esse naturaliter in aëre calorem remissum, & tale in aqua remissum frigus, nempe cum aliquo gradu contrariæ qualitatis absque vlla substantiæ mistione: imò nec duæ qualitates dicũtur esse cõmistæ, sed vna est, quæ respectu maioris caloris est instar frigoris, & respectu minoris est calor respectu frigoris. Per hoc igitur non stat quin aër & aqua cum his qualitatibus naturalibus remissis esse possint verè simplicia corpora, & elementa, sicuti etiam sunt cum motricibus qualitatibus; nec video quid ex hoc absurdi sequatur, nec cur ita aduersus hãc sententiam clamẽt illi, qui negant vllam elementarem qualitatẽ naturalem posse esse remissam. Sed vt de actiuis qualitatibus explicatu facilis res esse videtur, ita difficilis est de passiuis, fateorque hanc magnoperè animum meum conturbasse, referam igitur breuiter quid hac in re mihi negotiũ facesserit, & quid ego dicẽdum esse existimem: iam dixi, passiuas qualitates in omnibus elementis esse summas, nec posse in elemẽto simplici esse remissas: vt hoc crederem, duplex me ratio induxit; vna, quòd hæ non ex propinquitate, & di-

De passiuis qualitatibus cur in elementis sint summæ.

A stantia à Cœlo proueniũt elementis, quandoquidem & ignis est siccus, qui Cœlo proxim⁹ est, & terra sicca, quæ omnium remotissima: neq; etiam omnino fiunt ex materiæ necessitate, quia tota hæc materia ita est apta ad humiditatẽ, vt ad siccitatem recipiendam; quare neutra harum qualitatum materiam necessariò consequitur: dicere tamen possumus, eas prouenire & ex necessitate materiæ, & simul ab actione cœlesti, quatenus cœlesti actione

B constituta oritur huic materiæ necessitas vt alia sit humida, & alia sicca; idq; à natura ideò factũ est, vt hæ essent conditiones materiæ, ex qua possent mista omnia generari: quum igitur non ex differentia distantiæ à Cœlo hæ duæ qualitates proueniant, vnde colligi possit eas esse in alio summas, in alio remissas, rationi consentaneum est, vt hæ in omnibus elementis sint summæ: dum enim statuitur, sermonem esse de elementis verè simplicibus,

C quę ad mista tanquam materia dirigũtur, simplices, ac puras in singulis esse materiales qualitates credendum est, simplicibus enim corporibus, quatenus sunt materia mistorũ, conueniunt qualitates materiales simplices, non permistæ, aut impuræ; non sic de actiuis dici potest, sunt enim potiùs formales qualitates, quàm materiales; quia formę est agere, & pẽdent immediatè ab actione cœlesti per propinquitatem, vel distantiam horum corporũ

D respectu Cœli. Altera verò ratio est, quoniam in qualitatibus actiuis, quæ formales dicendę sunt, remissio prouenit ex earum mutua actione, etiam absq; vlla permistione corporum, ideoq; potest aqua secundùm suam substãtiam esse simplex, quæ tamen recipiat ab igni calorem, ita vt naturale ipsius frigus remittatur: at in passiuis, quarum munus non est agere, sed pati, non potest remissio fieri nisi per commistionem materiæ humidæ cum materia sicca:

E quod quidem etiam in secundis qualitatibus notari potest; nam si corpus album prope nigrum corpus ponamus ita vt se tangant, nulla fiet eorum colorum remissio per actionem, quoniam talem agendi vim non habent; at si nigrum corpus cum alio corpore albo permisceatur, vt atramentum cum lacte, fiet vtriusque remissio, & medius aliquis color orietur: ego verò de humiditate & siccitate plurimũ dubitaui, num aliquam vim agendi habeant;

F dum enim rem ipsam consideramus, non videtur remitti humiditas ex cõtactu sicci; nam si in aqua sit durissimus ac siccissimus lapis, non fiet lapidis in aquam actio talis, quæ humiditatem aquæ remittat, sicuti neque humiditas aquæ remittet siccitatem lapidis, nisi eius substantiam penetret, & se in illam ita insinuet, vt commistio fiat; adeò vt quænam sit humiditatis, aut siccitatis actio nõ satis appareat: hoc idem cõfirmatur ex consideratione verborũ Aristotelis, dum harum qualitatũ naturas declarat; semper enim eas vocat pas-

Nota de actione passiuarũ.

siuas, nec vnquã vllam agendi vim ijs tribuit, tum in lib. 2. de Ortu & interitu, tũ in 4 Meteorolog. & eas per vim patiendi definit, nulla prorsus actionis facta mentione. Ex altera tamẽ parte Aristoteles aliquando innuere visus est has quoq; vim aliquam agendi habere; nam in lib. 2. de Ortu & interitu, quando loquitur de mutua inter se elementorum mutatione, inquit in habentibus symbolam qualitatẽ transitum de vno elemento in aliud facilem esse, quoniã altera qualitas manet, & altera in cõtrariam mutatur; vt si inter ignem & aërem pugna fiat, & vincatur humidum à sicco manente calore, mutabitur aër in ignem, si verò vincatur siccum ab humido, mutabitur ignis in aërem: tribuit ergo Aristoteles actionẽ aliquam etiam sicco, & humido; quũ enim ibi locum habere non videatur actio caloris, quia ambo sunt elementa calida, nulla remanet actio inter duo illa elementa, nisi ratione humiditatis & siccitatis: hanc Aristotelis sententiã si saluare potuissem, audacter asseruissem, nullam prorsus his duabus qualitatibus vim agendi inesse: quod enim ad mista attinet, facilè videbatur omnem exsiccationẽ, & omnem humectationem attribuere calori & frigori, quum calor per dissolutionem humidi exsiccet, & frigus per humidi expressionẽ, & expulsionẽ exsiccare mista corpora videatur. Ad illum autem Aristotelis locum videbatur posse responderi, mutationem aëris in ignem fieri ob actionẽ caloris ignei; quum enim ignis aëre calidior sit, agit in illum tãquã in frigidum, & reddens summè calidũ, facit etiam summè siccum, quia summus calor nihil tolerare potest humiditatis: & hæc sententia legi potest clara apud Alexãdr. in lib. 1. quæst. natur. cap. 6. vbi dicit in elemẽtis habentibus symbolam qualitatem fieri mutationem non in vna tãtùm qualitate, sed in ambabus; quãuis enim propter contrarietatẽ videatur in vna tantùm mutatio fieri, fit tamẽ etiam in altera secundùm intensionem & remissionem. Sed hæc responsio, quanquã vera est secũdù se, non est tamen tuta, neque in ea potui conquiescere, quia iam dixi Aristot. in eo lib. 2. de Ortu & interitu, nullã graduum differentiam in primis qualitatibus considerare; quare nullam potest in igni & aëre differentiam caloris respicere, sed solam conuenientiam, qua ambo sunt elementa calida; ideò apertè dicit in illa pugna aëris cum igne vinci vel siccum ab humido, vel humidum à sicco, calore manente; proinde vult actionem esse humidi in siccum, & sicci in humidum. Hac igitur responsione reiecta, tãquam infirma, nos antea, quũ de hac re loqueremur, ad hoc confugimus, quòd humidum & siccum sunt passiua tantũ, prout considerantur in generatione mistorũ, & in productione secũdarũ qualitatum; dum autem sumũtur vt se mutuò respicientia, vim aliquam agendi inuicẽ habent, quatenus contraria sunt; ita vt actionem vniuocam habere, sed nullam æquiuocam videantur: attamen hoc quoq; negare nõ dubitassem, si ueri verba illa Aristotelis p[...]uissem, quando loquitur de mutatione in elementis symbolam habentibus qualitatem; ibi namq; apertè attribuit vim agendi etiam sicco & humido: adde quòd ad hoc cõfitendum aliquis etiam ipsius rei respectus, & experientia me compulit; aliqua enim sunt, in quibus Medici vim agendi per exsiccationem, & per humectationẽ manifestè deprehẽderunt, quam in calorem vel frigus referre minimè possumus. Quoniã igitur ego tum à cauillis, tum à nouis dogmatibus, quæ certis firmisq; fundamentis nõ innituntur, abhorrere soleo, tandem his omnibus contrarijs argumentis cõsideratis tutissimam esse sententiam putaui, si diceremus humidum & siccum habere quidem aliquam mutuò agendi vim, sed ita debilem, vt vix dignosci à nobis queat; quò fit, vt tardissima sit eorum actio, nec nisi post longum tempus mutetur ab humido siccum in humidum, vel à sicco humidum in siccum; quum è contrario celerrima sit calidi, ac frigidi actio inuicem, & manifestissimè à nobis dignoscatur, ac sentiatur. Quoniam igitur debilissima est, atq; tardissima actio humidi in siccum, & sicci in humidum, proinde nõ apta ad eorum remissionem faciendã, nulla ratio manet remittẽdi humiditatem corporis, vel siccitatem, nisi per corporum cõmistionem: ast elementa simplicia esse statuuntur, quatenus elementa sunt, non per mista; igitur necessarium esse videtur, vt quæ sicca sunt, summam habeant siccitatem, & quæ humida, summam humiditatem: quare in his duabus passiuis qualitatib[us] validum esse argumentum puto, remissio non fit, nisi per commistionem, ergo hæ qualitates non possunt esse remissæ. Hæc mea sententia est, quam alijs expendendam & corrigendam relinquo. Ad aliud dubium de terræ siccitate sumptum ex contex. 49. lib. 2. de Generat. dicimus, Aristotelem ibi de mistorum tantùm continuitate & coniunctione partium loqui, ad hanc enim faciẽdam necessaria est humiditas; at non est necessarium vt siccorum quoque elementorum partes per humidum coniungantur & continuentur, hoc enim dato sequeretur nec terram, nec ignem esse summè sicca, sed esse ambo continua per commistionem humiditatis, vel, si qua statuatur eorum particula summè sicca, eam esse prorsus indiuiduam, quod quidem nemo assereret: quoniam igitur elementa sicca sunt species corporis naturalis, & omne corpus est continuũ, fateri oportet ea ex propria natura habere cõtinuitatẽ. quatenus prima materia est per se quanta, lõga, lata & profunda, sed indeterminatè, à forma autẽ cuiusq; rei propria terminos recipit, vt alibi declarauimus: in solis igitur mistis locũ habet id, quod ibi Arist. dicit, Solutio 4.

quum

quum enim mistio fiat ex diuisione miscibiliũ in paruas partes, proinde siccum in minutas partes diuidi oporteat, necessariũ fuit humidum ad earum partium coniunctionem, & totius continuitatem. Ad aliud de humiditate, quæ facilè separari videtur ab aëre, non ita facilè ab aqua, de aëre quidem dicẽdum est eũ humiditate nunquam carere; nam si hæc ab aëre auferatur, non potest esse aër; quòd autem quandoque siccus esse, & res exsiccare videatur, id non per se est, sed per accidens; halitus enim siccos habet à terra exhalatos, quibus quandoq; ita refertus est hic aër noster, vt per eos exsiccet alia corpora; potest etiam vt calidus facere humidi resolutionem in alijs corporib᷒, quod euenit in ijs, quæ putrescũt; nam ab aëre externo calido educitur calor naturalis mistorum corporum, cum quo simul humidum euaporat, ita vt siccum sine humido relinquatur; per accidens igitur fit vt aër exsiccet, quũ id faciat vt calidus, non vt siccus, semper enim habet suam naturalem humiditatem, ratione cuius est alienis terminis facillimè terminabilis, & proprijs terminis carens; per hoc igitur non ostenditur aërem esse minùs humidum, quàm aquam. De ipsa autem aqua cur faciliùs ab ea auferatur frigus, quàm humiditas, multa dicuntur ab Alexandro in lib. 1. Quæst. natur. cap. 6. digna enim cõsideratione res est, cur si intimius naturæ aquæ est frigus, quàm humiditas, ablato tamẽ frigore maneat aqua, ablata verò humiditate intereat, nec possit esse aqua sine humiditate: hanc difficultatẽ an soluat ibi Alexander, alijs considerandum relinquo; mihi quidem videtur per eius dicta difficultatem non tolli, quia id, in quo potissimùm eius solutio consistit, non tangitur ab Alexandro. Eo igitur dimisso atbitror hoc discrimen ab actiuarum & passiuarum qualitatum differentia prouenire: quoniã enim actiuæ sunt formales, & omnino ab agente externo producuntur, passiuæ autem sunt materiales, & magis proueniunt à materia; ideò difficiliùs auferuntur elementis passiuæ, quã actiuæ: idq; non in sola aqua, sed in omnibus elementis verum est; formam enim mutare, & delere, & producere vis naturæ potest, sed materiã destruere, vel ꝓducere haudquaquam potest: ob hoc igitur immutabiliores in elemẽtis sunt passiuæ qualitates, quàm actiuæ; ab aqua enim non potest auferri humiditas, nisi aqua intereat, frigus magis auferri potest, quia potest aqua calefieri, idcircò agẽte etiam igne in aquã faciliùs tolletur aquæ frig᷒, quã humiditas, statim enim mutat aquã in aërem, quia facilè mutat frigidũ in calidũ; non ita facilè humidum in siccũ; quòd si faciliùs mutaret humidum in siccum, quàm frigidum in calidum, primo loco mutaret ignis aquã in terrã, non in aërem; sic ab aëre separari humiditas non potest, quin aër intereat, calor aũt magis auferri ab eo potest, quũ quandoq; frigidissim᷒ esse inueniatur. A' terra quoque difficiliùs siccitas aufertur, quàm frigus, quod patet agẽte igne in terram; mutat enim primo loco in exhalationẽ, in qua siccum terreum seruatur, frigus autẽ interijt, & factũ est corpus calidum. Ignis verò difficillimè patitur seu caloris, seu siccitatis remissionem, ideò hoc discrimen non ita in eo manifestum est. Ad dubium igitur dicimus, verũ quidem esse id, quod assumitur, difficiliùs separari humiditatẽ ab aqua; sed ex hoc nõ inferri aquam esse aëre humidiorem, siquidẽ dicimus ipsi quoq; aëri hoc idem contingere, neq; etiam inferri humiditatẽ esse intimiorẽ naturę aquæ, quàm frigus, propterea quòd hoc non ideò euenit, quòd humiditas sit aquę essentialior, sed quia est cõditio materialis, & qualitas passiua, quæ in omnibus est difficiliùs separabilis, quàm actiua; neq; credendũ est Aristotelẽ attribuentem cuilibet elemẽto vnam qualitatẽ potiùs, quàm alteram, significare per hoc voluisse vnã esse magis cõnexam cũ elemẽti natura, quàm alteram: sed ne crederemus vnũ elementum à duabus simul conditionibus æquè con[illegible]ui, tanquã à duabus formis, ideo alteriu[illegible]ualitatis principalitatẽ introduxit, eamq; indicauit ex operationibus primarũ qualitatũ, ex quibus earũ definitiones acceperat; vis enim calfaciendi, & attenuandi maximè in igne inest, vis refrigerandi maximè in aqua, quæ magis refrigerat, quã terra: difficultas aũt recipiendi ab alio terminos maximè in terra conspicitur, ideò maximè videtur siccitas in terra inesse; è contrario autẽ facilitas recipiendi ab alio terminos maxima in aëre est, propterea eũ aëris nat[illegible]a maximè cõuenire existimauit humidit[illegible]m, licèt non minùs humida sit aqua: sic i[illegible]g[illegible]r sublata est, ni fallor, omnis difficultas, qu[illegible] non ex eadem ratione sumatur facilitas, vel difficultas separationis qualitatis ab elemento, atq; ipsius qualitatis principalitas, seu maior conuenientia cũ natura ipsius elemẽti.

Solutio 6.

Cur ab aqua faciliùs separetur frigus, quàm humiditas.

Passiuæ qualitates difficiliùs auferuntur, quàm actiuæ.

An symbolæ elementorum qualitates differant specie, nécne, aliquorum opinio & argumenta.

Cap. IV.

Quæri præterea solet, an symbolæ elementorum qualitates sint eiusdem vltimæ speciei, an specie differant; vt an calor ignis, & calor aëris distinguantur specie, nécne, sic frigus terræ, & frigus aquæ, sic humiditas aquæ, & humiditas aeris, sic demum siccitas terræ, & siccitas ignis. Hac de re legi apud alios possunt disputationes prolixæ, præsertim apud Marsilium in 2. libro de Generat. ob id ego paucis agam, & præcipua quædam, alijs dimissis, in medium afferam. Non defuere qui dixerint symbolas qualitates differre specie: quam sententiam plurimis argumentis comprobatunt, quorũ præcipua hæc sunt,

Sententia aliquorum.

1. argument. Primum quidem, vel qualitates sunt formæ A elementorum, vel sunt accidentia consequentia formas: si formæ, ergo specie differunt, quia compositorum specie differentium necesse est formas esse specie distinctas; etenim nisi specie differrẽt, certè composita differẽtia specie non constituerent: si verò sunt accidentia consequentia formas, idem sequitur, quia distinctas specie formas distincta etiam specie accidentia cõsequuntur.

2. argument. Præterea si essent eiusdem speciei, easdem etiam ederent B operationes; at diuersas edunt, ergo non sunt eiusdem speciei, falsitas consequentis probatur, quia humiditas aërea ignẽ non extinguit, sed potiùs nutrit, patet enim flãmam in aëre nõ extingui; aquea verò humiditas extinguit ignem; ergo hæ duæ humiditates non easdẽ edunt operationes, differũt ergo specie; quod autem de humiditate dicimus, idem de alijs quoq; omnibus dicendum est; ergo prædictæ omnes non sunt eiusdem speciei.

3. argument. Tertiò sic C argumentantur: calorem insequitur leuitas, frigus verò grauitas; ergo quod de motiuis qualitatibus dicitur, idem de alterantib. dicendum est; atqui non eadem est leuitas aëris & ignis, neq; eadem grauitas terræ & aquæ, quum ad diuersa loca naturaliter tendant; ergo neq; caliditas ignis & aëris eadem est neq; eadem frigiditas terræ & aquæ.

4 argument. Quartò calor ignis requirit siccitatem, neq; esse potest cum humiditate, contrà verò calor aëris requirit D humiditatem, nec potest esse cum siccitate, ergo differunt specie; sic de alijs quoq; qualitatib. argumentari possumus.

5. argument. Quinto si eiusdem speciei essent humiditas aquæ, & humiditas aëris, ita vt in mutatione aquæ in aërem eadem numero humiditas seruaretur; accidẽs idem numero migraret de subiecto in subiectum, quod absurdum esse omnes cõsentiunt.

6. argument. Sextò argumentantur à simili: in mistis calores specie differunt, alius enim est in asino ca- E lor, alius in homine, quũ alias in hoc, alias in illo operationes edat; sic etiam calor febrilis differt specie à calore naturali, vocatur enim à Medicis innaturalis, & contrarius naturæ; naturale autẽ, & innaturale eiusdem speciei esse non possunt, quod ipsæ quoque eorum operationes declarant, calor enim naturalis causa est naturalium operationũ, febrilis verò est illis impedimento; ergo non sunt eiusdem speciei; hoc igitur idem in simplicibus quoq; F dicendum est, quod in mistis videtur esse manifestum.

7. argument. Confirmatur hæc sententia auctoritate Alexandri, qui in lib. 1. Natural. quæst. capite 6. dicit aliam esse aëris humiditatem, aliam aquæ, & alium esse calorem ignis, alium aëris. Auerroes quoque in sua Paraphrasi 4. Meteorologię, inquit, frigiditas est secundùm duas species, vna est frigiditas terræ, altera est frigiditas aquæ; itaque apertè dicit eas differre specie; & hoc idem de alijs omnibus confiteri necesse est, ergo omnes symbolæ qualitates specie distinguuntur. Iohannes etiam Grammaticus in contex 24 libri 2. de Ortu & interitu inquit, calor aëris, & calor ignis non est idem secundùm speciem, putauit igitur omnes symbolas qualitates differre specie.

Dictæ sententiæ confutatio, & probatio contrariæ. Cap. V.

Contrariam sententiam alij plurimi tutati sunt, ita vt communem appellare possimus, quam ego quoq; veram esse arbitror, alteram verò prædictam falsam; etenim constanter credo omnem calorem esse vnius & eiusdem speciei specialissimæ, sic & omne frigus, & omnem humiditatem, & omnem siccitatem, nec differre, nisi secundùm magis & minùs. Hanc opinionem confirmare, & contrariam refutare multis argumentis possumus: quorum ego illa, quæ validiora videntur, adducam; reliqua apud Marsilium & apud alios legantur.

Primũ sumitur argumentum validissimum ex harum qualitatum tractatione, quæ in 2. lib. de Generat. habetur: 1. argument. nam si opinio contraria vera esset, non quatuor essent primæ qualitates, sed octo specie distinctæ, nẽpe calor igneus, calor aëreus, frigus aqueum, frigus terreũ, humiditas aquea, humiditas aërea, siccitas terrea, siccitas ignea: attamen Aristoteles non octo esse dicit, sed quatuor, neq; octo earum definitiones adducit, sed quatuor tantùm; atqui illa, quibus eadem aptatur definitio, sunt eiusdem naturæ, proinde & eiusdem speciei; quare symbolæ qualitates specie non distinguuntur.

Solutio aduersarium. Hoc videntes aduersarij respondent, ostendi hoc argumento symbolas qualitates esse eiusdem speciei subalternæ, sed non eiusdem specialissimæ; nam Aristoteles appellat quatuor, & vt quatuor definit, quatenus differunt specie subalterna.

Solutionis impugnatio. Sed hæc responsio admittenda non est, quia secundùm eam Aristoteles in ijs definiendis ac declarandis mancus fuisset; non satis enim fuit communes & generales, in quibus conueniunt, definitiones adducere, sed proprijs quoque definitionibus erant definiendæ, quibus significarentur propriæ earum naturæ, & propriæ vires, quatenus secundùm speciem vltimã distinctæ sunt.

2. argument. Cætera quoque omnia quę ab Aristotele de primis qualitatibus ibi dicuntur, præsertim quæ à text. 24. vsq; ad 30. manifestissimè attestantur veritati: ait enim in habẽtibus symbolam qualitatem transitum & mutationem esse faciliorem, quam in non habentibus, & hanc rationem adducit, quoniam in non habentibus mutatio fit duarum qualitatum in duas; vt si mutanda sit aqua in ignem, oportet & humidum in siccum, & frigidum in calidum mutari; at in habentibus symbolam, mutatio fit vnius tantùm in vnam, altera enim remanet; vt si mutandus sit aër in ignem, sic solùm mutatio

mutatio humidi in siccum, calor autem manet: quare putat Aristoteles eundē non modò specie, sed etiam numero calorem manere in igni genito, qui fuit in aere corrupto: quòd non idem specie esset calor in aere, & in igni, oporteret calorem quoque mutari, & perire calorem aereum, & generari igneum; quare hæc quoque mutatio esset duarum in duas, quod Aristoteles negat: ad hoc tamen aduersarij respondent, nil aliud ibi significare Aristotelem velle, nisi faciliorem esse mutationem in habentibus symbolam qualitatē, quia facilius est aereum calorē mutare in igneum, cui non est contrarius, quàm calorem in frigus, quod ei contrarium est: sed hæc responsio vanissima est, nos enim nō modò id, quod de hac facilitate Aristoteles dicit, sed rationē quoque, quam adducit, expendimus; non enim illam affert rationem, quam illi comminiscuntur, sed hanc, quòd facilius est vnā mutare in vnam, quàm duas in duas, quare in vna tantùm qualitate mutationem fieri asserit.

Solutio aliorum.

Impugnatio.

3. argument. Præterea docet idem Aristoteles, quomodo ex duobus elementis perfectè contrarijs tertium medium generetur, & inquit ex igne & aqua posse vel terram, vel aerem generari; nam si aquæ frigus, & siccitas ignis intereant, generatur aer, quia remanent calor ignis, & aquæ humiditas, quibus aer cōstituitur; si verò prævaleat frigus aquæ caliditati ignis, & siccitas ignis humiditati aquæ, ita vt ignis calor, & aquæ humiditas intereant, terra generatur, quia remanet aquę frigus & ignis siccitas, quę simul iunctæ terram constituunt; putauit ergo Aristoteles eandem esse & specie, & numero siccitatem terræ & ignis, sic calorem ignis & aeris, sic frigus aquæ & terræ, sic humiditatem aquæ & aeris; nam si differrent specie, dictum Aristotelis verum non esset; remanens enim siccitas ignis non conueniret terræ, nec frigus aquæ remanens conueniret eidem terræ, sed aliam siccitatē, quàm igneam, & aliud frigus, quàm aqueum, terra postularet. Alia

4. argument. argumēta ad hoc idem probandum legi possunt apud Marsilium, ideò illa missa facio; hoc vnum adijcere volo, quod meo quidē iudicio magni momenti est, ex fundamentis antea iactis, ac stabilitis desumptum: si calor in elementis à Cœlo & generatur, & conseruatur, nec alio modo, quàm per motum, & per lumen, necesse est eiusdem speciei esse calorem omnem elementarem, tum igneum, tum aereum; ab vna enim causa, & eodem modo agente idem effectus prouenit; sumpta igitur ratione à causa efficiente ostenditur omnem calorem in elementis esse eiusdem naturæ: quare de alijs quoque qualitatibus hoc idem dicendum est, quum eadem in omnibus ratio vigeat; vel enim omnes symbolæ specie differunt, vel nulla. Huius sententiæ fuisse Auer-

5. argument. roem & Ioannem Grāmaticum patet legentibus eorum Commentarios in eam partem, vbi etiam ex ijs, quæ à Ioanne Grammatico de Alexandro referuntur, manifestum est idem sensisse Alexandrum: eorum autem verba non affero, quia dilucida sunt, & quisq; ea legere & intelligere facilè potest; neq; est de Ioanne dicendum, quòd sibi ipse contradixerit, vt ei aliqui attribuunt; ipsum enim huic crimini obnoxium non esse postea ostendemus.

Pro declaranda veritate, & contrarijs argumentis soluendis fundamenta iaciuntur. Cap. VI.

VT omnis hac in re difficultas tollatur, & contraria argumenta soluantur, notandum est, symbolas qualitates, etsi specie non differunt, duas tamen habere differentias, quas considerare nos oportet. Vna est, quam recipiunt prout referuntur ad aliud: quum enim calor sit causa secundaria, & instrumentalis, qua aliquod primarium agens vtitur; diuersus calor dici potest ratione diuersorum vtentium; ideò calor ignis, & calor aeris, quum secundùm propriam essentiam sint eiusdem speciei, tamen prout insequitur hic formam ignis, ille verò formam aeris, & ibi per calorem agere ignis dicitur, hic verò aer, distincti calores dicuntur, & modo quodam specie differentes, non quidem propriè specie secundùm suam naturā, sed quatenus formas specie distinctas insequuntur: hac igitur ratione alius esse dicitur aeris calor, alius ignis; tunc enim non ipsam secundùm se caloris naturam spectamus, sed aeris & ignis, quibus attribuitur: sic etiam dicimus, primas qualitates esse præparationes materiæ ad varias formas recipiendas; ideò eadē qualitas prout in diuersis mutationibus dirigitur ad diuersas formas, differens specie dici potest, non quidem secundùm se, sed respectu formarum specie differentium, ad quas dirigitur. Altera differentia est, quam istæ qualitates habent quidē secundùm se, non tamē talem, quæ diuersas species constituat; ea autem est differentia secundùm magis & minùs, seu secundùm intensionem & remissionem, quæ omnium philosophātium consensione non variat speciem; hac differentia distinguitur calor aeris à calore ignis, quia ille remissior est, hic verò intensus, & summus, specie tamen ob id non distinguuntur; & hoc quandoq; significamus, dum dicimus, alium esse in aere calorem, alium in igni, hoc est, alium & alium caloris gradū: quum enim denotare velimus differentiam secundùm magis & minùs, non dicimus eas differre specie, quum certum sit differentiam secundùm magis & minùs speciem non variare. Ex his aliud quiddam colligimus, quod magnoperè notare debemus: quamuis enim propriè sumendo differre specie, significet differre natura & essentia, tamen sumitur interdum impropriè ad denotandam solum differentiam accidenta-

Alia comparatio caloris secundùm se considerato, alia vt est instrumentum primarum agentium: idem infrà, cap. 7.

1. argument. Primum quidem, vel qualitates sunt formæ A elementorum, vel sunt accidentia consequentia formas: si formæ, ergo specie differunt, quia compositorum specie differentium necesse est formas esse specie distinctas; etenim nisi specie differrēt, certè composita differētia specie non constituerent: si verò sunt accidentia consequentia formas, idem sequitur, quia distinctas specie formas distincta etiam

2. argument. specie accidentia cōsequuntur. Præterea si essent eiusdem speciei, easdem etiam ederent B operationes; at diuersas edunt, ergo non sunt eiusdem speciei. falsitas consequentis probatur, quia humiditas aërea ignē non extinguit, sed potiùs nutrit, patet enim flāmam in aëre nō extingui; aqueа verò humiditas extinguit ignem; ergo hæ duæ humiditates non easdē edunt operationes, differūt ergo specie; quod autem de humiditate dicimus, idem de alijs quoq; omnibus dicendum est; ergo prædictæ

3. argument. omnes non sunt eiusdem speciei. Tertiò sic C argumentantur: calorem insequitur leuitas, frigus verò grauitas; ergo quod de motricibus qualitatibus dicitur, idem de alteratricib. dicendum est; atqui non eadem est leuitas aëris & ignis, neq; eadem grauitas terræ & aquæ, quum ad diuersa loca naturaliter tendant; ergo neq; caliditas ignis & aëris eadem est neq; eadem frigiditas terræ & aquæ. Quartò calor

4 argument. ignis requirit siccitatem, neq; esse potest cum humiditate, contrà verò calor aëris requirit D humiditatem, nec potest esse cum siccitate, ergo differunt specie; sic de alijs quoq; quali-

5. argument. tatib. argumentari possumus. Quintò si eiusdem speciei essent humiditas aquæ, & humiditas aëris, ita vt in mutatione aquæ in aërem eadem numero humiditas seruaretur; accidēs idem numero migraret de subiecto in subiectum, quod absurdum esse omnes cōfitentur.

6. argument. Sextò argumentantur à simili: in mistis calores specie differunt, alius enim est in asino ca- E lor, alius in homine, quū alias in hoc, alias in illo operationes edat; sic etiam calor febrilis differt specie à calore naturali, vocatur enim à Medicis innaturalis, & contrarius naturæ; naturale autē, & innaturale eiusdem speciei esse non possunt, quod ipsæ quoque eorum operationes declarant, calor enim naturalis causa est naturalium operationū, febrilis verò est illis impedimento; ergo non sunt eiusdem speciei; hoc igitur idem in simplicibus quoq; F dicendum est, quod in mistis videtur esse manifestum. Confirmatur hæc sententia aucto-

7. argument. ritate Alexandri, qui in lib. 1. Natural. quæst. capite 6. dicit aliam esse aëris humiditatem, aliam aquæ, & alium esse calorem ignis, alium aëris. Auerroes quoque in sua Paraphrasi 4. Meteorologic. inquit, frigiditas est secundùm duas species, vna est frigiditas terræ, altera est frigiditas aquæ; itaque apertè dicit eas differre specie; & hoc idem de alijs omnibus concedi necesse est, ergo omnes symbolæ qualitates specie distinguuntur. Iohannes etiam Grammaticus in contex 24 libri 2. de Ortu & interitu inquit, calor aëris, & calor ignis non est idem secundùm speciem. putauit igitur omnes symbolas qualitates differre specie.

Dictæ sententiæ confutatio, & probatio contrariæ. Cap. V.

Contrariam sententiam alij plurimi tutati sunt, ita vt communem appellare possimus, quam ego quoq; veram esse arbitror, alteram verò prædictam falsam; etenim constanter credo omnem calorem esse vnius & eiusdem speciei specialissimæ, sic & omne frigus, & omnem humiditatem, & omnem siccitatem, nec differre, nisi secundùm magis & minùs. Hanc opinionem confirmare, & contrariam refutare multis argumentis possumus: quorum ego illa, quæ validiora videntur, adducam; reliqua apud Marsilium & apud alios legantur. Primū sumitur argumen- 1. argument. tum validissimum ex harum qualitatum tractatione, quæ in 2. lib. de Generat. habetur: nam si opinio contraria vera esset, non quatuor essent primæ qualitates, sed octo specie distinctæ, nēpe calor igneus, calor aëreus, frigus aqueum, frigus terreū, humiditas aquea, humiditas aërea, siccitas terrea, siccitas ignea: attamen Aristoteles non octo esse dicit, sed quatuor, neq; octo earum definitiones adducit, sed quatuor tantum; atqui illa, quibus eadem aptatur definitio, sunt eiusdem naturæ, proinde & eiusdem speciei; quare symbolæ qualitates specie non distinguuntur. Hoc vi- Solutio aduersarum. dentes aduersarij respondent, ostendi hoc argumento symbolas qualitates esse eiusdem speciei subalternæ, sed non eiusdem specialissimæ; nam Aristoteles appellat quatuor, & vt quatuor definit, quatenus differunt specie subalterna. Sed hæc responsio admittenda Solutionis impugnatio. non est, quia secundùm eam Aristoteles in ijs definiendis ac declarandis mancus fuisset; non satis enim fuit communes & generales, in quibus conueniunt, definitiones adducere, sed proprijs quoque definitionibus erant definiendæ, quibus significarentur propriæ earum naturæ, & propriæ vires, quatenus secundùm speciem vltimā distinctæ sunt. Cæ- 2. argument. tera quoque omnia, quę ab Aristotele de primis qualitatibus ibi dicuntur, præsertim quæ à text. 24. vsq; ad 30. manifestissimè attestantur veritati: ait enim in habētibus symbolam qualitatem transitum & mutationem esse faciliorem, quam in non habentibus, & hanc rationem adducit, quoniam in non habentibus mutatio fit duarum qualitatum in duas; vt si mutanda sit aqua in ignem, oportet & humidum in siccum, & frigidum in calidum mutari; at in habentibus symbolam, mutatio fit vnius tantùm in vnam, altera enim remanet; vt si mutandus sit aër in ignem, fit solùm mutatio

mutatio humidi in siccum, calor autem manet: quare putat Aristoteles eundem non modò specie, sed etiam numero calorem manere in igni genito, qui fuit in aere corrupto: quòd non idem specie esset calor in aere, & in igni, oporteret calorem quoque mutari, & perire calorem aereum, & generari igneum; quare hæc quoque mutatio esset duarum in duas, quod Aristoteles negat: ad hoc tamen aduersarij respondent, nil aliud ibi significare Aristotelem velle, nisi faciliorem esse mutationem in habentibus symbolam qualitaté, quia facilius est aereum caloré mutare in igneum, cui non est contrarius, quàm calorem in frigus, quod ei contrarium est: sed hæc responsio vanissima est, nos enim nó modò id, quod de hac facilitate Aristoteles dicit, sed rationé quoque, quam adducit, expendimus; non enim illam affert rationem, quam illi comminiscuntur, sed hanc, quòd facilius est vnã mutare in vnam, quàm duas in duas, quare in vna tantùm qualitate mutationem fieri asserit.

Solutio aliorum.

Impugnatio.

Argument. Præterea docet ibidem Aristoteles, quomodo ex duobus elementis perfectè contrarijs tertium medium generetur, & inquit ex igne & aqua posse vel terram, vel aerem generari; nam si aquæ frigus, & siccitas ignis intereant, generatur aer, quia remanent calor ignis, & aquæ humiditas, quibus aer cõstituitur: si verò præualeat frigus aquæ calori ignis, & siccitas ignis humiditati aquæ, ita vt ignis calor, & aquæ humiditas intereant, terra generatur, quia remanet aquę frigus & ignis siccitas, quę simul iunctæ terram constituunt: putauit ergo Aristoteles eandem esse & specie, & numero siccitatem terræ & ignis, sic calorem ignis & aeris, sic frigus aquæ & terræ, sic humiditatem aquæ & aeris; nam si differrent specie, dictum Aristotelis verum non esset; remanens enim siccitas ignis non conueniret terræ, nec frigus aquæ remanens conueniret eidem terræ, sed aliam siccitaté, quàm igneam, & aliud frigus, quam aqueum, terra postularet. Alia argumẽta ad hoc idem probandum legi possunt apud Masilium, ideò illa missa facio; hoc vnum adijcere volo, quod meo quidé iudicio magni momenti est, ex fundamentis antea iactis, ac stabilitis desumptum: si calor in elementis à Cœlo & generatur, & conseruatur, nec alio modo, quàm per motum, & per lumen, necesse est eiusdem speciei esse calorem omnem elementarem, tum igneum, tum aereum; ab vna enim causa, & eodem modo agente idem effectus prouenit; sumpta igitur ratione à causa efficiente ostenditur omnem calorem in elementis esse eiusdem naturæ: quare de alijs quoque qualitatibus hoc idem dicendum est, quum eadem in omnibus ratio vigeat; vel enim omnes symbolæ specie differunt, vel nulla. Huius sententiæ fuisse Auerroem & Ioannem Grammaticum patet legentibus eorum Commẽtarios in eam partem, vbi.

4. argument.

Argument.

etiam ex ijs, quæ à Ioanne Grammatico de Alexandro referuntur, manifestum est idem sensisse Alexandrum: eorum autem verba non affero, quia dilucida sunt, & quisq; ea legere & intelligere facilè potest; neq; est de Ioanne dicendum, quòd sibi ipse contradixerit, vt ei aliqui attribuunt; ipsum enim huic crimini obnoxium non esse postea ostendemus.

Pro declaranda veritate, & contrarijs argumentis soluendis fundamenta iaciuntur. Cap. VI.

VT omnis hac in re difficultas tollatur, & contraria argumenta soluantur, notandum est, symbolas qualitates, etsi specie non differunt, duas tamen habere differentias, quas considerare nos oportet. Vna est, quam recipiunt prout referuntur ad aliud: quum enim calor sit causa secundaria, & instrumentalis, qua aliquod primarium agens vtitur, diuersus calor dici potest ratione diuersorum vtentium; ideò calor ignis, & calor aeris, quum secundùm propriam essentiam sint eiusdem speciei, tamen prout insequitur hic formam ignis, ille verò formam aeris, & ibi per calorem agere ignis dicitur, hîc verò aer, distincti calores dicuntur, & modo quodam specie differentes, non quidem propriè specie secundùm suam naturã, sed quatenus formas specie distinctas insequuntur: hac igitur ratione alius esse dicitur aeris calor, alius ignis; tunc enim non ipsam secundùm se caloris naturam spectamus, sed aeris & ignis, quibus attribuitur: sic etiam diximus, primas qualitates esse præparationes materiæ ad varias formas recipiendas; ideò eadé qualitas prout in diuersis mutationibus dirigitur ad diuersas formas, differens specie dici potest, non quidem secundùm se, sed respectu formarum specie differentium, ad quas dirigitur. Altera differentia est, quam istæ qualitates habent quidé secundùm se, non tamé talem, quæ diuersas species constituat; ea autem est differentia secundùm magis & minùs, seu secundùm intensionem & remissionem, quæ omnium philosophãtium consensione non variat speciem; hac differentia distinguitur calor aeris à calore ignis, quia ille remissior est hic verò intensus, & summus, specie tamen ob id non distinguuntur; & hoc quandoq; significamus, dum dicimus, alium esse in aere calorem, alium in igni, hoc est, alium & alium caloris gradũ: quum enim denotare velimus differentiam secundùm magis & minùs, non dicimus eas differre specie, quum certum sit differentiam secundùm magis & minùs speciem non variare. Ex his aliud quiddam colligimus, quod magnoperè notare debemus: quamuis enim propriè sumendo differre specie, significet differre natura & essentia, tamen sumitur interdum impropriè ad denotandam solum differentiam accidenta-

Alia competit calori secundum se considerato, alia vt est instrumentum primarii agentis: idem infrà, cap. 7.

lem, sequendo cõmunem quandam loquendi consuetudinẽ, & hominum existimationem, dicere namque solemus varias esse species aquæ, & varias terræ, quum tamen sit solùm differentia accidentalis: & hoc legimus clarè apud Aristotelem in primo capite primi Meteorologicorum, vbi considerandas proponit diuersas species terræ, quum tamen terra sit species vltima, quæ in alias species diuidi minimè potest: quoniam ergo plures habet terra accidentales differentias, has vocat Aristoteles species terræ, iuxta consuetudinem loquendi; dicimus enim aliam esse terram petrosam, aliam arenosam, aliam cretosam, & has vocamus varias species terræ, licèt non propriè sint species. Sic igitur dicere etiam solemus species caloris, & species frigoris, quãuis hæ qualitates non habeant species, respicimus enim non quidem ipsam cuiusq; qualitatis essentiam, sed accidentales & extraneas differentias, quæ à diuersis subiectis, & à varijs C rerum naturis desumuntur: at propriæ harum qualitatum naturæ, & vires eædem in omnibus sunt; omnis enim calor calefacit, & disgregat heterogenea, & cõgregat homogenea, & soluit congelata, & extenuat, absque vlla prorsus differentia, præter illam, quæ est secundùm magis & minùs; intensior enim calor magis atque efficaciùs hæc omnia præstat, quàm remissior, vt experientia declarat.

Contrariorum argumentorum solutio. Cap. VII.

Ad primum. His declaratis, non erit difficile contraria argumenta soluere. Ad primum dicimus, primas qualitates neq; esse formas elementorum substantiales, neq; consequi formas vt singulorum elementorum propria accidentia, quum singula qualitas duobus competat elementis: sed propria singulorum elementorum est duarum qualitatũ coniugatio, eaque non potest cum alio elemento communicari. *Ad secundũ.* Ad secundum dicimus, duplices esse primarum qualitatum operationes, & alias eis competere prout habent propriam agendi vim; alias verò vt instrumentis præcipui agentis, vel etiam ratione aliorum accidentium, quæ cum illis coniuncta sunt. Illæ igitur operationes, quæ ipsis competunt per se, hoc est, quatenus vim agendi, vel patiendi habent secundùm proprias naturas, sunt eædem, nec distinguuntur specie, sed solùm secundùm magis & minus; calefactio enim, & extenuatio, & congregatio homogeneorum, & aliæ omnes operationes à calido per se prouenientes, ita competunt calori aeris, sicut calori ignis, licèt calor igneus efficaciùs, & magis hæc præstet, aereus verò minùs; sic de alijs dicendum est: ijdem ergo effectus à symbolis qualitatibus proueniunt, cum discrimine tamen secundùm magis & minùs, præterquam quòd vbi aliqua operatio nõ absolutè à qua- A litate aliqua prouenit, sed à certis gradibus illius qualitatis; pauciores enim gradus ad illã operationem edendam apti non erunt, vt calor omnis calefacit, quia calefacere competit calido, quatenus est calidum absolutè: at vrere non competit omni calori, sed igneo tantùm & summo: ex eo igitur quòd calor igneus vrit, aereus verò non vrit, non infertur eos differre specie, sed solùm infertur differre secundùm gradus, quia vrere non competit absolutè B calori quatenus est calor, sed statuto gradui quatenus est talis gradus: hoc idem dicendum est de operationibus calidi quatenus est instrumentum primarij agentis; ex harum enim diuersitate non infertur calores differre specie, sed solùm infertur agentia præcipua, quæ calore vtuntur, specie differre. Ad argumentum igitur, quãdo dicitur humidum aqueum non nutrire ignem, sed potius extinguere, humidum verò aereum non extinguere, sed nutrire, dicimus, nil aliud esse nutriri ignem, nisi obiectam aliquam materiam accendi, & in ignem mutari; sed potissimùm de illis dicitur, quorum mutatio in ignem facilior est; quocirca nutriri ignem humido aereo, quale est in oleo, non sic humido aqueo, est in ignem mutari faciliùs res aereas, quàm res aqueas; hoc autem quid mirum, quum magis resistat, & cum igni pugnet aqua, quàm aer? sciendum autem est nutriri ignem substantia ipsa, D quæ in ignem vertitur, non accidẽtibus; quare non propriè dicitur nutriri humiditate, sed humido corpore, quod in ignem vertatur: imò siccum quoque corpus est in ignem mutabile, vt lignum aridum; quare etiam sicco nutritur ignis; humiditas autem per se, & quatenus est humiditas, cuiuscunq; sit corporis, est contraria igni vt sicco, propterea necessariò pugnat cum igni omne corpus humidum, & agit & repatitur; quare non secundùm pro- E priam naturam ei competit vt nutriat ignem, sed contingit humido vt pro diuersitate accidentium connexorum vel magis, vel minùs pugnet cum igni, ita vt aliqua faciliùs vincantur ab igni, alia difficiliùs, & alia etiam vincãt & extinguant ignem; humiditas enim aquæ coniuncta est cum frigore; quare magis resistit igni, & magis in ipsum agit, quàm humiditas aeris, quæ cum calore cõiuncta est; præterea verò & cum maiore densitate, quare magis F agit in ignem, quum præsertim densitas illa faciat suffocationem ignis, & prohibeat euentationem, quò fit, vt ignis extinguatur; hoc autem etiam oleum præstat, quando in nimia quantitate superfunditur igni, suffocat enim & extinguit; quum omnis humiditas per se habet vim humectandi, & lædendi ignem, at per accidens ratione aliarum conditionum coniunctarum euenit vt alia magis, alia minùs lædat, ita vt quæ minùs lædit, & faciliùs ab illo vincitur, dicatur ignem nutrire; in operationibus igitur singularum qualitatum consi-

derare semper debemus, an ab eis proueniant secundùm propriam earum naturam, an propter aliquid aliud, hoc est, vel ratione agentis præcipui, vel ratione aliorum accidétium coniunctorum; nam si à qualitate proueniant secundùm propriam eius vim & naturam, hæ in omnibus sunt eædem specie, nec differunt nisi secundùm magis & minùs: at si competát illi qualitati non secúdùm se, sed per aliquod aliud, possunt differre specie; nec tamen inde inferri potest, qualitates specie differre, vt modò de nutritione ignis dicebamus: si enim nutrire ignem significat mutari facilè in ignem, contrariæ erunt operationes, nutrire, & non nutrire, proinde & specie differentes, nec tamen indicabunt humidum ab humido differre specie, quia non competunt humido secundùm propriam naturam, sicut modò declarauimus. *Ad tertium.* Ad tertium à leuitate, & à grauitate acceptum neganda est consequentia, asserimus enim non eiusdem esse speciei leuitatem aeris, ac leuitatem ignis, quum nihil aliud denotent, quàm respectum ad statutum locum naturalé cum relatione ad alia corpora: quoniam igitur alius est locus ignis, alius aeris, alia etiam est huius, alia illius leuitas; huius autem discriminis ratio, & ad consequentiæ probationem responsio est, quòd leuitas, quæ est ignis, & leuitas, quæ est aeris propria, non insequitur absoluté calorem prout calor est, sicut antea de vstione dicebamus, neq; indicant diuersos specie calores, sed diuersos caloris gradus: quòd si leuitas ignis propria insequeretur non calorem summum determinaté, sed calorem absoluté, vtiq; argumentum esset efficax; oporteret enim, si alia est aeris leuitas, & specie differens à leuitate ignis, alia etiam esse speciem caloris. *Ad quartũ.* Ad quartum dicimus calorem ignis consideratum quatenus est calor, neq; siccitatem determinaté requirere, neque humiditatem, quoniam calor vt calor est, æquè cum vtraq; existere potest; requirit ergo siccitatem non ipse per se vt est calor, sed vt igneus, & vt insequens formã ignis. *Ad quintũ.* Ad quintum sumenda est responsio ex libro nostro de cõmuni rerum ortu & interitu, vbi diximus, non esse migrationem de subiecto in subiectum, quando eadem primæ materiæ portio remanet. *Ad sextum.* Ad sextum dicimus, omnem calorem tam simplicium, quàm mistorum corporum, esse per se eiusdem speciei, nec differre nisi secundùm magis & minùs: per accidens tamen, & per relationem ad aliud posse etiam dici diuersarum specierum vt calorem equi, & calorem asini, quatenus hic equi est, ille verò asini; sic dico de calore febrili, & calore naturali animalis, opponuntur enim vt naturalis innaturali, quatenus referuntur ad propriã naturam illius animalis, cui conueniens est tantus calor, maior verò non est conueniens, sed inimicus, & destructiuus: at secundùm propriam essentiam, & quatenus sunt calores, non

Omnis calor siue misti, siue simplicis est eiusdem speciei.

A differũt specie: quod ex eo patet, quòd etiam idem caloris gradus, & idem numero calor, huic rei est naturalis, & alij rei est præter naturam, neque ob id fit vt idem numero calor sit duarum specierum, hoc enim ne cogitabile quidem est. Ad verba autem Auerrois & Alexandri respondemus, eos nil aliud per ea denotare voluisse, quàm accidentalem calorum differentiam, secundùm quam solent appellari species variæ caloris; quod quidem pluribus B rationibus, quas antea exposuimus, enenire potest: quòd enim ea fuerit Alexandri & Auerrois mens, patet in alijs eorum verbis, quæ antea retulimus, & hoc nisi concesserimus, manifesta est in ipsorum dictis repugnantia & contradictio: hac ratione videtur etiam Ioannem Grammaticum à verborum suorum repugnantia posse vindicari, licèt eius verba plus habere videantur difficultatis; nam in contex. 24. lib. 1. de Ortu & interitu, manife- C stum est Ioannem crassa Minerua loqui, quum is non sit proprius locus, in quo de hac re sermo fiat; sed volens ibi interpretari verba Aristotelis posita in definitione generationis, considerat an in mutatione elementi in elementum symbolum eadem qualitas maneat, vt eadem humiditas, & eadem perspicuitas in mutatione aquæ in aerem, & inquit non remanere eandem, quia humiditas aquæ, & humiditas aeris specie differunt; sed postea se- D metipsum corrigens subiungit vel esse specie distinctas humiditates, vel saltem numero: nil ergo certi hac de re statuit, sed indistinctè loquens dicit vel esse specie distinctas, vel eiusdem speciei, solo autem numero differentes: num autem hoc verum sit, non est præsentis contemplationis; satis enim nobis in præsentia est, si specie non distinguantur, neque hoc certè statuat Ioan. Grammaticus.

E *De modo, quo ex duobus contrarijs elementis tertium medium generatur, quæstiones duæ, & solutio prioris. Cap. IIX.*

ALia quoq; multos turbauit ad primas qualitates pertinens difficultas, propter illa, quæ in 2. lib. de Ortu & interitu de his ab Aristotele scribuntur; loquitur enim ibi de mutua elementorum generatione, & tria docet: vnum, quòd in elementis in altera qualitatum conuenientibus, quæ sym- F bola vocant, facilior est transitus ex vno in aliud, vt ex aqua in aerem, quàm in habentibus vtramque contrariam; quum enim aqua & aer in humiditate conueniant, fit solùm mutatio de frigido in calidum: alterum verò est, quòd in elementis in neutra qualitate conuenientibus difficilior est mutatio vnius in alterum, vt aquæ in ignem; quia necesse est duas interire qualitates, & duas generari: tertium demum est, ex duobus elemẽtis contrarijs tertium medium generari, vt ex aqua

& igni aerem, vel terram, & ex aere & terra ignem, vel aquam; si enim aquæ intereat humiditas manente frigore, ignis verò calor manente siccitate, fit terra; si verò è contrario aquæ frigus pereat manente humiditate, & ignis siccitas manente calore, generatur aer; sic etiam congredientibus terra & aere, generatur eodem modo vel aqua, vel ignis: de hoc tertio Aristotelis dicto duæ quæstiones oriuntur, quarum non facilis est solutio; vna est, à quonam agente hæc mutatio fiat; altera verò, an in tali mutatione duæ qualitates ita intereant, vt aliæ duæ contrariæ generentur, an duæ intereant, & nulla generetur, sed satis sint vna alterius elementi seruata qualitas, & altera alterius ad tertium elementum constituendum: de his ego sententiam meam breuiter proferam. Priorem quidem quæstionem expendens, non parum dubitaui ne aliena prorsus esset ab Aristotelis consilio in eo libro, quum in eo elementa, & primas qualitates, ve prædiximus, cum quadam abstractione consideret, & essentiam potiùs, quàm existentiam respiciamus; nam certum est in mutatione aeris in ignem non modo de humido in siccum mutationem fieri, sed etiam modo quodam de frigido in calidum, quia minùs calidum respectu calidioris instar frigidi est in agendo, & in patiendo: quemadmodum igitur non considerauit Aristoteles differentiam graduum in singula qualitate, sed solùm singulas absolutè respexit vt conditiones elementorum constitutrices; ita neque à quo agente mutatio elementorum fiat, considerasse videtur, quum in ea parte in solius materialis causæ tractatione versari videatur: antequam igitur doceat, quomodo ex elementis fiat misti generatio, docere voluit, quomodo elementi ex elemēto generatio fiat, & quæ in illa mutatione contingant: ideò tria illa considerauit, quæ antea dicebamus, quia competunt priùs qualitatib. absolutè consideratis, etiamsi reipsa nunquam euenire dicerentur; dum enim duas coniugationes qualitatum penitus contrarias consideramus, illis secundùm se sumptis competit vt destructa vna qualitate in vna coniugatione, & vna in altera, duæ remaneant qualitates aliud, elemētum tertium ab illis diuersum constituentes; num autem reuera hoc eueniat, & quonam agente fiat, non videtur ibi Aristoteles considerasse, sicuti non considerauit an dentur omnia elementa pura, atque simplicia, licèt ea vt verè simplicia in eo libro semper acceperit, quum tamen ipsa fortasse nullibi simplicia & pura comperiantur: quod igitur ad mentem Aristotelis attinet, ego quidem ab hac opinione quam modò retuli, non sum alienus. Sed ne fugere huiuscemodi difficultatē, & aliorum argumentationes videar, quum præsertim locū habeat absolutè in elemētorum consideratione quæstio hæc de causa agente mutationis prædictæ, quia necessarium omnino est, vt omnis mutatio ab aliquo agente fiat, pauca de hac re dicam: communis est omnium ferè sententia, ab ipsismet elementis inter se pugnantibus tertij elementi generationē fieri, vt agentibus inuicem aëre & terra, aërē vt humidum agere in terram, & eius siccitatem interimere, terram verò vt frigidam agere in aërem, & eius calorem extinguere, ita vt manente terræ frigore, & aeris humiditate, aqua sit genita, cuius hæ duæ qualitates constitutrices sunt. Sed nonnulli recētiores in hanc communem sententiam acerrimè inuehuntur, ducti duobus potissimùm argumentis. Vnum est, quòd in ea est repugnantia manifesta: nam si terra aerem superet frigore, necesse est vt etiam siccitate superet, quia non potest vna qualitate vincere, quin vincat etiam altera. Secundò dicunt, hoc etiam dato, non tamen potest ex ijs duobus tertium elementum generari, quia necesse est vt illa duo, quum sint contraria, repatiantur in agendo, & licèt frigus terræ præualeat calori aeris, & tandē ipsum extinguat, fieri tamen non potest, quin frangatur, & remittatur à calore aeris; manēs ergo remissum frigus aquam constituere non potest, quum hæc debeat esse summè frigida; sic necesse est vt agens humiditas aeris in terræ siccitatem repatiatur ab illa, & remittatur; remissum igitur humidum non constituet aquam, quæ debet esse summè humida: quoniam igitur duæ qualitates vincentes, & remanentes non possunt esse nisi fractæ & remissæ, in omnibus autem elementis debent omnes qualitates esse summæ, fieri nunquam potest vt ex duobus elementis hoc pacto inuicem agentibus tertium elementum generetur. Hac igitur opinione reiecta, aliam ipsi excogitarunt, dixēteq; agens esse tertium illud elementum generandum, hoc est, aliud eiusdē speciei: quando enim ex terra & aere generatur aqua, alia aqua est agēs, quæ calorem aeris, & siccitatem terræ interimens, vertit illa duo in aquam sibi similem: sic se omnem euitasse difficultatem existimarunt. Ego verò alienam esse puto ab Aristotele eorum sententiam, & communem opinionem sequendam; Aristoteles enim in tota illa parte tria semper considerat, nec plura, in tribus illis mutationibus declarandis, videlicet agens, & patiens, & id, quod ex eorum actione generatur: vel enim vnum elementum est agens, & aliud ab eo patitur, & mutatur in naturam agentis, idque vel faciliùs, quando in vna qualitate conueniunt, vel difficiliùs, quando in neutra, vel vtrumque est agens, & vtrumque patiens, id est, vtrumque ex parte vincit, & ex parte vincitur, proinde neutri simile elementum generatur, sed tertium ab vtrisque diuersum; ita vt dicendum omnino sit, Aristotelem vel nullum ibi statuere agens, quoniam ad illam considerationem minimè pertinet, sicut antéa dicebamus

bamus; verùm vt manifestum præsupponere, & ne verbum quidem ad illud declarandum facere, nam si in alijs duabus mutationibus dicere velimus quodnam sit agens, nil aliud dicere possumus, nisi vnum elementum esse agens, & mutare alterum in suam naturam, siue sint symbola, siue non symbola; ergo in hac quoq; tertia mutatione dicendum est, vtrumque elemētum esse agens, & mutare alterum, non tamen in seipsum, sed in aliud tertium elementum. Præterea quando duo elementa, vt ignis & aqua, mutantur secundùm istos ab aere agente, quæro an duo illa se tangant, néc ne: si dicant non se tangere, illa non erit duorum elementorum mutatio in tertium elementum, qualem Aristoteles ibi considerat, sed duæ mutationes erunt, etiam loco distinctæ; ibi enim ab aere agente ignis in aerē vertetur, hîc verò ab aere agente mutabitur aqua in aerem, ideoque duæ erunt aeris generationes distinctæ: si verò se mutuò tangere ignis & aqua dicantur, quæro an agant inuicem, an otientur, & solùm ab aere agente ambo patiantur; quòd otientur dicere fatuum est, quî enim fieri potest, vt duo contraria se mutuò tangant absque vlla inter se actione? si verò agant mutuò, vt omnia fateri cogimur, necesse est vt hæc eorum mutua actio tanquam efficacior, atque celerior præueniat actioni aeris in illa; videmus enim guttam aquæ seruari multas horas antequam à circumstante aere, quamuis magno, in aerem mutetur, aer enim est tardæ actionis; sis in ferro accenso seruatur ignis aliquandiu, antequam à circunstante aere extinguatur; sed actio aquæ in ignem, & ignis in aquam celerrima est; igitur antequam illius agentis aeris actio absoluatur, & mutentur duo illa in aerem, præueniet interitus alterius duorum, quod in alterum mutabitur, vel in tertium ex mutua ipsorū actione, vt in aerem, quæ est vera sententia: quare nunquam continget, vt ex aqua & igni generetur terra à terra agente, vel aer ab aere agente, quod tamen asseritur manifestè ab Aristotele in memorato loco. Quamobrē ego cum alijs arbitror tertium elemētum oriri ex mutua duorum inter se actione, & hoc Aristotelem præsupposuisse, at nō expressisse; quia, vt diximus, non hoc sibi considerandum eo in loco proposuerat, sed elementa vt materiam generationis mistorum; ideoque iudicasse de eorum inter se mutatione priùs esse dicēdum: Id verò, quod ipsi dicunt, ego quidem euenire posse non inficior, sed pertinet potiùs ad alias duas ab Aristotele ibi tactas mutationes, nempe ad illam, qua symbolum elementum mutat alterum symbolum in suam naturam; nam si eo modo, quem ipsi statuunt, ab aere agente mutētur ignis & aqua in aerem: erunt duæ mutationes elementi in symbolum, vna ignis in aerem, altera aquæ in aerem: tertia verò ab Aristot. adiecta mutatio mista quo- A dammodo ex alijs duabus esse videtur, est enim actio contrarij in contrarium penitus, sed est mutatio in symbolum respectu vtriusque.

Responsio ad primum argumentum recentiorum. Ad illorum autē argumenta facilè est respondere: quum enim illa Aristotelis consideratio sit abstracta à modo, quo existunt elementa actu, & spectet illa solùm, quæ competunt eis ratione propriæ naturæ, negari non potest, si elementum calidum & siccum pugnet cum frigido & humido, fieri posse vt calidum superet B frigidum, & vt siccum superetur ab humido, vnde generabitur elementum calidum & humidum; fieri autem id posse manifestum est, considerādo eorum naturas secundùm se; calidum enim & superare frigidum, & à frigido superari aptum est; sic humidum & vincere potest siccum, & ab eo vinci: quocirca statuentes calidum superare frigidum, & humidum superare siccū, non dicimus aliquid fieri, quod nequeat fieri, sed rem possibilem C dicimus secundùm proprias harum qualitatum naturas: quòd si considerando elementa prout actu existunt, aliquid sit, quod id euenire prohibeat, sicut etiam impeditur elementorum puritas atq; simplicitas, nihil refert, quoniam ibi Aristoteles hoc non cōsiderat; quare prior illorum ratio nihil roboris habet: adde quòd etiam considerando elementa prout actu existunt, fieri fortasse potest vt vnam vna qualitate vincat aliud, altera verò ab eodem D vincatur, si verum est id; quod omnes ferè confitentur, non easdem esse harum qualitatum vires in agendo, atque in resistendo; sic enim fieri potest, vt vna elementi qualitas suam contrariam vincat, altera verò sit imbecillior sua contraria: pro diuersis etiam elementorum, inæqualibusque portionibus, & inter se proportionibus multæ eis contingere varietates possunt, & id, quod in tanta quantitate superat aliud, in minore superabitur ab illo, vel E secundùm alteram, vel etiam secundùm vtramque qualitatem. Sed prior solutio verissima ac tutissima est; *Ad secundū.* & illa eadem secundum quoq; argumentum tollitur, iam enim diximus, illam Aristotelis considerationem esse abiunctam à consideratione graduum qualitatum; quod si obiectio istorum valida esset, non minus Aristotelem & eos quoq; ipsos vrgeret; quando enim iuxta primum, vel secundum mutationis modum mutari contingat elemētum F aliquod ab alio siue symbolo, siue non symbolo, necesse est frangi, & remitti in illa pugna qualitatem agentis vincentem, vel ambas vincentes, proinde neq; elemētum agens manet amplius purum, neq; generare potest elemētum simplex, & habens vtramq; qualitatem summam; quia nihil agit supra ꝓprias vires; quare eorum argumentum friuolum est.

Solutio posterioris quæstionis. Cap. IX.

IN solutione autem alterius quæstionis posterioris dissensisse videtur Ioannes Gram-

maticus, & Alexander, vt idem Ioannes refert in expositione contex. 27. libri 2. de Ortu & interitu. *Alex. opinio.* Alexander etiam existimauit in illo contrariorum elementorum congressu duas qualitates interire, & nullã generari, vt agentibus inuicem aqua & igni, interire & ignis siccitatem manente calore, & aquæ frigus manente humiditate, & ita sine productione nouæ qualitatis aerem generari, quia satis est calor ignis seruatus; & humiditas aquæ remanens ad aerem constituendum: putauit etiam Alexander vnum numero esse aerem illum, qui hoc modo ex aqua & igni congredientibus generatur, non duos. *Ioan. Gram. opinio.* Sed Ioannes Grammaticus vtrumque Alexandri dictum impugnat: primùm quidẽ inquit, necessarium esse, vt cum duarum qualitatum interitu fiat duarum contrariarum productio; dum enim in igne siccitas interit, fieri non potest, quin loco siccitatis producatur in illa materia humiditas; sic dum aquæ frigus destruitur, produci calorem necesse est; nullus enim alius est harum qualitatum interitus, nisi productio contrariarum: hinc Ioannes alterius quoque dicti impugnationem sumit; si namque ignis siccitas seruato calore interit, & ibi producitur humiditas, generatur ergo ex illo igni aer; sic si aquæ frigus manente humiditate destruitur, & ibi calor producitur, ergo ex illa aqua similiter generatur aer; duo igitur aeres distincti numero generantur, vnus ex igni, alter ex aqua, sicut ille ignis, & illa aqua numero distinguebantur. *Error Alexandri.* Ego verò puto alterum quidem Alexandri dictum falsum esse, & veram in eo esse Ioannis sententiam, sed alterum esse verum, & in eo refellendo Ioannem esse deceptum, vt rectè in vtroque nonnulli recentiores existimarunt. Prioris dicti Alexandri falsitas ita manifesta est, vt vix credibile sit id sensisse Alexandrum: in illa enim materiæ portione, quæ in igni erat, ne imaginari quidem possumus siccitatem interimi, quin humiditas generetur: quòd si quis dicat, satis esse humiditatem aquæ remanẽtem, vt reddatur humida etiam materia illa ignis, in magnum absurdum incidet, quòd accidens idem numero migrabit de subiecto in subiectum, hoc est, de hac materiæ portione ad aliam portionem quæ est vera migratio: hæc igitur si nullo modo est concedẽda, alterum duorum fateamur necesse est; vel nullam humiditatem manere in materia ignis, post destructionẽ siccitatis, sed solum ibi esse calorem absq; humiditate, & absq; siccitate, & ita etiam in materia aquæ manere solam humiditatem sine frigore, & sine calore, quod nullo pacto dici potest, quia sic nec ignis erit in aerem mutatus, quum aer non modò calidus esse debeat, sed etiam humidus, nec aqua erit mutata in aerem. quia ad aerem constituendum non satis est humiditas, sed etiam calor requiritur; vel confitẽdum est, & in materia ignis genitam esse humidita-

A tem perempta siccitate, & in materia aquæ interijsse frigus per productionem caloris, & ita tum ignem, tum aquam in aerem transijsse. In altero autem dicto probandam esse arbitror Alexandri sententiam, quicquid aduersus eum dicat Ioannes Grãmaticus: *Error Ioan. Grammat.* quamuis enim duo sint distincta numero indiuidua, imò etiam specie, ignis ille & aqua, & duas distinctas materiæ portiones habeant, tamen ex duabus illis coniunctis materiebus vna fit
B materia, cuius vna pars priùs in igni erat, altera verò in aqua; in vna igitur illius totius materiæ parte calor ex igni remansit, & siccitate perempta genita est humiditas; in altera verò parte humiditas remansit ex aqua, & sublato frigore est genitus calor; quare tota illa materia est facta aer vnus numero, non plures. Hoc autem verum esse ostenditur eo argumento, quòd si duo distincti numero aeres geniti esse dicerentur, non esset is modus generationis
C elementorum tertius ab illis duobus distinctus, sed in idem caderet cum primo, nempe cum mutatione elementi in elementum symbolum; duæ namq; essent distinctæ & separatæ mutationes, vna ignis in aerem, altera aquę in aerem, sicut etiam antea aduersus alios considerabamus: oportet ergo ex duobus elemẽtis vnum numero generari elementum tertium per illorũ congressum, & ita esse tertium generationis modum medium quodámodo
D inter illos duos; similis enim est primo quatenus vtrumq; intereuntium elementorum mutatur in symbolum, id enim quod generatur, est symbolum respectu vtriusque; secundo autem similis est, quatenus duo pugnantia elementa sunt contraria secundùm ambas qualitates, & quatenus est duarum qualitatum interitus, & duarum productio; cum hoc tamen discrimine, quòd in secundo duarum interitus, & duarum productio fiebat in eadem por-
E tione materiæ, in hoc autem tertio fit in duabus; in vna enim interit vna qualitas, & contraria generatur, in altera verò interit altera qualitas, & contraria producitur: hinc Ioannes Grammaticus rectè colligit rationem, cur primus modus facillimus omnium sit, secundus difficillimus, tertius verò medius, hoc est, difficilior primo, sed facilior secundo: est enim primo difficilior, quoniam in primo vnius tantùm qualitatis peremptio est, in ter-
F tio autem duarum; sed secundo est facilior, quia duas simul qualitates pellere, & duas simul contrarias generare in eadem materia difficilius est, quàm in diuersis materiæ portionibus, hoc est, in vna portione vnam qualitatem interimere, & in altera similiter vnam; faciliùs enim est vnam tantùm destruere qualitatem, quàm duas; & faciliùs duas separatas, & in diuersis materiæ portionibus existentes, quàm duas simul in eadem materiæ portione. Hæc de his dicenda esse existimo, & ita omnem tolli difficultatem.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber

DE REGIONIBVS AERIS.

Quot sint, & quales Regiones aëris. Cap. I.



AEr in duas regiones diuisus esse videtur ab Aristotele in cap. 4. lib. 1. Meteorolog. quæ superficie sphærica per summitates môtium circunducta distinctæ esse intelligantur; sed si eodem in loco eius verba bene consideren-tur, tres ab eo aëris regiones statuuntur, varijs qualitatibus pro situum varietate discrepantes: de quibus nunc aliqua dicere ad explanandam Aristotelis sententiam constituimus. Quum igitur terra ob eminentias montium perfectè rotunda non sit, imaginatus est Aristotel. eam redditam perfectè sphæricam à superficie sphærica per montium summitates circumacta; totum enim illa superficie conclusum corpus perfectè rotundũ est, tametsi non solam terram continẽs, sed & aquam, & partem aëris illam, quæ altitudine cacumina montium non excedit: totum igitur superficie illa superiorem aërem, qui mole maximus est, supremam regionẽ appellauit, eumq; dixit calidum esse à motu incessante, quo à Cœlo continuè circumfertur, nullis eum montibus impedientibus, aut retardantibus. Alteram verò inferiorem aëris partem in duas regiones diuidi manifestè significauit, dum dixit, in suprema regione nubes non cogi, propterea quòd non possunt cogi nisi à frigore; calor enim vaporem disgregat, nec cogi in nubem sinit; supera autem regio calida est, & præterea incessantem habet motum in orbem, à quo vaporis condensatio impeditur, quia motus disgregat, & rarefacit: sed neque in infera regione ob eandem rationem cogi nubes possunt; ea namque, vt ipse ibi asserit, calida redditur à radijs solaribus, qui in terra fracti resiliunt, & aërem hunc nostrum calefaciunt; igitur à calore ibi quoque condensari vapor prohibetur: quoniam igitur neque in supera, neq; in infera regione cogi queunt nubes, quum vtraque sit calida, coguntur tamen manifestè in sublimi loco, mediam inter illas duas regionem dari censuit Aristoteles, ita vt totus aër, qui prædicta superficie concluditur in duas regiones diuidatur, vnam infimam, in qua nos degimus, alteram verò

Regionum numerus.

A superiorem, quæ ad illam superficiem desinat, & media sit inter supremam, & infimam: hæc autem partitio à radijs refractis, atque resilientibus desumitur: quum enim in terra fracti ascendant, alicubi tamen desinant, cessetque & extinguatur tandem omnis eorum vis, ibi finis est infimę regionis, & initium mediæ; quæ neque à motu calefit, siquidem infra prædictam superficiem locata vel nullo, vel debilissimo in orbem motu participat; neque B à radijs, quum ad eam partẽ non perueniant. Differunt inter se hæ regiones, & quantitatibus & qualitatibus; nam suprema maxima omnium est, eandemq; semper, & immutabilem quantitatem seruat, vtpote certis, & immobilib. liminibus contẽta; initium enim sumit à memorata superficie, & à môtium summitatibus, desinit autem ad principium loci ignis; aliæ verò duæ & multo minorem molem obtinent, & eam non semper eandem. sed C modò maiorem, modò minorem; nam æstiuo tẽpore infima regio maior est, quàm tempore hyemis; cõtrà verò media est maior hyeme, minor autem æstate: ratio huius discriminis est, quoniam æstate Sol sublimior, & puncto nostro verticali propinquior incedit; hyeme verò humilior, & ab illo puncto remotior: quò fit, vt æstate radij terrã percutiant ad angulos rectos, vel rectis propinquiores, proinde & vehementiùs percutiant, & ad sublimio-D rem locum resilientes ascendant; contrà verò hyeme obtusiores, & acutiores angulos faciant, & obliquè admodum terrã percutiendo debilem faciunt ictum, & debilem reflexionẽ, & ad parum sublimẽ locum ascendũt: quamobrem si infima regio eousque protenditur, quousq; radij reflexi ascendunt, ea angustior hyeme est, æstate autem amplior; media verò regio hyeme ampla est, quia magnũ spacium interponitur inter finẽ infimæ, & initium su-E premæ; æstate autem angustior, quia paruum illud spatium redditur. Qualitatibus autem differunt, quoniam suprema calida est propter motum in orbem, infima calida propter radios, media verò frigida, vtpote vtraq; caloris productrice causa destituta: suprema quoque propter motum, & propter ignis propinquitatem siccior, seu minùs humida est; infima humidior propter vapores, qui à terra exhalati continuè per eam ascendunt, à quibus eisdem

Singularum regionũ quantitates.

Regionum qualitates.

media quoq; regio humidior redditur, quum ad eam latis ibi diutius maneant, & in aquam etiam vertantur. Hæc igitur sunt harum regionum discrimina à nobis nunc leuiter, ruditerque relata, eaque ex situum diuersitate, variaq; à Cœlo distantia oriri manifestum est.

Dubium de media aeris regione, solutio aliquorum, & solutionis impugnatio. Cap. II.

SEd de media aeris regione dubium non leue oritur, quod consideratione dignum est; quoniam eius solutio ad alias quoq; regiones, & earum qualitates meliùs cognoscendas non parum confert: quum enim aer sit naturaliter calidus, iure dubitatur, quomodo aer mediæ regionis possit esse frigidus, præsertim magno, ac perpetuo frigore; nam id, quod alicui naturale & essentiale est, inseparabile ab illo esse solet, vel non absq; illius interitu separabile; igitur fieri nõ posse videtur, vt aer ille, qui mediam regionem implet, possit in illa violenta, ac præter naturam affectione diu perdurare; quomodo igitur manet perpetuò frigidus? difficultas hæc ita omnium animos torsit, vt adhuc nihil dictum esse videatur, in quo plenè animus acquiescat. Quatuor ego hac in re aliorum sententias, & huius dubij solutiones vidi.

Prima opinio. Aliqui non recedentes à verbis Aristotelis in 4. capite libri 1. Meteorolog. D quæ antea retulimus, nullã illius frigoris aliam causam adduxerunt, quàm quòd aer ille vtraque calorem faciente causa destituitur; neq; enim circonfertur vt aer superus, siquidẽ impeditur à motibus ne circonfluat, quum præsertim ob magnam eius à Cœlo distantiã debilis ad eum perueniat motus; neq; ad eum vsq; radij à terra resiliunt; quare vtraq; causa destitutus manet frigidus.

Confutatio. Sed hi non tollunt difficultatem, quæ integra manet; si enim aer E est secundùm essentiam calidus, deberet semper esse calidus; vel si refrigeretur, non debeset posse seruari aer. Præterea opinio hæc ea difficultate vrgetur, quæ per omnium philosophãtium ora circunfertur: effectus enim positiuus causam debet habere positiuam, non priuatiuam solùm: frigus autem non est mera priuatio caloris, sed qualitas positiua, quare causam aliquam positiuam habere debet; at secundùm illos non haberet nisi priuatiuã, F dicunt enim nullã aliam illius frigoris esse causam, quàm defectum duarum causarum caloris, quæ est causa priuatiua, hoc autem esse absurdum concedere omnes videntur; quamobrem hi & præsentem difficultatẽ non soluunt, & in aliam maiorem videntur incidere.

Aliorum opinio, & eius confutatio. Cap. III.

Secunda opinio. ALij dixêre, aerem illum mediæ regionis esse quidem ex se calidum, sed refrigerari A à vaporibus aqueis, & frigidis, qui ad illum continuè ascendunt, & ibi aliquandiu manẽt, & in aquam vertuntur, quæ frigida est, & locum illum perpetuò frigidum reddit.

Confutatio. Verùm hi quoque nec difficultatem tollunt, nec illius frigoris idoneam causam adducunt; difficultas enim integra adhuc manet, quomodo possit ille aẽr esse perpetuò frigidus, si aer est naturaliter calidus. Non est enim verum id, quod dicunt, quia vaporis naturam inquit Aristo- B teles esse calidam & humidam, & vaporem sursum duci à calore; quare ad mediam regionem vapores perueniunt calidi actu, non frigidi, nisi potestate; quomodo igitur à vaporibus potest locus ille refrigerari? imò è contrario potiùs sese res habere videtur, à frigore namque illius loci vapores refrigerantur, idq; Aristoteles clarè asserit in primo Meteorologicorum, capite de Nube, inquit enim vapores illuc peruenientes refrigerari à loco; itaq; C vult locum priùs esse frigidum, quàm vapor refrigeretur; non ergo refrigerant locum illum vapores, sed potiùs ab eo refrigerantur. Præterea euenit quandoq; vt aer serenus maneat longum tempus, vt duos, aut tres menses, absque aliqua pluuia, vel nube, quo tempore à nullo vapore fit frigidus; relictus itaq; suæ naturæ potiri deberet suo naturali calore, sicut aqua calefacta, si dimittatur naturæ suæ, ad naturale frigus reuertitur: propterea si post D tres illos menses peteret eum locum vapor, non deberet ampliùs à loco illo refrigerari, quum iam locus sit calidus; hoc tamen non euenit, quia post diuturnas siccitates ascendens ad eum locum vapor calidus refrigeratur; est ergo locus ille frigidus, non propter alios præcedentes vapores, sed suapte natura, vel ob aliquam aliam causam. Præterea Aristoteles in cap. 4. lib. 1. Meteorolog. nullam aliam caloris aut frigoris elementorum causam E assignauit, nisi radios & motum, & immobilitatem; à motu enim dixit elementa calorem recipere, atque etiam à radijs astrorum, ab immobilitate verò frigus.

Aliorum opinio, & eius confutatio. Cap. IV.

Tertia opinio. ALij, vt hanc difficultatem tollerent, ad antiperistasin confugerunt, & hanc dixerunt esse causam frigoris illius me- F diæ regionis; circumseptus enim aer ille à superiore aere calido propter motum, & ab inferiore calido propter radios, fit frigidus per antiperistasin, & per frigoris constipationem.

Confutatio. *Antiperistasis quid sit.* Sed neque hæc sententia recipienda est, si bene consideremus quid sit antiperistasis; fit enim antiperistasis, quando alterum contrarium ab altero obsessum intensius, ac validius fit ob virium collectionem, propterea quòd vires vnitæ, atq; collectæ maiores redduntur; igitur oportet aerem illum medium priùs esse frigidum, sic enim postea per circumobsistentiam

tiam calidi frigidi et redderetur: quærendum igitur ab illis est an aer ille ante antiperistasin calidus sit, an frigidus; nam si est calidus, nullum ibi locum habet antiperistasis, quoniam vniri, & constipari frigus non potest, vbi non est frigus; si verò frigidus, difficultas integra manet, à quonam sit factus frigidus, qui suapte natura sit calidus; nec potest eius frigoris causa referri in antiperistasin, quum priùs frigidus esse statuatur, quàm fiat antiperistasis: quare sententia hæc reijciatur.

Opinio Alberti, & eius confutatio.

Cap. V.

Quarta opinio Alberti.

ALbertus, & alij complures in hanc sententiam venerunt, calorem, & frigus in elementis duplicia esse, nempe vel vt qualitates naturales, vel vt aduentitias & accidentales; naturales enim sunt, quæ naturas elementorum consequuntur; aduentitiæ verò, quæ proueniunt ex actione cœlestis corporis per lumen & motum, vel ex priuatione motus ac luminis. Dicunt igitur aerem infimæ regionis esse dupliciter calidum, tum enim calore naturali & inseparabili, quem ex se habet, tum etiam calore aduentitio, quem recipit à radijs Solis reflexis, quò fit, vt calidior sit, quàm aeris natura requirat: aerem verò supremæ regionis similiter esse duplici calore calidũ, vno naturali, altero accidentali, quem à continuo in orbem motu adipiscitur: hunc etiam dicunt humidum esse humiditate naturali, sed siccum siccitate aduentitia, quam recipit ex ignis propinquitate; aerem verò infimæ regionis humidum esse duplici humiditate, vna naturali, altera accidentali, quam à vaporibus à terra ascendentibus recipit. Aerem verò mediæ regionis dicunt esse calidum calore tantùm naturali, qui ei competit, quatenus est aër, at non calore aduentitio, quia vtraque causa calorem faciente destitutus, remanet in suo statu merè naturali, nec alium habet calorem, quàm naturalem, qui debilis est, & densationem vaporis, ac conuersionem in nubem, & in aquam impedire non potest. Hi autem omnes, qui hæc dicunt, coguntur asserere Aristotelem in cap. 2. 3. & 4. lib. 1. Meteorologicorum, loquentem de elementorum qualitatibus, vt à Cœlo productis, & de elementis, vt à Cœlo alteratis, & gubernatis, solas considerare aduentitias qualitates, non qualitates naturales: quando enim dicit, totum hunc inferiorem mundum esse veluti materiam potestate calidam, & frigidam, fieri autem actu talem à motu, & ab immobilitate, necesse est vt dicant ipsum loqui de calore tantum, & frigore aduentitijs, non de naturalibus; ignis enim secundùm se non diceretur potestate calidus, quum sit actu calidus proprio calore, sed dicitur tamen potestate calidus secundùm istos, respectu caloris aduentitij, qui ei superuenit ex motu cœlesti; ob id aërem quoque superiorem dicens esse calidum & siccum, non potuit nisi aduentitiam humiditatem respicere, quia non negasset in illo aere humiditatem naturalem, & alium quoq; calorem naturalem; sic etiam dixit, aerem inferiorem esse humidum propter vapores, quia respexit aduentitiam humiditatem, quam à vaporibus recipit. sic igitur necesse est, vt illi dicant Aristot. in tota illa parte solas considerasse qualitates elementorum aduentitias, non qualitates naturales. Sed hæc quoque sententia multis vrgetur difficultatibus. Primùm enim contra eam habemus argumentum illud vulgatum, & à magna Philosophorum parte receptum: non potest à causa priuatiua prodire effectus positiuus sine vlla causa positiua; frigus ergo accidentale mediæ regionis, quum sit qualitas positiua, non potest prouenire à sola priuatione duarum causarum caloris, sed alia illius frigoris causa afferẽda esse videtur. Præterea valde dubium est id quod isti dicunt de duobus contrarijs simul existentibus in eodem subiecto, vt de humiditate naturali, & siccitate aduentitia in aëre supremæ regionis, & de calore naturali, & frigore aduentitio in aëre regionis mediæ: quærendum enim est an calor naturalis à frigore illo accidentali remittatur, nécne; si enim remittitur, ergo ille aër non est naturaliter affectus, sed præter naturam; quomodo igitur perpetuò talis seruatur? si verò non remittitur, ergo duo contraria simul existunt perpetuò in eodem subiecto absq; vlla actione, vel passione inter se, quod est absurdum manifestum. Præterea si aer ille est frigidus frigore accidentali, calidus verò calore naturali, ergo est minùs frigidus, quàm aqua; hæc enim secundùm eos vtroque modo est frigida, ergo non est aptus generare aquam, quia nihil agit vltra proprias vires; id enim quod frigidum est in quarto gradu, non potest aliud reddere frigidum in octauo, quamobrem non posset in media aeris regione pluuia generari.

Confutatio.

Fundamenta iaciuntur necessaria pro declaratione veritatis.

Cap. VI.

MIhi quidem ob adductas rationes nulla dictarum opinionum ita satisfacit, vt in ea conquiescam; ex singulis tamen aliquid veri sumitur, quod ad veritatis cognitionem conducit, vt postea veritate declarata considerabimus: sed priùs necessaria quædam fundamenta iacienda, ac statuenda sunt. Primo loco in memoriam reuocandum, ac summoperè annotandum est id, quod alibi fusiùs declarauimus, aliud esse primas qualitates, & elementa ipsa considerare in suæ naturæ puritate & secundùm ipsorum essentias cum abstractione à modo quo extra animam existunt actu, aliud est ea considerare vt actu

Elementorum & primarũ qualitatum duplex consideratio.

media quoq; regio humidior redditur, quum ad eam, ubi diutius maneant, & in aquam etiam vertantur. Hæc igitur sunt harum regionum discrimina à nobis nunc recitata, & diuiditerque relata, eaque ex situum diuersitate, variaq; à Cœlo distantia oriri manifestum est.

Dubium de media aeris regione, solutio aliquorum, & solutionis impugnatio. Cap. II.

Sed de media aeris regione dubium non leue oritur, quod consideratione dignum est; quoniam eius solutio ad alias quoq; regiones, & earum qualitates meliùs cognoscendas non parum confert: quum enim aer sit naturaliter calidus, iure dubitatur, quomodo aer mediæ regionis possit esse frigidus, præsertim magno, ac perpetuo frigore; nam id, quod alicui naturale & essentiale est, inseparabile ab illo esse solet, vel non absq; illius interitu separabile; igitur fieri nõ posse videtur, vt aer ille, qui mediam regionem implet, possit in illa violenta, ac præter naturam affectione diu perdurare; quomodo igitur manet perpetuò frigidus? difficultas hæc ita omnium animos torsit, vt adhuc nihil dictum esse videatur, in quo plenè animus acquiescat. Quatuor ego hac in re aliorum sententias, & huius dubij solutiones vidi. Aliqui non recedentes à verbis Aristotelis in 4. capite libri 1. Meteorolog. quæ antea retulimus, nullã illius frigoris aliam causam adduxerunt, quàm quòd aer ille vtraque calorem faciente causa destituitur; neq; enim circumfertur vt aer superus, siquidé impeditur à môtibus ne circunfluat, quum præsertim ob magnam eius à Cœlo distantiã debilis ad eum perueniat motus; neq; ad eum vsq; radij à terra resiliunt; quare vtraq; causa destitutus manet frigidus. Sed hi non tollunt difficultatem, quæ integra manet; si enim aer est secundùm essentiam calidus, deberet semper esse calidus; vel si refrigeretur, non deberet posse seruari aer. Præterea opinio hæc ea difficultate vrgetur, quæ per omnium philosophãtium ora circunfertur: effectus enim positiuus causam debet habere positiuam, non priuatiuam solùm: frigus autem non est mera priuatio caloris, sed qualitas positiua, quare causam aliquam positiuam habere debet; at secundùm illos non habet nisi priuatiuã, dicunt enim nullã aliam illius frigoris esse causam, quàm defectum duarum causarum caloris, quæ est causa priuatiua, hoc autem esse absurdum concedere omnes videntur; quamobrem hi & præsentem difficultaté non soluunt, & in aliam maiorem videntur incidere.

Prima opinio.

Confutatio.

Aliorum opinio, & eius confutatio. Cap. III.

Secunda opinio.

Alij dixêre, aerem illum mediæ regionis esse quidem ex se calidum, sed refrigerari à vaporibus aqueis, & frigidis, qui ad illum continuè ascendunt, & ibi aliquandiu manẽt, & in aquam vertuntur, quæ frigida est, & locum illum perpetuò frigidum reddit. Verùm hi quoque nec difficultatem tollunt, nec illius frigoris idoneam causam adducunt; difficultas enim integra adhuc manet, quomodo possit ille aër esse perpetuò frigidus, si aer est naturaliter calidus. Non est enim verum id, quod dicunt, quia vaporis naturam inquit Aristoteles esse calidam & humidam, & vaporem sursum duci à calore; quare ad mediam regionem vapores perueniunt calidi actu, non frigidi, nisi potestate; quomodo igitur à vaporibus potest locus ille refrigerari? imò è contrario potiùs sese res habere videtur, à frigore namque illius loci vapores refrigerantur, idq; Aristoteles clarè asserit in primo Meteorologicorum, capite de Nube, inquit enim vapores illuc peruenientes refrigerari à loco; itaq; vult locum priùs esse frigidum, quàm vapor refrigeretur; non ergo refrigerant locum illum vapores, sed potiùs ab eo refrigerantur. Præterea euenit quandoq; vt aer serenus maneat longum tempus, vt duos, aut tres menses, absque aliqua pluuia, vel nube, quo tempore à nullo vapore fit frigidus; relictus itaq; suæ naturæ, potiri deberet suo naturali calore, sicut aqua calefacta, si dimittatur naturæ suæ, ad naturale frigus reuertitur: propterea si post tres illos menses peteret eum locum vapor, non deberet ampliùs à loco illo refrigerari, quum iam locus sit calidus; hoc tamen non euenit, quia post diuturnas siccitates ascendens ad eum locum vapor calidus refrigeratur; est ergo locus ille frigidus, non propter alios præcedentes vapores, sed suapte natura, vel ob aliquam aliam causam. Præterea Aristoteles in cap. 4. lib. 1. Meteorolog. nullam aliam caloris aut frigoris elementorum causam assignauit, nisi radios & motum, & immobilitatem; à motu enim dixit elementa calorem recipere, atque etiam à radijs astrorum, ab immobilitate verò frigus.

Confutatio.

Aliorum opinio, & eius confutatio. Cap. IV.

Tertia opinio.

Alij, vt hanc difficultatem tollerent, ad antiperistasin confugerunt, & hanc dixerunt esse causam frigoris illius mediæ regionis; circumseptus enim aer ille à superiore aere calido propter motum, & ab inferiore calido propter radios, fit frigidus per antiperistasin, & per frigoris constipationem. Sed neque hæc sententia recipienda est, si bene consideremus quid sit antiperistasis; fit enim antiperistasis, quando alterum contrarium ab altero obsessum intensius, ac validius fit ob virium collectionem, propterea quòd vires vnitæ, atq; collectæ maiores redduntur; igitur oportet aerem illum medium priùs esse frigidum, sic enim postea per circumobsistentiam

Confutatio.

Antiperistasis quid sit.

tiam calidi frigidior redderetur: quærendum A igitur ab illis est an aer ille ante antiperistasin calidus sit, an frigidus; nam si est calidus, nullum ibi locum habet antiperistasis, quoniam vniri, & constipari frigus non potest, vbi non est frigus; si verò frigidus, difficultas integra manet, à quonam sit factus frigidus, qui sua-pte natura sit calidus; nec potest eius frigoris causa referri in antiperistasin, quum prius frigidua esse statuatur, quàm fiat antiperistasis: quare sententia hæc reijciatur.

Opinio Alberti, & eius confutatio, Cap. V.

Quarta opinio Alberti. Albertus, & alij complures in hanc sententiam venerunt, calorem, & frigus in elementis duplicia esse, nempe vel vt qualitates naturales, vel vt aduentitias & accidentales; naturales enim sunt, quæ naturas elementorum consequuntur; aduentitiæ verò, quæ proueniunt ex actione cœlestis corporis per lumen & motum, vel ex priuatione motus ac luminis. Dicunt igitur aerem infimæ regionis esse dupliciter calidum, tum enim calore naturali & inseparabili, quem ex se habet, tum etiam calore aduentitio, quem recipit à radijs Solis reflexis, quò fit, vt calidior sit, quàm aeris natura requirat: aerem verò supremæ regionis similiter esse duplici calore calidũ, vno naturali, altero accidentali, quem à continuo in orbem motu adipiscitur: hunc etiam dicunt humidum esse humiditate naturali, sed siccum siccitate aduentitia, quam recipit ex ignis propinquitate; aerem verò infinitæ regionis humidum esse duplici humiditate, vna naturali, altera accidentali, quam à vaporibus à terra ascendentibus recipit. Aerem verò mediæ regionis dicunt esse calidum calore tantùm naturali, qui ei competit, quatenus est aër, at non calore aduentitio, quia vtraque causa calorem faciente destitutus, remanet in suo statu merè naturali, nec alium habet calorem, quàm naturalem, qui debilis est, & densationem vaporis, ac conuersionem in nubem, & in aquam impedire non potest. Hi autem omnes, qui hæc dicunt, coguntur asserere Aristotelem in cap. 2. 3. & 4 lib 1. Meteorologicorum, loquentem de elementorum qualitatibus, vt à Cœlo productis, & de elementis, vt à Cœlo alteratis, & gubernatis, solas considerare aduentitias qualitates, non F qualitates naturales: quando enim dicit, totum hunc inferiorem mundum esse veluti materiam potestate calidam, & frigidam, fieri autem actu talem à motu, & ab immobilitate, necesse est vt dicant ipsum loqui de calore tantum, & frigore aduentitijs, non de naturalibus; ignis enim secundùm se non diceretur potestate calidus, quum sit actu calidus proprio calore, sed dicitur tamen potestate calidus secundùm istos, respectu caloris aduentitij, qui ei superuenit ex motu cœlesti; ob id aërem quoque superiorem dicens esse calidum & siccum, non potuit nisi aduentitiam humiditatem respicere, quia non negasset in illo aere humiditatem naturalem, & aliam quoq; calorem naturalem; sic etiam dixit, aerem inferiorem esse humidum propter vapores, quia respexit aduentitiam humiditatem, quam à vaporibus recipit. sic igitur necesse est, vt illi dicant Aristot. in tota illa parte solas considerasse qualitates elementorum aduentitias, non qualitates naturales. Sed hæc B quoque sententia multis vrgetur difficultatibus. *Confutatio.* Primùm enim contra eam habemus argumentum illud vulgatum, & à magna Philosophorum parte receptum: non potest à causa priuatiua prodire effectus positiuus sine vlla causa positiua; frigus ergo accidentale mediæ regionis, quum sit qualitas positiua, non potest prouenire à sola priuatione duarum causarum caloris, sed alia illius frigoris causa afferẽda esse videtur. Præterea valde dubium C est id quod isti dicunt de duobus contrarijs simul existentibus in eodem subiecto, vt de humiditate naturali, & siccitate aduentitia in aëre supremæ regionis, & de calore naturali, & frigore aduentitio in aëre regionis mediæ: quærendum enim est an calor naturalis à frigore illo accidentali remittatur, néc ne; si enim remittitur, ergo ille aër non est naturaliter affectus, sed præter naturam; quomodo D igitur perpetuò talis seruatur? si verò non remittitur, ergo duo contraria simul existunt perpetuò in eodem subiecto absq; vlla actione, vel passione inter se, quod est absurdum manifestum. Præterea si aer ille est frigidus frigore accidentali, calidus verò calore naturali, ergo est minùs frigidus, quàm aqua; hæc enim secundùm eos vtroque modo est frigida, ergo non est aptus generare aquam, quia nihil agit vltra proprias vires; id enim quod E frigidum est in quarto gradu, non potest aliud reddere frigidum in octo suo, quamobrem non posset in media aeris regione pluuia generari.

Fundamenta iaciuntur necessaria pro declaratione veritatis. Cap. VI.

Mihi quidem ob adductas rationes nulla dictarum opinionum ita satisfacit, vt in ea conquiescam; ex singulis tamen aliquid veri sumitur, quod ad veritatis cognitionem conducit, vt postea veritate declarata considerabimus: sed priùs necessaria quædam fundamenta iacienda, ac statuenda sunt. Primo loco in memoriam reuocandum, ac summoperè annotandum est id, quod alibi fusiùs declarauimus, aliud esse primas qualitates, & elementa ipsa considerare in suæ naturæ puritate & secundùm ipsorum essentias cum abstractione à modo quo extra animam existunt actu, aliud est ea considerare vt actu *Elementorum & primarũ qualitatum duplex consideratio.*

existentia; non enim semper habent suam naturalem puritatem, & suas qualitates penitùs naturales, imò dubium apud multos est, an detur aliquod elementum purum: sic etiam de humani corporis temperatura dicere Medici solent; nam considerare quidem possunt qualis sit perfecta, & exquisita humana temperatura; sed an hæc in aliquo homine detur, dubitant, imò & asserunt aliqui, eam in nullo reperiri: talis elementorum, & elementarium qualitatum consideratio habetur ab Aristotele in 2. lib. de Ortu & interitu, ad cuius dilucidationem scriptus est à nobis liber de Qualitatibus elementaribus: in libris autem Meteorologicis quum docere Aristoteles velit ea, quæ elementis actu existentibus accidunt, illa considerat, qualia extra animam existunt, ideò dicit aerem superæ regionis calidum esse & siccum ob ignis propinquitatem, inferę calidum & humidum, mediæ verò frigidum & humidum; multa enim sunt, quæ extrahunt elementa à sua naturali puritate, præsertim duo elementa media maximè verò aerem, de quo iuxta hanc considerationem loqui instituimus; versatilis enim est naturæ, & videtur existere etiam sub cōtrarijs qualitatibus, quoniam ad certos vsq; terminos potest à sua naturali constitutione recedere, & vergere ad vtrumlibet extremorum substātiali forma seruata, & manente natura aeris; ob id Aristoteles in contextu 54. libri 1. Physicorum dixit, comparatione aliorum elementorum conuenientiùs aerem statui primam rerum materiam, minùs autem conuenienter aquam, minimè verò ignem; etenim etiam aqua videtur esse ancipitis naturæ, quum possit & frigida esse, & calida, sed magis aer; de aqua enim nemo vnquam dubitauit eam esse naturaliter frigidam, at de aere non ita clarum est: Stoici namque ipsum quoque suapte natura frigidum esse dixerunt; Aristoteles verò rationem sequens, quæ ex primarum qualitatum coniugatione deducitur, aerem naturaliter calidum esse pronuntiauit, licèt gradum caloris exquisitè sibi conuenientem non semper habeat, sed modò maiorem, modò minorem, ita vt quandoque ob magnum recessum à suo naturali calore frigidus etiam soleat appellari. Præterea statuendum est id, quod alias demonstrauimus, omnes elementorum qualitates, qualescunque eas appellemus, siue naturales, siue aduentitias, & extraneas, à Cœlo produci, vel per motum, vel per lumē, vel per priuationem vtriusque, ob situum ac distantiæ diuersitatem; non loquimur autem nunc de elemētorum particulis, etenim non negamus aquam ollæ calefieri ab igni, & aerem, qui in thalamo est ab igni calidum reddi, non à Cœlo, sed de vniuersitatibus elementorum loquimur, ac de magnis earum partibus, quarum discrimen non aliunde sumitur, quàm à relatione ad Cœlum, sicuti quum aerem to-

Omnes elementorū qualitates tribuuntur eis à Cælo.

tum in tres regiones partimur, & aerem infimæ regionis in duo hemisphæria, vel etiam in plures terræ plagas, quas varijs modis Sol respiciat vt propinquus, vel remotus; hæ namque omnes à Cœlo varias qualitates adipiscuntur, quæ vel sunt singulis elemētis exquisitè naturales, vel à naturalibus recedētes, idq; modò parum, modò etiam multum, ita vt sint etiam quandoq; ita præter naturam alicuius elementi, vt sub illis qualitatibus diu seruari nequeat, vnde multæ elementis mutationes contingunt, vt omnibus manifestum est: harum igitur omnium qualitatum, & affectionum causam actionē cœlestem esse diximus. Tertio loco illud statuimus, quod mirum quidem fortasse videbitur, sed tum ab Aristotele clarè asseritur, tum rationi est maximè consentaneum, frigus non habere causam æquiuocam, sed priuatiuam tantùm, nam ex priuatione causarum gignentium calorem producitur frigus: de causa quidem vniuoca nō negamus à frigido generari frigidum, & à calido calidum; sed dum causam primam & præcipuam quærimus, quæ vocatur æquiuoca, calidum omne producitur à Cœlo per lumen & motum, frigidum verò oritur ex priuatione vtriusque actionis cœlestis; id enim, in quod neutro modo Cœlum agit, manet necessariò frigidum: hoc fuit apertè ab Aristotele pronunciatum in memorato 4. cap. lib 1. Meteorologorum, quando dixit elemēta frigida esse frigida ex immobilitate; & laudandi quidem in hoc sunt interpretes Aristotelis, qui in sola ipsius authoritate non acquiescentes, de hoc dicto dubitârunt, tanquam rationem quoq; exquirentes, quod quidem illi, qui veri Philosophi esse volunt, in omnibus facere deberēt, sed in eo defecēre, quòd rationem non inuenientes, dictum Aristotelis in eas sententias extorserūt, quia verum & clarum eorum verborum sensum defendere nequi[illegible]: nos autem dicimus, illa Aristotelis verba non habere alium sensum, quàm illum ipsum, quem habere videntur; de frigore enim elementorum etiam naturali loquens ibi Aristoteles, ait ipsum produci à cœlestis motus priuatione, ita vt illa elementa, quæ in orbem à Cœlo non aguntur, frigida maneant, nisi aliquid caloris à radijs astrorum recipiant. Hoc autem non est ita absurdum, vt fortasse videtur, sed consentaneum naturæ huius qualitatis, quæ vocatur frigus: si enim calor & frigus sunt primæ qualitates, non possunt in hoc inferiori mundo habere aliam qualitatem priorem, à qua producantur, sed producuntur, & conseruantur à Cœlo; at Cœlum sua actione non generat nisi calorem, est enim calor qualitas multò nobilior, quæ ad frigus refertur, tanquam habitus ad priuationem; quanquam enim frigus habet naturam positiuam, tamen respectu caloris habet locum priuationis; ideò sicuti calor prouenit ab actione cœlesti, ita à

Frigus non habet causam æquiuocam positiuam.

priua-

priuatione actionis cœlestis oritur frigus: quoniam enim nullum est corpus huius inferioris mundi, quod harum duarum qualitatum expers esse possit, calor autem prouenit ab actione cœlesti, necesse est, vt frigidum sit, quicquid cœlesti actione participare non potest; neq; ob id dicimus, frigus cõsequi ipsam inferiorum corporum naturam, iam enim Aristoteles dixit, totam hanc inferiorem materiam non esse secundùm se calidam, vel frigidam actu, sed potestate solùm, actu autem talem reddi à motu in orbem, & ab eius priuatione: quare seclusa actione cœlesti, necesse est, hanc inferiorem materiam nec calidam esse, nec frigidam; sed constituta actione cœlesti, oritur in hoc inferiori mundo necessitas caloris & frigoris, & vtriusque qualitatis generatio pendet à Cœlo, & habet vtraque relationem ad Cœlum; illa enim quæ cœlestem actionẽ recipiunt, calida fiunt; quæ verò non recipiunt, illa manent frigida, quia non esse calidum, est esse frigidum: hæc fuit Aristotelis mens in illis verbis, quam sequens Auerroes lib. 2. de Cœlo, comment. 94. dixit, remotio à motu circolari dat quietem, frigiditatem, & grauitatem, sicuti propinquitas dat motum, calorem, ac leuitatem: & in Epitome Metaphysica, tract. 4. cap. 13. inquit, elementa ex necessitate sunt producta à magno Cœli motu, quia motus generat calorem, quem insequitur leuitas, priuationem autẽ motus insequitur oppositũ, scilicet frigus, & grauitas: quemadmodum enim in subiecto apto necesse est vt priuatio adueniat, recedente habitu, ita in corporibus inferioribus necesse est, vt vbi non est calor, ibi sit frigus; quia frigus vel est priuatio caloris, vel qualitas necessariò insequẽs priuationem caloris; & quum sit prima qualitas, nullam in his inferioribus priorem habẽs, non est præter rationem si in hac sola contingat, vt habeat causam priuatiuam, quamuis habeat naturam positiuam: in alijs verò secundis qualitatibus hoc euenire non potest; quum enim proueniant omnes ex actione harum primarum, necesse est, vt earum quælibet habeat causam positiuam. Habemus etiam aliud Aristotelis testimonium in 1. Meteorolog. cap. de Nube, vbi dicit, vaporem in media aeris regione refrigerari, tum à loco, tum quia calor, à quo elatus est in sublime, ipsum derelinquit; putauit igitur ad frigoris generationem satis esse, si calor recedat: in 2. etiam lib. de Ortu & interitu inquit, per accessum Solis ad nos generationem fieri; per recessum verò, interitum; atqui Sol non agit nisi calfaciendo, & Solem recedere nil aliud est, quàm nõ agere, & suæ actionis beneficium non conferre; sed etiam absque Aristotelis testimonio experientia, & sensus ipsa declarat præsentiam Solis calorem generare, absentiam verò frigus absque vlla alia causa: quare ex priuatione actionis cœlestis producitur in hoc mundo inferiori frigus, sicuti ex ipsa actione calor, ita vt omnia virtus huius mundi inferioris à cœlestibus corporibus regatur, & gubernetur.

Vera sententia de aeris qualitatibus declaratio, & comprobatio.
Cap. VII.

His iactis fundamentis, non est difficile declarare omnium regionũ aeris qualitates, & earũ causas adducere: quamuis enim determinata sit aeris natura, & statutæ eius qualitates, & earum gradus illi perfectè naturales, & talem aerem apta sint cœlestia corpora sua actione producere, & conseruare; attamen ex aliorum elementorum contactu, & ex varijs sitibus respectu Cœli, recedunt partes aeris à naturalibus suis qualitatibus intra quosdam terminos, ita vt possit vel diutiùs, vel breuiùs aeris natura seruari, vel etiam nequeat seruari, sed in aliud elementum mutetur. Primùm quidem certum est, supremam aeris regionẽ calidam reddi à motu, circumagitur enim incessanter à Cœlo, quum nulli montes impediant; sed quia non tantus ibi fit motus, quantus in supremo loco, idcò nec tantus calor, sed minor & remissior fit, eamq; credere possumus esse aeri naturalem: Aristoteles autẽ in 4. illo cap. lib. 1. Meteorol. dicere videtur eum aerem esse siccum, quia simul accipit duo elementa superiora, ignem & aerem, tanquam vnum corpus; adde quòd pars quoq; illius aeris sublimior, quę igni propinqua est, vergit ad ignis naturam, & respectu inferioris aeris sicca appellari potest. Infimæ autem huius nostrę regionis aer absq; dubio calidus est, & humidus, vt ibi Aristoteles ait; nam calidus fit à Cœlo tum per motum, tum maximè per lumen à terra refractum, sed à motu debilissimum calorem recipit, à radijs autem validiorem: quòd enim motus Cœli ad terram vsq; perueniat, negare minimè possumus; experientia namq; hoc docet in Oceani nauigatione, quæ longè celerior fit ab orientali parte ad occidentalem, quàm ab occidentali ad orientalem, quod indicio est aquam Oceani participare motu in orbẽ, & circumagi; quare & aer omnis circumuoluitur, sed ita tardo motu, vt parum caloris in eo generari possit; calorem enim generat non omnis motus, sed qui validus & velox sit; hic autem tardus est, tum propter magnam à Cœlo distantiam, & minorem circuitum, tum etiam propter montes, qui si eum non omnino prohibent circunferri, saltem retardant, nec sinunt motum esse velocem: ideò quando Aristoteles asserit, motum circularẽ ad hanc aeris partem non peruenire, non absolutè hoc negat, sed solùm negat de motu valido & apto ad gignendum notabilem calorem; tali namq; motu fertur sola supera aeris pars, quæ ob id est valde calida; media verò & infima debilem

Prima regio qualis sit.

Infima regio qualis sit.

Motus Cœli ad terrã vsq; penetrat.

motum habent, à quo non nisi debilissimum calorem adipiscuntur: testatur autem hoc Aristoteles in 1. Meteorolog. in initio capitis de Nube, vbi dicit, terram calefieri tum à radijs, tum ab ea, quæ desuper est, caliditate; necesse enim est, vt aer mediæ, & infimæ regionis ex contactu infimi aeris calidi, & motu recipiat aliquid & caloris, & motus: sed nisi alium hic aer noster calorem haberet, frigidus admodum esset, calidus autem valde redditur à radijs astrorum, præcipuè verò Solis, à terra refractis, vt experientia declarat: quando enim radij vehementer agunt, magnum sentimus calorem, vt æstiuo tempore; hyeme autem longè minorem, & quandoque etiam frigidissimum aerem hunc iudicamus, quoniam tunc à radijs quoque debiliter calefit: ideò infima hæc regio non vbique est æquè calida, neque omnibus temporibus, sed modò magis, modò minùs, pro temporum ac locorum diuersitate, qua fit, vt radij vel validiùs, vel debiliùs terram percutiant: est præterea humidus, tum secundùm propriam naturam, quum sit aer, tum quia defert continuè vapores humidos, qui ab aqua & à terra madefacta exhalantur; ab his autem non fit aer humidior, quàm secundùm se esset, quippe quum suapte natura sit humidissimus, sed humidior fit respectu nostri, quoniam habens vapores aqueos aptior est ad humectandum: nam experientia docet, humiditatem aqueam magis humectare, quàm humiditatem aeream, nec tamen aqua est humidior aëre, sed id fit propter aquæ crassitiem, quæ facit, vt magis hæreat corporibus, proinde magis humectet.

Media regio qualis.

Media verò regio frigida est, & humida, non tamen extremè frigida, sed respectu naturæ aeris, quæ maiorem calorem postularet; illa enim regio aliquid habet caloris, sed parum, neq; est penitùs frigida, quia corpus illud non posset esse frigidissimum & esse aer; testatur autem eius raritas, ac leuitas ipsum esse calidum, quia omne rarum est calidum, & omne leue est calidum; sed frigidus vocatur comparatione superioris, & inferioris aeris, qui sunt calidiores. Prouenit autē ei & calor, & defectus maioris caloris, vnde frigidus vocatur à Cœlo; quoniam, vt antè dicebamus, omnis calor, & omne frigus in elementis à Cœlo prouenit; calorem quidem aliquem adipiscitur à contactu superioris aëris calidi, & à motu aliquo, debili tamen, quo participat: adde, quòd transeunt etiam assiduè per illam regionem exhalationes calidæ, superam regionem petentes, à quo transitu illa pars aliquid caloris recipit. Defectum verò maioris caloris habet ex defectu duarum causarum facientium calorem; neq; enim ad illam partē perueniunt radij à terra repercussi, neq; ita à Cœlo circunfertur, vt superus aër: quamuis igitur aëris natura sit calida, seruatur tamen in elemētis naturalis calor à Cœlo, proinde vbi aër actionē

A cœlestem non recipit, videlicet nec motum in orbem, nec lumen repercussum, necesse est vt calor naturalis deficiat: & ille aër fit minùs calidus, quàm aëris natura exquisitè perfecta requirat; adeò vt vel diu possit aër seruari sub illa qualitate, si concedamus eam esse intra terminos latitudinis naturalis; vel saltē aliquandiu, si sit extra terminos, nil enim ex hoc sequitur absurdi; sed sicuti aqua feruens seruatur aliquandiu aqua, tametsi præter suam na-

B turam affecta, ita aër quoq; sub nimio frigore seruari aliquandiu potest, antequam intereat. Ex his colligere possumus, mediam illam regionē esse idoneam causam generationis nubium, & pluuiæ: quamuis enim ratione motus debiliorem habeat calorem aër infimus, quàm aër medius, tamē adiectis radijs aër infimus fit aëre medio longè calidior: quando igitur vapor calidus & humidus ex aqua calfacta genitus in sublime fertur, fouetur pri-

C mùm, & conseruatur à calore radiorum in hac infima aëris regione, ideò seruatur leuis, & ascendit, donec radiorum repercussio, & ascensus ipsum comitatur; sed quando ad mediam regionem peruenit, deseritur à calore radiorum, & incipit à loco refrigerari; transit enim à calidiore ad minùs calidum locum, qui respectu calidioris est instar frigidi, & præstat operam frigidi, itaq; condensatur vapor, & in nubem vertitur, & iterum in aquam, & deor-

D sum fertur. Notandum autē summoperè est, non à solo illius loci frigore aquam ex vapore generari: aër enim ille est minùs frigidus, quàm aqua, quum sit actu aër, quare non potest agere vltra proprias vires, & aquam generare, sicut antea dubitando dicebamus; sed vapor calidior sumit principium refrigerationis atq; densationis à loco frigidiore, & incipit tēdere ad suam pristinam aquæ naturam; quare incipit vti viribus proprijs, & propria

E natura adiuuante redire in aquam; fuit enim aqua, quæ postea à calore fuit aliquantum distracta à sua natura, & in vaporem conuersa; ideò quando vapor accipit primum mutationis impetum a loco frigidiore, & refrigeratus condensatur, roboraturq; in natura propria, confert etiam proprias vires, & transit iterum in aquam; hinc autem fit, vt in aquam mutatus, frigidiorem adhuc reddat locum illum, quemadmodum etiam vinum generosum in

F ventriculo est priùs actu frigidum, & accipit à ventriculo calorem; postea verò proprijs viribus vtens, fit calidior ventriculo: & retribuit ipsi maiorem calorem, quàm ab eo acceperit: vnde colligimus, aliquam etiam esse causam positiuam frigoris mediæ regionis, non tamē primariam, sed secundariam; quum enim locus ille primū sit frigidus ex priuatione duarum causarum facientium calorem, ob idque aquam ex vapore generet, fit etiam frigidior ab aqua in eo genita: quod quidem nos in hoc quoq; infimo aere experimur; nam post

casum.

casum pluuiæ, vel grandinis sentimus aerem, per quem transiuit, refrigeratum.

Dictæ sententiæ confirmatio per omnium difficultatum solutionem, & per experientiam. Cap. IIX.

Haec, quam declarauimus, sententia ex eo maximè cōfirmatur, quòd per eam omnes, quas antea tetigimus, difficultates soluuntur; id enim, quod potissimùm omnes cōturbabat, erat, quomodo ille aer possit esse frigidissimus, & perpetuò durare in illa affectione sibi violenta, ac præter naturam: nos autem dicimus, non esse locum illum extremè frigidum, sed aliquid habere caloris, esse autem frigidum inferioris aeris comparatione, eamq; esse idoneam causam generationis nubium, & pluuiæ; quum autem ille debilis calor contineatur intra terminos latitudinis caloris aeri naturalis, non est facile iudicare, sed vtcumque dicamus, nihil absurdi sequitur: si enim prædictis terminis contineri statuatur, non est dubitandum, quomodo cum illo debili calore possit aer durare, quū sit naturalis; videmus enim hominem quoque diu viuere, licèt non habeat humanam temperaturam exquisitè perfectam, & naturalem, satis namque est, si sit intra terminos latitudinis naturalis, quamuis recedens ab exquisitè perfecta: si verò dicamus calorem illum adeò debilem esse, vt terminis caloris aeri naturalis non concludatur, concedimus illam qualitatem esse aeri præter naturam, & aerem illum frigidiorem esse, quàm aeris natura patiatur, proinde sub illa qualitate seruari diu non posse, & post tempus aliquod dèsari, & in aquam conuerti: quod enim dicimus de eius perpetuo frigore, non ad aerem illum tanquam ad subiectum idem numero, sed potiùs ad locum est referendum, inest enim perpetuum frigus illi loco, sed non eidē aeri numero, siquidem interit aliquando, & in aquam vertitur, & ad eundem locum alius aer succedit, à supera, vel ab infera parte, ne detur vacuum, isque alius aer similiter ab illius loci frigore in aquam mutatur: inesse autem frigus illi loco dicimus, non quidem illi spatio, quod absque contento corpore nihil est, sed corpori spatium illud occupanti: nam ob talem situm, respectumq; ad Cœlum, necesse est, vt quodcunque corpus locum illum occupet, ita afficiatur; itaq; si idem numero aer perpetuò locum illum adimplere perseueraret, dubium vtique maximum esset, quomodo id, quod est præter naturam, possit esse perpetuum; sed quum non idem ibi semper existit aer, sed alius, & alius, & ab illius loci natura patiatur, atq; mutetur, hoc est; à Cœlo, dum locum illum occupat, nulla possumus vrgeri difficultate. Illud quoq; dubium solutum iam est, quomodo ille aer possit vaporē mutare in aquam, & agere vltra proprias vires: dat enim vapori primum mutationis impetum, quippe qui frigidior est, sed postea vapor vtitur etiam proprijs viribus; & quum omnis calor in elementis à cœlesti actione conseruetur, is autem locus non sit aptus ad tantum calorem conseruandum, quantus aeri conueniens est, necesse est, vt tandem vapor ille in aquā vertatur, quum in aërē verti minimè possit. Illud quoque, quod dubium & incredibile videbatur, effectum positiuum habere causam priuatiuam, diximus in frigore & possibile, & necessarium fuisse; & huius rationem adduximus, quam repetere operæpretium non est. Possumus autē etiam per experientiam id, quod diximus, comprobare. *Experientia.* mihi enim contigit, id quod etiam alijs pluribus contigisse audiui, vt ascenderem ad summitatem vsq; mōtis Veneris, qui omnium in Patauino agro altissimus est, ibi per totum diem habui aerem serenissimū, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quę me visione vallium prohibebant, vesperi autem postquam de illo monte descendi, inueni factam eo die in infera parte magnam pluuiam, quum in mōtis cacumine nihil pluisset; ex eo intellexi me transisse per mediam aeris regionem, in qua est facta pluuia, nec tamen eam sensi frigidissimam, imò vt vix aliquā animaduerti differentiam frigidioris & calidioris aeris: nam æstiuum tempus erat, & pro æstiuo tempore eram vestitus, nec tamen tantum frigoris, quod me læderet, ex eo loco percepi; pars igitur illa non est absolutè frigida, sed solùm comparatione inferi aeris calidioris. Magnum quoq; veritatis testimonium præbent stillationes aquarum: videmus enim è rosis in stillicidio existentibus, supposito igne vaporē eleuari, & in operculum stillicidij incidentem condensari, & in aquam mutari; attamen si operculū illud manu tangamus, valde calidum est, & quandoq; ita calidum, vt manu tangentes tolerare calorem illum nequeamus; qui enim fieri potest, vt quum sit calidum, mutet vaporem in aquam, si facere id non potest, nisi refrigerando? dicendum igitur est operculum illud, licèt calidum, frigidi tamē operam præstare respectu vaporis ascendentis calidioris ob suppositum ignem; à re igitur calida potest per condensationem aqua generari, quia dum agit vt minùs calida, agit vt frigida; quare non est necessarium, vt aer mediæ regionis, si debeat vaporem in aquam mutare, sit frigidissimus, sed satis est si sit minùs calidus, quàm inferus aer, & quàm vapor, qui per inferum aerem elatus, ad mediam regionē perducitur.

Quòd aliorum opiniones aliqua ex parte veræ sint, & aliqua ex parte falsæ. Cap. IX.

Illud quoque hanc sententiam confirmat, quòd aliæ, quas antea memorauimus, si cū

hae conferantur, aliquid videntur habere veritatis, ita vt cæteri omnes huius sententię nostræ veritatem confiteri videantur. Primùm quidem illi, qui dixère mediam regionem esse frigidam, quoniam vtraq; causa calorem faciente destituitur, omnium verissimam sententiam protulerunt, sed eam non declarantes, nec rationem vllam afferétes, cur effectus hic positiuus causam habeat tantummodò priuatiuam, dubiam maximè rem hanc reliquerunt; nihil etiam de medię regionis calore dixerunt, ita vt extremè frigidam esse videantur existimasse: nos verò aliquem esse illius partis calorem ostendimus, debilem tamen, & tum ipsius caloris, tum debilitatis, quæ frigoris nomine significari solet, causam adduximus; eamq́ue omnino in Cœlum retulimus. Alij verò, qui illius frigoris causam dixerunt esse vapores refrigeratos, & quam ex ijs genitam, verum quidem dixère, sed primariam causam prætermittentes solam secundariam attulerunt: priùs enim quàm à pluuia genita locus ille refrigeretur, frigidus est ex defectu illarum duarum causarum, & priùs vaporem refrigerat, quàm à vapore refrigeretur. Opinio autem aliorum de antiperistasi falsa quidem absolutè est, quoniam ea concessa nullus calor ab igni, & ab aere supero ad nos perueniret, cuius contrarium Aristoteles pronunciauit; prætetea secundùm istos maximum esset illius regionis frigus, & ibi posset grando generari, quod negauit Aristoteles, dicens eam gigni in infera regione per antiperistasin, non in media; quare in media antiperistasin fieri non putauit: videntur tamen isti modo quodam veritaté significasse, & similitudine quadam decepti nomen antiperistasis vsurpasse; nam frigidam esse partem illam constituunt, hoc est, & supero & infero aëre minùs calidā, proinde comparatione illorum frigidam; hoc autem dicere, est eam dicere destitutam, tum motu in orbem, à quo pars supera calefit, tum radijs à terra refractis, à quibus pars infima calida redditur; quandam igitur relationem aëris medij ad superum & ad inferum cognouerunt, quam minùs rectè antiperistasin appellârunt, quum potiùs comparationem appellare debuerint; reuera enim medius aër comparatione aliorum est frigidus, non antiperistasi. Tandem ad rectum sensum trahi potest sententia Alberti: nam si intelligit in aere medio esse duas distinctas qualitates, calorem naturalem manantem à natura aeris, & frigus aduentitium proueniens à defectu causarum calorem facientium, reijciendam esse eius sententiam arbitramur, quia calor & frigus non possunt simul existere in eodem subiecto vt duæ distinctæ qualitates; quemadmodùm etiam si & in supero, & in infero aere dicat esse duos calores numero distinctos, vnum naturalem, alterum accidentalem, falsum dicit, quia duo accidentia eiusdem speciei numero distincta non possunt simul esse in eodē subiecto, & omnis calor, atque omne frigus in vniuersitatibus elementorum, atque in magnis eorum partibus prouenit à Cœlo, nec per id stat, quin dicantur esse elementis qualitates naturales. At si intelligat in aere medio vnam tantùm esse qualitatem, quæ quum absolutè sit calor aliquis, dicatur tamen frigus comparatione superi & inferi aeris, proinde eadem sit qualitas re, quæ sola ratione distinguatur, vera est eius sententia; quemadmodum etiam admitti potest id, quod de supero, ac de infero aere dicit, si intelligat aerem habere vnum tantummodò calorem numero, eumq; a Cœlo accipere, qui tamen ratione alicuius gradus dicatur aeri naturalis, id est, exquisitè conueniens naturæ aeris at secundùm aliquem gradum excedat terminos perfectè naturales, ita vt sit idem numero calor, duo autem dicantur secundùm rationem; in hoc enim solo sensu vera est Alberti sententia: num autem ipse ita senserit, dubium est, idq; ego asseuerare non audeo, sed alijs eius verba perpendentibus considerandum relinquo.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber DE CALORE COELESTI.

Astra non ideò calefacere, quòd ignea sint. Cap. I.



COELESTIA corpora in hoc mundo inferiore calorem producere ita manifestum est, vt nulla probatione indigere videatur: de modo autem & ratione ambigitur. Non defuêre philosophi, qui nimium sensui tribuentes dixerint, astra calefacere, quia sunt ignea; quam sententiam sequutus postea est Ioannes Grammaticus, qui hac in re Aristotelem deserere, atque oppugnare ausus est, vt legere possumus in eius Commentarijs in 1. Meteorolog.

Confutatio. rolog. Aduersus hanc opinionẽ non est quòd A disputare in præsentia velimus; satis enim ab Aristotele explosa est tum in 1. lib. de Cœlo, dum ostendit Cœlum non esse naturæ elementaria, sed corpus quintum nulli interitui, nullique alterationi obnoxium; tum in 1. Meteorolog. vbi alijs quibusdam argumentis ad eam reprobandam vsus est. Dimissa igitur naturæ cœlestium corporum cõsideratione, quæ à nostro præsenti instituto aliena est, siquidem de solo calore à cœlestibus producto dicẽdum B nobis proposuimus, signis quibusdam manifestissimis contenti erimus, quibus ostenditur, non ideò astra calfacere, quòd ignea sint. Primùm quidem si Sol esset igneus, & hac ratione calfaceret, non minùs in hyeme calfaceret, quàm in æstate, quia propter Cœli rotunditatem Sol in omnibus Cœli partibus æquè distat à nobis; quare siue sublimior incedat, vt in æstate, siue humilior, vt in hyeme, eundem facere calorem deberet: quoniam, vt C in hoc igni nostro experimur, eadem eiusdem ignis distantia eundem calorem facit, resque ita est manifesta, vt omni dubio careat: quòd si in radiorum repercussionẽ productionem caloris referamus, clara est huius temporum discriminis ratio, vt mox ostendemus: adde quòd si Sol esset igneus, deberet Astrologorũ opinione magis calfacere in byeme, quàm in æstate, quia in hyeme propinquior nobis est, quum sit in perigæo, in æstate autem re- D motior, quum sit in apogęo, quam vocant augen. Præterea si Sol esset igneus, ideoque calefaceret, media aeris regio, tanquam illi propinquior, magis calefieret, quàm hæc infima, quæ remotior est; quare nulla afferri ratio posset generationis nubium in media regione: oportet enim vaporem ascendendo transire de aere calido in frigidum, si debeat condensari, & in nubem verti, nec vlla fieret densatio, si à frigidiore ad calidiorem transiret. Sumitur e- E tiam ratio validissima ab experientia, quia videmus radios Solis trãseuntes per ampullam accẽdere stuppam in altera parte positam; cuius rei nulla ratio secundùm eam opinionem adduci potest, & cur sine ampulla stuppã non accendunt? nam si Sol esset igneus, deberet etiam magis calfacere, nullo interposito corpore, à quo aliquod fieri calefactioni impedimentum necesse est, vt in igni nostro experimur; nam per interpositũ vitrum transit qui- F dem ad nos lumen ignis, at non transit calor: sed si Solem dicamus calfacere per lumen, ratio manifesta est, quoniam in ampulla, & in vitro cauo multi radij congrediuntur, & fiunt vnus radius; ideò qui dispersi debiliorem vim habebant, ij coniuncti & vniti magnam adipiscuntur & accendunt propinquum aërem, & per illum etiam stuppam. Ex his, & alijs eiusmodi præter argumenta, quę ab Aristotele afferuntur, manifestissimè ostenditur astra non esse ignea, nec formaliter calida, sed virtute tantummodò calida, quia sunt apta producere in alijs calorem: quomodo ergo producãt, quum calida non sint, id nobis in præsentia considerandum proponitur.

Sententia Aristotelis, quomodo Cœlum per motum calefaciat.

Cap. II.

SI Aristotelem legamus, tum in cõtex. 42. lib. 2. de Cœlo, tum passim in 1. Meteorol. duo ab eo ponuntur modi, quibus cœlestia corpora calefaciunt hæc inferiora; vnus per motum, alter verò per lumen, & radios; quem vtrumq; declaraturi ordiemur à motu. Declarans Aristoteles in memorato loco rationem, cur à Cœli motu in his inferioribus calor generetur, eam totam in Solis corpus referre videtur: inquit enim corpus solidum disgregare suo motu, & accendere aërem, si duabus conditionibus præditum sit; vna, vt sit prope ipsum aërem; altera, vt celerrimè moueatur: nam si remotum sit, non potest aërem à se longè distantem calefacere; si verò sit propinquum, & tardè moueatur, similiter non calefacit: oportet igitur vt & propinquum sit, & velocissimè moueatur: has duas conditiones coniunctim acceptas solum Solem inter omnia astra obtinere, inquit Aristoteles: nam Luna proxima quidem est inferiori mundo, sed tardè mouetur, quia paruum circuitum facit; cætera verò astra celerrimè quidem mouentur, quum magnũ ambitum, magnumq; spatium eodem tempore peragant, quo Luna paruum; at nimium distant à corporibus inferioribus: sed Sol vtrisque conditionibus sufficienter est præditus, satis enim propinquus est inferiori mundo, & satis veloci motu circumfertur: putanit autem Aristoteles orbem Solis esse ordine secundũ, & statim supra Lunam collocatum, ita vt supra Solem sit Mercurius, & supra Mercurium quarto loco Venus, deinde Mars, & Iuppiter, & Saturnus; sed Astronomi certis obseruationibus iouenère Solem, non secundo loco, sed quarto esse positum, nempe supra Lunam, & Mercurium, & Venerem: attamen Aristoteles, sua illa opinione constituta, quòd Sol sit statim locatus supra Lunam, ex hoc eius positu probat Solem esse sufficiẽtem causam caloris in hoc inferiori mundo per motum, quum & satis illi propinquus sit, & satis velociter moueatur, quæ ambæ simul iunctæ conditiones nulli alio præter Solem competunt: facere autem videtur Aristot. in prædicto loco talem syllogismum; motus velocissimus solidi corporis per aërem factus disgregat, & accendit ipsum; Sol autem est corpus solidum, & satis propinquum aëri, & celerrimè mouetur; ergo disgregat, & accendit aërem, & ita calorem generat suo motu. Huius ratiocinationis vtraq; propositio magnis difficultatibus vrgetur, ideò vtramq; separatim nos considerare oportet. *Sententia Aristotelis de loco Solis.*

Quomodo motus generet calorem.
Cap. III.

Quod ad maiorem propositionem attinet, eius veritas omni dubio caret; experientia namq; docet, motum celerem generare calorem, & Aristoteles hoc tanquam manifestum pronuntiauit; tum in context. 42. lib. 2. de Cœlo, tum in cap. 4. libri 1. Meteorolog. Sed ratio non ita manifesta est, & de hac inter Philosophos non parua est controuersia: alij namque dicunt hoc competere motui absolutè, quatenus est motus: alij verò non quatenus est motus, sed quatenus est localis motus: vtriq; tamen decipiuntur, quia facere calorem neque motus absolutè sumpti, neq; localis motus naturam consequitur; si enim per se id competeret motui, vel per se locali motui, oporteret per regulam logicam omni motui competere, vel omni locali, quod tamen falsum est; non omnis enim motus, neque omnis motus localis calorem generat: nam si quid tardo motu feratur, nullum generat calorem, præterea nisi solidum, ac durum sit, etiamsi velociter moueatur, non facit calorem, sicut experientia declarat, & vt asserit Aristoteles in memoratis locis. Propterea rectiùs alij sentiunt, qui dicunt motum facere calorē, non per se, sed per accidens, hoc est, non primariò, & quatenus est motus, sed per aliud, & secundariò; tunc enim calorem facit, quando rarefacit, extenuat, & atterit partes aeris, vt ibi Aristot. ait; quocirca motus per rarefactionē, & attritionem generat calorem, hoc est, per illas conditiones, per quas extenuat, & atterit; quum enim non detur corpus rarius aere, nisi ignis, necesse est, quando aer à vehementi motu conteritur, & rarior fit, vt transeat in naturam ignis. Sed difficultas hinc magna oritur, quam alij non considerarunt; ex his enim colligi videtur, attritionem esse caloris immediatam causam: quia si motus non per se, sed per attritionem calefacit, attritio igitur per se caloris est causa, hoc tamen non videtur dicendum, quoniam è contrario videmus motum esse causam tenuitatis, & raritatis; agens enim calor in aquam, extenuat ipsam, & in vaporem conuertit; atqui nō potest calor esse causa attenuationis, nisi effectrix; sic etiam si attenuatio sit causa caloris, non potest esse nisi effectrix; ergo duæ res erunt sibi mutuò causæ in eodem genere causæ, quod nullo modo dicendum est. Dubium hoc non leue est, nec tamē ab aliquo fuit animaduersum, licèt quotidie experiamur, calorem & raritatem se mutuò consequi; nam omne extenuatum fit calidum, vel, si erat calidum, fit calidius, & è contrario id, quod calefit, rarius ac tenuius euadit; quare hæ duæ qualitates se mutuò producere videntur. In hac difficultate ego dicendum puto, calori, tanquam primæ qualitati, principem esse locum tribuendum, proinde

Aliorum opiniones.

Confutatio.

Opinio vera.

Dubium.

Solutio.

A ipsum esse effectricem causam raritatis, ac tenuitatis, sed non raritatē esse causam caloris; credendum enim est, primam qualitatem esse causam secundæ, non secundam primæ, quod possumus etiam argumento à contrarijs desumpto comprobare: sic enim calidum ad raritatem se habet, vt frigidum ad densitatem: contrariarum enim causarum cōtrarios oportet esse effectus; sed frigidum dēsitatis est causa, non densitas est causa frigoris; similiter igitur non est raritas causa caloris, sed calor est causa raritatis. Ad argumentum autem adductum in contrarium, quo ostendi videbatur raritatē esse caloris causam, propterea quòd motus non per se calefacit, sed per rarefactionem; dico calorem, & raritatem se mutuò consequi, vt causam & effectū reciprocabiles, dum considerantur in simplicibus, de his enim loquimur, non de mistis, quorum alia est ratio, ob contrariorum elemētorum concursum; igitur vbi causa & effectus reciprocantur, quemadmodū posita causa ponitur effectus, ita & effectu posito ponitur causa, nec propterea fit, vt effectus sit causa suæ causæ, sed est præparatio ad eam in subiecto recipiendam: quando enim agens vult formā aliquam substantialem introducere, priùs materiā præparat accidentibus conuenientibus formæ introducendæ, & his receptis, aduenit forma, nec ob id sunt causa formæ, sed potiùs effectus illam consequentes: quoniā igitur in elementis raritas est effectus caloris, calor enim extenuat, & rarefacit, est etiam materiæ præparatio ad calorem introducēdum, sicut etiam calor est præparatio materiæ ad recipiendam formam elementi calidi, neq; ob id est causa formæ: quando igitur dicebamus, motum facere calorem per rarefactionem, non intelligebamus raritatem, ac tenuitatem esse caloris proximam causam, sed potiùs effectū & præparationem ad calorem recipiendum: causæ autem caloris sunt illæ conditiones, quæ adiunctæ motui faciunt vt motus atterat, nempe soliditas mobilis, ac velocitas motus, & si quæ aliæ sunt, quæ faciunt vt motus rarefaciat, & atterat; nō enim solus motus attenuat, sed motus cum statutis quibusdam conditionibus, sicuti dictum est. Illud præterea hac in re est annotandum, prædictas conditiones, quas requiri diximus, vt à motu calor producatur, non sufficere, nisi in illo quoque corpore, per quod fit motus, & in quo calor est generandus, sit aptitudo ad calorem à motu recipiendum; etenim agens non agit, nisi in patiente ad recipiendum idoneo: corpus igitur, per quod fit motus, oportet esse tenue, & rarum, & naturaliter calidū, quia si densum sit, impedit mobile, ne velociter moueatur, eique ita resistit, vt nequeat motus tantam habere velocitatem, quanta ad atterendum corpus illud requiritur; si enim sagitta ab arcu emittatur per aquam, non calefit aqua, nec plumbeus mucro liquescit; igitur

Calor est causa raritatis, non raritas caloris.

B C D E F (margin letters)

igitur elemento calido, ac raro auget motus calorem, & raritatem; at elemento frigido, ac denso non potest calorem largiri, sed agente validiore opus est ad mutandam substantiam illius elemēti frigidi in elementum calidum, vt igneo calore alterante aquam, & mutante in vaporem, quia motus nō potest solus facere hanc mutationem: hinc rationem colligimus, cur Aristoteles in prædictis locis solum aërem nominauit, in quo factus motus generare calorem possit: inquit enim atteri aërem à motu veloci corporis solidi, & ita accendi; in alijs verò densioribus elemētis id ob rationem prædictam fieri non potest; ignem autē non nominauit, quia nihil dari potest ratius, aut calidius igni, proinde motus rapidissimus potest quidem igni conseruare calorem, & raritatem sed calidiorē, aut rariorem facere non potest; idcircò totum elemētum ignis à motu Cœli conseruari asserimus, quod sine illo motu non conseruaretur: sed quia non est ita manifesta caloris conseruatio in habente summum calorem, vt est generatio summi caloris in non habente summum, ideò Aristoteles tacuit ignem, & solum aërem nominauit in declarando quomodo à motu calor generetur; nos verò inde colligere debemus, idem efficere motum etiam in igni, quia licet calorem ei dare maiorem non possit, generare tamen calorem dicitur, dum continuè ipsum conseruat. Per hæc soluitur dubium de aqua fluminis velocissimè fluente, quæ tamen ex eo motu non fit calida, immò aqua stagnāte, & quiescente frigidior est: solutio enim est, quòd aqua est corpus naturā frigidum, ac densum, quare non potest à motu calorem recipere; non est etiam tanta illius motus velocitas, vt atterere propinquū aërem possit; neq; ipsum aquæ corpus durum, ac solidum est, quale ad atterendum aërem esse oporteret: & quamuis motus ille dicatur velocissimus respectu aquæ, quæ est minùs agitabilis, quàm aer, tamē respectu aëris est motus tardus, ideò potius contingit, vt propinquus aër à contactu aquæ frigescat, quàm ab eius motu calefiat: quòd verò quiescens aqua sit calidior, quàm mota, id non fit propter quietem; quies enim ad calorem generandum apta per se non est, sed quia firmiùs recipit actionem agentis calfacientis, scilicet percussionem radiorum Solis, & tangit aërem calidum contiguum, quàm aqua fluens; hæc enim dum fluit, non expectat actionem aëris agentis, quiescens verò eam expectat, & magis recipit. Non est autem quòd de animali dubitemus, quomodo calefiat ex motu, non tamen per attritionem; nos enim in præsentia non de viuentibus, sed de inanimatis loquimur, nempe de motu veloci corporis solidi per aërem facto, & de hoc solo Aristot. loquitur in prædictis locis, vt legenti manifestum est: animal verò alia ratione calefit ex motu; quum enim omnis actio in animali per spiritus absoluatur, ambulante animali trāseunt spiritus ab internis partibus ad externas, ideò ex magno spirituum concursu externæ animalis partes incalescunt, sed non per attenuationē, per hanc enim in solo aëre fit calor ex motu veloci corporis solidi, vt dictum est. Possumus autem ex his, quæ diximus, sumere interpretationem illius propositionis Auerrois in cōment. 42. lib. 2. de Cœlo. motus est perfectio calidi quaten⁹ est calidū; est enim vera non formaliter, sed causaliter, motus enim non est actus, & forma caloris, sed est productiuus, & conseruatiuus caloris; inquit autem, quatenus est calidum, quoniam ea est caloris elemētaris natura, vt à motu pendeat, & conseruetur, tanquam à causa prima, vt Aristoteles significauit libro primo Meteorologicorum, capite quarto, quādo dixit elementa calida habere calorem à motu, frigida verò ex immobilitate esse frigida; ideò ignis sua natura calidus superum locum petit, vt ibi à Cœlo circumuoluatur: notare autem in ijs verbis debemus, Auerroem non dicere, quatenus motus, sed dicere, quatenus calidum, quia de motu falsum dixisset: quum enim nō omnis motus faciat calorem, ideò nō quatenus motus, sed quatenus ijs conditionib. præditus, quibus attritionē aëris faciat: sed calorē per se competit generari & conseruari à motu, plurium enim rerum inter se comparatarū ea est conditio, vt huius ad illam respectus sit essentialis, illius verò ad hanc accidentalis, quemadmodum in libris Logicis diximus.

Cur aqua ex motu non calefiat.

Aqua quiescens est calidior, quàm mota.

Cur animal ex motu incalescat.

Motus est perfectio calidi.

In 2. libro de Propos. necess.

Dubitatio contra Aristotelem de modo, quo Cœlum calefacit per motum, & prior solutio Alexandri, & eius reprobatio. Cap. IV.

Pet hęc maior propositio satis, vt arbitror, declarata est; in minore autē longè maior difficultas inest, eaq; tanta est, vt vix Aristoteles defendi posse videatur; dixit enim solum corpus Solis esse sufficientem causam generationis caloris in hoc mundo inferiore, quia satis propinquum est, & satis velociter mouetur. Sed hoc difficultate manifesta, & ardua vrgetur, quia motus solidi corporis tunc tantùm atterit, quando non modò propè est, sed etiam tangit: omnis enim actio naturalis per contactum fit, vt ipse Aristoteles docuit in 7. lib. Physicæ auscultationis, & in 1. de Ortu & interitu; Sol autem non tangit inferiorē mundum, quia secundùm Aristotelem est interposita saltem sphæra Lunæ, at secundùm Astronomos interiunt etiam orbes Veneris, & Mercurij; quomodo igitur Sol mundum inferiorem calfacere potest per attritionem, si ipsum non tangit? posset quidem per orbem Lunæ calfacere inferiora, si priùs ipsum Lunæ orbem calfaceret, quemadmodum ignis

Argumētum contra Aristotelem.

nostet per aërem medium in corporibus nostris calorem producit; at orbis Lunæ nullius caloris est capax, nec vlla pars cœlestis corporis calfieri, aut refrigerari potest; nulla igitur ratione videntur hæc inferiora corpora posse à corpore Solis calefieri per attritionem. Videns hanc difficultatem Alexander, nisus est tueri Aristotelem; & duas responsiones attulit. Vna est, non inconuenit dari in natura aliquod agens, quod agat in extremum, quū illud non tangat, neque agat in medium, idq; exemplo satis noto confirmat: piscis enim vocatus torpedo stupefacit manum piscatoris, dum adhuc retibus inclusus est, nec manum piscatoris tangit, nec agit in rete medium, certum enim est, rete non stupefieri, neque esse capax stuporis; sic igitur etiam Sol per orbem Lunæ medium calefacit inferiorem mundū, licet neque ipsum tangat, neque orbem Lunæ calefaciat. Hæc Alexādri solutio ab omnibus reprobatur, præsertim à Ioanne Grāmatico in capite 4. lib. 1. Meteorolog. & ab Auerroe in commentario 42. libri 2. de Cœlo, nam aduersatur Aristotel. in memoratis locis, qui voluit non posse agens naturale agere in extremum, quin priùs agat in medium, propterea quod necesse est omnem actionem naturalem fieri per contactum. Ad illud aūt quod de torpedine dicitur, inquiunt falsum esse id, quod Alexander ait, torpedinem in rete medium non agere; siquidem necesse est imprimi in rete aliquam affectionem, quæ postea piscatoris manum stupefaciat; eaq; an sit stupefactio, an aliquid aliud, non est curandum; satis enim est si aliqua affectio retibus imprimatur, à qua stupefiat manus piscatoris; est enim fortasse refrigeratio vehemens, à qua retibus impressa, stupor in manu piscatoris generatur. Præterea (inquit Ioan. Grammaticus) quis asseuerare potest, non imprimi in rete eandem affectionem, nempe stuporem? dicere namque retia carere sensu non est idoneam rationem adducere; similiter enim dicere possemus, arbores in hyeme non refrigerari, quia non sentiunt.

Prior solutio Alexandri.

Confutatio.

Altera Alexandri solutio, & eius impugnatio. Cap. V.

Secunda solutio Alexandri.

HAec Alexander considerans, ad secundam solutionem confugit, & concedēs esse irrefragabiliter veram illam Aristotelis propositionem, agens naturale non potest agere, nisi tangat, proinde non agit in extremum, quin agat in medium, dixit non esse saltem necessarium vt in medium imprimat eandem affectionem, quam imprimit in extremū, sed satis esse si vel eandem imprimat, vel aliquam aliam; Sol igitur potest in mundo inferiore calorē producere per orbem Lunæ medium, in quo si calorem non producit, saltem producit aliquid aliud, producit enim motum; quare dicere possumus, Solem in orbe Lunæ efficere motum, & per illum producere in inferioribus calorem. Sed neque hæc solutio admitti potest. Primùm quidem possumus negare Lunam moueri à Sole, nam si de proprio eius motu loquamur, mouetur Luna non à Sole, sed à motore proprio; quod ex eo etiam patet, quia Luna est velocior Sole: si verò diurnū motum spectemus, Luna non mouetur à Sole, sed omnes orbes mouentur à primo mobili, seu potiùs ab vno motore primi mobilis, à quo totus cœlestis globus tanquam animal quoddam magnum agitur ab ortu ad occasum: adde quod Aristoteles in loco prędicto, quando dicit calefieri à Sole mūdum inferiorem, non intelligit à tota sphæra, sed à sola stella Solis, hāc enim inquit esse corpus solidum, quod per attritionem calefacit; Solis autem stella, quem motum in Lunæ orbem imprimat, ne imaginari quidem possumus. Præterea quando dicimus agens in extremum agere etiam in medium vel eandem affectionem, vel aliam non possumus intelligere in medio produci affectionem, nisi talē, quæ si tanquam agens proximum, à quo producatur affectio in extremo, quemadmodum de torpedine diximus; patet enim affici rete tali affectione, quæ per cōtactum stupefacere possit manum piscatoris: siue enim nota illa affectio sit, siue ignota, certum est eam talem esse oportere, alioquin integra maneret difficultas, quomodo agens naturale possit agere sine patientis contactu: nunc verò non est ignota illa affectio, per quam apud Aristotelē motus calorem efficit; est enim rarefactio, & attritio à motu facta; oportet igitur vel Solem extenuare, atq; atterere orbem Lunæ, quod quidem dicere non possumus, vel illi tribuere solum motum à quo inferiora corpora atterantur: at neq; hoc dici potest, quia motus Lunæ, secundùm Aristotelem, magis est tardus, quàm vt atterere, & attritionē producere calorem possit: quamobrem dum motū ipsum, quo fertur Luna, consideramus, à quo is produci dicatur, ineptus est iuxta Aristotelis sententiam ad inferiora corpora atterenda: nil ergo refert cōsiderare, à quonam motus Lunæ producatur, an à Sole, an ab alio, sed spectanda tantummodò est propria illius motus velocitas, quam Aristoteles minorem esse dixit, quàm vt possit, per attritionem generare calorem: itaque Sol neq; per velocitatē motus Lunæ atterit inferiora corpora, siquidem illa inepta ad atterendum est; neque per velocitatem propriam, quoniam hanc cum Luna non communicat, neque per suam velocitatem tangit inferiorem mundū, aut in ipsum agit; sed à sola velocitate orbis Lunæ patiuntur inferiora corpora motum, & attritionem. Illud igitur, quod Alexander dicit de motu, quē Sol Lunæ tribuit, nihil est, quia vel nullū tribuit, vel, si id ei condonemus, ineptum ad calefa-

calefaciendum tribuit, aliam verò excogitare affectionem non possumus, quam Sol tribuat Lunæ, & per quam inferiora corpora per attritionem calefaciat. Simplicius quidem in context. 21. lib. 1. de Cœlo attribuit Alexandro vt dixerit Solem calefacere inferiora corpora, quia priùs calorem imprimit orbi Lunæ: sed hanc sententiam apud Alexandrum non legimus, eaq; non est consentanea opinioni Aristotelis, qui putauit cœlestia corpora expertia esse omnia alterationis, proinde nec calorem, nec frigus recipere posse: præterea censuit Aristoteles calorem à motu effici per attritionem, & attenuationem; igitur si motus Solis calfacit orbem Lunæ, necesse est, vt extenuet, atque atterat ipsum, quod quidem nullo modo dicendum est: quocirca ego addoci non possum, vt credam id vnquam dixisse, vel censuisse Alexandrum, quod ei à Simplicio ascribitur. Patet igitur vanas esse Alexandri solutiones, & per eas sententiam Aristot. non defendi, proinde integram adhuc manere difficultatem: quã cõsiderans Ioãnes Grãmaticus post longam disputationẽ contra Alexãdrum tandẽ concludit, Arist. defendi non posse, nec veram caloris causam attigisse: ipse verò sententiam suam proferens inquit, cœlestia corpora calorẽ efficere, quia sunt naturaliter calida & ignea, maximè aũt omniũ Sol, vt apud ipsum legere possumus in memorato loco.

Simplicius de Alexandro.

Ioan. Grammatici opinio.

Alia Aristotelis defensio ab Auerroe adducta. Cap. VI.

Averroes in comment. 42. libri 2. de Cœlo reprobata Alexandri solutione, aliam ipse pro Aristotele defensionem inuenit: statuit inprimis fundamentum hoc satis apud Philosophos manifestum, omnem facultatem materialem diuiduam esse ad diuisionem materiæ, proinde in maiori corpore maiorem esse potentiam; & in minore minorem; idque etiam ab Aristotele expressè ponitur in postremo cap. libri 8. Physicorum. hoc constituto, inquit Auerroes, quando alicui corpori attribuimus vim mouendi aliud corpus, eam dicimus illi inesse secundùm totam suæ substantiæ profunditatem; non tantùm secundùm illam partem, qua tangit corpus motum; vt exempli gratia, orbis Lunæ circumuoluens elementum ignis, non dicitur illam vim habere in illa tantùm parte, quę est ad superficiem suam concauam, sed in tota suæ substantiæ profunditate, proinde quantò maiorem habet profunditatem, tantò etiam maiorem vim motricem habet. Ob eandem igitur rationem quum totus cœlestis globus sit tanquam corpus quoddam vnum, & tanquam animal quoddam magnum, cuius motus est ille, qui diurnus dicitur, & ab Aristotele vocatur motus totius, quia totus globus eo motu mouetur, proprij autem singularum sphærarum motus sint tanquam motus proprij membrorum animalis, dicere debemus ignem & aërem non à solo orbe Lunæ moueri, sed à tota omnium sphærarum congerie; in illa enim tota inest tota vis mouendi inferiorem mundum, quod etiam in Epitome Metaphysica tractatu 4. capite 13. apud Auerroem legimus; in singulis autem partibus illius totius inest pars tantùm potentiæ motricis, non potentia tota, idemq; singula pars propriam suam illius facultatis partem contribuit, siue ipsi toto, siue saltem parti inferiorem mundum tangenti: parum enim refert, an dicamus singulas Cœli partes toti cœlesti globo contribuere suas partes facultatis motricis, an dicamus, alias partes suam potentiam contribuere illi parti, quæ tangit inferiorem mundum, vt orbi Lunæ; satis enim est si intelligamus, totam illam vim mouendi inferiora corpora toti cœlesti globo insitam esse, eius verò partem parti illius globi, & in alia quidem maiorem inesse, in alia minorem, pro illarum partium diuersitate, præsertim pro maiore, vel minore illius materiæ portione, aut etiam densitate: quoniam igitur stella est pars orbis densior, proinde plus illius corporis habet, quàm pars vbi non est stella, ideò plus etiam facultatis motricis habet stella, quàm pars stellam non habens: hinc fit, vt stella Solis maximam omnium habeat potẽtiam, quia est omnium stellarum maxima, & lucidissima, proinde etiam densissima, & plurimum in se illius materiæ continens; magnã igitur potentiæ partem contribuit; ob idque illa pars orbis Lunæ, quæ Solis corpori substat, maiorem, quàm aliæ, habet vim mouendi & atterendi propinqua corpora inferioris mundi, quoniam ibi exercetur illa potentia, quam toti cœlesti globo Sol contribuit. Quãdo igitur Aristoteles corpori Solis ascribit facultatem attenuandi, & calfaciẽdi subiectum aërem, nõ est accipiendum (inquit Auerroes) ipsum solum corpus Solis tanquam agens ab alijs stellis, & orbibus separatum; sed intelligendum est totam omnium Cœlorum congeriem esse quasi corpus vnum continuum, in quo insit vna tantum vis mouendi inferiorem mundum, & huius magnam partem contribui à corpore Solis ob rationẽ prædictam. Itaque omne dubium tollitur, quia non est necessarium vt Sol agat priùs in orbem Lunæ medium, quàm in corpora inferiora; hoc enim sequebatur, dũ Sol tãquam agens quoddam ab orbe Lunæ separatum accipiebatur: sed quum Sol non sit nisi pars agentis contribuens toti magnam partem facultatis motricis, actio in inferiorem mundum fit per contactum, quia vnum est totum agens, nempe totus cœlestis globus, à quo mundus hic inferior tangitur, vt ait Aristoteles in 2. cap. libri 1. Meteorolog. huic autem toti partes omnes contribuunt proprias portiones facultatis motricis, alia maiorem, alia minorem; neque in

Cœlum totũ est veluti vnum animal magnum.

partibus vnius agentis requiritur vt pars remotior à patiente imprimat aliquid in partem propinquam, sed satis est ipsa potentiæ communicatio, dum id, quod mouet, est totum quoddam, & vnum, cuiusmodi esse cœlestem globum dictum est.

Quòd responsione Auerrois Aristoteles non defendatur. Cap. VII.

IN hac Auerrois solutione duo consideranda sunt; vnum, an per eam satis Aristoteles defendatur, & à prædicta difficultate vindicetur; alterum, an ipsa per se Auerrois sententia vera sit. Quod ad Aristotelem attinet, ego quidem arbitror eius verba hanc defensionem nõ recipere: nam si solum ipsum Solis corpus spectemus, cui tanquam agenti separato vim totam mouendi attribuamus, iam apertè fatetur Auerroes, eam sententiam defendi non posse, quia Sol inferiorẽ mundum non tangens, in ipsum agere nequit; ob id illa, quę ab Aristotele dicũtur, nititur Auerroes Soli attribuere cõsiderato tanquam parti totius globi cœlestis magnam facultatis motricis partem contribuenti; attamen hæc interpretatio verbis Aristotelis nõ congruit, quoniam Aristoteles ita attribuit Soli vim mouendi, & atterendi aërem, vt expresse excludat omnes alias sphæras, tũ superiores Sole, tum inferiores, proinde cõsiderat corpus Solis vt agens separatum, non vt partem agentis; nam si totum globum putasset esse mouentem, & calfacientẽ inferiora corpora suo motu: Solem autem esse partẽ plurimum illius potentiæ cõtribuentem, certè accepisset motum diurnum, tanquam vnum totius globi motum, non vt multiplicatum, & in plures distinctum, prout in diuersis orbibus recipitur, & prout in Luna tardior est, & in superioribus remotior ab elementis, quàm par sit, in Sole autem satis velox, & satis propinquus; hoc enim est Solem cõsiderare vt agẽs quoddam separatum, & ab alijs partibus Cœli distinctum; at secundùm Auerrois considerationem, motus diurnus sumitur vt vnus totius globi motus, qui mundum inferiorẽ calfaciat per cõtactum, proinde per illam attritionem, quæ fit à tanta motus velocitate, quanta est in parte globi tangẽte, hæc autem est illa velocitas, qua orbis Lunæ mouetur: quamuis enim totum globum cœlestem dicamus atterere inferiora corpora per sui motus velocitatem, tamẽ hoc non efficit alia velocitas, quàm illa, quæ est inferioris mundi confinio, atque contactu; ab hac enim prouenit illa velocitas motus in igni & in aëre, quæ in eis calorem producit, & ita illa elementa conseruat: itaque non erat consideranda propria orbis Solis velocitas distincta ab aliorum orbium velocitate, & ob id ratio ab Auerroe adducta non innititur propriæ velocitati, nec propriæ propinquitati Solis, sed densitati tãtummodò, à qua plurimum virtutis toti globo contribuitur; nullam enim respicit velocitatum, vel propinquitatũ differentiam, sed vnam tantummodò velocitatem considerat, quæ est totius globi, & vnam totius propinquitatẽ, qua tangit inferiorem mũdum; at ratio ab Aristotele allata innititur propinquitati, & velocitati propriæ corporis Solis, vt distinctæ à velocitatibus, & à propinquitatibus aliorũ; neutram tamen considerare debebat, si volebat significare totum globũ esse mouẽtem, & atterentem: nam secundùm opinionẽ Auerrois, Sol eandem operã præstat in quacũq; Cœli parte collocetur, etiamsi in supremo omniũ orbe esse statuatur; vbiq; enim vim suam eandem toti globo cõtribuit: attamen secundùm opinionẽ Aristotelis, si Sol remotior ab inferiori mundo poneretur, non attereret, neq; calfaceret, quoniã ob eandem remotionẽ alios omnes superiores orbes Arist. ad calefaciendum ineptos esse iudicauit, quare sententia Auerrois opinioni Aristotelis non accõmodatur. Clara etiam sunt Aristotelis verba, dicentis [*sufficiens est hoc facere Solis latio tantũ*] nam manifestè alios orbes excludit, & vult solũ corpus Solis esse causam caloris vt motorem separatũ: attamen secundùm opinionem Auerrois cætera astra ab hoc munere non excluduntur, quia dum sumitur totus globus vt vnũ corpus mouens, omnes partes suam virtutis portionẽ contribuunt, tum quæ propinquæ sunt, tum quæ remotæ; quũ Aristoteles singula astra consideranš vt mouentia separata, excludat omnia superiora Sole, vt ab inferiori mundo nimis remota. Alia quoque difficultate vrgeri videtur eo in loco Aristoteles, quòd quũ quæstionem proposuisset de causa huius caloris, qui apud nos est, dixerat enim in principio capitis [*propter quã causam fiat calor in his, qui circa terrã, locis*] postea quæstionem soluens nihil de radijs dicit, sed causam huius caloris in solum cœlestem motum refert, inquit enim [*propter hãc igitur causam peruenit ad hunc locum caliditas*] significãs hunc locum, in quo nos degimus, quẽ tamen alijs in locis asserit calefieri etiam à radijs, immò magis à radijs, quã à motu Cœli. Sed hoc solui facilè potest: quum enim certum sit Aristotelem non negasse radios in hoc aëre inferiore calorem producere, in eo tamen loco videtur solam causam vniuersalem, dimissa particulari, adducere voluisse; nam à motu Cœli productus calor per totum inferiorem mundum diffunditur, & ad terram vsque, & eius intima peruenit; at ille, qui à radijs efficitur, est in hac sola infera aëris regione, ob id hac causa neglecta, Aristoteles solum motum cœlestem considerauit; quod quidem prædictam de motu difficultatẽ auget: dum enim radiorum cõsiderationem secludimus, & solum motum consideramus, nõ videtur defendi posse

Aliud dubiũ contra Aristotelem.

Solutio.

di posse sententia Aristotelis, dicẽtis, motum
solius Solis hunc calorem per attritionem ꝓ-
ducere, quum illi non accommodetur defen-
sio artificiosissima, quam excogitauit Auer-
roes. Sed præter omnia, quæ hactenus dicta
sunt, nullum est aduersus Aristotelem effica-
cius argumentum, quàm quod ex ipsiusmet
confessione desumitur: ipse enim existimauit
sphæram Solis secundo loco, & statim supra
sphæram Lunæ esse positam, sphæram autem
Veneris in quarto loco nempe supra Lunam,
& Solem, & Mercurium: Venerem igitur ine-
ptam esse iudicauit ad calorem motu produ-
cendum; tanquam nimis remotam, proinde
confessus est quartum locum esse ab inferio-
ribus nimiùm distantem, nec aptum ad ea at-
terenda per motum: atqui inuentum postea
est Astronomorum obseruationibus, Solem
in quart. loco esse, & Luna, & Mercurio, & Ve-
nere superiorem; ergo neque Sol ad calorem
producendum idoneus est, quia à corporibus
inferioribus est nimiùm remotus: nam si Ari-
stotelis argumentum de Venere validum est,
non minorem de Sole habet efficacitatem, si
Sol reuera in eo loco est positus, in quo Ari-
stoteles Venerem esse existimauit. Ego igi-
tur, quum apertè fatear me nullam inuenire
rationem potuisse, qua sententiam Aristote-
lis tueamur, quod mihi fortasse ob inscitiam
meam, atq; ingenij imbecillitatem contigit,
defensionem Aristotelis alijs excogitandam
relinquam; hæc enim dicere volui, non vt A-
ristotelis sententiam impugnarem, sed vt illa
dubia, quæ mihi negotium facessunt, in me-
dium proferens significarem, me eorum so-
lutionem desiderare.

Vera sententia, & opinionis Auerrois de-claratio. Cap. IIX.

SEquitur vt quomodo Cœlum suo motu
calefaciat, consideremus, quando in sen-
tentia Aristot. acquiescere minimè pos-
sumus. Ego quidem arbitror verissimam esse
Auerrois opinionem, quam antea retulimus:
quum enim Auerroes sententiam Aristotelis,
quam hactenus expendimus, falsam esse co-
gnouerit, eam tamen reuerentia ductus, im-
pugnare non est ausus, sed modestiùs agens
maluit Aristotelem in alium sensum trahere;
ad quem tamẽ an verba Aristotelis trahi pos-
sint, alij considerent, illa nimirum verba, quæ
in calce 4. cap. 1. Meteorol. leguntur, vbi Ari-
stoteles rem hanc distinctè, & exquisitè se de-
clarare profitetur, non enim inficior ipsum a-
lijs in locis rudiùs de hac re loquentem attri-
buisse productionem caloris cœlesti motui
indistinctè, non motui Solis tantummodò.
Quoniam igitur res per se manifesta esse vi-
detur; patet enim totum elementum ignis, &
cum eo aërem à toto cœlesti globo incessan-
ter circumuolui, & ita calorẽ ex eo motu re-
cipere per attritionem. neq; ex alia velocita-
A te, quàm ex illa, quæ est in orbe Lunæ in mũ-
di inferioris contactu; considerandæ nobis
sunt conditiones, quæ in motu, vt atterat, re-
quiruntur, & ostendendum eas omnes orbi
Lunæ competere, vt argumentum tollamus,
quo ductus Aristoteles, orbem Lunæ ineptũ
ad hoc esse iudicauit. Tres ad summum con- *Tres conditiones si debeat motus calefacere.*
ditiones postulari videntur; vna, vt mobile sit
prope rem atterendam; altera, vt sit solidum;
tertia demum, vt velociter moueatur: primã
B conditionem hîc non desiderari ipse quoque
Aristoteles confitetur; patet enim totum cœ-
lestem globum tangere mundum elementa-
rem per orbem Lunæ, tanquam per partem
suam. Secunda quoque conditio consideran-
tibus manifesta est: necessarium enim est cœ- *Cœlum totũ est solidum.*
leste corpus solidum esse totum, & inferiori-
bus corporibus minimè cedens; nam si cede-
ret, pateretur, quod dicendum non est: quo-
niam ergo non est aptum cedere vlli pressio-
C ni, solidum est, & idoneum ad subiecta cor-
pora dissipanda suo motu. Sed tertia condi-
tio Arist. difficultatem fecit, quia in orbe Lu-
næ non satis velox esse motus videtur; asser-
tio tamen illa Arist. videtur probatione indi-
guisse; quum enim certum sit, velocissimum
esse Lunæ motum, quum quatuor & viginti
horarum tempore totum circuitum peragat,
probandum erat hanc velocitatem non esse
tantam, quæ atterere ignem, & aërem, & ca-
D lefacere apta sit: nos enim non possumus ni-
si iudicare motum illum quamuis tardiorem
in illa parte, quàm in alijs partibus superiori-
bus, velocissimum tamen esse, & aptum ad
atterendum, dum illum cũ alijs, qui apud nos
fiunt, motibus comparamus: frequẽter enim
experimur, ex motu, quo ferrum silicem per-
cutit, atteri intermedium aërem, & in ignem
conuerti, nec tamen dicendum est, motum
illum esse motu Lunæ velociorem, sed potiùs
E multò tardiorem: sic etiam dicendum est, sa-
gittæ motum per aërem esse motu Lunæ tar-
diorem, tamen fatetur Arist. plumbeos sagit-
tarum mucrones motu accensos colliquesce-
re: nam si imaginaremur equum, vel aliquam
aliam rẽ in superficie terræ adeò celeriter mo-
ueri, vt exactis vigintiquatuor horis ad locũ, à
quo primò discessit, rediret, nónne rapidissi-
mum esse motum illum iudicaremus? nónne
multò velociorem motu sagittæ ab arcu emis-
F sæ? eo tamen ita ficto motu longè velocior est
motus Lunæ, quæ ob maximam à terra distã-
tiam longè etiam maiorem circuitũ, ac maius
spatium eo tempore peragit; quemadmodũ
in rota celeriùs mouentur partes ad periphe-
riam sitæ, quàm partes axi propinquæ, quo-
niam illæ eodem tempore maiorem circuitũ
perficiunt, quo hæ minorem. Negans igitur
Aristoteles tantam esse motus Lunæ velocita-
tem, quæ calefacere per attritionem possit,
rem negare videtur ex aliarum rerum compa-
ratione euidẽtissimam, proinde non erat hoc

absque ratione proferendum, sed ea negatio maximè probationem desiderabat. Sed præter hanc velocitatem, quæ certè est magna, magnum etiam addit momẽtum maxima illa totius cœlestis globi moles, atq; profunditas: nam si in maiori corpore maior agendi vis inest, vehementissimam reddi illam actionem ex magna substantiæ Cœli profunditate credendum est, quum præsertim in eo innumerabilia astra infixa sint, quæ ob suam densitatem plus potentiæ motricis contribuunt, quam cæteræ partes; & alia quidem maiorẽ, alia minorẽ, quatenus alia densiora alijs sunt: quò fit, vt maximam vim cõtribuat Sol, cuius densitatem maximã omnium esse ex maxima eius luce iudicamus. Tanta igitur est cœlestis globi in parte inferiorem mundum tangente velocitas, vt per se apta maximè sit ad inferiora corpora atterẽda, & mirãdum profectò est, quomodo Aristot. id negauerit; sed adiecta etiam magna totius globi cœlestis mole, ac profunditate, siquidem toti globo hæc actio attribuenda est, adhuc maior illius actionis efficacitas, ac vehementia redditur: quare dubitãdum esse non videtur, totum globum cœlestem per illam sui motus velocitatẽ, quæ est in orbe Lunæ hæc inferiora tangente, causam esse caloris in hoc mundo inferiore per rarefactionem, & attritionem.

Dubium de partibus elementi ignis, & eius solutio. Cap. IX.

Dubium.

CAeterum aduersus ea, quæ modò demonstrauimus, dubium magnum oritur, quod omnino soluendum est ad plenam veritatis declarationem; quum præsertim non magis sententiæ huic nostræ, quam opinioni Aristot. officere videatur: nam si Cœlum motu suo velocissimo atterit, & accendit inferiora corpora, & ignem generat, seu conseruat in proxima Cœli parte; ergo in partib⁹ huius mundi, quæ sub polis, vel circa polos sunt, nempe in illa parte, quæ ab Astronomis gelida zona dicitur, nõ potest esse ignis, quoniam ibi vel nullus fit motus, vel nimis tardus: quare alterum duorum videtur esse concedendum, vel in supero inferioris mundi loco, qui elemento ignis assignatus est, ignem nõ esse, sed aliud frigidum corpus, quòd quidem videtur esse absurdum, quum illum supremum locum non debeat aliud corpus occupare, quàm ignis, vel, si in toto illo loco sit ignis, existere ignem, & summum calorem, vbi non fit motus, aut nõ ita velox, vt possit calorem generare: quod sententiæ nostræ aduersatur manifestissimè, nec minùs opinioni Aristot. qui causam caloris supremi loci retulit in motum solius corporis Solis tanquam velocissimum, quum tamen Sol non feratur nisi per torridam zonam, quæ est intra tropicos, & semper à polis remotissimus sit: hinc

A enim fit vt solam subiectam sibi aëris, & ignis partem possit calidam reddere, nempe illam quæ sub torrida zona est, non illam, quæ est sub polis in vtraque gelida zona, quæ nec illi est supposita, nec circunfertur, nisi tardissimo motu; si enim verum est id, quod Aristoteles dixit, calorem in elementis à motu Cœli velocissimo prouenire, frigus verò à priuatione illius motus, non potest sub gelidis zonis in ipso Cœli contactu esse ignis, quum B ibi non fiat motus, nisi tardissimus. Difficultas hæc nulla esset apud illos, qui causam caloris, ac frigoris elementorum referunt in ipsas eorum formas, & naturas: nam si formam ignis insequitur summus calor, satis est forma ignis sub polis locati, ad suum naturalem calorem sibi conseruandum: sed hanc sententiam falsam omnino esse, & Aristoteli repugnantem alibi demonstrauimus; per hãc enim tollitur penitus natura loci, & vis conseruatrix locati, quã illi Aristoteles attribuit, C & motus elementorum naturalis ad sua loca, vt ibi fusiùs ostendimus. Hoc igitur fundamento constituto, quòd omnis calor in elementis à Cœli motu conseruetur, vt apertè Aristoteles dixit, nitendum est hanc difficultatem, si fieri possit, de medio tollere. Ego quidem postquam rem hanc diligenter consideraui, in hanc sententiam veni, in qua penitus acquiesco, id, quod dubium videtur, D esse prorsus necessarium, & maximè consentaneum rationi; sub polis enim, vbi non fit motus velox, ignem conseruari non posse existimo, sed calore destitutum refrigerari, grauescere, & in aliud elementum mutari, ac descendere: quum enim cœlestis calor ad hæc quoq; frigida elementa perueniens, ille præsertim, qui à lumine generatur, ea calefaciat, & in halitus vertat, qui continuè à terra, & ab aqua tanquam leues ad superam partem a- E scendunt, & ibi etiam magna ex parte accenduntur, & in ignem mutantur; debuit natura ad seruandum elementorum æquilibrium rationem aliquam inuenire, qua in supera quoque parte generetur frigus, & vice versa ignis in graue elementum mutatus deorsum feratur: nisi enim hoc fiat, iam ex continuo halituum ascensu, & ascensione versa essent omnia elementa in ignem, & ignis ille, qui est prope Lunam, immutabilis omni tempo- F re duraret: quod quidem absurdum secundùm hanc nostram opinionem non sequitur; quum enim ignis qui sub polis est, grauescat, & refrigeratus deorsum feratur, necesse est, ne detur vacuum, vt alius propinquus ignis ad eum locum implendum transeat, & ibi aliquandiu maneat, & similiter eius calor remittatur à natura loci, & deorsum feratur; ita vt hæc in elemẽtis vicissitudo, ac circularis generatio omnibus temporibus perseueret, tanquam fluuius ad superna continuè currens, atque inde recurrens: & elemẽta grauia nunquam

Solutio aliorum.

Confutatio.

Solutio propria.

Necessarium est ignem in suo loco refrigerari, & descendere.

quam desinant mutari in leuia, & ascendere, A & leuia similiter in grauia, & descendere: & quemadmodum media aëris regio, licèt locus aëris sit, tamen ob eius situm non potest aërem diu conseruare quin frigescat, & magnam mutatus descendat; ita rationi consonum est aliquam sub Cœlo esse partem, quæ licèt sit locus ignis, ob motus tamen tarditatem nequeat ignem conseruare, quo fiat, vt ignis in aërem mutatus deorsum feratur. Sic itaq; omnis difficultas tollitur: sub polis enim non existit nisi ignis, is tamen non in omnibus B illius loci partibus diu seruatur, sed deorsum fertur, & illuc alius ignis transit; sicenim in media quoque aëris regione non quiescit nisi aer, etsi non diu ibi seruari potest: esset quidem absurdum, si in loco ignis corpus frigidum ita esse poneretur, vt quiesceret; sed in loco ignis generari ex igne elementum frigidum, seu minùs calidum, & statim genitum secedere ab eo loco, non modò absurdum non est, sed meo quidem iudicio est summo- C perè necessarium, & patefaciens nobis artificium naturæ in seruando in elementis æquilibrio, & vicissitudine ad ipsorum & totius mundi huius conseruationem. Hanc sententiam significare visus est Arist. in primo Meteorologicorum, cap. 4. quando de duobus superioribus elementis, ac de ipsorum locis loquens dixit [*& sic continuè perseuerat, hoc quidem aere plenum existens, hoc autem igni, & semper aliud, & aliud fit vnum quodq; ipsorum*] D tota namque elementa illa respiciens ait locum ignis esse perpetuò plenum igni, & locum aëris aere, sed particulas vtriusq; considerans inquit semper vtrumque eorum mutari, & aliud, atq; aliud fieri; igitur necesse est vt ignis quoq; particulæ in aliud elementum mutentur, & hoc continuè atque incessanter fiat; fieri autem alio modo non potest, quàm eo, quem declarauimus. In partibus igitur superi loci, qui ignem continet, hoc discrimen E est; quòd aliquæ tardiorem habent motum, quàm vt summus calor, ac summa raritas gigni in eis possit, ideo ibi non diu seruatur ignis: sitas quidem sub polis has esse manifestum est, sed ad quem vsq; terminum protendantur, & quibus limitibus à cæteris distinguantur, dicere nemo potest: credendum est, non procul à paruis circulis, qui polares dicuntur, has partes terminari, ibique incipere velociorem motum, & aptum ad ignis con- F seruationem: quam partem satis magnam esse putandum est, & cópleĉti tum torridam zonam, tum duas temperatas, seu earum magnã partem, quæ torridæ zonæ propinquior est; ita vt multò maior sit illa superi loci pars, in qua ignis conseruatur, quàm illa, in qua non conseruatur. Si verò quis obijciat, sub zona temperata fit tardior motus, quàm sub torrida, in qua est maximus circulus æquinoctialis vocatus, tamé sub zona temperata generatur

Dubium.

summus calor, & summa raritas; proinde ibi conseruatur ignis, atque etiam generatur, si ibi non esset; igitur sub torrida zona, vbi velocior sit motus, gigni debet maior raritas, & maior calor, proinde & corpus rarius, & calidius igni; ergo dabitur calor maior maximo, & elementa erunt plura, quàm quatuor, quæ absurda sunt, & nullo pacto concedenda. Ad hæc dicimus, non dari in inferioribus corpus rarius aut calidius igni; ideò vbi statutus aliquis motus ad generationem summi caloris, & ad ignis productionem idoneus est, non ob id velocior motus generabit aliquid calidius, aut rarius, siquidem nihil esse potest calidius, aut rarius igni; sed vbi primùm incipit motus esse ita velox, vt summum calorem, atque ignem producere possit, etiam velocior illo eundem calorem producet, nec aliud generabit, quàm ignem.

Solutio.

De lumine quomodo calefaciat. Cap. X.

Considerandum manet quomodo lumen quoque sit caloris causa: quòd enim calefaciat, ita est manifestũ, vt negari non possit; sentimus enim nos à radijs astrorum, præsertim Solis, calefieri, & quãdoque ita vehementer, vt tolerare tantum calorem nequeamus; ideò Arist. pluribus in locis id confitetur, vt in primo Meteorol. cap. 4. & postea in cap. de nube; in quarto etiam libro de ortu animalium, cap. 2. asserit Lunam lumine crescentem calidiorem esse, decrescentem verò frigidiorem. Auerroes quoque in Comment. 42. lib. 2. de Cœlo, & in cap. 4. primi Meteorol. dicit reflexioné radiorum esse in hoc aëre nostro causam caloris, & magis, quàm motum Cœli; imò dicit discrimẽ caloris Solis in æstate, & in hyeme ratione motus non esse sensile, sed ratione radiorum tantùm; causam igitur caloris in hoc infimo aëre in solos fermè radios Auerroes refert, & Arist. quoq; hoc idé significauit in illo 4. cap. primi Meteorol. quando dixit eleméta Cœlo propinqua calida esse propter motum, remota verò manere frigida propter immobilitaté; hanc igitur inferiorem partem, ad quam motus Cœli non peruenit, vel insensilis peruenit, hac ratione frigidã vocat, quoniam in ea insensilis à motu generatur calor; quicquid igitur sensilis caloris in hac parte inest, id totum ferè in astrorum radios referẽdum est; ideirco quum astra non sint ignea, sicut antea dictum est ratio, & modus quæritur, quo à radijs calor generatur. Nonnulli dicunt eam esse luminis naturam, vt sit productiuus caloris, proinde aliam causam quærẽdam non esse: in hac tamé sententia nó videtur animus acquiescere, sed adhuc huiusce rei causam desiderare: ob id cum alijs dicendũ puto, lumen eadem ratione esse causam caloris, qua & motus, nempe quia rarefacit, & extenuat, extenuationé autem ne-

Aliquorum opinio.

Confutatio.

Opinio ve

Opinio vera. cessariò cõseqnitur calor: & quemadmodum A motus in solo aëre hoc præstat, vt ipsum reddat calidiorẽ, & accendat, neq; omnis motus, sed qui magnus, ac velox fit, ita etiam lumẽ in solo aëre attritionem facit, neque quodlibet lumen, sed magnum, ac vehemẽs: experientia enim docet, nullum à lumine cãdelæ accensæ produci calorem, ob eius luminis paruitatẽ, ac debilitatem; imò nec astrorũ, nec Solis lumen quamuis maximũ esse videatur, producere calorem videtur, vel saltem debilem ad- B modum, & insensilem producit, nisi duplicetur, & ita per duplicationem validius reddatur; proiecti namque radij Solis in terram resiliunt à terra refracti, & eo aëre duplicantur, nimirum descendentes, atque ascendentes, & ex radiorum inter se collisione extenuatur aër, & calidior fit: credendum quidem est radios Solis etiam rectà proiectos, ac simplices aliquid caloris efficere; quomodo enim tantam haberent vim duplicati, si nullam habe- C rent simplices? sed admodum paruam habere vim ex eo constat, quòd si magnam haberent, media quoq; aëris regio, per quã rectà transeunt, valdè calida redderetur, quum tamen frigida esse censeatur, quoniam simplices tãtùm habet radios, quum regio infima habeat duplicatos, à quibus valde calida redditur. Est etiam in radiorum duplicatione magnũ discrimen, quod ex temporis differentijs dignoscitur; nam in æstate magnus fit calor, in hye- D me autem paruus, ac debilis, & eodem tẽpore in aliqua regione maior, in alia minor; cuius discriminis ratio hæc est; quãdo enim Sol radios in terram proijcit ad angulos rectos, & perpendiculariter, quilibet radius reflectitur in seipsum, & idem fit radius ascẽdens, ac descendens, ideò maxima fit collisio radiorum, & aëris attritio, proinde & vehementissimus calor, quẽ animalia perferre nequeunt; quando autẽ radij non ad perpendiculum cadunt, E sed ad angulos inæquales, obtusos, & acutos, minor fit calor: cum hoc tamen discrimine, quòd quantò rectis propinquiores fiunt anguli, & quantò ascendentes radij sunt propinquiores descendentibus, tantò maior fit collisio, & maior calor; contra verò quando admodũ obtusi, & acuti anguli ad terram fiunt, & radij ascendentes sunt à descendentibus remotiores, minor fit collisio, & minor calor, quod in hyeme euenit. Sol enim humilior in- F cedens terram radijs suis debiliter percutit, & angulos valde obtusos, & acutos facit; at in æstate sol sublimior fertur, & puncto nostro verticali propinquior, ideò anguli fiunt rectis similiores, & radij reflexi descendentibus propinquiores: quod idem discrimen vt in temporibus, ita in regionibus quoq; diuersis notari potest. Quomodo autem lumen, quum sit accidens, moueri, & percutere, & reflecti dicatur, non est in præsentia considerandum, sed in ijs, quæ de anima, ac de sensu visus alio in loco dicemus, exactiùs declarabitur; nunc communi, & recepta loqnutione vti liceat, dicendo lumen descendere, & reflecti, & ascendere, id enim quomodo intelligendum sit, prædicto loco docebimus: reflexio autem luminis ita manifesta est, vt negari nequeat; ego enim aliquando prope parietem à radijs Solis percussum ambulando non minorem calorem sensi ex radijs à pariete repercussus in mea sinistra parte, quàm ex radijs me percutientibus in parte dextra; nam vtraque in parte fiebat percussio, & reflexio radiorũ accendens aërem: in sinistra enim parietẽ percutientes reflectebantur ad me, & aërem calefacientes me quoque calefaciebant; in dextra verò mea parte percutiebant me radij Solis, & à corpore meo refracti reflectebantur, & aërem propinquum accendendo me quoque calefaciebant; & hoc idem alios plurimos animaduertisse arbitror. Vbi verò absq; refractione transeunt radij, & nullam duplicationem faciunt, vt in supero, & in medio aëre, per quem vtrunque ad infimum transmittuntur, an fiat à lumine illo recto calor aliquis, incertum est: credendum quidem est aliquem fieri, sicut antea dicebamus, sed admodum debilem, quum regio aëris media etiam in magnis æstibus frigida esse comperiatur. Quoniam autem dictum est, magnum lumen calefacere per attritionem, quia extenuat aërem, si quis rationem quærat, cur extenuet, nulla (vt mihi videtur) afferri potest, nisi quod ea est luminis natura, vt tenuem, ac subtilem aërem reddat, effectus enim à sua causa immediatè prodeuntis nulla alia afferri ratio potest. Aliud, quod de hac re dicam, non habeo, neque Aristot. vsquam declarasse cõperitur, quomodo lumen calefaciat: quare si nihil aliud est quærendum præter id, quod modò diximus, videtur id tanquam manifestum, & declaratione non egens dimisisse; si quid verò aliud ad plenam huiusce rei cognitionem desideratur, non est mihi verendum confiteri me illud ignorare, qui me nihil, aut pauca scire profiteor, quum sapientissimus quoque philosophus Aristot. se id nescire tacitè confessus sit.

Quis sit calor cœlestis distinctus ab elementari. Cap. XI.

VErum ex ijs omnibus, quæ hactenus dicta sunt, magna oritur difficultas: nã si verũ est id, quod diximus, omnẽ calorem in hoc mundo inferiore produci à Cœlo per motum, & per lumen, omnis igitur calor ratione suæ originis, & sui principij potest vocari cœlestis; attamen Aristot. in 2. libro de Ortu animalium cap. tertio, duos videtur calores statuere, vnum cœlestẽ, alterum elementarem: quos etiam inter se distinguit dicens calorem cœlestem esse prolificum, & vitalem, elementarem verò non esse vitalem, sed potiùs

tiùs vitæ destructiuum; quod ex eo ostendit, A quoniam ignis nullum animal generat, at in seminibus animantium calor quidam inest, qui elementaris non est, sed à cœlesti virtute proueniens, facitq; vt fœcũda sint semina: sic etiam in ijs, quæ putrescunt, generantur animalia non à calore elementari, siquidem elementa vim generandi viuentia nõ habent, sed à calore cœlesti per hũc inferiorem mundum diffuso; asserit ergo Arist. non omnem calorẽ à Cœlo prouenire, & aliquem esse calorẽ non B cœlestem, sed elementarem; quum tamen in primo Meteorologicorum, cap. 4. dixit omnẽ elementorũ calorem à Cœlo produci, & hãc totam materiam esse potestate tantùm calidã, & frigidam. Auerroes quoq; in lib. de Substantia orbis, cap. 2. & 12. Metaphys. Comment. 18. duos ponit distinctos calores, vnum cœlestẽ, alterum elementarem; quare concedere non videtur omnem calorem esse cœlestem. Difficultas hæc non leuis est, & multis magnum C negotium facessit, qui in declarando quis sit cœlestis calor ab elementari distinctus plurimùm laborarũt; & alij duos re distinctos, penitusq; diuersos esse voluerunt, alij verò vnũ & eundem re, qui alia & alia ratione tum cœlestis, tum elementaris dicatur: quorũ disputationem ego missam faciam, & solùm enitar hac in re veritatem declarare, ea etenim cognita, facilè intelligetur, in quo alij defecerint. Sciendum itaq; est duo in his inferiorib. D esse genera formarum, quarum discrimen ad hanc nostram considerationem pertinet, formam inanimati corporis, & animam, quæ est forma viuentis: formam inanimati possumus elementarem formam appellare, quoniam alias ostendimus formam misti inanimati non esse re distinctam à formis elementorum, sed esse collectionem plurium graduum omniũ formarũ elementarium vnam formam constituentium, quæ non est addita formis elemen E torum, sed est illæmet, quæ in aliam formam migrarunt: anima verò est forma penitus superaddita formis elementorum, & re ab illis distincta. Hæ igitur duæ formæ habent inter se hanc similitudinem, quòd apta est vtraq; educi de materia à calore cœlesti; Cœlũ enim hanc inferiorem materiam calefaciendo generat elementa calida; idem ex materia putrescente generat animal, nec alio modo, quàm per calorem. Præterea Cœlum non modò ge- F nerat ignem, sed dat etiam illi facultatem calefaciendi alia, & generandi alium ignem simil ẽ: ideò Auerroes in 2. cap. libri sui de substantia orbis inquit, ignem non esse primum calefaciens, quia est etiam passiuus, sed Cœlum esse primum calefaciens, quod agit, non patitur: id aũt facit ignis agendo per calorẽ, tanquam per qualitatem consequentem; iam

Nota discrimen formæ elementaris, & animæ.

enim diximus calorem esse præparationem materiæ pro educẽda forma ignis, sed ea educta esse accidens posterius formas ita vt sicuti Cœlũ suo motu, vel lumine facit calorẽ, & per calorem generat ignem, ita etiã ignis genitus aliũ ignem generet per eũdem calorem; proinde calor semper agat vt agens secundarium, & instrumentale, quum sit instrumentum, per quod agit tum Cœlum, tum forma ignis: hoc idem in viuentib. notari potest, Cœlum enim per calorẽ generat animal, & plurib. animalibus, ac stirpib. dat etiã vim generandi aliud simile; nam in seminib. tum animalium, tum plantarum insita est vis prolifica, & principium quoddam generatiuum, quod per calorem consequentem aptum est generare aliud simile. In eo aũt discrepare videtur anima, & forma elemẽtaris: quòd forma elementaris producitur per calorem vtcunq; è Cœlo genitum, videlicet seu per motũ, seu per lumen; videmus enim radios Solis accendere, & ignire stuppam: ast anima nõ per aliũ calorem à Cœlo producitur, quàm per eum, q à radijs prouenit; talis enim est ille calor, à quo ex putrescẽte materia animal generatur. His declaratis, vt ego meã sentẽtiam proferã, puto calorem cœlestem propriè acceptum vt ab elemẽtari distinguitur, nullum esse alium, quàm calorem vitalem, per quẽ à Cœlo producitur anima, & qui productam animã consequitur, & per quem anima in seminib. latẽs tanquam artifex, generat aliud viuens simile; calorem aũt elemẽtarem esse illum, per quem educitur forma elementi calidi, aut forma alicuius mistionis, & qui eam eductã insequitur, & per quẽ illa agit: quoniã enim elementa calida videntur calorẽ habere vt accidens proprium, quod illis competere dicitur per essentiam, maximè aũt igni, mistis verò omnib. per participationem; hinc factum est vt calor iste sit vocatus elementaris, calorem verò animalem quum habeant viuentia non per elementorum participationem, sed à natura quadam præstantiore, hanc referimus in Cœlum tanquam elementum quoddam aliud omnes elementorum naturas supereminens: & quia in viuẽte genito calor hic vitalis insequitur animã, quæ est forma distincta à formis elementorum, & eis multò præstantior; ideò Arist. 2. de Ortu animalium, cap. 3. dixit esse in seminibus principiũ vitale, quod proportione respondet elemento stellarũ, id est Cœlo, quod solet ab Aristot. vocari quintum elementum: quemadmodũ enim Cœlum per calorẽ educit animam de materia, & generat animal; ita etiam principiũ vitale insitũ semini generat animal per calorẽ vitalem consequentẽ, & ita proportione respondet elemento stellarum, nempe elemento supereminenti naturas ele-

Opinio dicentium calorē cœlestem distinguĩ ab elementari. Confutatio

mentorũ,& eius officio fungitur in generan-
do animali. Nec ob id eorum sententiam pro-
bamus, qui calorem cœlestem putant diuer-
sum esse penitus a calore elemẽtari, quasi ca-
lor elementaris nõ sit à Cœlo productus, pro-
inde dicunt calori cœlesti non esse contrariũ
frigus: imò hanc opinionem absurdissimam
esse arbitramur, quũ manifestum sit, & expe-
rientia comprobatũ etiam vitalem calorem,
lædi,& extingui à frigore, vt in concoctione
ciborum frigidorum clarissimũ est; & hoc idẽ
asserit Arist. in lib. de Iuuentute & senectute,
vt ibi legere possumus. Dicimus igitur omnẽ
calorem trahere originem à Cœlo, vt sępe di-
ximus, proinde secundùm se eiusdem esse na-
turæ,& speciei, nec aliam habere differentiã,
quàm diuersorũ graduum; siquidem alius in-
tensior, alius remissior est, dixi aũt secundùm
se, quoniã aliud est calorẽ considerare secun-
dùm propriam ipsius naturã, aliud est ipsum
considerare vt instrumentum agentis prima-
rij, quod calore vti dicitur: nam si ipsam secũ-
dùm se caloris naturam spectemus, vna & ea-
dem est in omnibus; est enim qualitas actiua,
quæ calefacit alia,& extenuat, & segregat he-
terogenea, vt homogenea congregentur; hæ
namq; sunt propriæ operationes caloris secũ-
dùm se cõsiderati, ad quas edẽdas aptus est o-
mnis calor seu vitalis, seu elemẽtaris: sed alia
plura sunt caloris opera, quæ ipse per se pro-
ducere aptus non est, sed ea pręstare dicitur vt
instrumentum agentis superioris: sicut enim
in artibus videmus calorem propria vi aurũ
calefacere, & liquare quatenus est calor, at nõ
vi propria efficere imaginem Mercurij, sed vi
artificis calore vtentis instrumento; sic etiam
in naturalibus notare possumus; nam vitalis
calor aptus quidem est proprijs virib. calefa-
cere, & attenuare cibos, & tenuiores eorum
partes resoluere; at sanguinem ex illis non vi
propria generat, sed virtute animę vtentis ca-
lore, nam si quis chylũ de animalis ventriculo
detractũ imponat ollæ, & illi eundem met ca-
lorem supponat, quem habet iecur, non tamẽ
generabitur sanguis; quare in generatione
sanguinis calor agit virtute animæ, & actionẽ
animæ ad illam materiam traducit tanquam
instrumentum medium: hoc idem dicendum
est de illo animali inter aues maximo, vocato
struthiocamelo, cuius ventriculus tanti robo
ris est, vt deuoratum metallum concoquat, &
in nutrimentum vertat: scribit enim Auerro-
es in quinto Collectaneorum, cap. 24. experi-
entia compertũ esse, exhibitum aurum huic
animali in cibum, & paulò pòst de ventriculo
eius detractum inuentum esse valde imminu-
tum, quum tamen ab igni aurum non absu-
matur; calor igitur illius animalis absq; du-
bio est multò minor calore ignis, tamẽ absu-

Omnis calor est eiusdem speciei.

Multa efficit calor non per propriã vim, sed per virtutem agentis primarij.

A mit aurum, quod absumere calor ignis non
potest; ergo non propria virtute id facit, sed
virtute animæ vtentis calore: quamuis igitur
ipsam secundùm se caloris naturam conside-
rando, ea vna & eadem sit, & eiusdem speciei,
tamen magna discrimina propter agẽtia pri-
ora, quæ calore vt instrumento vtuntur, con-
tingunt: & hoc multos decepit, qui illa, quæ
calori competunt ratione agentis prioris, ipsi
secundùm se considerato attribuunt, & distin
B gui specie inter se calores asserũt: sic facilè in-
terpretari possumus verba Arist. in tertio cap.
secundi lib. de Animalium ortu, quę à multis
in prauum sensum trahuntur; quum enim di-
cat ibi Arist. calorem seminibus insitum ge-
nerandi animal vim habere, proinde non ele-
mentarem esse, sed cœlestem, ac diuinam, si-
quidem calor igneus nullũ animal generat;
hinc collegerunt distinctos esse specie calo-
rem igneũ, & calorẽ vitalem: sed decepti sunt,
C quia diuersa quidem sunt principia agentia,
quę calore vtuntur, sed ipsa caloris natura est
eiusdem speciei: ignis enim non potest ani-
mal generare, neq; animam de materia edu-
cere per calorem, quia non potest agere supra
proprias vires; at Cœlum, & virtus vitalis Cœ
lo proportione respondens potest per calorẽ
animal generare; ita vt si sumantur duo nume
ro distincti calores, sed in gradu, & intensio-
ne omnino similes, quorũ vno forma elemen
D taris vtatur, altero autem vtatur immediatè
Cœlũ vel anima eius vices obtinens, hic gene
rabit animal, ille verò nequaquam, sed solùm
generabit elementum, vel mistum aliquod:
calor enim elemẽtaris in mistione agit in sic-
cum & humidum, & ea regit, & vnit, & mi-
stionẽ absoluit, & formam misti de materia e-
ducit; at non educit animam, hæc enim eget
agente supereminente naturam elementarẽ,
quale est Cœlũ, & anima, seu vitalis virtus Cœ
E lo proportione respondens; ideò Arist. in me-
morato loco asserit omnem animam deforis
accedere, quatenus principium actiuum non
habet aliquod elementum, aut vim elemen-
tarem, sed cœleste, & natura elementari præ-
stantius; cõtrà quàm euenit in formis elemen
taribus, hoc est, tam elementorum, quàm mi-
storum omnium inanimatorum: in ipsa enim
elementari materia, ex qua hæc corpora gene
rantur, insitum est actiuum principium, nem-
F pe calor elemẽtaris, à quo absoluitur mistio,
& educitur forma misti, quemadmodum etiã
à virtute elementari educitur de materia for-
ma elementi, quando ab aliquo elemento
conuertitur in naturam suam aliud corpus: &
quamuis ad has quoq; mutationes concurrat
Cœlum vt agens vniuersale, non tamen vt a-
gens proximum, & immediatum; nam proxi-
mum agens est vis elementaris, quemadmo-
dum dixi,

Declaratio verborum Aristot. 2. de gen. animal. cap. 3.

dum diximus. Sic igitur solui puto omnem difficultatem: nam si primã caloris originem respiciamus, omnis calor à Cœlo prouenit, proinde omnis calor potest hac ratione vocari cœlestis; sed si spectemus agens primarium, quod calore vt instrumento vtitur, illud vel est natura elementi, & ab hac vocatur calor elementaris, vel est vis cœlica, & ab hac vocatur calor cœlestis, ita tamẽ vt cœlestem virtutem appellemus omnem naturam superiorẽ, & præstantiorem natura elemẽtarũ: talis enim est non solùm ipsamet Cœli natura, quæ per calorem à se genitum multa producit, sed etiam anima, quæ ob id vocatur ab Arist. proportione respondens elemento stellarum, quasi cœlestis corporis locum obtinens. Non est autem ob ea, quæ dicta sunt, putandum in viuente duos esse distinctos calores, vnum elementarem, alterum vitalem, siquidem fieri non potest vt in eodem subiecto simul insint duo accidentia eiusdem speciei distincta numero; sed vnus numero est calor ex duobus conflatus, etsi pendens à duobus principijs: quemadmodum enim si in eodem cubiculo splendeant noctu duæ candelæ ardentes, vnum numero est lumen in aere illius loci, licet pendens à duabus lucibus secundùm gradus, adeo vt altera candela extincta minus luminis in illo aëre maneat, quia secundùm aliquot gradus prodibat ab vna candela, & secundum aliquot ab altera; ita in viuente est vnus numero calor cõflatus ex duobus, nempe ex calore elementari, qui etiam dici potest calor mistionis, seu temperaturæ, & ex calore vitali animam consequente; nã totus calor secundùm aliquos gradus prouenit à natura elementorum calidorum, secundùm aliquos verò ab anima; ideò sublata anima remanet minor calor, solus enim elementaris calor relinquitur, qui postea interit per putredinem: sed hac de re, ac de alijs ad animantia pertinentibus postea opportuniùs dicemus.

In viuente non duo sunt calores nume re, sed vnus pendens à duob. principijs.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Libri Tres DE MISTI GENERATIONE ET INTERITV

LIBER PRIMVS.

Proœmium Libri. Cap. I.



ATVRALIVM corporum generationem, & interitum Aristot. in suis libris multifariã considerasse constat; primùm enim in duob. de ortu & interitu inscriptis generationẽ & interitum amplissimè prout corporibus omnibus sublunarib. indistinctè competunt, tam simplicibus, quàm mistis, & his tam Inanimatis, quàm viuẽtibus, sibi tractanda proposuit: sed quoniam variæ naturalis corporis species, varios etiam habent generationis modos, quib. inter se distinguuntur, eosq; omnes cognoscere oportet philosophũ naturalẽ; ideo postea seorsum de singulis docuit, quomodo elemẽta generentur, quomodo mista, quomodo metalla, & lapides, quomodo animalia, & plãtæ. Nos in præsentia declarãdum suscepimus eam generationem, quæ misto competit quatenus mistum est, & cõtrarium illi interitum, qui vocatur putrefactio; rem enim cognitu dignissimam, ac difficultatis plenã, & tum à philosophis, tum à medicis maximè agitatã esse videntes, aliquod tore operæpretium existimauimus, si illa, quæ de hac inuenire philosophando potuimus, & studiosorum vtilitatem si quã habitura sunt, in medium proferremus, & rei obscurissimæ aliquid luminis afferre pro virib. niteremur: quoniam autem hac de re scripsit egregiè Arist. in initio 4. Meteorol. conabimur in hac nostra contemplatione ipsam Arist. in ea parte sententiam explanare, vt ea optimè, si fieri possit, intellecta, possimus omnia, quę de hac re dicturi, ac ratione ex natura rei deducta ostensuri sumus, tanti quoq; philosophi auctoritate cõprobare: quæ verò de hoc alij complures, acerrimè etiã inter se disputantes, & altercantes conscripsêre, cum

moderationē tangemus: illa enim quæ vana, A & inutilia esse iudicabimus, missa penitus faciemus, quæ autem aut vera, aut ad veritatem cognoscendam vtilia fore arbitramur, ea breuiter referemus, & expendemus: in omnibus autem ita nos gerere nitemur, vt omnes facilè intelligere possint, nos nullo controuersandi, aut detrectandi studio, sed philosophię ac veritatis amore, & communis vtilitatis gratia hanc disputationē instituisse. Agemus aūt priùs de generatione, eiusq; naturam, ac defi- B nitionem declarabimus, omnesq; in ea orientes difficultates soluemus; deinde verò eadē methodo loquemur separatim de putredine; hoc enim interest inter amplissimè sumptam generationem, & eam, quæ cuiusq; rei propria est, quod latè sumpta generatio est alterius rei corruptio; idcirco eadem definitione Aristot. generationis, & interitus naturam expressit: nō sic propriæ singularum rerū generationes; quamuis enim animalis generatio, C quatenus est absolutè generatio, sit alterius rei corruptio, nō est tamen corruptio alterius animalis; ita nec misti generatio est necessariò alterius misti corruptio: cuius discriminis ratio colligitur ex illis dictionibus, vnius, alterius; generatio enim vnius nō est corruptio eiusdem secundùm numerum, neq; eiusdem secundùm speciem, sed alterius specie differentis, quocirca generatio animalis non est animalis corruptio: distinctas igitur tractatio D nes, distinctasq; definitiones postularunt generatio misti, & putrefactio, vt in 4. Meteorolog. videre est. propterea quòd generatio misti non est alterius putrefactio; sic etiam generationi animalium contraria est mors, quę est animalium interitus; attamen Arist. in diuersis etiam, ac separatis libris vtranq; considerauit, generationi enim animalium quinq; ab ea inscriptos libros dicauit, de eorum autem interitu egit in libello de via & morte; igitur E nobis quoq; seorsum de misti generatione, ac de eiusdem interitu agendum est.

Definitio generationis misti. Cap. II.

Generatio misti, de qua dicendum proposuimus, species est illius generationis, cuius definitionem in lib. 1. de Ortu & interitu talē legimus, generatio est mutatio totius nullo sensili manente vt subiecto eodem; quoniam igitur in definitione speciei F est sumendum genus, ideò Aristot. quando in principio 4. Meteorol. generationem misti definiens dixit esse mutationem, absq; dubio talem mutationem intellexit, nempe qua totum mutetur in totum; substantia nanq; elementorum mutatur in substātiam misti: propria autem materia misti, quatenus mistum est, sunt quatuor elementa, quatenus humida & sicca sunt; iam enim diximus has esse qualitates passiuas, & conditiones materiales, quæ propriam misti materiam cōstituunt, mistum enim cōstat ex quatuor elemētis prout sunt humida & sicca: agens aūt proximū, vt alia remota, & vniuersalia agentia omittamus, sunt duæ actiuæ elemētorum qualitates, calidum enim & frigidum contemperata agunt in siccum & humidum, tanquā artifex in materiā, & illa elaborando, & commiscendo, & terminando educunt formam misti, & ita mistum generāt: hoc enim discrimine differre mistū, & viuēs aliàs diximus, quòd mistum, & omne inanimatum corpus à virtute elementari tanquam agente proximo generatur; at animatū nō ab elementari virtute generatur, sed à virtute cœlesti, quæ semini insita est, ita vt in generatione viuētis omnes elementares qualitates locum habeant materiæ, agens aūt proximum sit virtus cœlestis, nēpe calor vitalis semini insitus, qui proportione respondet elemento stellarum: at in generatione misti quatenus mistum est, duæ elemētares qualitates, humiditas, & siccitas, materiam idoneam cōstituūt, è qua educatur forma misti; agens aūt proximū sunt duæ actiuę eorundem elementorum qualitates simul contemperatę, calor, & frigus: & quia agens non agit in materiam, nisi illi dominetur, ita vt eam regere possit, ideò si generandum sit mistū, oportet actiuas qualitates dominari passiuis; illudq; dominiū variū est, & varias habet rationes, seu proportiones pro diuersis mistorum naturis, ex quadam enim statuta proportione imperij actiuarum in passiuas generatur hoc mistum, ex alia verò aliud; ideò finis generationis misti est ipsa misti forma, sicut omnis generationis causa finalis est forma generanda. Has omnes causas expressit Aristot. in definitione generationis misti, quæ ob id perfecta, & omnibus numeris absoluta definitio est, nempe, generatio est mutatio à virtutibus actiuis, quum rationem habuerint, ex subiecta materia vnicuiq; naturæ; deinde hanc statim declarans inquit subiectam materiam esse duas qualitates passiuas: nomine igitur mutationis significauit genus, quod formæ locū habet, scilicet generationem substantialem, quæ in 1. lib. de Ortu & interitu definita est; duas actiuas qualitates sumpsit vt causam effectricem proximam; duas passiuas vt materiam; causam autem finalem, quando ait [*vnicuiq; naturæ*] forma enim, quæ est rei natura, est finis generationis, & propter eius eductionem fit ab actiuis elaboratio passiuarū: sensus ergo huius definitionis est, generatio misti est mutatio facta à duabus actiuis qualitatib. ex duabus passiuis tanquam ex materia, quando illæ ad has eam habuerint rationem, ac proportionem,

Definitio generationis misti.

portionem, quæ vnicuique formæ educendæ conueniens est: alia namque, & alia proportio requiritur pro diuersis mistorum naturis, vt considerantibus manifestum est.

Quomodo sit intelligendum actiuarum qualitatum dominium in duas passiuas. Cap. III.

MVlta in hac definitione ad plenam eius intelligentiam expendenda, & declaranda essent, sed quæ ad verborum singulorumq; considerationem, eorumq; constructionem attinent, ea ad commentarios, si quando à nobis edentur, remittimus: nunc illa tantùm, quæ ad naturam huius generationis declarandam pertinent, cum diligentia persequemur. Primo loco de illa ratione, seu proportione, quam habere debent actiuæ ad passiuas, dicendum est: videtur quidem eam declarare statim Arist. quando subiungit [*generant enim calidum & frigidum dominantia materiæ*] indicat enim talem esse debere rationem, vt actiuę dominentur passiuis: nisi enim dominentur, regere, atq; elaborare illam materiam nequeunt: quare non fit generatio, sed potiùs incõctio, & inquinatio, vt ibi Arist. ait: sed dubiũ adhuc est, quomodo hoc dominium intelligendum sit, & de hoc multi multa dixerunt, præsertim verò Medici in prima primi Auicennæ, quorum omnium sententiæ, & dicta hic referenda nõ sunt, sed pauca præcipua breuiter tangere satis erit. Primùm quidem aliqui parum consideratè loquentes dixerunt hoc dominium esse intelligendum secundùm intensionem graduum, videlicet vt duæ actiuæ passiuas vincant intensione, veluti si diceremus sex gradus caloris vincere quatuor humiditatis. Sed hæc sententia, si bene perpendatur, vana, & impossibilis esse cognoscitur, quod alij plures animaduerterunt, inter quos Ludouicus Buccaferreus, & Petrus Pomponatius, qui in 4. Meteor. diffusam de hac re disputationem scripserit: ea aũt tribus potissimùm fundamẽtis nititur, in quibus cõsentire omnes videntur Primum est, latitudinem cuiuslibet qualitatis intensiuam finitã esse, datur enim summus calor, quo maior nõ datur, sic summum frigus, & summa humiditas, & summa siccitas. Secundum est, omnes harum qualitatum latitudines esse æquales, ita vt in quot gradus aliqua earum diuiditur, in totidem quælibet aliarum diuidatur; proinde si summus calor sit octo graduum, sic & aliarum quælibet, & in singula octauus gradus sit summus. Tertium deniq; est, qualitates contrarias non posse simul existere. Ex his tribus suppositis colligunt omnem qualitatem siue summam, siue remissam, habere semper impletam totam octo graduum latitudinem: etenim si summus sit calor, erit octo graduum; si verò remissus, vt exempli gratia, sex graduum tantùm, necesse est vt duas habeat frigoris admistos, quæ omnes simul sumpti octo erunt: oportet enim remissionẽ, seu abiectionem duorum graduũ caloris, qui desunt, factam esse à duobus gradib frigoris; sic si in aliquo sint quatuor gradus siccitatis, necesse est vt in eodem sint etiam quatuor humiditatis; si verò quinq; vnius, tres alterius cõtrariæ: sed cũ quatuor vnius esse qninq; alterius nullo modo possunt, quia sic ad summum nouẽ essent, & totam latitudinem excederent: dum enim qualitates latitudinem non excedunt, non sunt contrariæ, sed ad amicitiam, ac temperamentum redactæ sunt, facta enim est vna qualitas, quæ redolet exempli gratia tres caloris gradus, & quinq; frigoris, eaq; si comparetur cum altera habente duos caloris, & sex frigoris, instar calidi erit respectu illius: sed quum simul iunctæ latitudinem excedunt, contrariæ sunt, & simul existere nequeunt; nam si quinq; insint gradus caloris, non possunt esse nisi tres frigoris, à quibus sint fracti, seu extincti tres caloris, qui desunt; nam si quatuor esse dicerentur, quartus ibi esset integer, & sine vlla pugna cum suo contrario, & nullum caloris gradum remittens, qnod impossibile est; sed oportet quatuor gradus frigoris remittere quatuor caloris, & ita quatuortantũ reliquos caloris superesse, non quinque. Ob eandem etiã rationem fieri non potest, vt duarum contrariarũ qualitatum gradus simul iuncti totam latitudinem nõ adimpleant, vt si quis diceret in aliquo esse quatuor gradus caloris & tres frigoris, qui septem essent ad summum: hoc enim est impossibile; quia quatuor gradus, qui desunt, caloris, non possunt esse extincti, nisi à quatuor frigoris; nõ igitur tres tantùm ibi sunt frigoris, sed quatuor. His omnibus ita constitutis, de quibus hic disputandum non est, quoniam vera omnia esse fatebitur quisquis ritè philosophari voluerit, falsitas prædictæ sententiæ facilè ostenditur: vel enim intelligunt, duas actiuas simul iunctas superare gradibus duas passiuas itidem simul iunctas, vel vtramq; seorsum acceptam superare vtranque seorsum acceptam, quorum neutrum dici potest: non prius, quia per fundamenta iacta sunt æquales; calidum enim & frigidum simul iuncta octo graduum erunt, totidem erunt etiam siccum & humidum simul iuncta, ergo illæ has coniunctim non superant gradibus: nõ etiam alternm, qnia si omnes sint æquales, nulla aliam vincet, vt si quælibet ponatur esse quatuor graduum; si verò inæquales, necesse est vincentę calore passiuas vt frigus vincatur ab eisdem, nõ ergo dominari simul possunt am-

Aliquorum opinio.

Confutatio.

bæ actiuæ, si enim sint sex caloris, quinq; humiditatis, & tres siccitatis, vincet quidem calor vtranq; passiuam separatim acceptam, sed frigus ab vtraq; vincetur, erit enim duorum tantùm graduum; deniq; per omnes modos discurrendo inueniemus fieri nunquam posse vt vtraq; actiua separatim superet vtramq; passiuam separatim acceptam; quare hæc sententia reijciatur. Alij putarunt omnem vitare difficultatem, si reiecto frigore in solo calore persistamus; dixerunt ergo imperium qualitatum actiuarum non esse de frigore intelligendum sed de solo calore, vnde collegerunt omne mistum apud Arist. esse ab excessu calidum, & ab excessu humidum: nitebantur aūt testimonio Auicennę in prima primi doctrina sexta, cap. 3. & in sexto naturaliū, vbi inquit frigidū non ingredi opera naturæ tanquā agens, sed omnem operationem naturæ perfici à calido, propterea quòd frigus efficit priuationem motus, omnis autem operatio naturæ cum motu perficitur, quare ad nullū opus naturæ est vtile frigus. Sed de actione frigidi nos postea loquemur, in præsentia autē satis est aduersus hos adducere testimonium Arist. in contex 2. quarti Meteorol. vbi dicens [*generant autem calidum & frigidum dominantia materiæ*] non soli calido dominiū attribuit, verùm etiam frigido. In eo quoq; decipiuntur, quòd dicunt omne mistū esse calidum excessu, quū manifestum sit plura esse mista excessu frigida, imò & frigidissima, vt metalla; non enim essent ita indurata, nisi à magna vi frigoris; multæ etiā plantæ sunt frigidissimæ temperaturæ, vt experientia docet: quamobrem etiamsi concedamus, solum calidū agere pro generatione misti, gradus aūt frigoris, quotcunq; sint, nihil agere, fieri tamen non potest vt calidum semper dominetur vtriq; passiuæ, quoniam multa mista comperientur, in quib. calor ita debilis insit, vt gradib. superetur ab altera passiuarū aut etiam ab vtraq;: difficultas igitur integra manet, quale sit hoc actiuarum dominium in passiuas, quum præsertim videamus in aliquo misto tantam esse humiditatē, vel tantam siccitatem, quæ superet gradibus & calidum, & frigidum separatim accepta, neq; per id statè quin illud sit verè, ac perfectè mistum Ludouicus Buccaferreus prædictis motus difficultatib. inquit, imperiū qualitatum actiuarum nō esse intelligendum secundùm intēsionem, neq; secundùm quantitatem, sed solùm secundùm virtutem. Sed hæc sententia mihi quidem videtur nō carere difficultate. nam per virtutē nil aliud intelligere potest, quàm potentiam actiuam; hæc autē non potest maior, vel minor dici, nisi altera duarum rationum, aut enim ex maiore intensione, aut ex maiore extensione, seu quātitate,

Aliorum opinio.

Confutatio.

Buccaferrei opinio.

Confutatio.

A quoniam in maiori magnitudine plus est virtutis actiuæ: igitur qui fieri potest vt qualitates actiuæ dominentur passiuis secundùm virtutem, si neq; intensione, neq; quātitate excedunt? Ego puto optimā esse Pomponatij sententiam, quæ omnem difficultatem tollit, & ad eam reduci potest opinio Buccaferrei, qui veritatem sub nube vidisse, sed eam non omnino complexus esse videtur. Inquit Pomponatius, non esse necessarium vt qualitates acti B uæ passiuas superent gradibus, sed posse earū alteram, vtpote calorem, licèt humido remissiorem secundùm gradus, agere in humidum intensius tanquam in materiam, & ex eo aliquid generare: vt aliquod calidū tribus gradibus potest agere in materiā habentem quinque gradus humiditatis, & ex ea aliquam misti formā educere; nam si sermo esset de actione contrarij in contrarium, vtiq; oporteret agens superare gradib. suum cōtrarium, secus C enim non fieret actio: ideò dicere Latini nostri solent, nullam fieri actionem à proportione minoris inæqualitatis, qua de re alibi disseruimus; de hac tamen in præsentia non loquimur, sed de actione in subiectam materiā. quum autem hæc materia debeat quibusdam esse conditionibus prædita, & hæ suscipiant magis, & minus, incongrua, & æquiuoca esset comparatio intensionis cōditionum materiæ cum intensione conditionum agentis. Dicen- D dum igitur est quamlibet misti formā de materia educendam certos passiuarum qualitatum gradus postulare, & certos actiuarum, vt educi possit; ita vt paruus calor ex materia valde tem hanc generare nō possit, sed aliā posset: dictum igitur Arist. non est intelligendum absolutè, vt scilicet actiuę vincant passiuas secundùm gradus, hoc enim esse non posse iam ostendimus; sed est intelligendū respectu formæ generandæ, & quantum illa postulat, ita E vt quando adest illa proportio actiuarum ad passiuas, quæ pro huius formæ eductione requiritur, tunc dicantur actiuæ dominari passiuis: vt si exempli gratia statuamus oleum esse calidum quinq; gradibus, & humidum sex, plures sunt gradus humiditatis, quā caloris, conueniens tamē est proportio pro eductione formæ olei; & ita dicitur calor dominari humiditati, id est, aptus esse ad educēdam de illa materia humida formam olei, ita vt si minor F fuisset calor, non posset, olei formam educere, sed aliam fortasse posset, respectu cuius diceréntur actiuæ dominari passiuis, at non respectu olei: hoc denotauit Arist. in definitione quando dixit [*ex subiecta materia vniuscuiusq; naturæ*] sic enim significauit proportionem illā non esse absolutè victoriā ratione graduum, sed solùm respectu formæ generandæ. Ad hunc sensum si Buccaferrei sententia reducatur, *potest* defendi.

Pomponatij opinio vera.

In lib. de reactione.

Defensio opinionis Buccaferrei.

defendi potest; nempe si per virtutem intelligat potentiam productiuā respectu salis formæ, sed non absolutè, & indistinctè respectu omnium; ipse tamen hoc non expressit.

De actione frigidi in generatione misti, aliorum opiniones, & argumenta. Cap. IV.

CAeterum ad plenam eorum intelligentiam, quæ ab Arist. & à nobis dicta sunt de actiuarum qualitatū imperio in passiuas, considerandum est quæ sit actio frigidi in generatione misti; num videlicet & calor, & frigus per se agere dicantur, an soli calori tota actio tribuenda sit, nulla frigori, nisi per accidens: hac enim de re magnę philosophorum, & medicorum disputationes, & controuersiæ existunt. Ante omnia vt intelligatur in quonam difficultas sit constituta, animaduertendum est, nos non de elementi generatione loqui, patet enim elementum frigidum per frigus generare aliud simile, & ita frigus esse per se actiuum, & eductiuum formæ elementaris. Neque de viuentium generatione loquimur, hanc enim à solo calore absolui asserit manifestè Arist. in lib. 2. de Ortu animalium, cap. 3. vbi soli calori cœlesti attribuit vim generandi viuentis, de qua re alio in loco diffusiùs loquuti sumus. Loquimur autem de sola misti, quatenus mistum est, generatione, quod non est nisi homogeneum: forma namque illa, quæ primùm ex formarum elementarium commistione oritur, & forma mistionis vocatur, non cōstituit nisi homogeneum mistum, cuius generationem in præsentia considerandam suscepimus; etenim omne heterogeneum est animatum, & ex pluribus talibus homogeneis constitutum, de quo hîc non loquimur: nec ob id de solo inanimato misto homogeneo nunc sermonem facimus, sed absolutè de omni misto homogeneo siue animato, siue inanimato; non enim solùm de metalli, vel lapidis generatione sermo nobis propositus est, sed etiam carnis & ossis; ita tamen vt hæc non vt animata, sed solùm vt mista nobis consideranda proponamus, nempe quomodo in eis producatur non quidem anima, sed sola forma mistionis, & quomodo eadem intereat, hac enim ratione hæc omnia eandē considerationem subeūt. De hac igitur misti homogenei quatenus talis generatione loquendo, non satis liquet quomodo frigidum sit actiuum. Auerroes in sua paraphrasi in 4. Meteorol. apertè dicit frigus nō agere per se, nisi corruptionē, sicuti calor agit generationem, videtur enim contrariorum agentium contrarias esse debere operationes; quod in concoctione videmus, fit enim concoctio à calido, inconcoctio aūt per se à frigido, nunquam concoctio, nisi per accidens, vt quando ab externo frigore colligitur in ventriculo, & concentratur calor animalis, & fit intensior, & validior ad concoquendū: sic igitur ad misti generationem concurrit frigus vt temperet, & moderetur calorem, quia nō omnis calor aptus est ad quamlibet formā educendā, sed determinatus, & varijs modis remissus, prout singula forma postulat; summus autem calor est corruptiuus misti, nec potest rem vllam generare, nisi ignem. Hanc igitur Auerrois sententiā plures sequuntur, & dicunt generationem misti attribuendam esse soli calori, non frigori, quoniam frigus non generat, nisi per accidens, quatenus calorem contemperat, & moderatum reddit. Sententiam hanc improbant nonnulli recentiores & aduersus eam tribus argumētis vtuntur. Primū ex Arist. sumunt in 1. context. 4. Meteorol. vbi dicit frigus esse actiuum non ea tantùm ratione quatenus calorē moderatur, sed quatenus terminat, congregat, & transmutat; putat igitur frigus agere etiam per se, non tantùm per accidens. Secundò sic argumentantur: frigus non remittit calorem, nisi refrigerando; at in generatione misti frigus non habet locum per refrigerationem, sed per alias secundas operationes, ergo ad generationem misti non concurrit frigus vt remittens calorē, quemadmodum neque calor in generatione misti locum habet vt remittens frigiditatem. Tertiò argumentū sumunt à discrimine mistionis, & generationis misti: nam in mistione intereunt excellentiæ qualitatum elementarium, vt ait Arist. in calce lib. 1. de Ortu & interitu, & in cōtex. 48. lib. 2. hoc autem non fit, nisi per actionem inter se, & mutuam remissionem qualitatum elementarium contrariarū; nam & calor remittit frigus, & frigus calorem, & siccitas humiditatem, & humiditas siccitatē: hæc igitur mutua remissio, & contemperatio non in generatione fit, sed in mistione, quoniam in generatione non comparat Arist. contrariā cum sua cōtraria, calorem cum frigore, & humiditatē cum siccitate, sed ambas simul sumptas, calorem & frigus, cum ambabus simul sumptis, humiditate & siccitate, vt agentes cū patientibus: hanc igitur esse inquiūt causam communis erroris, quòd non distinguunt mistionem à generatione misti; in sola enim mistione fit illa remissio mutua contrariarum qualitatum quæ in generatione non consideratur, in qua ambæ actiuæ iam cōmistæ, & factæ amicæ suam operationem exercēt in passiuas: non igitur officium est frigoris in generatione calorē remittere. His argumentis ducti ipsi aliā sententiā tuentur, & inquiunt generationē posse dupliciter considerari, vno modo vt formæ substantialis introductionē, al-

In lib. de calore cælesti.

Auerrois opinio.

Recentiorum contra Auerroem argumentum primum.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

Illorum recentiorum opinio.

tero modo eum præuia alteratione, & in formę quidem eductione dicunt nullam esse frigoris actionem, at in præuia alteratione non minùs per se frigus locum hăbere, quàm calorem; facit enim constantiam partiũ, terminat, & vnit humidum cum sicco, & præterea calorem cohibet, ac detinet intrinsecus, ne euanescat: quocirca etiam frigus in generatione misti actionẽ per se habet ratione præuiæ alterationis. Alij verò etiam maius quiddam ostendere voluerũt, nempe frigus in eductione formæ misti habere actionem per se, & vsi sunt hoc argumento: si ponatur homo in aëre frigidissimo, vel in frigidissima aqua, ita vt ab illo frigore interficiatur, erit à solo frigore forma hominis interẽpta, & educta forma cadaueris; ergo frig⁹ p se agit eductionẽ formæ.

Aliorum opinio.

Eorum argumentum.

Vera sententia de actione frigidi, & eius declaratio. Cap. V.

Ego, hac re diligentissimè cõsiderata, quã difficultatis plenam esse non inficior, veram esse arbitror opinionem Auerrois, quam complures sequũtur: sed ad perfectam veritatis declarationem oportet non solùm bimembri distinctione vti, vt illi fecerũt, sed trimembri; etenim cadere in considerationẽ potest & alteratio præuia generationi, & generatio ipsa misti, quæ est eductio formæ substantialis, & demũ variæ alterationes contingentes misto iam constituto, & genito, quas Arist. in 2. contex. 4. Meteor. proposuit in eo libro considerandas, & postea etiam clariùs proposuit in contex. 14. eiusdem libri, vt prouenientes ab actione duarũ actiuarum qualitatum in duas passiuas. Vt igitur ab ipsa generatione quæ eductio formę est, ordiamur, cõcedere plures videtur eam à solo calido fieri, & ad eam frigus per se nullam operam contribuere, sed solùm per accidens, quatenus calorem moderatur, eumq; ad illam formam educendam idoneã reddit; siquidem calor generatiuus est, frigus verò corruptiuũ: videmus enim Cœlum, quod ad omnium generationẽ concurrit, nõ agere nisi calore, & in reditu Solis ad nos omnium rerum generationem fieri per calorem, in recessu aũt corruptionem propter frigus. Hanc sententiam ego verissimam esse puto, sed dum hoc dicimus, nõ video cur nõ idem dicere cogamur de alteratione præuia generationi; quoniam calor non alia ratione formam educit, nisi alterando materiã, & inducẽdo illas qualitates, quas forma substantialis statim insequatur: calor enim non agit nisi vt instrumentũ primarij agentis; quare eductio formæ tribuenda potius est agenti primario, quòd calore vt instrumento vtitur, quàm ipsi calori; præparatio verò per alterationem calori [illegible], quia per

A eam fit postea eductio formæ: pugnantia igitur dicere videtur quisquis dicat à solo calore formam educi, præuiam verò alterationem fieri per se & à calore, & à frigore: sed res clarior fiet, si modus declaretur, qua calor pro formæ introductione materiã præparat. Certum est misti homogenei generationem consistere in mistione perfecta humidi cũ sicco, perfectam dico, quantũ forma generanda requirit: sed hæc non potest fieri, nisi à calore;

Quomodo calor formam educat.

B calor enim extenuat, ita vt miscibilium particulæ commisceri possint, nam alia forma maiorẽ humidi cum sicco permistionẽ, alia minorem postulat, proinde alia maiorem calorem, alia minorẽ: hinc fit vt in aliquibus tanta sit permistio, vt vix vnquam possint siccum & humidum separari; ideò illa diutissimè durant, quia putredini non ita obnoxia sunt, vt alia eiusmodi est oleũ, & res aliæ viscosę, nam viscositas prouenit ex magna humidi cum sic-

Viscositas.

C co permistione: validam etiam habent permistionem metalla, pręsertim argẽtum, & aurũ, quę ob id, & propter congelationẽ diutissimè seruantur: sic ergo generatio misti consistit potissimum in extenuatione sicci & humidi, vt possint eorum particulę commisceri, & forma misti educi, à solo aũt calore fit extenuatio, vtiq; à solo calore per se fit pręuia alteratio, non à frigore, nisi per accidens; siquidem per se frigus facit operationem cõtrariam o-

D perationi caloris, cõdensat enim & constipat, & hac ratione impedit extenuationẽ, & in minimas partes diuisionem, quare per se est potiùs contrariũ generationi misti; per accidens tamen ad eam confert quatenus calorem moderatur, idq; modò magis modò minùs, prout cuiusq; misti generatio postulat: quantuscunq; igitur calor sit, siue intẽsus, siue remissus, ipsi soli per se attribuitur & generatio misti, & præuia ad eã dispositio, hoc enim osten-

E ditur ratione sumpta à fine: finis est eductio formæ misti, hæc fieri non potest absq; conueniente cõmistione humidi cum sicco, hæc nõ fit nisi per attenuationem, & hæc fit à solo calido, & quælibet attenuatio à quodam statuto gradu caloris; igitur solus calor per se, & quatenus est calor, tum formam misti de materia educit, tum prius materiã præparat per alterationem præuiam; frigus verò non per se agit, sed solùm contemperando calorem: hoc

F aũt maximè confirmatur considerando naturam, & primam originem caloris, & frigoris, de qua alio in loco fusè loquuti sumus: quũ enim hæ duæ qualitates ex actione cœlesti in inferioribus corporib. oriantur, cœlestis aũt actio non generet nisi calorem, frigus solam caloris priuationem insequitur, & oritur ex priuatione actionis cœlestis, proinde respectu caloris habet locum priuationis; quò fit, vt hæ duæ

In lib. de region. aeris, cap. 6. & in toto libro de calore cœl.

Frigus est priuatio caloris.

ut hæ duæ qualitates commistæ, & contemperatæ agant solùm virtute caloris in generandis mistis, & in præparanda materia ad eorum generationem, & omne temperamentum absolutè cõsideratum debeat vocari calor, licèt comparatione calidioris possit frigidum appellari; quod idem de lumine, ac tenebris manifestum est: datur enim in aëre & maius, & minus, & minimum lumen, & horum quodlibet vocatur lumen, non tenebra, quia tenebra nihil est, nisi priuatio luminis; comparatione tamen maioris luminis solemus aërem minùs luminosum vocare tenebrosum. In qualibet igitur caloris & frigoris temperie soli caloris gradus generatiui sunt: quãuis enim possint habere cõmistos plures frigoris gradus, ab eis tamen non impediuntur, quia iam ad amicitiam omnes redacti sunt, & facta est qualitas vna, quæ respectu generationis misti dicitur remissus calor: ꝙ si frigus est elementi frigidi generatiuum, iam diximus nos de simpliciũ generatione nõ loqui; & præterea ille est potius vocãdus interitus, quã generatio, vt Arist. docet in contex.18. primi de Ortu & interitu, quoniã interijt nobilius, & genitum est ignobilius elementum: sed in misti generatione videtur nullam esse actionem frigoris, nisi ad cõtemperandum calorem, eaq; fuit Auerrois sententia, vt prædiximus, & eandem videtur significasse Alexan. in contex.4.4. Meteorolog. dum inquit, id quod in mistione humidi cũ sicco agit, ac determinat, esse præcipuè ipsum calorem; sic enim denotat, calidum primariò, ac per se agere, frigidum verò secundariò, & per accidens. Hæc igitur dicta sint de actione calidi & frigidi in generatione misti, & in præuia illi alteratione. At si loquamur de misto genito iam, & constituto, negari nõ potest frigus agere etiam per se; congelatio enim fit per se à frigido, & videtur frigidum tribuere vltimum complementum rei iam per calorem genitæ, quatenus dat aptitudinem ad actum secundum, ad operationem, quæ est vltimum rei complementum; sed actum primum producere non potest, quemadmodum diximus: id autem declarat Auerroes exemplo rerum artefactarum: faber ærarius volens ex ære aliquam figuram efficere, non potest æri figuram illam tribuere, nisi liquefaciat metallum illud, neq; hoc præstare potest, nisi per calorẽ; sed acquisita figura opus illud consistentiam non haberet, nec præberet quæsitam vtilitatem, nisi congelaretur, & induraretur à frigore: ita etiam illi qui efficere volunt ensem aptum ad incidendum, calore priùs vtuntur molliente ferrum, vt possit illam figuram & illud acumẽ recipere; postea verò intingunt illud in aqua, vt à frigore duritiẽ consequatur, qua fiat ensis ad pugnã-

Alexander.

In misto iam genito frigus agit per se.

A dum, & ad incidendum idoneus: tale quiddam inquit Auerroes euenire in natura, generat enim metalla per calorem extenuantem, & duorum halituum particulas commiscentem; sed postea genito metallo adueniens frigus indurat ipsum, & dat ei complementum, vt diu conseruetur, & vt ad humanos vsus aptum sit, sed non dat formam substantialem, quia hæc per se educitur actione caloris, remissi tamen à frigore, vt dictum est.

B

Responsio ad argumenta recentiorum. Cap. VI.

Argumenta verò recentiorum facilè soluuntur. Ad primum dicimus, Arist. in primo illo contex.4. Meteorol. adduxisse exempli gratia plures calidi & frigidi operationes in misto iam constituto, tanquam manifestiores (nam illæ, quæ fiunt in generatione misti, occultiores sunt) has autem

Ad primum

C etiam à frigido per se posse fieri iam diximus, & est res clarissima, saltem in pluribus, quare non est necesse dictum Aristotel. verum esse etiam in generatione misti: quemadmodum enim nec de calore tueri possumus, quòd semper agat per se, quum sit manifestũ quandoque agere per accidens; sic de frigore satis est ad sententiam Aristot. tuendum, si dicamus quasdã operationes ab eo fieri per se, non tamen omnes. Ad secundum dicimus,

Ad secundum.

D falsum esse id, quod assumunt, frigus in generatione misti non habere locum refrigerando, sed solùm secundùm alias secundas operationes, dicimus enim è contrario potiùs rẽ se habere; nam in generatione misti frigus locum habet refrigerando solùm, nempe moderando calorem, sed non secundùm alias secundas operationes: quod quomodo se habeat, mox clariùs explicabitur. Tertium verò argumentum statuit generationem misti esse

Ad tertium.

E re distinctam à mistione, quod negandum est, quia re distingui non possunt: quoniam igitur non potest fieri mistio absque misti generatione, necesse est, vt si in mistione frigidum agit in calidum, & refrigerat, hoc idem simul in generatione facere dicatur: sed de hoc quoque posteriùs dicemus, & considerabimus an differat mistio à generatione misti, & in quonam differat, ibique ostendemus necessarium esse in generatione misti vt calidũ

F agat in frigidum. Ad postremum autem argumẽtum ab alijs adductum ad probandum frigus in ipsius quoque formæ misti eductione agere per se, puto optimam esse responsionem, quam prædicti recentiores adducũt; & miror quomodo Pomponatius in 4. Meteorolog. dubitatione duodecima dicat esse ita difficile argumentum hoc, vt neque ipse soluere illud potuerit, neque Antonius Tra-

Ad argumentum aliorum.

polin⁹ eius præceptor olim in Patauino gymnasio professor ordinarius, & magni nominis vir. Dico enim cum illis recentioribus nullā in animalis interitu nouam formā educi, sed manere in cadauere formam mistionis eandem, quæ in viuente fuerat, siue vnā, siue plures, & per hanc solā cadauer constitui; sed eam tunc primùm incipere formæ officio fungi, quū antea sub anima officio tantùm materiæ fungeretur: quoniam igitur non negamus frigus per se corrumpere, sicut calor per se generat, ideo dicimus interempto animali à frigore nullam fuisse frigoris actionem, nisi interimendo animal per destructionem formæ, quæ est anima, factam per extinctionem caloris animalis; formam aūt nullam esse eductā, quæ ibi prius non fuerit; quare nil tunc operatur frigus, nisi interitum, nullam enim formā educit, quia nulla tunc educitur; proinde nec vllam facit præuiam alteratione eductioni formæ, sed solùm recessui formæ animalis.

De modo actionis, quo duæ actiuæ agunt in duas passiuas. Cap. VII.

Caeterum ex his, quæ de actione frigidi hactenus dicta sunt, duę magni momēti difficultates oriuntur, quas omnino soluere oportet; vna est de modo actionis, quo duæ actiuæ agere dicuntur in duas passiuas pro generatione misti; altera verò, an idē sint generatio misti, & mistio: his enim explicatis arbitror prædictā generationis definitionem satis manifestam fore. Prior difficultas oritur ex hoc principio ab omnibus concesso, qualitates actiuæ nō efficiunt secundas qualitates, seu secundas operationes, nisi per medias primas: hoc enim in omnibus clarum esse videtur; nam frigidum non congelat, nisi priùs refrigeret, nec calidū liquefacit, nisi per calefactionem; similiter si alias omnes in primo context. 4. Meteorol. ab Arist. nominatas secundas operationes spectemus, nulla illarū est, quæ nō per calefactionem à calido, & per refrigerationem à frigido producatur: hoc igitur ita constituto dicendum videtur etiam in generatione misti duas actiuas edere omnes operationes per medias calefactionem, & refrigerationem, tam in præuia alteratione, quàm in eductione formæ: sed quomodo hoc esse possit, non est explicatu facile, & magnum dubium excitat à nemine hactenus cōsideratum, nedum solutum: quod quidem locum habet, non minùs si dicatur frigidum agere per se in generatione misti, quam si solū calidum; nam si & calorem, & frigus per se agere dicamus, & secundas vtrunq; operationes edere, necesse est eas edi per primas, quo fit vt idem corpus necesse sit simul eodem tēpore, & secundùm easdem partes calefieri, & *Dubium.*

A refrigerari, quod ne imaginabile quidem est: quòd si quis dicat has duas qualitates non pugnare amplius inter se, sed factas esse amicas, immò vnam esse factam; non ob id tollitur difficultas; qui enim fieri potest vt hæc eadē qualitas simul calefaciendo, & refrigerando edat omnes secundas operationes, tum illas; quæ ad calorem, tum illas quæ ad frigus pertinent? si verò dicamus (quod iam demonstrauimus) qualitatē illam mediā pro generatione B misti non agere nisi vt calorē, adhuc difficultate vrgemur: nam si à calore nulla potest secundaria operatio prouenire, nisi per calefactionem mediam, necesse est calorem illum remissum, & à frigore temperatum non agere in siccum & humidū, nisi priùs calefaciendo; nil autem calefit, nisi frigidum esse statuatur; ergo idem est simul calidū, & frigidum, neq; facta est horum contemperatio, & amicitia, si adhuc remanet pugna calidi cum frigido, & C actio calidi in frigidū cum reactione frigidi in calidum: quòd si hoc concesso dicamus remitti iterum calidum à frigido sicci & humidi, adhuc eadem difficultate laboramus; nam calor ita remissus non aget in siccum, & humidum, nisi per calefactionem; erit ergo adhuc pugna calidi cum frigido, & sic in infinitum progrediemur. In hac difficultate, quum eam nemo cōsiderauerit, dicam ego quid sentiam. Credo distinguendā esse primarum qualitatum actionem; duplex enim absq; dubio D est, vna immanens, altera transiens: illa enim, quæ est contrarij in contrarium, est necessariò transiens, qa nihil potest ita agere in seipsum, nisi sit sibi ipsi contrarium, quod quidem est impossibile: sed actio agētis in materiam potest esse immanens, qualē dicit Arist. in 2. Physicæ auscultationis dari actionem naturæ in rebus naturalibus; in seminib. enim naturam inesse dicit non vt formam, sed vt artificem. & E in hoc differre naturam ab arte; quòd in arte artifex non est insitus materiæ, sed extra est, at in natura inest artifex in materia, in quā agit, sic in semine humano inest humana natura non vt forma, sed vt artifex, sic etiam de alijs. Duo hi actionis modi notari possunt in generatione misti: apposita namq; elementa inuicem necesse est vt per contrarias qualitates agant & patiantur, & fiat calefactio, & refrigeratio, & humectatio, & exsiccatio; eaq; est a- F ctio transiens, quia nōdum est facta elementorum vnio, sed distinctæ adhuc sunt eorum naturæ, & vnum agit in illud tāquam contrariū in cōtrarium separatū: quoniam autem maximam agendi vim habent calidum & frigidū, ideo absoluitur primo loco horū contēperatio, qua fit qualitas vna media, quæ vocatur temperatus calor, qui postea agit in siccū & humidū, vt illa vni[illegible] pro formæ misti

Solutio. *Primarum qualitatum duplex est actio.*

misti eductione; & hæc secunda actio non potest amplius esse transiens, sed est immanens, quippe quum æquè omnibus elementis insit qualitas illa media proueniens ex vnione calidi & frigidi: quare hæc vna omnium qualitas agit in eadem elemēta vt sicca & humida, & est actio tanquam insiti artificis in materiā, qualis illa est, quam in semine cōsiderauimus, sed non amplius vt contrarij in contrarium: quando enim qualitas illa media agēdo edit in sicco & humido secundas operationes, nō amplius calefaciendo, aut refrigerando agit, sed secundas qualitates producit non per primas, quoniam agit actione immanente, quæ redigi videtur ad illam actionem, quæ per emanationem fieri dicitur, qua potest aliquid agere in seipsum, vt aliàs diximus de grauiū & leuium motore naturali: ideo deceptus est Suessanus dicens passiuas qualitates reagere in actiuas; reactio enim non habet locum, nisi in actione transeunte, quæ est contrarij in contrarium, non in actione artificis vt agentis in materiā, quæ non est vt in contrarium; sed fit per quādam emanationem, quemadmodum diximus. Decepti etiam fuere alij nonnulli recentiores, qui in sua inter se altercatione de generatione misti an sit idē quod mistio, hāc duarum actionum distinctionem nō cognouerunt, sed communi consensione asseruerūt calorem iam à frigore cōtemperatum terminare, & vnire siccum & humidum pro generatione misti, idq; præstare per calefactionē: hoc autem minimè verum est, & illud omnia prædicta absurda cōsequuntur, nempe idem agere in semetipsum vt in cōtrarium, & simul esse calidum & frigidum, & eādem qualitatē calefacere simul, & refrigerare eodem tempore eandem rem, & calefactiones, atque caloris remissiones infinities multiplicari, quæ omnia absurdissima sunt. Secundæ igitur operationes, vt extenuatio, vnio, & terminatio passiuarum ab actiuis fiūt, id est, à calore iam temperato, tanquam vna qualitate media, sine calefactione, vel refrigeratione. Si quis autem obijciat, omnis actio in rebus naturalibus est contrarij in contrarium; hoc nos inficiari possumus, nam agens æquiuocum non est contrarium patienti, qualis est artifex cuiusq; operis artificiosi, & cuiusmodi sunt plura agentia naturalia; Cœlum enim agit in hæc inferiora, neq; est illis contrarium: sic duæ actiuæ qualitates sunt agentia æquiuoca quatenus in passiuis edunt secūdas operationes, quare non est necessarium vt aliqua ibi insit contrarietas actiuarum cum passiuis: sed dicere etiam possumus, id in omni elementari actione verum esse aut formaliter, aut (sit enim loqui liceat) suppositiuè; actio enim actiuarum in passiuas si formaliter non est actio

Suessani error.

Aliorum recentiorum error.

Non omnis actio est in contrarium.

A contrarij in contrarium, saltem præsupponit factam prius actionem transeuntem, quam diximus calidi in frigidū, & frigidi in calidum. Videntur autem hæc omnia locum habere etiam in alijs actiuarum qualitatū operationibus in misto iam constituto, vt in liquefactione; præcedere namq; oportet actionem caloris ignei in metallū, quæ fit calidi in frigidū, proinde actio transiens; talis enim in ipso misto iam genito nulla existere potest tanquam

B immanēs, quia iam est facta naturæ vnio, quare ibi nulla est ampliùs contrarietas; patitur igitur metallum ab agente externo, ab igni, & priùs calefit, postea ex calefactione liquefit, & ea metalli liquefactio non insequitur immediatè calorē ignis externum, sed calorem metalli internum ab igne productum; quare patitur primum metallum vt frigidum ab igni calido agente actione transeunte, deinde calorem in metallo genitū insequitur lique-

C factio, tanquam actio immanēs; & per quandā emanationem edita; sed non per aliam mediā calefactionem: sic etiā fit metalli congelatio ab externo frigore per ipsius metalli refrigerationē, quam insequitur congelatio absq; alia refrigeratione. Patet igitur primas operationes primarum qualitatum semper esse cōtrarij in contrarium, & transeuntes; secundas verò esse actiones artificis in materiam, & immanentes, proinde non esse contrarij in con-

D trarium, nisi vt antè dictum est: omnis igitur actio qualitatū elementarium vel est contrarij in contrarium, vel præsupponit actionem factam contrarij in contrarium, quia secundæ operationes præsupponunt primas, tam illæ quæ fiunt in misto iam genito, quàm illæ quæ fiunt pro cōstitutione, seu generatione misti: quare sublata esse videtur hac in re omnis difficultas. Sed sciendum prætereà est, aliā quoque dari actionem transeuntem, quæ non est

E contrarij in contrarium, sed similis in simile, quoniam eius finis non est generare, vel destruere, sed conseruare, ob id quum conseruare sit agere, ea est actio non contrarij in contrarium, sed similis in simile: exemplo res clarior fiet: generatur in cauernis terræ aurum hoc pacto; ex duobus halitibus referentibus naturas quatuor elementorum commistis fit primo loco actio calidi in frigidum, & frigidi in calidū, vnde prouenit qualitas media, id

F est, calor mediocris agens postea in siccum, & humidum; sed non perficeretur hæc actio, nisi calor ille conseruaretur, ne minueretur, vel dissiparetur; conseruatur igitur calor ille à calore cœlesti, ita vt eandem suam operationem absoluat: ita in fœtu existente in vtero inest calor internus pro generatione animalis, sed ille dissipatetur, nisi conseruaretur à calore fœminæ fouēte, & ita absoluitur ge-

Datur actio etiam similis in simile.

neratio. Patet igitur duas esse actiones calidi transeuntes; vnam, qua agit in frigidum ad generandum calidum; alteram, qua agit in æquè calidum ad ipsum conseruandum, quæ dici posse videtur continua generatio eiusdē caloris: hac ratione Cœlū est agēs vniuersale in omnium sublunarium generationib. quū enim omnes calore absoluātur, hic in agente particulari conseruatur à calore cœlesti, hoc est, genito à Cœlo p motū, & per lumē, vt alio in loco declarauim⁹: hac igitur ratione virtus elemētaris est secundariū agens, quia vel producta, vel saltem conseruata à virtute cœlesti, tanquam ab agente primario, & remotiore.

In lib. de Calore cœlesti.

In quo differant mistio, & generatio misti aliorum sententia & argumenta.

Cap. IIX.

Sequitur vt consideremus, an differant mistio, & generatio misti, ac si differant, quo differant. Fuit hac de re his temporibus magna controuersia inter Th. Erastum, & Archangelum Mercenarium, vt legere est in eorum disputationibus in publicum editis de putredine. Erastus enim idē prorsus esse dicebat generationem misti, ac mistionem, nec aliunde argumētum sumere videbatur, nisi ex ipsa vocum significatione, quam exemplis aliarū similium cōfirmabat: nil enim aliud esse videtur mistio, quàm misti generatio, nec misti generatio aliud, quàm mistio, siquidem ne imaginari quidem possumus vnū existere sine altera: quemadmodū nil aliud est ædificatio, nisi generatio sanguinis, nil aliud cōpositio, nisi cōpositi generatio, & sic de alijs omnib⁹, quæ generantur, dicere possumus. Contrà verò Mercenarius demonstrare contendit, eas non idem esse, sed distingui penitùs, & argumentabatur potissimùm ab earū definitionibus: illa enim, quorū discrepantes sunt definitiones, diuersa absq; dubio sunt: atqui diuersæ sunt definitiones mistionis, ac generationis misti, & in duob. distinctis locis ab Arist. afferūtur, vt manifestum est; ergo nō sunt idē: patet aūt diuersas esse conditiones, per quas definiuntur; nam in mistione elementa à se mutuò alterari dicuntur, quod nō fit, nisi per actionem contrariæ qualitatis in suam contrariam, per quam se mutuò contemperant, tum calidum & frigidum, tum humidū & siccum, ita vt omnes ad medio critatem redigantur; quamobrem in mistione locum non habet altera illa actio, quæ est duarum actiuarū in duas passiuas, sed sola actio contrariæ in contrariam; quò fit, vt in mistione omnes sint actiuæ, & omnes passiuæ: contrà verò in generatione misti nulla huius actionis consideratio habetur, sed alterius tantùm, quæ est duarum actiuarum in duas passiuas; hanc enim expressit Aristoteles in definitione generationis misti, nec vllam fecit mentionem alterius actionis, qua agit qualibet cōtraria in suam contrariam, siquidem huius actionis nulla in illo 4. Meteorolog. habetur consideratio. Præterea manifestum est (inquit Mercenarius) hæc tria distincta esse, elementorum alterationem, & vnionem, qua contrariæ eorum qualitates reprimuntur: deinde terminationem humidi cum sicco factam à duabus actiuis; ac denique productionem totius substantiæ misti; in primo quidem mistio consistit, generatio autem misti in secundo, ac tertio, & necesse est primum illud præcedere, nempe elementorum iuxta positorum, & se tangentium mutuam alterationem, & qualitatum moderationem, quæ dicitur vnio, deinde fieri terminationem passiuarum ab actiuis, quæ est proxima dispositio ad substantiæ misti productionem, hoc est, ad eductionem formæ: tantum igitur abest, vt mistio sit idem, quod generatio misti, vt potiùs eam præcedat, imò ita præcedat, vt ne sic quidem proxima dispositio ad eam. Hæc summa est totius eorum argumentationis, sed præterea plurima etiam ab vtroque dicuntur ad alterius rationes soluendas: quæ nō refero, quoniam tędiosum admodum esset totam eorum prolixam disputationem in medium adducere, quum præsertim eam in eorum scriptis quisque legere possit.

Mercenarij opinio.

Confutatio prædictarum opinionum, & veritatis declaratio. Cap. IX.

Ego vt in re difficillima sententiam meam proferam, à neutro penitùs dissentio, sicut etiam neutri penitùs assentior: credo enim relictis horū opinionibus, vt extremis, aliam mediam accipiendam esse; quæ mihi quidem omnem tollere difficultatem videtur; nempe vt dicamus mistionē, & misti generationem re ipsa idem esse, ratione autem distingui, neq; aliud ostendi duabus illis contrarijs argumentationibus Erasti & Mercenarij. Quoniam igitur & in mistione, & in generatione misti & substantiam, & accidentia cōsiderare necesse est, siquidem ex elementorū substantijs substantia misti constituitur, idq; non fit nisi per actionem & passionem primarum qualitatum; ideò & ratione substantiæ, & ratione qualitatum ostendo & in mistione contineri generationem misti, & in hac mistionem, proinde eas esse idem re, sed ratione distingui: quoniam enim diuersa respiciunt, diuersis modis definiendæ sunt; sic etiā patebit ratio, cur mistio definiri debuerit in 1. libro de Ortu & interitu, misti autem generatio non ibi, sed in 4. Meteorolog. Mistionis definitio hæc fuit, mistio est mscibi-

Opinio vera.

Quid sit vnio. lium alteratorum vnio; sed quia tota mistionis natura consistit in illa dictione, vnio, hæc quid significet, considerandum est. Putauit Merecenarius eam non significare productionem vnius substantiæ misti ex pluribus substantijs miscibilium: hæc enim est ipsa misti generatio, cui idem esse mistionem ipse concedere noluit, sed significare solam congregationem elementorum iam diuisorum in minima, antequam plures ipsorũ naturæ in naturam vnam coalescant. Sed hæc eius sententia aduersatur Arist. qui eam vt antiquorum opinionem reprobauit; illi namque dicebant, mistionem nil aliud esse, quàm congregationem, seu iuxtapositionem miscibilium: quam difficultatem videns Merecenarius, nisus est eam effugere, & aliquam notare differentiam inter antiquorum, & suam opinionem, quam Arist. fuisse professum est: dixit aũt discrimen consistere in illa dictione, alteratorũ: nam antiqui dicebant mistionem esse diuisionem miscibilium in partes minimas, & earum congregationem, sed nullam ipsarum inter se alterationem considerabant: Aristot. verò hanc considerauit, & voluit miscibilia esse per mutuam inter se actionem & passionem ita alterata, vt refractis contrariarũ qualitatum extremitatibus sint omnes ad mediocritatem redactæ: hæc igitur apud Aristot. est mistio, in qua non includitur plurium substantiarum in substantiam vnam mutatio, quæ non est mistio, sed generatio misti. Sed hæc non sunt consentanea verbis Aristoteles eo in loco, vt bene considerauit Erastus, dixit enim Arist. miscibilia per mistionem desinere esse id, quod ante mistionem erant, & in naturam mediam transire, quẽ inquit esse quoddam ὁμοιομερὲς, vt sicuti quælibet aquæ particula est aqua, & tota est aqua, ita illud quoq; & totum, & singula pars habeat idem nomen, & eandem definitionem: hoc tamen iuxta Merecenarij sententiam dici non potest, quia si mistionis, & vnionis nomen non significat factam adhuc transitionem plurium substantiarum in substantiam vnam, sed solùm qualitatum, quæ erant contrariæ, temperamentum, integræ igitur adhuc manẽt in illo priori, seu temporis, seu naturæ, omnes elementorum formæ, quũ forma misti nondum educta sit; formis autem adhuc existentib. elementa quoq; existunt, & sunt adhuc ignis, aër, aqua, terra, vt erant priùs; nõ igitur per mistionem desierunt esse id, quod erant, quod tamen asserit Aristoteles, neq; totum illud est ὁμοιομερὲς, vt similiter asserit Aristoteles, sed potiùs est dissimilium partium, quum earũ alia sit ignis, alia sit aer, alia sit aqua, alia verò terra: omnino igitur fateri cogimur naturã mistionis in pluriũ substantiarum vnione præcipuè consistere, hoc

Opinio Merecenarij.

Confutatio.

Merecenarij defensio.

Confutatio.

A est, in earum mutatione in naturã, & substantiam vnam; at productio vnius substantiæ misti ex pluribus elementorum est absq; dubio ipsa misti generatio: itaq; dictio illa, vnio, in definitione mistionis posita misti generationem significat: quod etiam confirmare videtur illud participium præteriti temporis, alteratorum, quod significat iam præcessisse, & à mistione præsupponi mutuam illam alterationem per actionem, & passionem contra- *Vera sententia.*
B riarum qualitatum, neq; in ea formaliter cõsistere mistionis naturam sed, in ipsa substantiarũ vnitione: quare Merecenarius procul dubio hac in re lapsus est. Alium quoq; errorem cõmisisse videtur, quòd asseruit mistionẽ non præcedere generationem misti tempore, sed solùm natura: tamen ex eius dictis necessariò infertur præcedere etiã tempore, inquit enim illam qualitatum cõtemperationem esse mistionem ipsam, quam non statim sequitur ge- *Alius eiusdem error.*
C neratio misti, sed intercedit actio duarũ actinarum iam per mistionem contemperatarum in duas passiuas iam similiter cõtemperatas, per quam actionẽ passiuæ terminantur, atque vniuntur; deinde per hanc proximã præparationem forma misti educitur. Quoniã igitur actio hæc actiuarũ in passiuas non videtur nisi in tempore fieri posse, dicere enim subitam esse vanũ est, nec fortasse cogitabile, fateatur necesse est, mistionem præcedere etiam tem-
D pore generationem misti, nihilominus seu tẽpore dicat, seu natura, aduersatur Aristoteli, vt considerauimus: quoniam in illo priori existentibus iam formis elementorum ea secundùm Arist. mistio vocari nõ potest, qui mistionẽ tunc esse voluit, quando est genitũ quoddam tertium medium ὁμοιομερὲς distinctum à miscibilibus: sic etiam è contrario negare nõ possumus, in definitione generationis misti contineri mistionem; nil enim aliud est gene-
E ratio misti, nisi productio substantiæ misti ex elementorum substantijs; hæc autem est illa ipsa vnio, quæ accepta fuit in definitione mistionis, & quæ in definitione generationis significata est nomine transmutationis: patet etiam in definitione generationis nominari qualitates elementorũ & actiuas, & passiuas: quocirca congressus quoq; elementorum in generatione misti consideratur; hæc enim est mutatio quatuor substantiarum elementorũ
F in vnam misti substãtiam: ex his igitur patet, generationem misti, & mistionẽ reipsa idem esse, quod Merecenarius negauit. Quòd autem secundùm hanc ipsam substantiæ considerationem distinguantur ratione, quod Erastus nõ vidit, facilè ostendo; eadem enim mutatio, qua ex elementis generatur mistum, dicitur & mistio, & generatio misti, sed alia, & alia ratione: quum enim elementa sint, ter- *Contra Erastum.*

minus à quo, mistũ verò fit terminus ad quẽ. nomen mistionis magis elemẽta respicit, nomen autem generationis magis refertur ad ipsum mistũ, vt voces ipsæ declarant: nam mistio non misti est, sed elementorum, non enim misceri mistum dicimus, sed elementa; generatio autem non elementorum, sed misti, non enim elemẽta tunc generãtur, sed mistum; neque tamen est altera sine altera, misti enim generatio non est nisi ex elementis, neq; hæc ita vniuntur, quin generetur mistũ: quocirca & generatio misti fuit comprehensa in definitione mistionis, sed cõfusè, & prout respicit elementa, non mistum, cuius nondum distincta tractatio fiebat; & vicissim mistio in definitione generationis misti fuit comprehẽsa, prout respicit mistũ, non tamen expressè, quia iam declarata priùs statuebatur, quocirca in vtralibet definitione vtraq; significatur, sed vna expressè, altera verò vt cõnotata. Hinc etiã oritur aliud earum discrimẽ: quum enim miscibilia partim seruari dicantur in misto, partim non seruari, sed interire in mistione, nomen generationis misti respicit elementa vt corrupta, siquidẽ generatio vnius & alterius corruptio; nomen aũt mistionis respicit elementa vt seruata, quemadmodum Arist. in ea parte docet, commista enim dicũtur illa, quæ non penitùs interierunt. Ex his colligere possumus rationem distinctionis harum duarũ tractationum de mistione, ac de generatione misti: nam in libris de Ortu & interitu Arist. de elementis agit, quatenus sunt materia mistorum: quoniam igitur mistionis nomen respicit præcipuè elementa vt principia mistorum, & mistio propriè dicitur ipsorum elementorum, & hæc sunt materia misti non aliter, quam vt in mistionem veniunt; ideò conueniẽs, immò necessarium fuit, vt in eo libro, in quo elementa vt mistorum principia considerarentur, de mistione ageretur, & doceretur quid sit mistio: hoc autem ipsius quoque Arist. testimonio manifestissimo comprobatur in 2. de Generat. context. 43. vbi dicit, quoniam de materia, & de vocatis elementis dicendum est, ideò priùs de ijs, quæ ad illa pertinent, agere oportet: quoniam enim ex elementis non aliter fit mistum quàm per eorũ congregationem, quæ est mistio, ideò de mistione dicendum est; & quia mistio non fit sine miscibiliũ inter se actione & passione, ideò de actione quoq; & passione est agendum; & quia non fit actio & passio, nisi per contactũ, ideò etiam de contactu agere oportet: propterea statim primo loco egit de contactu, secundo autem loco de actione & passione, tertio demum de mistione, deinde statim in 2. libr. aggreditur tractationem de elementis tanquam de materia mistorum. Patet autem in definitione mistionis significari nomine vnionis confusè generationem misti potiùs ratione termini à quo, quã ratione sui ipsius: licèt enim illa vnio sit generatio misti, modus tamen, quo fit, ibi nõ declaratur, nec declarandus erat, nisi in quarto Meteorologico: non poterat enim declarari, nisi peculiariter in misto homogeneo, hoc enim primum generatur ex elementorum commistione, & est illius quarti lib. propriũ subiectum; in libris autem de Ortu & interitu agitur vniuersè de misto absq; distinctione homogenei ab heterogeneo: quare illud etiam patet, definitionẽ generationis misti in 4. Meteorol. conuenientissimè tradi, quũ sit propriè misti similaris, quod illius lib. subiectum est; in 2. autem lib. de Ortu & interitu videmus Arist. valde rudíter egisse de generatione mistorum, neq; ipsius definitionem ibi tradidisse, quoniam hoc facere non poterat absq; distinctione homogenei ab heterogeneo, quæ in eo libro vti conueniens non erat: definienda aũt res ibi est, vbi distinctè est declarãda, & cognoscenda, nõ vbi confusè; nil ergo aliud ibi de misti generatione docet Arist. nisi constare mistum debere ex omnibus elementis; de modo autem quo ex ijs generatur, ne verbũ quidem facit. Hactenus ipsas elementorum, & misti substãtias considerando, ostendimus, mistionem, & misti generationem reipsa idem esse, sed ratione distingui: restat vt ex qualitatum quoq; cõsideratione idem ostendamus. Iam sæpe dictũ est, duplicem esse harum qualitatum inter se actionem, & passionem: vna est, qua duæ contrariç inuicem agunt, & patiuntur, qua ratione iam diximus, omnes qualitates esse actiuas, & omnes passiuas; altera verò est, qua duæ actiuæ iam simul contemperatæ in duas passiuas agunt: vtraq; continetur in vtraq; definitione, cum hoc tamẽ discrimine, quòd quæ in vna ponitur expressè, ea in altera ponitur implicitè; prior enim actio & passio mistionẽ præcipuè respicit, ideò fuit expressa in definitione mistionis; per illam enim dictionem, alteratorum, significatur mutua elementorum actio per cõtrarias qualitates; hæc enim magis elementa respicit, quàm mistum generandum, altera verò actio implicitè fuit connotata quoniam vnio illa, quæ est transitio plurium naturarum in naturam vnam, non fieret sine actione duarum actiuarum in duas pãssiuas, hæc autem contrà in definitione generationis exprimitur, quia magis mistum respicit, quàm elementa; prior autem illa implicitè connotatur, quia non agerent duæ actiuæ in duas passiuas, nisi per priorem actionẽ essent contemperatæ: quocirca necessaria omnino est vtraque actio & in mistione, & in generatione misti, quia nec fit generatio misti sine mi-

Ratio distinctionis tractationũ de mistione, ac de generatione misti.

sine mistione, nec mistio sine misti generatione: proinde sunt idem re, sed differunt ratione, quatenus mistio respicit elementa, generatio verò mistum: ob id in definitione mistionis exprimitur altera tantùm actio, quæ magis elementa respicit, in definitione autem generationis exprimitur altera, quæ magis respicit mistum, quia per eam fit eductio formæ misti; sed altera tamen implicitè includitur in vtraque definitione, quoniam vtraque actio est necessaria & in mistione, & in misti generatione. Vt igitur hæc omnia breuiter, ac distinctè complectamur, certum est & in mistione, & in generatione hos duos terminos considerari, elementa separata, & eadem facta vnum quoddam; in vtraque igitur continetur totius progressus ab esse elementorum ad esse misti: ergo vtraque continet omnes partes huius progressus: hæ autem, si bene consideremus, tres præcipuè sunt; nam dicendum est tria ordinatim fieri in mistione, & in misti generatione; primum est alteratio mutua per actionem & passionem omnium contrariatum qualitatum inter se; secundum est actio duarum actiuarum in duas passiuas; tertium est productio misti, quæ per formæ eductionem fit, & quæ in definitione mistionis vocatur vnio: hoc igitur tertium & mistio est, & misti generatio, sed mistio dicitur respectu miscibilium, generatio autem respectu misti; ideò in definitione mistionis exprimitur tertium cum primo, sed secundum implicitè connotatur, sine quo tertium non esset; idq; fit propterea quòd primum respicit elementa potiùs, quàm mistum: at in definitione generationis exprimitur tertium cum secundo, sed primum implicitè connotatur, sine quo nec tertium, nec secundum fieret; quoniam secundum respicit potius mistum, quàm miscibilia: per hęc tamen nō stat, quin in solo tertio consistat & mistionis, & generationis essentia; idq; duobus modis cōsideratū & mistio, & misti generatio dicitur, reliqua verò duo sunt necessariæ dispositiones in ambabus, sed vna magis elemēta & mistionem respicit, altera verò magis mistum, & generationem: quare patet Aristot. & in mistionis, & in generationis definitione ponere voluisse etiam præuiam dispositionem, eamq; partim expresè, partim implicitè, sicuti dictum est; ex his enim omnibus clarū (nisi fallor) factum est mistionem, & misti generationē re idem esse, sed ratione differre. Ex his autem duo maximè annotāda colligimus, ne cum multis decipiamur. Vnum est, mistionē nec tempore, nec natura præcedere generationi misti: huius ratio est, quoniam vtraque consistit in productione vnius naturæ substātialis, proinde in postremo illorum trium,

Breuis collectio totius rationis.

Mistio non præcedit generationem misti.

A quæ memorauimus: quòd si in solo primo esset mistionis natura constituta, quod tueri contendit Mercenarius, vtique non solùm natura præcederet generationi, quod asserit idem Mercenarius, sed etiam tempore, quod negauit: quanquam ego quomodo id negare potuerit, non videam; calidum enim & frigidum breui suam contemperationem absoluunt, quippe quæ maximam vim agendi habent; humidum verò & siccum, licet eodem B tempore agant inuicem, & patiantur; credendum tamen est, non eodem tempore suam pugnam perficere; quū enim minus actiua sint, quàm illa, necesse est, vt tardiùs suum certamē absoluant, idque etiam auxilio duarum actiuarum iam cōtemperatarum: calor enim iam factus temperatus agit in ea, & attenuat, & vnit, & terminat, & ita adiuuat, vt eorum quoq; perfecta contemperatio fiat, prout postulat forma misti, quæ in fine huius totius præpa- C rationis momēto temporis educitur: quoniā igitur generatio misti in hac vltima formæ eductione est constituta, necesse est, si mistio cōsistit in contrariarum qualitatum contemperatione antequā actiuæ agant in passiuas, quæ Mercenarij sententia fuit, vt mistio tempore generationem præcedat: quod etiam per ipsam mistionis definitionem confirmatur; nā si vnionē intelligamus cum Mercenario qualitatum contemperationē ex alteratione, tum D certè nondum est generatio, quoniam adhuc forma misti educta non est: at si meliùs sentientes dicamus vnionem esse vltimam illam formæ misti productionem, id adhuc manifestius est, quum Aristoteles participio præteriti temporis vtatur dicens, alteratorum, significat enim alterationem iam præcessisse, vnionem verò subsequi, in qua mistionis natura consistit: digna etiam cōsideratione sunt illa Arist. verba in 2. context. 4. Meteorolog ad E declarandam generationis definitionem adiecta [*generans enim calidum & frigidum dominantia materiæ*] fatetur enim Mercenarius actionem contrariarum inter se priorem esse actione duarum actiuarum in duas passiuas: quod Aristotel. quoq; his verbis denotat, calido namq; & frigido attribuit, vt in passiuas agendo generent mistum; atqui non agunt, nisi priùs sint cōtemperatæ per præcedentem pugnam inter se. tunc enim non possunt age- F re in passiuas, quoniā vna impediret actionē alterius; sed quando sunt contemperatæ, tūc agunt in passiuas pro generatione misti: considerandum autem est in eisdem verbis Aristotelem soli calido articulum apposuisse, nō frigido; inquit enim [τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν] significans vnam esse qualitatem ex duab. contemperatis constantem, quæ vocari potest simul calidum & frigidum: nam si vtrique ar-

ticulum apposuisset, vtranq; separatim agere significasset, proinde vt duas, quod minimè verum esset: prius igitur dictum manifestum est, nempe mistionem, & misti generationem, quum in illa extrema substantiæ misti productione consistant, simul esse non modò tempore, sed etiam naturâ: qua in re multi errant, dicentes generationem misti præsupponere mistionem, tanquam naturâ priorem. Alterū verò est: licèt mistio, & generatio misti sint simul & tempore, & naturâ, propterea quod reipsa idem sunt, tamen quum ratione distinguantur, prior consideratione, & cognitione esse debuit mistio, quā misti generatio: eiusdem enim rei confusa cōsideratio debet præcedere distinctam; quoniam igitur eadem mutatio confusiùs cognoscitur quatenus est mistio, distinctiùs verò quatenus est misti generatio; ideò Arist. priùs eam considerare voluit prout est vnio respectu elementorum miscibilium, posteriùs verò vt est generatio respectu misti: priora enim sunt consideratione elementa misto, quum sint principia misti.

Solutio argumentorum Erasti, & Mercenarij. Cap. X.

Restat vt & Erasti, & Mercenarij argumenta soluamus. Ad Erastum satis esse videtur, si dicamus nil aliud ab eo probari, nisi mistionem, & misti generationem reipsa idem esse, hinc enim fit, vt vna sine altera existere nequeat: fatemur igitur omnem mistionem esse generationem misti, & omnem misti generationem esse mistionem; sed non ob id fit, vt ratione quoq; sint idem. Sed notare præterea possumus, non idonea esse aliarum rerum exempla, quæ ab Erastò adducuntur, ideoq; negandam esse similitudinem; nam idem prorsus est ædificatio, atq; ædium generatio, idem est sanguificatio, ac sanguinis generatio, nec dico solùm re, sed etiam ratione; quoniam vtrunq; nomen respicit eundem terminum, qui fieri dicitur, nempe terminum ad quem, neutrum autē respicit materiam ex qua; propterea sic etiā dicere possemus idem esse ignitionem, & generationē ignis: sed vbi ex pluribus vnum fit, & mutatio significare potest duobus vocabulis; quorum vnum respicit illa plura, ex quibus; alterum verò respicit illud vnum, quod fit, necesse est mutationem illam vt ijs duobus nominibus appellatam, vnam quidem & eandem esse reipsa, sed ratione distinctam in duas; ob id ex multis exemplis ab Erasto adductis nullum est ad propositum accommodatum, nisi compositio, atque compositi generatio, distinguuntur tamen ratione, quia nomē compositionis respicit illa plura, ex quibus vnum illud generatur, illorum enim esse compositio dicitur, & illa cōponi dicuntur; nomē autē generationis respicit illud vnum, quod generatur: hoc igitur idem de mistione, ac de misti generatione dicendum est. Ad argumenta verò Mercenarij respondere nititur Erastus ex collatione inter se definitionum mistionis, & generationis misti, ostendens eandem esse vtriusque definitionis significationē; sed quia satis leuis est illa ipsius consideratio, nec intima rei penetrat, & multis, ac magnis difficultatibus vrgetur, ego in ea referenda tempus non conteram: & aliter ad Mercenarium respondens dico, nil aliud ostendi ex earum definitionum discrimine, nisi mistionem, ac misti generationem ratione distingui: etenim quæ ratione distinguuntur, ea distinctas definitiones habent, pro diuersis enim eiusdem rei considerationibus diuersæ illi definitiones conueniunt, quæ etiam diuersis in locis tradendæ sunt, prout eadem res diuersis in locis alio & alio modo consideratur. Quæ verò à Mercenario dicuntur ad ostendendam realem quoq; distinctionem mistionis, ac generationis misti, vana & falsa omnia sunt, & à nobis iā negata, & reprobata: quòd enim in mistione non requiratur nisi contrariarum qualitatum inter se actio, & passio, & contemperatio, eamque vnio in definitione mistionis accepta significet, nec requiratur in mistione actio actiuarum in passiuas, & productio formæ misti; hæc omnia sunt neganda, quoniam hæc formæ productio fuit in definitione mistionis ab Aristotele expressa nomine vnionis: sic etiam negamus in generatione misti ex elementis non requiri primam illam actionem & passionem, quæ est contrariarum qualitatum inter se: sed hæc omnia & in mistione, & in generatione misti requiri asserimus, etsi in earum definitionibus non æquè omnia exprimuntur; quod quidem quomodo se habeat, iam est à nobis abundè in præcedentibus declaratum. Quod igitur ad misti generationem attinet, & ad eius definitionem, quam Aristoteles in 4. Meteorologicorum adduxit, declarandam, hæc, quæ hactenus dicta sunt, sufficiant.

Ad argumenta Mercenarij.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, DE MISTI GENERATIONE ET INTERITV

LIBER SECVNDVS.

Quomodo fiat misti corruptio, quæ putrefactio dicitur.

Cap. I.



QVVM hactenus de misti generatione dixerimus, sequitur vt eiusdem interitum, quem omnes putredinem vocant, consideremus: magnæ de hac controuersiæ, ac disputationes existunt, quæ rem hanc explicatu difficillimam reddunt; ideò nos plura de hac dicturi hunc ordinem seruabimus: primo loco quomodo fiat putredo, breuiter exponemus; deinde eius definitionem ab Aristot. adductam diligenter expendemus, & ipsius putredinis naturam intimè, si fieri possit, penetrare nitemur; mox considerabimus, an plures sint putredinis species, seu modi, vt multi existimasse videntur, tandem verò difficultates omnes, quę aduersus eam definitionem existunt, atq; eas potissimùm, quæ ab Arist. oppugnatorib. afferuntur, soluemus, simulque ab alijs adductas putredinis definitiones perpendemus, & eas cum definitione Aristotelis conferentes, à quonam meliùs sit putredo definita, considerabimus. Primùm quidem ex ijs, quæ de misti generatione proximè dicta sunt, facilè est colligere, quomodo fiat eiusdē misti interitus: quū enim ex quatuor elemētis, quatenus humida & sicca sunt, generetur mistum; iam enim diximus, humidum & siccum esse cuiusq; misti materiam, quatenus simul commista, & ad temperiem cuiq; misto conuenientem redacta sunt; ad hanc autē temperiem, & commistionem non redigūtur, nisi ex actione & imperio actiuarum, hoc est, caloris à frigore temperati, prout cuiusq; misti natura requirit; eandem esse causam existimandum est generationis misti, atq; conseruationis eiusdem: quemadmodum enim quando calor ita regit humidum & siccum, vt illa commisceat & vniat, generatur mistum, ita tādiu seruatur, quamdiu illud caloris imperiū perdurat; ab illo enim continetur siccum, & humidum

A coniuncta, & ita mistio illa cōseruatur, & certus ille caloris gradus dicitur singulo misto naturalis: oportet igitur ex humidi separatione à sicco fieri misti dissolutionem, quæ illius generationi contraria est, proinde in hac interitum misti consistere: sed quia siccū & humidum separari inuicem non possunt, dum sub caloris naturalis imperio continentur, & coërcentur, ideò manente calore naturali, manet coniunctio humidi cum sicco; & è contra-
B tio si calor naturalis recedat, vel ita minuatur, vt nequeat amplius regere, & continere duas passiuas, separatur humidum à sicco, & ita mistum in elementa, è quibus genitum erat, dissoluitur; isq; est misti interitus cōtrarius generationi eiusdem: quemadmodum enim generatur mistum ex vnione humidi cum sicco, facta à calore naturali, hoc est, conuenientem proportionem habente; ita interitus misti fit, quando humidum separatur à sicco ex defe-
C ctu caloris naturalis, qui ob suam debilitatem non potest ampliùs illa regere & continere: & quia causam aliquam esse oportet imminutionis caloris naturalis, eam Aristot. & Galen. & omnes in ambientis calorem retulerunt; nam aëris, vel cuiusuis ambientis corporis calor, si naturali rei calore validior sit, eum educit, ideò eo destituta dissoluitur, quia siccum & humidum ex recessu caloris, à quo continebantur, non habent ampliùs à quo re-
D gantur; ideò separātur inuicem, & ita mistum dissoluitur. Rem ita se habere experiētia ipsa declarat: æstiuo enim tempore videmus res faciliùs ac citiùs putrescere, quàm tēpore hyemali; quoniam in hyeme debilis in aëre est calor, qui non potest, vel non ita facilè potest naturalem misti calorem euocare, quia non est validus; at in æstate calor in aëre est validissimus, ideò superat calorem misti naturalem, & eum citò ac facilè educit: & hanc eandem
E differentiam, quam in temporibus consideramus, possumus etiam in locis considerare; nam in locis calidioribus res faciliùs putrescunt, quàm in frigidioribus; videmus præterea mista tum frigidissima, tum calidissima

difficiliùs putrescere; frigidissima quidē, quia eorum frigus resistit calori ambiētis ne agat in mistū; calidissima verò, quia calor ambientis calore eorum naturali inualidior est. In omnibus autem putrescentibus videmus ea in initio humida fieri in superficie, tandem verò manere sicca: in principio enim humidum erit ad externa, dū à sicco separatur, sed quia continuè euaporat, atq; resoluitur; ideò tandem remanet fimus, ac terra, nempe solum siccum ab humido destitutum. Hæc igitur & alia multa, quæ mox considerabimus, indicant eo modo fieri putredinem, quem nunc exposuimus.

Quot modis mistum interire possit.

Cap. II.

QVoniam autem Aristoteles in principio 4. Meteorolog. dixit, putredinem esse misti interitum naturalem, eique combustionem opposuit vt interitum violentum, duo hic consideranda nobis proponuntur: vnum, an his tantùm duobus modis interire mistum possit, putredine & combustione, an etiam alijs; alterum verò, quomodo putredo dicatur interitus naturalis. *Opinio Argenterij contra Aristotelem.* Quod ad primum attinet, Argenterius inquit Aristot. fuisse deceptum, qui existimauit non dari alium misti interitum, præter illos duos, quū tamen pluribus alijs modis interire mistum possit, vt gladio, suspendio, morbo, submersione, & alijs multis. *Mercenarij sententia, & defensio Aristotelis.* Mercenarius verò Aristotelem tueri volens, reprehendit Argenterium, dicens non dari reuera alium modum, præter illos duos ab Arist. positos, propterea quòd alij ab Argenterio nominati non competunt misto, prout mistum est, sed potiùs quatenus est animatum; quatenus enim est mistum, nullus alius interitus illi competit, nisi putredo & combustio: huius tamen rationem nullam Mercenarius adduxit. Ego verò dissentio ab vtroq;. *Argenterij error.* Quod enim ad Argenterij obiectionē attinet, ea optimè à Mercenario diluitur; quoniam illi modi, quos posuit Argenterius, sunt proprij animatorum quatenus sunt animata, neque eis competunt quatenus mista sunt; ille namque est misti proprius interitus, quo tollitur mistio: at si pereat animal gladio vel morbo, adhuc seruatur eadem mistio, quæ priùs erat in viuēte, quapropter mors animalis non est eius corruptio vt ex elementis constantis, proinde Argenterius non ostendit alium dari modum interitus misti vt constantis ex elementis. In eo quoque deceptus est Argenterius, quòd non vidit misti, quatenus mistum est, alium dari interitus modū, præter combustionem & putredinem; ideò Mercenarius quoq; lapsus est, dicens nullū dari alium modum. *Mercenarij error.* Duo igitur in præsentia sunt à nobis

A ostendenda: *Opinio propria.* vnum, quod detur alius interitus misti quatenus mistum est, quem nec Argenterius nec Mercenarius animaduertit: alterum verò, quod non ob id in prędicto loco Arist. mancus ac diminutus dicendus sit. Quòd igitur alius detur præter eos duos putredinis modus, facilè cognoscemus, si intellexerimus quid sit combustio, & in quo differat à putrefactione. Putrefactio est misti dissolutio in quatuor elemēta, combustio verò est
B totius misti mutatio in vnum tantùm elementum, in ignē, excepta parte aliqua terræ, quæ ob magnam resistendi vim post cōbustionem seruatur, licèt affecta calore igneo, hæc enim cineris natura: mistum aūt est medium quoddam inter elementa tanquā extrema, & ita vocat ipsum Arist. in calce 1. lib. de Generatione, in cap. de mistione; contrarietas aūt est non solùm extremi cum extremo, sed etiam extremi cum medio; quò fit, vt medium patiatur ab a-
C ctione vtriuslibet extremi: combustio igitur est mutatio à contrario extremo: ideò Arist. in lib. de Vita & morte inquit, violentum esse illum interitum, qui fit à contrario: quamuis enim ibi loquatur de corruptione animatorū, quæ dicitur mors, & senectutem tāquam interitum naturalem contraponat alijs interitibus tanquam violentis, quos dicit fieri à contrario; tamen hoc idem locū habet etiā in misto quatenus mistum est, eius enim corruptio
D naturalis non fit à cōtrario, sed potius à simili, putrefactio enim est interitus misti per corruptionem caloris naturalis factam a calore extraneo; misti autem violentus interitus fit per mutationem à cōtrario, vt de combustione diximus. Hęc si vera sunt, & mistum tanquā mediū interimitur ab igne tāquam extremo, *Misti duplex corruptio.* & contrario, non video cur nō possit etiam ab altero extremo destrui mistum, ita vt à magna vi frigoris conuertatur totum in vnum ele-
E mētum frigidum, vt in terram, neq; in omnia elementa dissoluatur: id autem, quod nos decipere potest, est, quòd ignis est maximæ ac celerrimæ actionis, & facilè conuertit plura mista in suam naturā per combustionem; frigida verò elementa non tantam agendi vim obtinent, neq; ita celeriter mistum mutant: attamen si verum est id, quod Arist. docet in 2. lib. de Ortu & interitu, posse quodlibet elementū mutari in quodlibet, nec minùs ignē
F in alia, quàm alia in ignem fieri etiam potest, vt omnia elementa in misto existentia mutentur in terram ob magnam vim frigidi agētis, & condensantis & omnē calorem extinguentis: licèt enim hoc sit minùs facile, & minùs frequens, & minùs euidens, ratio tamen nos cogit, vt hoc cōcedamus; quum præsertim id sensu & experientia cōfirmetur: viderūt enim multi, & ego ipse vidi in subterraneis locis multa mi-

multa mista, vt paleas, & cibaria in petram mutata à magna vi frigoris omnem calorē extinguentis, & omnem humiditatem consumentis, propterea quòd cum summo frigore non potest humiditas existere, vt aliàs dictum est. Tres igitur modi sunt, quibus interimi potest mistum, quatenus mistum est, quoniam horū singulo destruitur mistio: vnus est medius, quo dissoluitur mistum in omnia elementa, eaq; dicitur putrefactio; alij verò duo sunt extremi & violenti, quia per eos nō in omnia elemēta dissoluitur mistum, sed mutatur totum in vnum elementum, vel in calidum, quę est combustio, vel in frigidum, qualis est putrificatio, de qua modò dicebamus. Non fuit aūt ob id māncus in prædicto loco Arist. duos tantùm modos cōmemorans, putredinem, & combustionem, quia non est ibi ipsius consilium omnes prorsus misti interitus nominare, sed solùm loqui de ipsius corruptione naturali, quæ est putrefactio; violentos autem interitus non est quòd omnes consideret, quū sint præter consilium naturæ, & sint accidentales, sicut etiam in lib. de Vita & morte non omnes modos enumerat, quibus violenter interire animatum potest: satis igitur habuit secernere naturalem misti interitum, de quo ibi loqui volebat, à violento generaliter accepto, ad tollendam omnem difficultatē; & cōbustionem exemplitātùm gratiâ nominauit, tanquam modum quendam violenti interitus, neq; ob id negauit alium dari violentum interitum; exempla enim non sunt de omnib. afferenda, sed de aliquibus tantùm, quæ maximè in promptu habeamus, promptissima autem est mistorum combustio, ideò hanc solam nominare tanquam exemplum violenti interitus satis fuit. Patet igitur Arist. neq; omnes modos interitus misti nominasse, vt putauit Mercenarius, neque mancum fuisse, vt ei obiecit Argentetius.

Tribus modis corrumpitur mistum.

Quomodo putrefactio dicatur interitus naturalis, sententiæ aliorum, & earum confutatio.

Caput. III.

Sequitur vt consideremus quomodo putredo ab Aristotel. dicatur interitus naturalis, ita vt per hoc à combustione distinguatur, tanquam ab interitu violento, hoc enim multis non paruum negotium facessit, quum videantur ambę vel æquè naturales, vel æquè violentæ appellandæ: nam si violentum vocamus omnem motum, cuius principium extra est, vtraque fit à calore externo, quare vtraque est violenta; si verò putrefactio, etsi fit à principio externo, dicitur tamen naturalis, quatenus fit à causa naturali, A & naturaliter agente: idem de combustione dici potest; hæc enim fit ab igni, qui dum alia combutit, ac destruit, secundùm propriam naturam agere dicitur, & vocatur agens naturale: æquè igitur vtraque est vocanda naturalis. De hac re plura à nobis dicta sunt aliàs, dum initium 1. libri de Ortu & interitu interpretantes cōsiderauimus quomodo interitus vniuersè sumptus vocetur ibi ab Aristotele naturalis; sed per ea dubium præsens B non tollitur, quia secundùm illam considerationem etiam combustio dicenda est corruptio naturalis; quum ergo Aristoteles eam dicat esse violentam, prout violentum distinguitur à naturali, certum est aliam esse Aristotelis considerationem in initio quarti Meteorologicorum, aliam in primis verbis primi de Ortu & interitu; harū igitur considerationum discrimen cognoscere oportet. Thomas Erast. in sua aduersus Mercenariū disputatione de putredine facilè fugit hanc diffi- C cultatem: duas enim dixit putredines ab Aristotele poni in principio libri quarti Meteorologicū vnam naturalem, de qua loquitur in tertio contextu: alteram violentam, & morbosam, de qua loquitur postea in quinto, & sexto, & alijs sequentibus, & eam dicit fieri à calore externo: sed putredinem naturalem, quæ in tertio contextu consideratur, inquit Erastus non ab externo calore fieri, sed à D proprio & naturali, qui consumit humidum proprium, quod ei pabulum est, quare toto humido absumpto, necesse est, vt calor naturalis deficiat; isque est naturalis interitus omnium mistorum, qui ab Aristotele ibi iure vocatur naturalis, quia fit à principio interno, quum combustio sit interitus violentus, vt pote factus ab externo principio. Sed hanc Erasti sententiam inferiùs, quum de speciebus putredinis loquemur, expendemus, E alienamque omnino esse ab Aristotele, demonstrabimus, qui nullam putredinem nouit, quæ non fiat ab externo calore: quum igitur hoc constituto difficultas vigeat, quomodo putrefactio dicatur interitus naturalis, ita vt à combustione distinguatur, aliam solutionem, & aliud horum interituum discrimen excogitare oportet. Albertus in eo loco in capite suo sexto inquit, in putrefactione calorem internum cooperari calori exter- F no in euocando humido, propterea quod calor misti fungitur officio & naturalis & ignei: naturalis enim est, dum cōtinet humidū cum sicco coniunctum, quæ est consequatio misti; sed postea dum amittit naturalitatem, id est, proprietatem caloris naturalis ob defectum alicuius principij cōseruantis mistum, tunc suscipit proprietatem ignei, quæ est dissoluere, & educere humidum illius misti.

Erasti opinio.

Confutatio.

Alberti opinio.

cuius antea erat calor naturalis, & ita coope-
ratur calori externo in educendo ad superfi
ciem humido: putrefactio igitur ea ratione
dicitur naturalis, quatenus fit modo aliquo
ab interno calore, non à solo externo; combu
stio autem ab externa tantùm causa fit, calor
enim naturalis semper manet naturalis, neq;
ad comburendum mistum cooperatur igni
comburenti. Hæc est alberti sententia, ipse ta-
men non expressit, quisnam sit ille defectus
principij conseruantis mistionem, ob quem
calor naturalis desinit esse naturalis, & euadit
Buccaferrei opinio. igneus, & contrarius; videtur autem hunc de-
fectum expressisse Buccaferreus, cuius opinio
non videtur diuersa ab opinione Alberti, in-
quit enim, calorem naturalem intensiorē fie-
ri ex actione caloris externi, & ita auctum cō-
sumere humidum, euocādo ipsum ad super-
ficiem; sic enim calor naturalis desinit esse na
turalis, quoniam amittit eam proportionem,
quam habere debet ad siccum & humidum
pro illius misti conseruatione: ita igitur pu-
trefactio partim est naturalis quatenus ab in-
terno calore fit, partim violenta quatenus fit
Confutatio. ab externo. Sed hæc sententia nō est consona
verbis Aristotelis, qui, vt in tota eius tractatio-
ne de putredine videre est, nullam tribuit a-
ctionem calori naturali, sed totam calori am-
bientis, à quo dicit destrui calorem naturalē,
proinde pati potiùs, quàm agere: præterea
iuxta hāc opinionem oporteret calorem na-
turalem ita auctum, & vnū factum cum calo-
re extraneo agere immediatè in humidum, &
facere ipsum euaporare; attamen hoc nō vult
Aristoteles, sed vult calorem extraneum age-
re immediatè in calorem naturalē ad ipsum
educendum, & per hoc putrefactionem defi-
nit, postea verò subiungit, exeunte calore na-
turali, humidum quoque naturale coeuapo-
rare; itaque vult euaporationem humidi esse
quoddam consequens exitum caloris natu-
ralis, proinde non pati immediatè humidum
à calore extraneo. Nos tamen postea, quum
de putredinis natura loquemur, considerabi
mus an opinio Alberti ad rectum sensum tra-
hi possit: quantum autem ad præsentem diffi-
cultatem attinet, certum est Albertum non i-
doneam rationem adducere, cur putrefactio
ad differentiam combustionis dicatur natu-
ralis; quia concesso etiam eo modo, quo Al-
bertus putredinem fieri statuit, quem nos po-
stea diligentiùs expendemus, non rectè tamē
diceretur putredinem fieri ab interno prin-
cipio; quia si calor naturalis non est ampliùs
naturalis, sed iunctus calori externo est factus
totus igneus, & inimicus naturæ illius misti,
totus est potiùs vocandus extraneus, quàm
internus illi misto: adde quòd in consideran-
do cuiusque motus principio attendenda est

A prima causa ipsius motus; prima autem causa
etiam secūdum Albertum est solus externus
calor, qui primo loco agit in calorem natura
lem; quamobrem soli calori ambientis actio
illa tota attribuenda est, proinde fit ab exter-
no principio: vt autem sententia Alberti de-
fendi posset, oporteret externum & internum
calorem esse duo agentia æqualia & distincta,
non subordinata; quia dum sunt subordina-
ta, adscribitur tota actio agenti primario, si-
B cuti dictum est. Alia fuit opinio, quam in eo-
dē loco impugnauit Albertus, & quā postea *Vicomercati opinio.*
Vicomercatus sequutus est, putredinem dici
naturalē; quòd à calore ambientis paulatim,
ac sensim fiat, combustionem verò violētam,
quia fit celeriter, et enim opus naturæ non est
velox. Hanc sententiam Albertus refutat hoc *Confutatio.*
argumento, quòd modus rei insequitur rem,
cuius est modus, proinde causa eius esse non
potest; fieri autem celeriter, vel tardè, est mo-
C dus, qui consequitur rem vel naturalē, vel vio
lentam; ergo non potest esse causa naturali-
tatis, vel violentiæ: prior igitur alia ratio esse
debet, cur actio dicatur naturalis, vel violen-
ta; deinde consequi vt velox, vel tarda sit. Aliā *Aliorum opinio.*
quoq; aliorum sententiam reprobat ibidem
Albertus, quam missam facio, quoniam apud
eum legi potest. Alij verò dixerunt, putrefa-
ctionem dici naturalem ratione interni prin-
cipij, si non actiui, saltem passiui; materia e-
D nim putrescens vim conferre dicitur, quate-
nus habet aptitudinem ad putredinē. Aduer- *Confutatio.*
sus hos Pomponatius in 4. Meteorologicorū
hoc argumento vtitur, quòd per hoc non ap-
paret discrimen, quod quærimus, putrefactio-
nis & combustionis: siquidem etiam combu-
stio habet tale internum principium passiuū,
materia namq; illa naturaliter est apta com-
buri, & ita vim conferre dicitur non minùs,
quàm putrefactio: ego verò aliàs demonstra- *In lib. de Natura.*
E ui, vanum esse, in ijs, quæ ex materia & forma
constant, aliquem motum vocare naturalem
ratione solius materiæ tāquam principij pas-
siui; sic enim fieret, vt nullus motus esset vio-
lentus; materia enim habet aptitudinem vt
ad omnes formas, ita ad omnes motus indi-
stinctè recipiendos; quare motū lapidis sur-
sum proiecti liceret appellare naturalem ra-
tione materiæ vt principij passiui, hoc tamen *Pomponatij opinio.*
nemo diceret. Ipse autē Pomponatius in sua
F dubitatione 17. lib. 4 Meteorol. inquit putre-
factionem esse tum naturalem, tum violen-
tam: quatènus quidem fit à principio exter-
no, violentam esse; naturalem verò, quatenus
mistum, si suæ naturæ dimittatur, neq; impe-
diatur, hoc est, à nullo alio violenter interima
tur, sed sinatur interire secundùm cōmunem
cursum naturę, tandem interit per putredinē.
Hanc sententiam quidam recentiores impu-
gnant, &

Mercenarij obiectio contra Pomponatium.

gnant, & eam etiam Buccaferreo attribuunt, quum tamen Buccaferreus (vt prædiximus) aliud sensisse videatur: ita autem argumentantur: quando dicitur mistum interire suę naturę relictum, vel dicitur interire absq; externo agente, vel ab externo agente; si primum, id Arist. aduersatur, dicenti putredinem fieri à calore externo; si verò secundum, nulla apparet ratio, cur magis putredo, quàm cõbustio, sit interitus naturalis, quum fiat vtraq; ab agente externo.

Obiectionis solutio.

Hæc tamen obiectio mihi videtur aduersus Pomponatiũ, qui reuera huius sententiæ fuit, parui esse momenti: siquidem ipse palàm asserit, nõ accipi hic naturale pro eo, quod fit ab interno principio, sic enim fatetur putrefactionem non esse naturalem, sed violentam; sed accipi pro eo, quod est secundùm cursum naturę, nam hic talis est, vt mista dimissa suæ naturæ intereant tandem per putredinem, non per cõbustionem: sic enim putrefactio ad differentiam combustionis videtur dici posse naturalis.

Mercenarij opinio.

Sed prætere a opinio, quã postea isti met recentiores adducunt, atq; tuentur, mihi quidem nõ videtur ab hac Põponatij opinione discrepare: dicunt enim putrefactionem esse misto naturalem, quatenus est secũdùm propriam misti naturam, qua mistum est; quum enim sit genitum per vnionẽ humidi cum sicco, aptũ naturâ est perire per dissolutionem, & separationem humidi à sicco ob defectũ caloris continẽtis; vnumquodque enim naturaliter dissoluitur in illa, ex quorum compositione genitum est: quoniam igitur mistum, quatenus est mistum propensionem habet vt in ea, è quibus constat, dissoluatur, putrefactio est ipsi naturalis, quatenus mistũ est: non sic cõbustio, quia mistum prout est mistum, nõ habet propensionẽ vt intereat per conuersionem in aliam naturam: addunt autẽ hi, posse putrefactionẽ alia ratione dici violentam, & præter naturam, quatenus rei naturam destruit, nec fit secũdùm intentionẽ naturæ, quãdoquidem cuiusq; rei natura abhorret à suo interitu. Ego verò non video, in quo hęc sententia differat ab opinione Pomponatij: nam dicere putrefactionem cõpetere misto secundùm propriam eius naturam, & prout mistum est, idem videtur, ac dicere mistum dimissum suæ naturæ, non interire, nisi per putredinem, & ambo concedunt interitũ hunc misti ea ratione esse violentum, quatenus fit ab externo principio.

Confutatio vtriusque opinionis.

Propterea ego puto vtramq; sententiam esse obnoxiã eidem reprehensioni: nam ad ostendendum quòd putrefactio sit interitus naturalis, respexerũt ambo propriam misti naturam, iuxta quam considerationem non potest putrefactio dici misto naturalis; quia si per naturam intelligant materiam vt principium motus passiuũ, in sententiam incidunt, quam ambo reprobarunt, quòd putrefactio ratione aptitudinis materię dicatur naturalis; si verò formam intelligant, iam ambo expressè cõfessi sunt, putrefactionem esse contrariam, & inimicã formæ misti, & ipsius destructricem: est igitur potiùs contra misti naturam, quàm secundùm eius naturam: propterea falsum est id, quod illi recentiores dicunt, mistum habere naturalem propensionem ad putredinem, immò verò propensionem habet ad se conseruandum, quantum fieri potest: quod verò Pomponatius ait, mistũ dimissum suæ naturæ non aliter, quàm per putredinem interire, id non facit vt secundùm propriam naturam quærat putrescere, sed solùm significat eam esse eius naturam, quæ non possit tandem resistere agenti externo putrefacienti; negari enim nullo modo potest resistentia misti ad externum interimens: sic igitur non videtur putrefactio esse misto naturalis.

Vera sententia, & eius declaratio, & quorundam dubiorum solutio.

Cap. IV.

Propter hæc omnia, quæ hactenus considerata sunt, ego puto non esse hic respiciẽdam propriam misti naturam, sed potius naturã vniuersalem, quę nil aliud est, quã ordo rerum omnium, seu omniũ causarũ certo quodam ordine dispositarum cum pendẽtia ab vno primo principio, vnde statutæ singulis rebus sunt propriæ quædam leges, quæ præteriri nequeunt; natura igitur propria misti nollet putrescere, nec modo vllo interire, at natura vniuersalis statuit eam esse interitui obnoxiam, & tandem interire: secundùm hãc considerationem dixit Arist. in initio 1. lib. de Ortu & interitu, interitum esse naturalem, id est, secundùm leges naturæ vniuersalis, quæ statuit omne genitum esse aliquando interiturum: sed in contex. 3. lib. 4. Meteor. cõsideratio Arist. est particularior, quàm ibi; nã in initio 1. de Generat. etiã combustio misti dicitur interitus naturalis, quatenus est rei corruptibilis, & fit à causa naturali, & naturaliter agente. Sed quoniam præter ipsum interitum natura statuit etiam modum, quo singulæ res intereant, ideò hunc modum à natura constitutum respiciens Arist. in 4. Meteor. dixit cõbustionem esse interitum violentum, quæ in principio lib. 1. de Generat. dicebatur naturalis, quum ibi nulla modi consideratio habeatur.

Natura vniuersalis.

Tribus modis res interire natura statuit.

Tres autem ego inuenio modos vniuersales, quibus statutum est in natura res interire; vnus simplicium corporum est, alius mistorum animatorum, alius demum mistorum inanimatorum. Simplicibus quidem hic assignatus est modus, vt per mutuam actionem se à-

ctionem & passionem inteteat, atq; etiam per actionem cœlestiũ corporum, quæ idem potest per virtutem, quod elemẽta per formam. Animatis verò assignatus est modus per humidi naturalis cõsumptionem, factã à proprio naturali calore, eaq; mors dicitur, de qua agit Arist. in lib. de Vita & morte; ideò ibi naturalem vocat illam mortem, quæ fit per vltimam humidi resolutionẽ à calore naturali, qui absumpto à se humido tandem extinguitur; violentam verò mortẽ vocat illam, quæ ante statutum tempus alio modo fiat; vt gladio, combustione, submersione, morbis, nam his omnibus modis inteteunt animantia præter naturam, hoc est, præter modum à natura eis cõstitutum. Misto autem inanimato, id est, prout mistũ est, & cum abstractione ab anima; si sit animatum, assignatus est à natura vniuersali proprius modus vt inteteat per putredinem, quę nihil aliud est, quàm dissolutio in elemẽta; & est verè contraria generationi misti, quæ fit per elemẽtorum commistionem: hic ergò vocatur ab Arist. modus naturalis, quia secundùm decreta naturæ vniuersalis est vt mistum ex elementis cõstans, tandem in elementa dissoluatur; cõbustio verò dicitur violenta, quia est præter hanc naturæ legem, nam ex ignis actione violenta vertuntur omnia elementa in ignem, ideò ita est mistio præter naturam, vt animato mors ex morbo, vel ex gladio: hęc est absque dubio mens Arist. in eo tertio contextu 4. Meteorolog. vt etiam ipsemet asserere videtur in contex. 57. lib. 5. Physic. vbi tam generationẽ, quàm corruptionem distinguit in naturalem & violentam, & inquit oppositam esse naturalem generationem violentæ, & naturalem interitum interitui violento; postea declarans quænam sit generatio & corruptio naturalis, & quæ violenta, inquit naturalem esse illam, quæ est fatalis, id est, lato determinata: nil enim aliud per fatum potest intelligere, nisi legem à natura vniuersali constitutam de modo, quo quælibet res generetur & inteteat. Sententiam hanc Pomponatius, & recentiores illi sub nube videtunt, & proximè ad veritatem accessisse videntur, quam etiam plenè essent assequuti, si naturam particularem ab vniuersali, quam Aristoteles in memorato loco respexit, seiunxissent; non enim dixit putrefactionem esse secundùm misti naturam, sed secundùm naturam absolutè, nempe secundùm leges naturæ vniuersalis: & hanc propriè significat id, quod Pomponatius dixit, secundùm cursum naturæ, nempe vniuersalis, seu etiam dicamus naturæ particularis, quatenus subdita est legi naturæ vniuersalis, à qua mistum, quatenus mistum est, dirigitur ad determinandum suum esse per dissolutionem in elementa, quæ putrefactio

Pomponatij & recentiorum sententia ad rectũ sensum trahitur.

A dicitur: hoc etiã significare potest illa, quam recentiores illi dixerunt, misti, prout mistum est, naturalis propensio ad putredinem; non enim à propria natura dirigitur ad putrescendum, sed à constitutione naturæ vniuersalis, quæ talem esse eius interitum statuit. Hanc puto esse rei veritatẽ, quæ clarior fiet, si quædam aduersus eam dubia soluerimus: quum enim plura ab interpretib. Arist. tangantur in B 4. Meteorolog. nobis pauca magis præcipua cõsiderare satis erit. Dubitatur autem aduersus id, quod dictum est, putredinem esse interitum naturalem: si enim putrefactio esset naturalis interitus misti, quatenus mistum est, deberet omni misto cõpetere; id enim quod alicui naturale atq; essentiale est, omni competit, neq; id negauit Arist. in memorato loco, quum apertè dixerit, putrefactionem esse maximè commune contrarium generationis C misti; est enim maximè communis, quia competit omni misto, quum ei competat, quatenus mistum est: attamen non videtur esse omnium mistorum cõmunis interitus, quod multifariam ostendi potest. Primùm quidem in climatibus extremis, quæ calidissima & frigidissima sunt, non per putredinem inteteunt mista; sed in calidissimis locis per combustionem, idq; est illis locis naturale; in frigidissimis verò destruuntur à frigore, à quo etiam D prohibentur putrescere, idq; similiter est illis locis naturale: non omnia ergo mista per putrefactionem intereunt. Præterea metalla, & lapides complures nunquã putrescunt, vt aurum, & argentum & lapis adamas, & alia: non est igitur putrefactio mistis secundùm naturam, quũ non sit omnium mistorum cõmunis interitus. Ad hæc, & alia eiusmodi sumenda est responsio ex Arist. in loco prædicto: non enim dixit putrefactionẽ esse interitum maxi- E mè cõmunem, quòd voluerit esse necessariũ vt omnia mista intereãt per putredinem, iam enim confessus est aliqua per combustionem interire, sed significare solùm voluit omnia esse putrescibilia, imò & aliquando putrescere, semota tamen omni violentia: nam si præoccupent interire violenter, non perueniunt ad naturalem suæ durationis finẽ, qui est eis à natura vniuersali cõstitutus. Ad illud ergo, quod de locis calidissimis & frigidissimis F obijciebatur, dicimus negari non posse mista à summo calore, & à summo frigore per violẽtiã interimi, sed negãdum etiam nõ esse illa eadem mista esse putrescibilia, & per putredinem esse tandem interitura, si omnis violẽtia amoueatur, & dimittantur propriæ naturæ: quòd verò dicitur esse illis locis naturale vt per summum calorem, vel per summũ frigus, res interimant, verum id quidem est, sed ita vt etiam igni naturale est cõburere: quare sicuti com-

1. Dubium.

2 Dubium.

Solutio primi.

uti combustio est ea ratione naturalis, quatenus fit à causa naturaliter agente, neq; ob id fit, quin dicatur alia ratione esse misto interitus violentus, quatenus non est secundùm legē naturę vniuersalis, ita dicēdum est de illis, quæ in locis calidissimis & frigidissimis intereunt alio modo, quàm per putredinem; etenim patiuntur quidem à causis naturalibus, sed non intereūt eo modo, quo natura statuit vniuersaliter mista esse apta interire, scilicet per dissolutionem in elementa; quanquā hoc naturæ decretum recipit impedimentū ob aliquam violentiam præoccupantem misti interitum, sicuti etiam Arist. dixit. Ad illud verò, quod de metallis, ac de lapidibus dicebatur, respondemus & aurum, & argentum & adamantem, & metalla omnia, & omnes lapides tandem necessariò putrescere, & in elementa dissolui, licèt aliqua diutissimè durent: nisi enim aurū putresceret, iam tanta esset auri copia congregata, vt omnia ferè in aurū mutata essent, ipsumq; vilis admodum esset pretij: putrescere autem metalla cognoscimus ex ærugine, quam emittunt, eaque in ferro euidens est, sed in alijs quoq; notari potest; nam antiquum aurum, & argentum cernitur coloratū colore obscuriore, quàm recens: sic de lapidibus omnib. dicendum est; quamuis enim diutissimè, & multa quoq; annorum millia perdurent, tamen necessariò tandem per putredinem in elementa dissoluuntur. Sed clarior habebitur omnium huiusmodi dubiorum solutio, quando putredinis natura exactiùs declarata à nobis erit.

Solutio secunda.

Definitio putredinis, & definitionis declaratio. Cap. V.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, talem putredinis definitionem cum Arist. colligere possumus, putredo est corruptio proprij & naturalis caloris in vnoquoq; humido à calore ambientis; quam esse perfectam, & omnibus numeris absolutam definitionem, ex eius, ac singularum partium plena intelligentia manifestū fiet, est enim integra definitio, quæ dicitur demonstratio positu terminorū differens: quod quidem aliàs in operib. logicis ruditer, vt ibi conueniens erat, declarauimus, dum hanc definitionem & perfectæ definitionis exemplum in medium adduximus; nunc verò eam exquisitiùs considerare oportet. Quum igitur perfecta accidētis definitio tribus partibus constare debeat, genere accidentis, subiecto, & causa, qui tres potissimæ demonstrationis termini sunt, diximus sumi hic proprij caloris corruptionem, tanquam genus putredinis, quod est in demonstratione maius extremū; deinde humidum vt subiectum proprium, quia non est putrescibile, nisi id, quod est humidum; tandem verò externum ambientis calorem tāquam causam, quę est in demōstratione medius terminus: sed vt hæc omnia distinctiùs explicentur, & ipsa putredinis essentia ab affectrice eius causa seiūgatur, cognoscere oportet in putredine ordinem à natura seruatum. Primum quidem locum calori externo tribuendum esse certum est, ab hoc enim corrūpitur calor misti proprius, & naturalis, corruptio aūt caloris facit vt humidum separetur à sicco; itaq; dicendū videtur, ipsam putredinis essentiam in hoc vltimo esse cōstitutam, reliqua verò esse causas putredinis, ita vt essentialiter nil aliud esse putredo videatur, quàm separatio humidi à sicco, è quib. tanquam materia mistum cōstabat, hæc enim est in elementa dissolutiō, quæ est contraria generationi misti: corruptio aūt caloris naturalis est potiùs causa effectrix putredinis, quàm essentia: quemadmodum enim in generatione misti duæ actiuæ qualitates funguntur officio agētis, quia calor à frigore cōtemperatus commiscet, vnit, ac terminat siccum & humidum coniuncta, vt antea in definitione generationis ostendimus, ita dicendum est in interitu misti, defectum caloris esse causam putredinis effectricem, non putredinem ipsam: sed quoniam est causa priuatiua, in qua animus non acquiescit, propterea quòd omnis priuatio causam aliquam habet, proinde omnis causa priuatiua habet causam positiuā priorem, à qua pendet; Arist. hac non contentus exprimere voluit etiam causam positiuam externā, à qua fit proprij caloris corruptio, eaque est calor ambientis; & res per se manifesta est: quamuis enim certum sit, corruptionem proprij caloris esse causam vt humidum diffluat, & à sicco separetur, tamen in hac causa non quiescimus, dum ignoramus causam positiuam, à qua fit hæc proprij caloris corruptio: attamen Arist. non sine artificio in hac definitione sumpsit corruptionē proprij caloris tanquam putredinis genus, quo eius essentia significaretur; duo namq; respexisse videtū, vnū vt breuissima esset definitio, alterum vt trib. tantùm terminis constaret, sicut etiam demonstratio: nam si quatuor in ea terminos accepisset, dubitare poteramus, an fortè hæc definitio nō esset demonstratio situ terminorum differens, quemadmodum in Posterioribus Analyticis iam ipse docuerat: nam si & subiectū in hac definitione expressum fuisset, quod est corpus humidū, & essentia, quæ est separatio humidi à sicco, & causa, quæ est proprij caloris corruptio, & causa causæ, quæ est calor ambiētis, quatuor termini in ea sumpti essent; quod vitare volēs Arist. & definitionē reddere breuiorem, vno termino duos cōplexus est; nam separationem hu-

Definitio putredinis est demonstratio situ differens.

midi à ſicco, quæ putredinis eſſentia eſt, ſub proprij caloris corruptione implicitè comprehendit; hanc enim neceſſario inſequitur ſeparatio humidi à ſicco, vt paulò antè Ariſt. docuerat; dixerat enim putredinem eſſe humidi & ſicci ſeparationem prouenientem à corruptione proprij caloris facta à continente: & hoc idem etiam poſt allatam definitionem declarat illis verbis [*exeunte enim proprio calido, coeuaporat quod ſecundùm naturam eſt humidum*] ſic enim monere nos voluit, corruptionem proprij caloris in definitione ſumptam eſſe, quatenus continet ſeparationem humidi à ſicco: igitur proprij caloris corruptio denotat quidē per ſe cauſam proximam putredinis priuatiuam, ſed connotat etiam eſſentiam, quatenus complectitur humidi à ſicco ſeparationem, quæ ex neceſſitate eam inſequitur; & Ariſtot. hanc in definitione accipere maluit vt effectū, quàm vt cauſam, quia cauſam habet priorē poſitiuam, & in definitione expreſſam, cuius reſpectu eſt effectus, non cauſa: itaq; hæc definitio tres partes habuit; corpus humidum tanquam ſubiectum putredinis; corruptionem proprij caloris tanquam putredinis eſſentiam, & tanquam effectum, talem autem effectum, in quo includi intelligitur ſeparatio humidi à ſicco tanquam effectus alius poſterior, & illū priorem neceſſariò inſequens; ac demum calorem externum tanquam cauſam primam: eſt igitur hæc perfecta definitio, & demonſtratio ſolo ſitu differens, quales omnium accidentium perfectæ definitiones eſſe debent.

Opinio recentiorum, quòd prædicta putredinis definitio ſit cauſalis, & eius confutatio. Cap. VI.

Opinio recentiorum. NOn eſt hic prætereundus quorundam recentiorum error, qui dixerūt, definitionem hāc totam eſſe cauſalem, cuiuſmodi eſt illa, eclipſis eſt obiectio terræ, quæ nō exprimit eſſentiam rei, ſed ſolam cauſam; licèt in caloris naturalis corruptione cōceſſerint includi ſeparationē humidi à ſicco: negā runt enim eſſentiā putredinis eſſe ſicci & humidi ſeparationem, ſed hāc quoq; eſſe putredinis cauſam dixerūt; eſſentiam verò nullam aliam eſſe, quàm interitū formæ miſti, qui humidi à ſicco ſeparationē inſequitur tanquam cauſam, ita vt calor ambientis ſit cauſa corruptionis proprij caloris, & hæc ſit cauſa ſeparationis humidi à ſicco, & hęc tandem ſit cauſa deſtructionis formæ miſti, quæ eſt formalis ter putredo: quoniā igitur huius deſtructionis formæ Ariſt. nullam mētionem fecit, hinc collegerūt non eſſe definitionem formalem, ſed cauſalem, traditam per tres illas ordinatas putredinis cauſas. *Confutatio.* Sed hanc ſententiā ego probare non poſſum: quòd enim caloris proprij corruptio ſit cauſa putredinis, & in ſe cōtineat ſeparationē humidi à ſicco, nos quoq; aſſerimus: proinde non negamus cauſalē eſſe definitionem, quātum attinet ad ſolum proprij caloris interitum: at humidi & ſicci ſeparationē puto non eſſe putredinis cauſam, ſed eſſe ipſammet putrefactionis eſſentiam, & deſtructionē formæ miſti: qoòd facilè oſtendo argumento ſumpto à generatione oppoſita: nam ſi generatio miſti nil aliud eſt, quā vnio, ac terminatio humidi cū ſicco, operantib. actiuis; ergo eiuſdem miſti interitus nil aliud erit, quàm humidi ac ſicci diſſolutio, ex defectu actiuarum nō valentiū amplius imperare paſſiuis: & videtur cuilibet conſideranti eſſe manifeſtum, nil aliud eſſe miſti interitū, quatenus miſtū eſt, niſi eius in elementa diſſolutionem. *Argumenta illorum recentiorum.* Sed ſoluenda eſt difficultas, & quidē non parui momēti, quæ hos mouiſſe videtur: nam interitus miſti debet eſſe ſubitus, ac momentanea formæ miſti deſtructio, ſicuti etiā generatio miſti eſt introductio formæ miſti in momento temporis, non in tempore facta: atqui ſeparatio humidi à ſicco non in momēto fit, ſed in tempore, & eſt cōtinua, vel ſaltem ſucceſſiua; ergo hæc nō poteſt eſſe formaliter ipſe miſti interitus. *Solutio. Generatio dupliciter ſumitur.* Soluitur meo iudicio hęc difficultas ſic: generatio dupliciter accipi poteſt; vno modo, pro vltimo termino, qui eſt formæ ſubſtātialis introductio ſubita; altero modo pro via ſimul cū termino, quæ non eſt momētanea, ſed in tempore fit: his etiam eiſdem modis interitus quoq; ſumi poteſt: attamen propriè & generatio & interitus pro ſolo termino ſumitur, licet etiā ſæpe ſumatur pro termino cum tota præuia alteratione: ſed nomē putrefactionis videtur propriè ſignificare præuiam alterationē tendentem ad interitū ſubſtantię, & ad diſſolutionē miſti; tunc enim rem putreſcere dicimus, quando eſt in via ad perfectam diſſolutionem, non quādo eſt facta diſſolutio perfecta: quod etiā Galen. ſignificauit lib. 11. Meth. cap. 8 putredinē ſic definiens; putredo eſt mutatio ad interitū totius ſubſtātiæ putreſcentis ab aliena caliditate; nō enim dixit eſſe totius ſubſtantiæ interitū, ſed mutationem ad ſubſtantiæ interitū. Quoniam igitur putrefactio eſt ſeparatio humidi à ſicco, quæ nō eſt ſubita, ſed cum ſucceſſione fit; dicendū eſt non interire in primo eius initio formam ſubſtantialem, ſed euſq; eam ſeparationem procedere, vt tandem forma miſti momento temporis deſtruatur: neq; etiam dicendū eſt, deſtructionem formæ miſti fieri ſolùm poſt totius humidi ſeparationē à ſicco, ſed corrūpitur forma miſti antequā remaneat terra, & fimus: hęc igitur tria quodā temporis ordine fiunt; primùm incipit ſeparatio fieri humidi à ſicco, *Nota in putredine tria ordinata.*

à sicco, quę tamen adhuc est absq; formę substantialis interitu, sed est præparatio & via ad eam; secundo loco tanta est facta dissolutio, ac separatio humidi, vt forma, quum seruari ampliùs non possit, subitò destruatur, & tunc separata quidem sunt inuicem humidū & siccum, quia non habent amplius illā mistionē, quæ naturæ vnio dicitur, sed particulæ tamē vtriusq; se mutuò tangunt, & est humidum aqueum contiguū sicut terreo, & iuxtapositio quidem particulatum, at nō mistio, quia iam soluta est naturæ vnio; tertio demum loco humidum illud à calore consumitur, hoc est vertitur in vaporem, & exhalatur, ita vt nihil reliquū sit, nisi fimus ac terra, vt Arist. ait: qui non ideo hoc dicit, ꝙ putet per hoc exprimi naturam putrefactionis, sed vt ꝑ hoc tanquā vltimum remanens post putrefactionem, & ea posteriustempore, cognoscamus putrefactionē esse separationem humidi à sicco; quoniā videmus putrescentia in hoc tandem desinere vt remaneat terra, & materia quædam sicca, quum humor iam secretus sit, & in vaporem conuersus euanuerit. Dicimus igitur putrefactionem ab Arist. definiri non pro solo termino, sed vt viam quoq; præcedentem complectitur; sic enim est formaliter separatio humidi à sicco, quæ in tempore fit: idq; Arist. significauit dicens proprij caloris corruptionem; calor enim est qualitas, nec corrumpitur, seu euocatur, nisi in tēpore, nec in prima eius imminutione interit forma mistis sed postquam tota latitudo, intra cuius terminos forma misti seruari potest, destructa est, tunc subitò interit forma misti. Dignum aūt cōsideratione est, cur Arist. in ea definitione ipsum misti interitū non expresserit, quū tamen putredo sit misti interitus quatenus mistū est; sed hoc postea quū de putredinis specieb. agemus, considerabimus, & magno cū artificio ab Arist. factum esse ostēdemus. Patet igitur, prædictā putredinis definitionem nō esse merè causalem, qualis est illa, eclipsis est obiectio terræ; sed esse definitionem perfectam, quę & causalem & formalem continet; sic enim est demonstratio positu differens, at secundū illos esset solùm medium, quod minimè dicendum est.

Quodnam sit ambiens, cuius calor est causa putredinis. Cap. VII.

F HActenus structuram definitionis putredinis & Arist. in ea afferēda artificium considerauimus, sequitur vt singulas eius partes ordinatim expendamus. A prima igitur causa ordiendo, quam Arist. ambientis calorem esse ait, cognoscēdum est quodnam sit intelligendum ambiens, quod suo calore corpora putrefacit. *Opinio aliquorum & argumentum.* Sunt qui dicant, hāc non esse aliud, quàm aërem & aquam, & argumen-

A tum sumunt ex ipso Arist. in eadem tractatione dè putredine, vbi hæc tantùm duo ambiētia nominat. *Confutatio.* Hæc tamen sententia falsa est, & melius est, vt communi interpretū opinioni adhæreamus, qui dicunt ambiens esse vniuersè intelligendum, vt complectatur omne continens, à quo res putrefieri possit, iam enim dixerat Arist. tria elemēta esse materiam igni ad putredinem faciendam; ergo vult etiam calorem ignis esse posse causam putredinis aliorū B elementorum: *Quomodo in animalium humores putrescant.* sic si sangnis, vel alius humor putrescat in venis, ambiens putrefaciens non est aër, aut aqua, sed est circunstans caro, seu pars alia solidior, quæ calore extraneo, & modum excedente affecta, efficit in humorib. putredinem tanquā causa quædam externa, quæ naturalem humorū calorem educit, & ita putredinem efficit: sic quando ex obstructione, vel prohibita trāspiratione fit in animalium corporib. putredo, vapores ab humorib. exhalati, quū difflari non possint, ibi manentes C calefaciunt humores, ac putrefaciunt tanquam externa quædam causa; ob eandem enim rationem fit etiam lætaminis putrefactio multò facilior, atq; celerior, si lætamen in aceruū congregatur, propterea quòd vapores intrinsecus exhalati, quum nequeant difflari, funguntur officio externi calidi putrefacientis. *Argumenti solutio.* Argumentum autem illorum nullius roboris est: Aristot. enim in illa parte exempli tantùm D gratia nominat aërem, & aquā, non quòd hęc sola nomine ambientis comprehensa esse voluerit, ita vt cætera omnia excluserit: cur aūt hæc potiùs nominauerit, quàm alia, non absque ratione id factum est; ibi nanq; Arist. pluribus signis eam putredinis definitionem cōfirmat, quæ omnia sumuntur ab ijs, quæ in aëre, & in aqua putrescunt, tanquam à manifestioribus: signa enim non dicuntur nisi illa, quæ manifesta sunt; à putredine autem humo- E rum in corpore animalis nullum signū accipi potuit, propterea quòd illa, quæ in animalis corporibus acciduīt, occulta sunt: non est igitur mirum, si Arist. ibi nominet solum aërem & aquam, dum varia signa desumit ab illis rebus, quæ in his duobus elementis manifestè ob corporis ambientis calorem putrescunt.

Quomodo putredo tum à calore alieno, tum à proprio frigore fieri dicatur.
Cap. VIII.

SEd alia nobis de putredinis causa maior difficultas proponitur. quum enim Arist. statim post allatam putredinis definitionem dixerit à duabus simul causis putredinem fieri, à calore alieno, & frigore proprio, considerādum est, quomodo hoc intelligere dicebamus. *Recentiorum opi.* Plures recentiores id ita intelligunt: calor ambientis incipit primò educere

calorē naturalem, quo imminuto, frigus naturale inualescit; quum enim non extrahatur frigus, sed solus calor, frigus seruat propriū gradum, calor autem imminuitur; ergo proprium frigus inualescit supra calorem proprium ipsius misti, & incipit ipsum excellere, adiuuans in h... calorem externum vt altera causa positiua: quare euaporatio caloris naturalis duas habet causas positiuas, calorem externum euocantem, & internam frigiditatem expellentem, tametsi origine & tempore prior est calor externus, qui primò incipit calorem naturalem educere, & facit vt internū frigus incipiat inualescere. Ex hoc præterea eorum aliqui colligunt non esse eam, quam diximus, perfectam definitionem, & in hoc omnes decipi; sed absolui postea ab Arist. definitionē, quando adijcit etiam frigus propriū tanquam alteram putredinis causam; etenim in definitione perfecta debuit vtraq; causa nominari, & frigus proprium, & calor alienus.

Confutatio. Ego verò hęc omnia falsa esse existimo. Et primùm quidem id, quod de frigore dicunt, neque rationi, neq; Arist. consentaneum est: existente enim adhuc misto, & nondum corrupto, vna est eius natura, & vna temperies; quare non sunt ibi calor & frigus tanquam duæ distinctæ qualitates, sed est vna qualitas media, quæ aliquibus gradib. calorem redolet, & aliquibus frigus, eaquè dum gradus caloris euocantur, magis ac magis tendit ad frigus, donec tandem mistum intereat; non est igitur verum illud, quod dicunt, frigus seruare proprium gradum; quū enim ex priuatione caloris frigus necessariò oriatur, necesse est vt cū caloris imminutione fiat incrementum frigoris: quocirca non rectè dicitur eundem esse frigoris gradum immutabilem, qui imminuto calore idem seruetur. Sed maximè falsum illud est, quod dicūt, gradus frigoris agere in gradus caloris ad eos expellendos: nam existente adhuc vnione non potest frigidi in calidum actio fieri, quum adhuc sit vna tantùm qualitas media, quæ immutatur continuè, & fit magis vergens ad frigidum, nec ab vlla alia actione, nisi caloris externi euocātis calorem naturalem: quò fit, vt quū calor temperatus à frigore terminetur, atq; contineat humidum iunctum sicco, idem calor debilitatus reddatur impotens ad continendū proinde humidum diffluat, & separetur à sicco. Præterea primaria operatio frigoris est refrigerare, ergo internum frigus non potest positiuè agendo pellere calorem, nisi refrigerādo: ergo idē corpus refrigerabit seipsum, quod dicere vanū est.

Vera sententia. Frigus igitur proprium non potest esse causa positiua, quę calorem expellat, sed est causa priuatiua, & mera priuatio caloris producta à calore ambientis, quæ nō agit in calorem, sed in humidum tanquā causa priuatiua; corpus enim ex defectu caloris est frigidum: quare non potest amplius ab ea qualitate nimis ad frigus vergente contineri humidū, ne diffluat, & a sicco separetur. Hoc significauit Arist. quando post allatam definitionem subiunxit [*quare quoniam ob indigentiam patitur calidi, indigens autem tali virtute frigidum omne*] considerandum enim est, quodnam dicat Arist. esse patiens, & hoc quidnam patiatur: certè mistum est id, quod patitur, patitur autem putrefactionem, & hanc non potest intelligere Aristot. esse proprij caloris corruptionē, sic enim assignaret idem vt causam suprà; quia sensus esset, patitur corruptionē caloris ob indigētiā caloris: sed necessariò intelligit sicci & humidi dissolutionem, quæ est putredo formaliter accepta; ex quo possumus intelligere hanc in illa definitione necessariò contineri, quum ex ea nunc ab Arist. hoc deducatur: sensus ergo illorum verborū est, quare quoniā mistum patitur dissolutionē humidi & sicci propter priuationē proprij caloris, omne autem calore priuatum frigidum est, ambæ vtiq; erunt causæ putredinis, & frigus proprium, & calor alienus: non igitur dicit frigus proprium esse causam respectu corruptionis proprij caloris, sed respectu separationis humidi, & causam quidem priuatiuam, quia pro eodem hic sumit frigus proprium, & proprij caloris priuationem, & ex priuatione caloris infert frigus proprium, tanquā declarans vnam & eādem causam priuatiuam prodeūtem à causa externa positiua, quæ est calor ambientis: inquit enim [*indigens calore frigidum omne*] non dicit, indiget calore propter frigus expellens, sed dicit, ea ratione dicitur frigidum; quatenus est calore priuatum: & rectè inquit [*indigens*] defectum indicans non cuiusuis caloris, sed proprij & naturalis; sic enim mistum fit indigens tanquam re sua, qua est priuatum: patet igitur Arist nullam tribuere frigido actionē respectu caloris, sed solùm respectu separationis humidi, quum dicat, patitur ob defectum calidi, hoc aūt est frigidum, ita vt eadem putredinis causa priuatiua significetur per frigidum, ac per defectum proprij caloris, cuius causæ causa prior est calor ambientis. Ex his colligimus, falsum etiā esse id, quod eorum aliqui dicunt nō esse completam putredinis definitionem, nisi addatur altera causa, quæ est frigus proprium: nos enim diximus definitionem, quā declarauimus, esse perfectam, & in ea comprehendi frigus proprium tanquam causam priuatiuam, quæ est effectus causæ primariæ; nā dicere corruptionē proprij caloris, est dicere incrementum frigoris; quare nulla ampliùs additione opus est, sed potiùs declarat o... e: illud

illud enim, quod ab Arist. postea de frigore subiungitur, nil aliud est, quàm declaratio, qua significatur contineri frigus in ea definitione vt causam putredinis; hoc enim colligit Aristoteles ex ea hoc pacto; omne priuatum calore est necessariò frigidum, ergo si priuatio caloris efficit putredinem, frigus efficit putredinem; primaria tamen causa est calor ambientis, secundaria verò frigus proprium, id est defectus proprij caloris: significat hoc dictio illa illatiua [*quare*] qua indicat Aristoteles se non addere aliquid noui præter illa, quæ in definitione sunt posita, sed ex illa inferre aliquid, quod in ea continebatur virtute: quicquid autem ex aliqua definitione necessariò colligitur, id non potest esse illius definitionis pars alijs partibus adiecta, sed vel est earundem declaratio, vel proprietas consequens: ideò verba illa [*& putrefactio communis affectio frigoris proprij, & caloris alieni*] sensum habent causalem; non enim significant putredinem esse affectionem calidi & frigidi vt subiectorum, sed vt causarum, à quibus efficitur, sicut etiam in libris de anima sæpe Aristotel. dicit affectiones animæ, id est, quæ producuntur ab anima: sic igitur patet proprium frigus non addi ab Arist. vt alterã causam corruptionis caloris, vt illi existimarunt, sed vt declarationẽ ipsiusmet priuationis caloris; Arist. enim sic expresiè ex definitione colligit id, quod implicitè solùm in ea continebatur.

Quomodo calor extraneus in calorem naturalem agere, & corrumpere ipsum dicatur. Cap. IX.

QVoniam autem dictum à nobis est, corruptionem proprij caloris ita esse intelligendam, vt etiam proprij humidi separationem complectatur, eamq; à calore ambientis fieri; consideratione dignum est, an calor externus agat priùs in calorem naturalem, & ipsum educat, deinde eductionem caloris eductio humidi consequatur, an è contrario priùs agat in humidũ, deinde per quandam necessariam cõsequutionem calor quoque naturalis vnà cũ humido exhaletur: nec soluitur dubium dicẽdo educi simul vtrunq;, adhuc enim difficultas manet, vtrius eductio sit secũdùm naturam prior. Sunt qui dicant, calorem externum non agere primùm in internum calidum, sed in humidum, hoc moti argumento; quòd non agit simile in simile, neque corrumpitur simile à simili, quare non potest immediatè calor in calorem agere, sed priùs agit in humidum, deinde huius eductionem insequitur caloris quoq; naturalis eductio. Alij verò dicunt, à calore externo educi priùs calorem naturalem, deinde consequi vt etiam humidum educatur; quæ communior,

Aliquorum opinio.

Aliorum opinio vera.

A ac verior sentẽtia est, & tum Arist. testimonio, tum ratione comprobatur. Arist. enim postea eodem in loco dicit [*exeunte enim proprio calido coeuaporat quod secundùm naturam est humidum*] vult igitur exitũ proprij caloris priorẽ esse saltem natura, deinde per quandam consequutionem humidũ quoq; naturale exire, & euaporare. Adest etiam ratio; quia non est necessariũ vt amoto effectu amoueatur causa, est tamẽ necessarium, vt amota causa amoueatur effectus, B pendet enim effectus ex causa, nõ causa ex effectu; atqui calor naturalis in misto est causa cõiunctionis humidi cum sicco, vt Arist. dixit; ergo necesse est vt exitũ caloris naturalis insequatur separatio humidi à sicco, non sic necessariũ est vt exitum humidi insequatur exitus caloris naturalis; in multis enim videmus cõtingere, vt si exiccentur, à putredine præseruentur, & diutius durent: cum igitur calor euaporet, non potest vt causa assignari C euaporatio humidi; quia neque est causa, neq; hanc necessariò caloris euaporatio cõsequeretur. Hanc igitur & calidi, & humidi eductionẽ ita intelligere debemus, vt priùs tollatur causa, deinde verò effectus, & caloris eductionẽ eductio humidi consequatur. Ob id antea diximus, nullã esse aliã putredinis essentiam, quã separationẽ humidi à sicco, proprij aũt caloris corruptionem esse potius causam putredinis, quã ipsammet putredinẽ; etenim D generatio quoq; misti fuit cõiunctio humidi cum sicco, calor aũt in ea locum habuit agentis. Hinc aũt colligimus validam cõfirmationem eorũ, quæ de actione frigidi in misti generatione antea diximus: ex eo enim quòd solius caloris euocatio est causa putredinis, manifestè infertur solum calorem continere, & vnire siccũ & humidum, & per se generare mistum; nam si frigus quoq; in generatione per se ageret, & contineret humidum cõiunctum E cum sicco, deberet etiam frigoris corruptio, seu eductio esse causa dissolutionis, & putredinis; quod tamẽ Aristot. nunquam dixit, sed solius caloris remotionem causam putredinis esse voluit. Potest præterea illud, quod dicebamus, confirmari testimonio Arist. in problem. 20. part. 25. vbi rationem reddens cur ignis non putrescat, inquit; quia refrigerari priùs oportet illud, quod putredinẽ est concepturum, ignis autem refrigerari nõ potest, F sed semper est summè calidus: notanda enim est dictio illa [*priùs*] quæ significat caloris proprij corruptionem, quam vocat refrigerationem, non esse formaliter putrefactionem, sed illi præcedere vt causam, si non tempore, saltem naturâ, ideò relinquitur nullam esse aliam essentiã putrefactionis, quàm separationem humidi à sicco. Itaque in putrefactione hic est naturæ ordo: calor ambientis euocat

Ordo naturæ in putredine.

calorem naturalem, & ita ipsum corrumpere A dicitur, corruptionem autem proprij caloris insequitur separatio humidi à sicco. Ad argumentum autē illorum dicimus, non ita intelligi, calorem à calore corrumpi, vt cōtrarium destruitur à suo contrario, sic enim calidum à frigido interimitur, nō à calido; sed calorem corrumpi, id est priuari mistum suo calore naturali à calore alieno ipsum euocāte: non est autem absonum rationi vt simile ad se trahat suum simile, etenim dum ipsum secundùm se B calorē consideramus, est eductio caloris, non corruptio; at respectu misti est caloris destructio, quatenus mistum suo calore priuatur: quòd autem simile attrahatur à simili, videtur esse per se manifestū, nec probatione indigere; vt enim contrarium pellitur à suo contrario, ita ratione consonū est vt simile attrahatur à simili: idq; asserere videntur medici de medicamentis purgantibus, purgant enim per attractionem ratione similis qualitatis. Propriè igitur calorem à calore non interimi fatemur, nisi quatenus potest calidus agere in minus calidum, sed tunc non vt in calidum agit, sed vt in frigidum; destruit enim in eo gradū frigoris, non gradū caloris: trahi tamen calor à calore potest, vt simile trahitur à simili. Sed vt hoc meliùs intelligatur, digna est consideratione Alberti sententia, quā postea alij plures sequuti sunt: declarans Albertus quomodo corrumpatur calor naturalis à calore externo, notat calorem naturalem agere posse & vt naturalem, & vt calorem absolutè: nam in generatione misti agit vt naturalis, dū terminat humidum, & ipsum cum sicco commiscet, & coniungit cum sicco, quantum illius misti natura requirit, & has passiuas qualitates continendo conseruat mistum: at in misti interitu idem agit non ampliùs vt naturalis, sed solū vt calor, proinde vt igneus, agit enim in consumptionē humidi, & dissolutionē misti; etenim ambientis calor agens in mistum necesse est vt calefaciat, quia prima actio calidi est calefacere; hac igitur actione calor naturalis intenditur, & fit maior, ita vt sublata proportione ad passiuas fiat prçternaturalis, & destructiuus; ob id deserit illud mistum, & euaporat, & secū educit etiā humidum; & ita dicitur esse corruptus non vt calor, sed vt naturalis; quia tunc desinit esse naturalis. Hæc Alberti sententia certè artificiosa est, sed eam nonnulli recentiores impugnant hac ratione, quòd apud Arist. putrefactio fit, quando actiuæ desinunt imperare passiuis, & ipsæ passiuę actiuis dominantur; hoc autē esse non potest, nisi ob imminutionem caloris: quod etiam Arist. manifestè significat, quando dicit putredinem fieri & à calore alieno, & à frigore proprio, propterea quòd omne priuatum calore

Quomodo calor calorem corrumpat.

Sententia Alberti de caloris naturalis corruptione.

Recentiores contra Albertum.

A est frigidū: tantum igitur abest vt Arist. putet putredinem fieri per accretionem caloris in misto, vt potiùs apertè dicat eam fieri per caloris imminutionem, quam etiā appellat frigus. Ego tamen censeo Alberti sententiam sano modo intellectam defendi posse: nō enim eò caeca fuit Albertus, qui non viderit Arist. dicentem fieri putredinē à frigore proprio; sed significare voluit id, quod ipsa rei natura, si bene considerei, nobis ostendit: in principio B enim, quū externus calor agat in mistum, necesse est vt mistū reddatur calidius, prima namque actio calidi trāsiens debet esse calefactio; dicere autē duos numero distinctos calores simul in eadem re existere, vanum est; ipse igitur misti calor ex illa actione intēditur, & maior fit, & hac ratione dicitur corrumpi, quia desinit esse illi misto naturalis, quū amiserit debitam proportionem ad passiuas respectu naturæ illius misti; hinc igitur fit, vt deserat il C lud, & euaporet, ita vt res illa iādem sine calore maneat, & frigida: in fine igitur putrefactionis rē manere frigidam manifestū est; sed in initio quoq; dici potest frigida respectu caloris naturalis, quē nō habet, ille enim quem habet, non est naturalis, nec cōtinet humidū iunctū sicco; tunc igitur licèt mistū illud habeat maiorem calorem, quàm priùs, non habet tamen naturalē, & ita indiget calore vt naturali: quoniam igitur omne indigens calore D est ea ratione frigidum, mistū dicitur frigidū vt carens calore naturali: per hoc tamen non stat, quin esse possit calidius, quàm priùs, calore alieno, & aduēttitio; hoc enim & experiētia, & ratione, & Arist & Galeni auctoritate comprobatur. Experientia docet putrescētia in initio fieri calidiora, quàm priùs erant; aceruus enim tritici quando incipit putrescere, fit calidior; sic aceruus lætaminis in principio putrefactionis adeò incalescit, vt imposita oua E gallinarum foueat non minùs, quàm calor gallinæ, ita vt inde pulli nascantur: huius aūt duplex est ratio; vna, quam paulò antè retigimus, quoniam ex calidi externi actione necesse est vt mistum reddatur calidius; altera, quia etiam absque externi caloris consideratione calor internus exiens fit maior, id est, apparet maior, quia fit sensilior: in illa nanq; elementorum commistione, & cōtrariarum qualitatum contemperatione, atq; amicitia videtur F quodammodo contraria contrariam abscondere, ita vt neutra distincta sentiatur; sed dū vna cōtraria abiūgitur ab altera, sensilior fit; proinde videtur maior, prçsertim quando exeundo transit ab internis ad externa. Ex hoc autem sumi potest ratio differētiæ inter qualitates, quæ vocari solent à medicis actuales, & potentiales, seu virtuales: dicunt enim, vinum & piper habere frigus actuale; sed calorem vir-

Alberti defensio.

Qualitates actuales, & virtuales.

sem virtualem, tactu enim sentiuntur frigida, sunt tamen maximè calefactiua: cuius discriminis rationem quũ ego sæpe à pluribus medicis quæsiuerim, nunquam tamen ab aliquo intelligere potui, ipse autẽ arbitror eam sumi posse ex ijs, quæ proximè dicta sunt: quamuis enim illa plurimum habeãt caloris in sua temperatura, is tamen calor absconditus est à contraria qualitate, cui est cõmistus; sed si ab aliquo externo calefiant, vt à ventriculo, excitatur etiam calor internus, & ei adiunctus calor externus reddit calorem vnum magnum, & valde sensilem, ita vt postea illa maiorem ventriculo calorẽ retribuant, quàm ab eo receperint. Confirmatur autem illud, quod modò dicebamus, per id quod ab Arist. affirmatur, & ab ipsa experientia ostenditur de humido; par enim ratio est, quum in putrefactione & calidum & humidũ educatur: quemadmodum igitur illa, quæ putrescunt, fiunt in initio humidiora, non quidem noua humiditate; sed quia humidum ab internis ad externa eductum, & à sicco abiunctum fit sensilius; ita exiens calor ad externa rei putrescentis sensilior fit: illud igitur, quod putrescit, in initio vt humidius est secundùm Arist. ita etiam calidius; in fine tamen frigidum, & siccum fit, propter totius caloris, ac totius humidi euaporationem. Hoc etiam testatur clarè Aristot. in 20. problem. part. 25. dicens; necesse est vt id, quod putrescit, fiat calidissimũ, id est, vt magnum calorem suscipiat propter proprij caloris crementũ à calore ambientis. Et in 3. part. problem. 5. inquit calorem naturalem quandoque extingui ob excessum ab externo calore acceptum, vt in illis, qui à Solis ardore vruntur, & in ebrijs, qui quandoq; ob magnam ebrietatem tremunt; tremor enim ille prouenit à frigore, quoniam in illis calor naturalis est imminutus ex nimio excessu caloris à potu; ex eo enim calor, qui erat naturalis, fit præter naturam, & euaporat: certum autẽ est illis ebrijs in principio magnum esse calorem, sed dum definit esse naturalis, euaporat, & corpus frigidum relinquit. Galen. quoque in lib. 2. de Temperamentis, cap. 6. inquit illa, quæ putrescunt, calidiora fieri adscititio calore, proprio autem frigidiora. Hoc igitur modo intellecta opinio Alberti est rationi & experiẽtiæ, & Arist. cõsentanea; quum negari non possit putrescentia omnia in principio fieri calidiora, neq; p hoc stet quin dici possint frigida ratione caloris naturalis, quo destituuntur. Argumentũ igitur, quo illi aduersus Albertum vtũtur, facilè soluitur: fit enim putrefactio ex imminutione caloris vt naturalis, quia definit esse naturalis, & postea etiam separatur à misto; sed simul etiam fit ex intensione caloris prout absolutè est calor.

Solutio argumenti recentiorum.

Declaratio illorum verborum, in vnoquoque humido, *in definitione putredinis.* Cap. X.

HActenus ea, quę ad ambientis calorem, & ad naturalis caloris corruptionem pertinent, declarauimus; restat vt verba illa [*in vnoquoque humido*] perpendamus: dubitare nanq; non absq; ratione possumus, an per hæc intelligat Arist. humidũ naturale, an omne humidum indistinctè, seu naturale, seu aduentitium; quum enim dicat [*vnoquoque*] videtur omnem calorẽ amplecti, non solum naturalem, attamen sequentib. verbis videtur hæc interpretari, quando subiungit *exeunte enim proprio calido, coeuaporat quod secundùm naturam est humidum*] intelligit ergo solum humidum naturale; ideo sensum hũc omnes interpretes receperũt, vt Arist. dicens [*in vnoquoque humido*] intelligat omne humidum naturale, non omne absolutè. Sed hæc interpretatio mihi non parum dubia est, potuisset enim Arist. in definitione quoq; dicere, in humido naturali, si voluisset; cur igitur postea dicit, quę secundùm naturã est humidum, in definitione verò dicit, vnumquodq; humidum? Mihi quidem videtur huiusce rei declaratio sumi posse ex eiusdẽ dubij solutione, quod à nemine vidi fuisse cõsideratum: videtur putredo esse eductio nõ solũ humidi naturalis, ex quo tanquam ex materia constat ipsa misti substãtia, sed etiam humidi aduentitij, à quo nõ fit coniunctio partium; videmus enim ligna arida in ædificijs diutissimè seruari sine putredine, & multis seculis manere illæsa; ea tamen, si madefiant, & externo humore humectẽtur, facillimè putrescunt ex illa humectatione; videtur igitur putredo esse eductio etiã humidi aduentitij: hoc tamen non est cõsonum rationi; quia si putrefactio est interitus contrarius generationi misti, debet esse dissolutio misti in humidum & siccum naturalia, ex quibus genitum est, & constat, sed non euaporatio humidi aduentitij, quod substantiæ pars non est. Si bene dubium hoc consideremus, nulla esse potest alia eius solutio, nisi hæc: calor (vt iam diximus) non ita corrumpitur, vt prorsus intereat, sed consumpitur illi misto, quoniam ab eo recedit; atqui recedere non potest calor sine proprio interitu, quum accidens idem numero non possit deserere proprium subiectum, & migrare ad aliud; necessaria ergo est calori substãtia humida, in qua resideat, si debeat educi, sic enim cum substantia humida tãquam vehiculo calor euaporat: in lignis ergo aridis nulla est humiditas nisi naturalis, & ea quidẽ modica, per quam coniunctæ sunt partes, quæ dicitur humiditas oleosa, cuius signum manifestum ab Alchimi-

Communis expositio.

Dubium.

Solutio.

ſtis babemus, nulla enim res eſt ita ſicca, & arida, vt ex ea ipſi oleum non educant, hoc aūt educto remanet puluis inconiunctus, quia ſeparata eſt illa bumiditas, qua fiebat partium conglutinatio; quum igitur hæc interna, ac naturalis lignorū humiditas difficillimè extrahatur, ideo ligna arida non facilè putreſcunt, quia non poteſt calor ſolus euaporare ſine ſubſtantia humida; at ſi eadem ligna extraneum aquoſum humorem imbiberint, facilè putreſcunt, quia ille ſatis eſt vt poſſit cum eo tanquam vehiculo calor naturalis educi à calore ambientis; eductionem autem proprij caloris inſequitur proprij quoq; bumidi eductio, & ſeparatio à ſicco: quum enim proprio naturali calore deſtituatur miſtum, ita vt proprium bumidum non habeat ampliùs calorē, à quo contineatur, diſſoluitur, & fit ſeparatio humidi naturalis à ſicco, quæ eſt putrefactio. Sunt igitur in lignis illis conſiderandæ ac diſtinguendæ bæ duæ humiditates; vna aduentitia, altera naturalis: aduentitiæ quidem eductio, ſeu euaporatio non eſſet putredo, niſi cū ea calor naturalis educeretur, ſed ea eſt ſolū occaſio putredini, quia offertur calori vt vehiculum, cum quo calor educatur; bæc igitur aduentitij humoris eductio non eſt putrefactio, ſed eſt cōditio, ſine qua tamen calor lignorum naturalis non extraheretur; ſed putrefactio eſt alterius propriæ humiditatis eductio inſequens eductionem caloris naturalis; aliquæ autem res adeò abundant bumido naturali, vt eo ſolo ſine alio aduentitio bumore ſint aptiſſimæ ad putredinem, vt caro, lac, & alia multa, in quibus bæc bumiditatis diſtinctio locum non habet, ſeu nullum momentū facit. Ariſt. igitur in definitione dixit vniuersè [*in vnoquoque bumido*] vt omne humidum cōplecteretur quod ſit vehiculū calori ad exeundum, ſiue ſit naturale, ſiue aduentitium: non enim denotare per hæc verba voluit illud bumidū, cuius à ſicco ſeparatio putredo eſt, ſed conditionē ſubiecti putreſcibilis, ſine qua calor naturalis non educeretur; quia non datur hęc proprij caloris corruptio, niſi in corpore humido, id eſt, babēte aliquam humiditatem ſiue propriā, ſiue aduentitiā: patet igitur verba illa non ipſam putredinis eſſentiam ſignificare, quæ eſt proprij humidi euaporatio, ſed ſolūm ſubiectum putreſcibile; nam ita communiter acceptum humidum non eſt illud, cuius à ſicco ſeparatio ſit putredo, eſſentia autem putredinis ſubintelligitur, quia conſtituta naturalis caloris corruptione, inſequitur neceſſariò ſeparatio humidi naturalis à ſicco; idq; Ariſt. ipſe ibidem poſtea declarat dicens [*exeunte enim proprio calido coeuaporat quod ſecundùm naturam eſt humidum*], bæc igitur quā diximus, eſt ratio cur ibi exprimat humidum naturale tantūmodo, priùs verò in definitione vniuersè dixerit [*in vnoquoque humido*] cōplectens etiam aduentitium: vnde patet ſequētia illa verba [*coeuaporat quod ſecundùm naturam eſt humidum*] nō eſſe declaratiua illorum [*in vnoquoque humido*] ſed ipſius eſſentiæ putredinis, quę in definitione continebatur implicitè in ijs verbis *corruptio proprij & naturalis caloris* vult enim poſtea expreſsè nos admonere in hac corruptione proprij caloris inclusam eſſe coeuaporationem humidi naturalis, quæ ex neceſſitate illam conſequitur.

Expoſitio propria.

An detur alia putredinis ſpecies, quæ ſub definitione prædicta non contineatur, opiniones aliorum. Cap. XI.

Definitione putredinis declarata, conſiderandum eſt, an hæc omnem prorſus putredinis modum comprehendat, an alia putredinis ſpecies detur, quæ hac definitione non contineatur, vt nonnulli recentiores exiſtimarunt; nam Thomas Eraſtus, & Archangelus Mercenarius, quū in hoc conſentiant, duas eſſe putredinis ſpecies, quarum alteri tantùm competat definitio prædicta, alteri verò nequaquam, in his tamen ſpeciebus ſtatuendis diſſenſerūt, & inter ſe acerrimè cōtrouerſati ſunt, vt in eorum iteratis diſputationibus ac certaminib. editis videre eſt. Quoniam igitur noua ab vtroq; dogmata hac de re introducta ſunt, & Ariſt. attributa, non erit ab re ſi eorum ſententias aliquantum expendamus. Putauit Eraſtus duas duarum diuerſarum putredinum definitiones ab Ariſt. afferri in initio quarti Meteorologici, vnam priorē in contextu tertio, alteram verò poſteriorem in ſexto: priorem quidem dixit miſti quatenus miſtum eſt, naturalem interitum, proinde verò contrariam generationi miſti, quum ſit eius diſſolutio in elementa, ex quib. genitum eſt, & omni miſto neceſſariam, niſi priùs contingat vt aliquo violento interitu miſtum pereat; ideoq; iure vocari ab Ariſt. interitum naturalem, quia fit ab interno principio: non enim à calore externo, ſed potiùs ab interno & naturali, ſiquidem proprius miſti calor tandē abſumit bumidum naturale, quod illi pabulum eſt, quo fit vt ipſe quoq; calor naturalis pabulo deſtitutus tandem marceſcat: huius igitur putredinis naturalis, inquit Eraſtus, definitionem afferri ab Ariſt. talem, putredo eſt finis interitus naturalis miſti quatenus miſtum eſt. Alteram verò poſteriorē putredinis ſpeciem dixit violentam eſſe & morboſam, fieriq; à principio externo, nempe à calore ambientis, & vocari ab Ariſt. interitum ſecundū partem: quia per hanc nō diſſoluitur prorſus miſtum in elementa, ſed in aliud miſtum mutatur: huius definitionē eam eſſe inquit, quā ab Ariſt.

ab Arist. in 6. lib. illo cõtex. traditam nos iam abunde declarauimus, hanc scilicet, putrefactio est corruptio proprij & naturalis caloris in vnoquoq; humido à calore ambientis; hac definitione negauit Erastus priorem putredinis speciem contineri, quæ à proprio calore fit, non ab alieno, proinde nõ est violenta, sed naturalis. Mercenarius verò alio longè diuerso modo duas putredinis species statuit; priorem enim dixit esse illam, quæ in 6. contextu definitur ab Arist. & est corruptio proprij caloris in vnoquoq; humido à calore ambiẽtis, quæ Erasto fuit posterior species, quare in hac non dissident: quæ enim ab Erasto dicta est secunda species putredinis, eadem est, quæ prior à Mercenario est posita, preterquã quòd hanc negauit Erastus vocari naturalem, puta vitiq; ab Arist. in cõtex. 5. appellari interitum, secundùm partem; Mercenarius verò naturalem esse ait, & ab Arist. in contex. 3. ita appellari, & esse interitum secundùm totum, nõ secundùm partem; ita vt de vna & eadem putredine loquatur Arist. in 3. & in 6. contex. Alterã verò putredinẽ inquit esse illam, quę ab Arist. in contextu paucis verbis tangitur, & vocatur interitus secundùm partem, & elementis cõpetere dicitur excepto igni; hanc inquit non esse corruptionẽ proprij caloris à calore ambientis, sed esse potius quãdam corporis impurationem propter admistionem corporis alieni, quàm Arist. vocat separationem à natura, hoc est, recessum quendam à statu naturali, qui non est omninò interitus rei; vt quando aëri commiscentur halitus fumosi, vnde dicit aër putrescere, quia recedit à sua naturali cõstitutione; sic quando aquæ eiusmodi exhalatio fumida è terra ascendens cõmiscetur, dicitur aqua putrescere; ita vt elementis non competat illa putredo, quæ est proprij caloris corruptio à calore ambientis, sed hæc posterior, quæ est impuratio quædam ob alieni corporis admistionem. Ad hanc de secunda putredine sententiam cõprobandam vsus est Mercenarius duob. argumentis. Vnum est; duo elementa, terra & aqua, nullum habent propriũ calorem, ergo nõ sunt obnoxia illi putredini, quæ est proprij caloris corruptio. Alterũ est: si tali putredine elementa putrescerent, redirẽt potiùs in suam puritatẽ, & naturalem simplicitatẽ, quàm recederent à natura, quia putredo est dissolutio in elemẽta, & misti in simplicia; cõsequens tamen aduersatur Arist. qui vult elemẽta ita putrescere, vt à sua natura recedant. Cæteri verò omnes interpretes Arist. & Grçci, & Latini, & Arabes, vnam tantùm putredinis speciem agnouisse videntur, quæ ab Erasto posterior, à Mercenario antẽ prior putredinis species appellata est, & cuius definitionem nos hactenus declarauimus; ita vt

Mercenarij opinio.

Primũ argumentum Mercenarij.

Secundum argumentum.

Aliorũ communis opin.

A communi eorum omnium cõsensione omnis putredo sit corruptio proprij caloris à calore ambientis, nec detur alius putredinis modus quẽ hæc definitio non cõplectatur: igitur & ea, quæ ab Erasto prior adducta est, & ea, quæ à Mercenario posterior, ipsorum inuenta fuisse videntur, quę à nobis considerãda sunt, vt intelligamus, quę nam, & qualis illa putredo sit, quę ab Arist. vocatur interitus secundũ partem, & elementis quoq; attribuitur, & an B definitione illa, quam declarauimus, cõprehendatur: certum enim est illa Arist. verba & Erastum, & Mercenarium ad excogitandam aliam putredinis speciem induxisse.

Dictarum opinionum confutatio, & argumentorum solutio. Cap. XII.

Ego verò quum à cõmuni interpretũ sententia non recedam, qui putarunt vnam tantummodò esse putredinem, cuius definitio iam est à nobis declarata; proinde et- C rasse tum Erastum in priore ab eo inuenta putredine existimem, tum Mercenariũ in posteriore; aliqua breuitate aduersum vtranq; sentẽtiam adducam. Quod ad Erastum attinet, eius error satis manifestus est: nam si duæ sunt putredines, vna naturalis, altera violenta, conueniẽs fuit vt Arist. de naturali putredine fusiùs, quàm de violenta, ac diligentiùs loqueretur; tamẽ de violẽta longè plura dixit, & eius de- D finitionem exactissimã attulit, eamq; postea longo sermone declarauit, de naturali autem admodum pauca dixit in solo tertio contex. Imò huius nullam definitionẽ adduxit: quod enim Erastus dicit, eã ita definiri, putredo est finis interitus naturalis, id nulla ratione admittẽdum est; nã in definitione accidentis perfecta duo exprimere oportet, tum essentiam ipsius, tum causam, propter quam est; quorũ neutrum ijs verbis exprimitur: quòd enim es- E sentia non exprimatur, manifestũ est: quia dicere finem interitus naturalis est dicere quendam respectum ad præcedentia, & conditionem quandam communem, sed nõ est dicere, in quonam ipsa putredinis natura, & essentia sit cõstituta, & quidnam ipsa secundùm se sit: causa verò huius putrefactionis est secundũ Erastum calor naturalis absumens proprium humidum, huius tamen nulla in ea definitione fit mentio, quũ tamẽ omnino faciendã fue- F rit: quod enim dicit Erastus eam subintelligi, vanũ est; quomodo enim potest subintelligi, si nota non est? & quomodò potest esse nota, si ab initio primi Physicæ auscultationis ad hunc vsq; locũ nusquam fuit ab Arist. declarata? dico præterea falsum omnino hoc esse, quod Erastus putredinis naturalis causam esse asserit, nempe propriũ misti calorem ali humido proprio, & ipsum absumere tanquã pa-

Opinio vera.

Confutatio opin. Erasti.

bulum; de solo enim calore animali id verum est, propriumq; est animatorũ, vt eorum calor humido naturali nutriatur, ipsumq; tandẽ absumat, quę est viuẽtis mors per vltimã resolutionẽ, naturalis appellata; & in hoc rectè carpit Erastũ Mercenarius, licèt nullã huiusce discriminis rationem adducat: ego verò hãc esse puto rationem, quòd calor naturalis dupliciter accipi potest, vno modo pro solo qualitate, altero modo pro subiecto quali sicuti solent medici nomine caloris naturalis vitales B spiritus intelligere, qui sunt primũ subiectũ caloris animalis: igitur quando dicimus calidum nutriri humido tanquã pabulo, nõ possumus simplicẽ qualitatẽ intelligere; non potest enim humiditas in calorẽ verti, sed potiꝰ destruitur à calore, quoniã nutriri aliquo est vertere illud in suam substantiã, sic enim dicimus ignem ali cõbustili, id est, illud vertere in ignẽ: in animantib. igitur calorẽ vesci humido vt pabulo nõ potest intelligi de calore, ac- C cepto pro qualitate, sed accepto pro spiritib. vitalibus, qui continuè nutriũtur, dũ vertunt humidum in suam substãtiam; hæc aũt humidi consumptio, & ex consumptione nutritio, nõ fit, nisi ex actione substantiæ calidæ in aliã substantiã humidam; proinde nõ habet locũ, nisi in corporibus heterogeneis, quæ constãt ex partib. diuersarũ naturarum, & diuersarũ tẽperierum; alia namq; est natura spiritus, alia sanguinis, alia carnis, alia ossis: dicere igitur D possumus carnẽ nutriri sanguine, & spiritus nutriri humido in eorũ substantiã conuerso, & hac ratione nutriri calorem naturalem, id est, conseruari per conseruationem spirituũ: at vbi vna & eadem est substãtia homogenea calorem habens, & humiditatem naturalem, nihil est vanius, quam dicere calorem ali per consumptionem humidi naturalis: vna enim est natura, ac tẽperies misti homogenei, quare non potest agere in seipsam: adde ꝙ calor E in nutritione non agit nisi per mediam calefactionem, ergo oporteret idem mistũ calfacere seipsum, quod dicendum non est; sic enim esset simul calidum & non calidum, & actu & potestate secundùm idem, quod ne imaginabile quidem est. Præterea si hoc verum esset, etiã mista inanimata egerent sumptione alimenti externi pro consumpti humidi restauratione, hoc tamen nemo vnquam dixit: videmus n. multa mista sine vllo assumpto alimento diutissimè durare, vt metalla, & lapides, & oleũ; in his ergo nulla proprij humidi cõsumptio fit. Dicendum ergo est calorem temperaturæ in misto cõtinere, & conseruare humidũ sibi coniunctum, tantũ abest vt absumat ac perimat: ideò rectè dicit Albertus calorem misti, dum agit vt naturalis, cõseruari humidũ, nec sinere clabi ac diffluere: non est ergo Arist. attribuenda hæc opinio, quę omnino repugnat veritati: & miror quomodo Erastus in tãtum errorem lapsus sit, quũ præsertim modus ille loquendi Arist. non possit definitionem significare, potiùs enim denotat quæ corruptio sit putredo, quàm quid sit; & sententia Arist. est, quòd illa putredo, quę est interitus naturalis, & oppositus generationi misti, fiat à calore ambientis, eaq; definitur in contex. 6. illius libri, vt est omniũ interpretũ opinio, quam tuetur rectè Mercenarius contra Erastũ. Possumꝰ aũt aduersus eum considerare etiam verba Arist. in contex. 4. quando dicit [*quare humida primùm, deinde sicca tandem fiunt illa, quæ putrescunt*] nam secundùm Erastum dicere oporteret mista semper magis exiccari, si semper calidum absumit humidũ: igitur quomodo dicit Arist. putrescẽtia fieri primũ humida, deinde verò manere sicca? vidit hãc difficultatem Erastus, & illa verba ita est interpretatus: mista putrescentia habent in principio humorẽ, & humida sunt, tandem verò toto cõsumpto humido remanent arida. Sed hæc non est conueniens interpretatio, quia non dicit Arist. ea esse humida, sed fieri humida ob ipsam putrefactionẽ, quum ante putrefactionẽ non essent humida, siquidẽ per eductionẽ humidi ad superficiẽ, in extima parte reddũtur humida in initio putrefactionis. Sed non rectè etiã diceretur omnia mista esse humida: quãuis n. omnia mista habeant humorẽ in sua mi[illegible] [illegible], nõ ob id omnia denominãtur humida; e[illegible] [illegible] fit denominatio, nisi ab excessu, vt lignũ aridũ vocamus siccum, non vocamus humidũ, licèt aliquid habeat humidi in sua mistione: aliud ergo est dicere omne mistũ habere in se humiditatẽ, aliud est dicere omne mistũ esse humidũ: nam id quidem verum est, sed hoc est falsum. Mercenarius quoq; in secunda ab eo adducta putredine, quam secundùm partem vocauit, deceptus est. Primũ quidem non est verum id, ꝙ ait, hanc esse elementorũ propriam putredinem: nam modus loquendi, quo Arist. in co 5. context. vtitur, significat hanc mistis quoq; cõpetere; inquit enim [*propriè dicitur putrefactio in his, quæ secundùm partẽ intereunt*] postea verò subiungit [*quapropter & putrescunt alia omnia excepto igne*] & ita colligit tria quoq; elemẽta hoc modo putrescere: non ergo solis elementis hanc putredinem attribuerat, nam dictio coniunctiua indicat eam alijs F quoq; cõpetere præter elementa; hoc autem postea manifestum fiet, quũ declarauerimus quid sit hæc putredo, quę secundùm partẽ dicitur. Sed ipsa met Mercenarij de hac putredine sententia videtur esse absona rationi, neq; Arist. attribuenda: nam si putrescere elementa dicuntur per alieni corporis admistionem, quòd recedãt à sua naturali puritate; ergo il- *Cõfutatio opinionis Mercenarij.*

latsia

la tria elementa sunt semper putrida, semper enim sunt mista, & absque naturali simplicitate: salsedo enim maris indicat mistionē cum halitu terreo, & in aëre semper sunt halitus à terra ascendentes, vel saltem frequentissimè; terra quoque in extima saltem parte, & à centro remotiore apparet humefacta, & cum aqueo humore commista, attamen nec totam aquam maris vocamus putridam, nec terram madefactam, nec aërem per vaporum cōmistionem putrescere dicimus: non igitur in hac commistione consistit natura putredinis, ita vt quicquid habet alienum corpus sibi commistum, ea ipsa ratione dicatur putridum: sed quidem verum est, talem cōmistionem in elementis esse putredinis causam, sine qua non, quia nisi essent mista, non putrescerent; sed tali commistione posita non necessariò ponitur putredo, causa enim est vt sint putrescibilia, sed non vt sint putrida; sic autem & cætera mista non semper putrescunt, sunt tamen semper putrescibilia, quum sint mista. Præterea verbis Aristot. aptari hæc sententia nullo modo potest, qui in eo loco de tali cōmistione ne verbum quidem facit; erat tamen omnino exprimenda, si in hac ipsa conditione hæc secunda putredo constituta est. Arist. autem nil aliud dicit, nisi aliqua secundùm partem putrescere; at hoc quomodo significare possit cōmistionem cum alio corpore, ego quidem imaginari non possum, est enim absona rationi, & incongrua hæc interpretatio; at (inquit Mercenarius) declarat hoc Arist. quando subiungit [*quum separata fuerint à natura*] per talem enim commistionem elementa remouentur à sua naturali constitutione: sed hoc reuera nihil est, quia separari res à sua natura pluribus modis possunt, non hoc vno, quem ipse ponit; nam & quando elemētum mutatur in aliud elementum, separari dicitur à sua natura; & quando etiam alteratur contraria qualitate, vt quando aqua calefit, separari modo aliquo dicitur à sua naturali affectione: nihil ergo in verbis Arist. est, quod determinatè cū extraneo corpore commistionem significet, quum præsertim neq; in præcedētibus de hac quippiam dixerit, neq; in sequētibus dicturus sit: hæc igitur huius secundæ putredinis conditio apud Aristotelem non legitur, quum tamen fuerit omnino exprimenda, si per hanc secunda putredo distinguenda est ab altera priore. Restat vt argumēta ab his adducta soluamus. Erastus quidem pro sua opinione de priore putredine non alio argumēto vsus esse videtur, quam cōsideratione verborum Arist. in context. 3. illius lib. 4. nempe quando Arist. dicit eam esse naturalem corruptionē, & verè contrariam generationi misti: sed ad hæc iam patet responsio ex ijs, quæ de eius loci vera intelligentia diximus; contraria enim vocatur generationi misti, quia est misti dissolutio in elementa; naturalis autem dicitur, non quòd

Ad argumentum Erasti.

A fiat ab interno principio, fit enim à calore ambientis, sed quia fit secundùm legem naturæ de modo, quo debeat interire mistum quatenus mistum est. Ad primum Mercenarij dicimus, terram & aquā, si simplices esse statuantur, & omni penitus calore carentes, vtiq; non posse putrescere; attamen putrefieri, quoniam aliquem habent calorem, si non naturalem, saltem aduentitium; is enim (vt aliqui rectè dicunt) si verè intrinsecus non est, est saltē intrinsecatus, & facit vt elementum fit aptum

Ad primum Mercenarij.

B putrescere. Ad secundum dicimus, totum esse concedēdum: nam si fieri posset vt aqua perfectè putresceret, dissolueretur aqua in elemēta simplicia, proinde impura in puriorem; sed quia id fieri non potest, ideò non fit perfecta dissolutio in elementa: cur autem fieri non possit, postea declarabimus, quādo veram sententiam de hac secundùm partem putredine proferemus; vbi etiam ostendemus tet: à

Ad secundum.

C non modò secundùm partem, sed etiam perfectè putrescere posse. Vtcunque sit, semper putredo est corruptio rei putrescētis siue perfecta, siue imperfecta: ideò si putrescit elementum, putrescit quatenus mistum est; idque si perfectè in simplicia dissoluatur, non negamus impurum ea ratione resolui in purum; si verò non perfectè dissoluatur, id non euenit, sed adhuc remanet aliquid impurum: hoc tamen à nobis postea magis declarabitur.

D

Aliorum sententia de putredine secundùm partem, & earum confutatio.

Cap. XIII.

REctiùs igitur alij senserunt, qui dixère vnam tantùm esse putredinem, quæ est proprij caloris corruptio à calore ambientis; ita vt eiusmodi sit tum illa, quæ in con tex. 3. 4. Meteorolog. dicitur esse interitus naturalis, & verè contrarius generationi misti;

E tum illa, quæ in contex. 5. vocatur interitus secundùm partem. Sed antequam veram de hac re sententiam, ac mentem Aristotelis declaremus, non erit ab re, si plures aliorum sententias de putredine secundùm partem breuiter expendamus; quia licet in eo omnes consentiant, quòd hæc nō sit alia putredinis species, varijs tamen modis hunc secundùm partem interitum intellexerunt. Plures Latini consi-

Latinorum opinio.

F derantes Aristotelem ibi dicere ea, quæ se cundùm partem intereunt, esse separata à sua natura, de elementorum tantùm putredine eum loqui existimarunt, & dicere ea separari à sua natura, quando ob commistionem aliorum corporum substantiæ dicuntur à sua naturali puritate recedere, fiuntque apta ad putrescendum; non enim putrescerēt, nisi essent mista, quū putredo sit dissolutio misti in simplicia: sensus ergo verborum Aristotelis secundùm eos hic est: elementa, quando à sua natura recesserunt, id est, quando facta sunt quo-

dammodo mista, tunc apta sunt ad putrescendum. *Confutatio.* Sed hæc interpretatio rursum manca, & imperfecta admodum est, quum eorũ complures non declarent cur hæc putredo appelletur secundùm partem: tum etiam falsa: quia si modum loquendi Aristotelis perpendamus, non solis elemẽtis attribuit hanc putredinem secundùm partem, quemadmodum antea aduersus Mercenarium ostendimus; sed postea etiam demonstrabimus, mistis quoq; eam putredinem, quæ secundùm partem ab Aristot. dicitur, competere posse. Notare autem volo hos in consideranda in elementis mistione, quam dicunt ibi vocari recessum à natura, minùs errasse, quàm Mercenarium: ille nanque mistionem, & impuritatem ipsam elementorum formaliter putredinẽ esse dicebat, quod omnino negandum est; isti verò non formaliter, sed antecedẽter, quod quidem verum per se est, sed ab illis Aristot. verbis alienum; nam fatemur quidem Aristotel. præsupponere elementa esse mista quodammodo, si debeant putrescere; sed negamus hoc significari per separationem à natura. *Alberti opinio.* Albertus verò similiter dixit putredinem secundùm partem solis elementis attribui, sed rationem quoq; adduxit cur dicatur interitus secundùm partem, dixit enim putredinem esse mistorum tantummodo: ideoq; perfecta mista putrescere perfectè, ac secundùm totum; at elementa, quia non sunt perfectè mista sed imperfectè, dici etiam putrescere imperfectè, ac secundùm partem. Attamen in hac Alberti ratione manifestum *Confutatio.* est animum non acquiescere: quamuis enim putredo mistionem præsupponat, aliud tamẽ est mistio, aliud putrefactio: quòd igitur imperfecta in elemento fit mistio, non ob id apparet imperfectam etiam eius putredinem esse, nisi de ipsa secundùm se putredine declaretur quomodo sit imperfecta; immò nos postea ostendemus, tum perfectè mista posse imperfectè putrescere, tum elementa, quæ sunt imperfectè mista, quandoq; perfectè putrescere. *Aliorum opinio.* Aliqui putredinem secundùm partem intellexerunt de parte quantitatis; vt quando pomi pars putrescit, dum aliæ partes sunt integræ, eam vocant putredinem secundũ partem; sic quando in aliqua corporis nostri parte propter vlcus fit sanies, eàm dicunt esse putredinem secundùm partem, nempe secundùm corporis nostri partem. *Confutatio.* Sed hac interpretatione nescio an alia possit crassior ac rudior excogitari; eadem enim est putredinis natura, & cõditio, qua totum pomum, & qua pars pomi putrida dicitur: nam si pars pomi in elemẽta penitus dissoluatur, etiamsi cæteræ partes sanæ, & integræ maneant, certum est perfectam esse eius partis putredinem: nec vllum huius discrimen esse, & illius, qua totum pomum putrescit, nisi ratione quantitatis maioris, vel minoris, quæ non facit differentiam in natura putredinis, nec fuit ab Aristot. con- A siderata. *Aliorum sententia.* Probabilior videtur quorundam aliorum sententia, qui putarunt putredinem secundùm partem tunc dici, quando non tota misti substantia, sed particulæ tantùm tenuiores putrescunt; qualem vini putredinem esse dicunt; non enim tota vini substantia putrescit, sed particulæ tantùm tenuiores, & aquosæ, quæ solæ euaporant, non totus humor vini: idq; eo argumento comprobant, quòd illi qui vinum ipsum præseruare volunt ne putrescat, cõquunt ipsum igni, vt omnes illæ partes aquosæ exhalentur; sic enim vinum à putredine præseruatur. B Verùm hi videntur quidem propiùs ad veritatem accessisse, quàm alij, sed ab *Confutatio.* ea tamẽ aliquantum recesserunt: quum enim omnis putredo fiat per separationem partis à parte, nempe humidi à sicco, non ipsi parti eductæ attribuitur putredo, sed toti misto; non enim putrescere dicimus humidum pomi, sed educi, putrescere autẽ pomum totum; quando igitur aquosiores vini partes in putrefactione extrahuntur, non illæ dicuntur putrescere, C sed vinum totum, licet non secundùm totum, quia non totum humidum separatur à sicco: ea igitur sola debet adduci ratio cur aliquid secundùm partem tantũ putrescat, quòd non totum humidum educitur, sed pars eius tantùm; at non quòd pars tantùm aliqua putrescat, nẽpe illa, quæ educitur; itaq; hi in discernenda putrefactione secundùm partẽ non videntur errasse, sed solùm in ratione afferenda huius appellationis; D toti enim misto est attribuenda putrefactio, non humido educto: ob id falsum est id, quod dicunt, non totum vinum putrescere, immò totũ putrescit, quia ab omnibus partibus euaporat proprium calidum cum humido; non tamen perfectè putrescit: quare dicendum est vinum totum putrescere putredine imperfecta, & hac ratione dici secundùm partem interire. Buccaferreus *Buccaferrei opinio.* E dicit Aristot. in eo loco, nec aliam putredinis speciem adducere, nec eandem vt imperfectam, sed absolutè de omni putredine loqui, & putredinem vniuersè sumptam declarare, ac dicere omnem putredinem esse interitum secundùm partem tantùm, nullam autem secundùm totum, propterea quòd est secundũ calidum & humidum tantum, non secundùm frigidum, & siccum; nam à calore ambientis extrahitur calor tantũ naturalis, & humidum naturale, non extrahitur frigidum & siccum: F omnis igitur putrefactio est corruptio secundùm partem, quia non est secundùm omnes qualitates, sed secundùm duas tantùm. Hanc sententiam maximè omnium approbat Buccaferreus, & eam inquit fuisse Alexãdri, quod *Confutatio.* tamen minimè verum est; quum præsertim sit vanissima interpretatio, & indigna Alexandro: tum ob rationem prædictam, quia putrefactio non attribuitur soli parti eductæ, sed toti misto, hoc enim dicitur putrefieri & dissolui; tum etiam quia reuera hæc est separatio

omnium qualitatum, nam educere calorem non magis est separare calidũ à frigido, quàm relinquere frigidum separatum à calido. hoc idem de humido & sicco dicendum est: quare hæc sententia est prorsus reijcienda.

Opinio vera de speciebus putredinis, ac de putredine secundùm partem.
Cap. XIV.

A

Ego quum hac in re à communi interpretum sententia arbitrer non esse recedendum, & vnam tãtùm dari putredinis speciem, vnamq; & eandẽ omnis putredinis definitionem; omnis enim putredo apud Aristotelem est separatio humidi à sicco ex proprij caloris corruptione à calore ambientis, etiam illa putredo, quæ ab Aristotele vocatur putredo secundùm partem; tamen hos quoq; errasse existimo in hac intelligenda, & falsas esse omnes prædictas eorum sententias, vt modò demonstrauimus; declarandum igitur à nobis est, quænam sit apud Arist. putredo secundùm partem, & quomodo hanc ab illa, quæ secundùm totum est, distinguere videatur. Sciendum itaq; est eam, quam Aristoteles definiuit, putredinem multas recipere varietates ex diuersitate rerum putrescentium, & diuersis earum mistionibus, & naturis; quò fit vt diuersis modis putrescere res diuersæ videantur. propterea quòd eædem causæ eundem effectum cum aliqua varietate producunt ob varias differentias subiectorum recipientium: vt exempli gratia eadem est putredinis natura, & conditio, qua putrescit caro, & qua pomum, & qua stercus; varij tamen sunt horum putrescentium odores, & sapores, quæ differentiæ oriuntur ex diuersitate mistionum: sed hæc tamen diuersitas indigna est consideratione, quoniam accidentalis est, nec facit vt hoc magis, quàm illud putrescere dicatur; æquè enim omnia prædicta dissoluuntur tandem in elementa, & nihil ex eis reliquum apparet, nisi terra, & fimus, quanquam per diuersa accidentia ad hunc finem perueniunt: aliæ tamẽ maiores putredinum differentiæ existunt, quæ considerari merentur, quia faciunt vt alia magis, alia minus putrescere dicantur, & alia penitus, alia verò secundùm partem tantùm interire, vt in memorato loco Aristot. admonet; attamen non sunt ob id diuersæ putredinis species, quia differentia secundùm magis & minus non variat speciem, sed potius varios gradus putredinis efficit, vnde aliam maiorẽ, aliam minorem putredinẽ appellamus. Summa igitur, & perfecta putredo ea est, qua mistum penitus in elementa dissoluitur, ita vt nihil eis reliquum appareat, nisi terra: hoc modo putrescunt caro, & pomum, & stercus, & alia omnia mista, quæ solida, & per excessum terrea sunt; euocato enim proprio calore, humidum quoq; existens educitur ad externa, ibiq; tandem consumitur, ita vt remaneat terra sicca. Sed in illis, quæ fluida, & magno excessu aquea sunt, non fit hæc perfecta, & integra putredo vt in vino; quum enim in eo insit plurimum humidi, & parum sicci, si per sicci quoq; eductionem fieri putredo posset, vtiq; etiam hæc secundùm totum facilè putrescerent: sed quum siccum euocari à calore nequeat, sed solum humidum educatur, idq; ibi plurimum insit, ideo non potest educi totum, & à sicco separari; sed primùm tenuiores partes educuntur, quia facilior est ipsarum, quàm crassiorum eductio, vt in putrescente videmus: eius enim ebullitio indicat tenuiores, & aquosiores partes exhalari, ex quibus in superficie vini genitum suspicimus illum situm, qui in omnibus signum putredinis esse solet; attamen non omnino tunc dissoluitur ex illa actione vinum in elementa, quia multò maior in eo inest humoris copia, quàm vt educi totus possit, & à sicco separari: hanc igitur putredinem Aristoteles appellat interitum secundùm partem; nam mistum quatenus est mistũ tunc dicitur secundùm totum, & perfectè interire, quando penitus abiungitur humidum à sicco; sed quando hæc separatio non perficitur, tunc mistum quatenus mistum est, secundùm partem tantùm interire dicitur, & secundùm partem dissolui, & (vt inquit Arist.) à natura, & à sua naturali constitutione recedere; vinum enim putrefactum non omnino interijt quatenus mistum, quia non est in elementa dissolutum, tametsi recessit à sua naturali temperie, & modò magis, modò minus, vt postea considerabimus: hæc tamen est eadem putredinis natura, & idem modus, & ab eadem causa proueniens, nempe à calore ambientis; est enim omnis putrefactio eductio proprij caloris vnà cum proprio humido à calore continentis, vt in vini putredine manifestum est; videmus enim tantùm tempore æstiuo vina putrescere, non tempore hyemali, quo aër est frigidus: quod antè de vino exempli gratia diximus, id de alijs omnibus intelligi volumus, in quibus non perfecta fiat separatio humidi à sicco, eam enim semper appellandam esse cẽsemus putredinem secundùm partem. Tali putredine dixit Arist. elementa quoq; putrescere vno igni excepto; quatenus enim non sunt simplicia & pura, sed permista, eatenus etia elementa putredini obnoxia sunt: ignis verò non est putredinis capax; tum quia nihil secum patitur commisceri, quum omnia consumat, & in suam naturam conuertat; tum quia calidissimus omnium est, nec datur aliquid ipso calidius: quare interire quidem potest, & mutari à frigido in elementum frigidum, at non putrefieri; quia putrefactio est corruptio proprij caloris, non à frigore alieno, sed ab alieno calore proprium rei calorem superante. Cætera vero elementa sunt apta ad putrescendum, quia sunt per-

Putredo imperfecta in quibus fiat.

Cur elementa putrescant.

mista: terra namq; habet commistum humorem aqueum, & calorem ingenitum à lumine astrorum; sic aqua habet commistas exhalationes siccas terreas, & calorem similiter ex lumine astrorum acceptum; & aer habet commistas exhalationes tum aqueas, tum terreas, & habet calorem naturalem, qui calore igneo debilior est; ideò sunt apta materia putredini per interni caloris eductionem, & separationem humidi à sicco: videtur autem de his elementis impuris, & sua naturali simplicitate carentibus alterum duorum dicendum esse: aut factam esse in ipsis veram mistionem, & vnionem naturæ; ita vt portio aliqua terræ, licèt vocetur terra, quia magno excessu terra vincit alia elementa in ea mistione, non sit tamen terra, sed mistum quoddam; sic etiam aqua, quam appellamus aquam: sic etiam aer; & ita quatenus sunt mista, eatenus esse obnoxia putredini: aut veram mistionem, & naturæ vnionem ibi non esse factam, quod ego magis credo, quum Aristot. in calce libri 1. de Ortu & interitu dicat mistionem tunc esse, quando nullum miscibilium manet integrum, quod quidem euenit quando nullum nimio excessu alia superat, quo fit vt transeant omnia in naturam quandam mediam, nec remaneat amplius nomen alicuius ex miscibilibus: quoniã igitur in aqua non est facta perfecta mistio, quum adhuc & natura, & nomen aquæ seruetur propter magnum aquæ excessum in illa mistione; ideò calidum & siccum, quæ inexistunt, non poterunt quidem dici internæ, & naturales qualitates aquæ, sed tamen ita sunt permistæ cum ipsa aquæ substantia, vt totum illud corpus putredini obnoxium reddant; quamuis enim non sint veræ intrinsecæ, sunt tamen (vt benè aliqui dixerunt) intrinsecatæ illi elemento: quod idem dicimus de terra, & de aëre: hoc autem confirmatur ex eo, quod in mistis quoque contingere videmus; plura nanque diu durarent sine putredine, sed quia aduenit eis humor aqueus extraneus, is facit vt citò putrescant: licet enim nunquam dici possit ille humor esse illi corpori naturalis, & intrinsecus, est tamen ita intrinsecatus, vt quamuis sit extraneus, per eum tamen res illa facile putrescat, quemadmodum suprà considerauimus. Hæc autem sententia de putredine & secundùm totũ, & secundùm partem maximè confirmabitur, si aliquarũ rerum putrediné, de qua magis dubitari solet, diligenter considerantes ostenderimus omnes putredines ad hanc vnam reduci, & vno, ac eodem modo eas omnes fieri; cum eo tamen discrimine, quòd alia penitus & secundùm totum putrescunt, alia verò secundùm partem tantùm. Primùm quidem considerandum est, quomodo in tribus illis elementis locum habeat putredo: aqua putrescit, quoniam insitum habet calorem, vt modò dicebamus, debilem tamen, qui vincitur à calore aëris ambientis, ideóque educitur; quum autem calor sit accidens, & nequeat migrare de subiecto in subiectum, non potest educi, nisi cum aliqua tenui substantia, in qua inhæreat, eaq; est pars aliqua humoris tenuior, quæ ad superficiem aquæ euocata facit ibi quandam teliculam, quæ putredinis signum esse solet; non potest autem totum aquæ humidum euocari, quia est plurimum cum pauco sicco, ideò remanet adhuc in aqua plurimũ humidi cum sicco terreo, eaq; est putredo secundùm partem, quia non penitus separatur humidum à sicco; nec videtur hæc putredo dissimilis putredini vini, cuius hũmor totus separari à sicco non potest ea vna actione, qua putrescere vinum dicimus in illa omnibus manifesta ebullitione, & manifestè etiam cessat, & relinquit vinum iam putrefactum secundùm partem; nec tamen negamus materiam illam putridam interire etiam penitus, & in elementa resolui posse, sed id postea fit per aliam actioné, & non nisi post longum tempus; tunc enim nil aliud consideramus, quàm illam vnam actionem caloris æstiui, ex qua remanet vinum putrefactum secundùm partem, in illo enim statu imperfectam esse putrediné certum est. Talis etiam esse videtur aëris putrefactio: quando enim permistum habeat plurimùm siccæ exhalationis, & vaporis etiam aquei (nam aquea humiditas putrescibiles maximè res facit, propterea quòd humidum, quod in misto vt materia requiritur, aqueum potissimè est, sicuti etiam siccum est potissimè terreum; hæc enim duo elementa substantiam habent magis consistentem, & humidum aqueum aptius est ad conglutinationem, & vnionem partium mistis, quàm humidum aëreum) potest ab externo calore seu circundantis ignis, seu ab astris genito educi aëris calor naturalis vnà cum aliqua humoris parte, quæ erit imperfecta putredo, & secundùm partem dicta, quia totus aëris humor tam proprius, quàm alienus non potest ea actione à sicco permisto separari: ideo & ante putrefactionem, & post seruatur nomen aëris, quia non secundùm totum est facta illius corporis dissolutio, neque omnis calor eductus est; etenim si remanet aër, necesse est vt aliquid caloris in eo remaneat: huius autem putredinis signum apparet, quòd aer fit turbidus, & situm generat in suppositis illi corporibus, vt in superficie terræ, & arborum, & ædificiorum, ad quæ situs tanquam grauis descendit; ideo quando turbidum, ac densum esse aerem videmus, id signum est putredinis vel præsentis vel futuræ; indicatur enim permistio multarum exhalationum, quæ aerem putrescibilem reddunt, præsertim tempore æstiuo, aut verno, nam sine calore superante calorem proprium non fit putredo; purus autem aer, & nulli alij elemento permistus non posset putrescere, sicuti neque aqua pura; quomodo enim separari potest humidum à sicco,

Putredo vini.

Quomodo aer putrescat.

Quomodo aqua putrescat.

Quomodo terra putrescat. à sicco, vbi nihil est sicci? Partes autem terræ, quę permistam habeant humiditatē aqueam, & aliquid caloris, possunt putrefieri à calore ambientis educente calorem illum intrinsecatum vnà cum illo humido intrinsecato, ex qua putrefactione terra illa fiet humidior, & apparebit etiam in ea situs, sicut in alijs multis putrescentibus: ideò proximè videtur accedere hæc putrefactio ad eam, quæ dicitur interitus secundùm totum; quia potest totus educi ille paruus calor, & totus ille paruus humor, ita vt remaneat terra pura; eaq; erit dissolutio in elementa simplicia: sed non est ignorandum illam putredinem vocari posse & secundùm totum, & secundùm partem: quatenus enim reuera est perfecta dissolutio in simplicia, eatenus est interitus secundùm totum, sed ratione eius, quod apparet, dicitur secundùm partem tantùm, id est, secundùm accidentia; nam & illud quod putrescit, vocatur terra, & id, quod ex putredine remanet, vocatur similiter terra; quare non videtur substantia interijsse, sed solùm esse alterata: neq; hoc Arist. aduersatur dicenti tria hæc elementa secundùm partem putrescere, quandoquidem non dicit ea secundùm partem tantùm posse putrescere; sed ex eo, quòd dixerat, aliqua ita putrescere, vt secundùm partem tantùm intereant, infert tanquam consequens, tria illa elementa putrescere posse: quia si putredo secundùm partem non daretur, sed solum secundùm totum, hoc fortasse non intulisset, sed solam terram inter elementa putrescere posse asseruisset. Talem esse puto in corporibus animalium illam humorum putredinem, ex qua febres oriuntur à medicis putridę appellatæ: sicut enim putrescunt in eisdem excrementa, vt patet ex eorum fœtore postquam sunt emissa, ita etiam humores putrescere possunt, sed vt plurimùm putredine secundùm partem; sicuti vinum, & aquam, & res liquidas putrescere diximus: calfacti enim humores ab aliquo extraneo, vt nomine extranei intelligamus etiam circunstantes animalis partes solidas, & quodcunq; aliud extra ipsam humorū substantiam existēs consideretur, putrescunt, quia proprius eorum calor, & cum calore humidum educitur; sed quum sint fluidi, vix potest totum ipsorū humidum extrahi, vt dici possit putredo secundùm totum, sed pars aliqua humidi educitur, non tota humiditas; quare non est nisi putredo secundùm partem: potest tamen aliquis humor ex ingēti putredine exarescere tandem, & (vt aiunt) incinerari, sed id perrarum est; imò nec videtur consq; vita animalis posse produci, donec tota sit absoluta putredo, sed mortem præuenire necesse est: hoc tamen si concedamus, perfectam quoque, & secundùm totum putredinem esse fateamur oportet; id tamen non admodum euenit, sed putrescunt humores secundùm partem, nec omnino absoluitur dissolutio in elementa; imò etiam cœptam humoris putredinem compescunt, & cohibent sæpe remedijs medici, humoremq; illum pristinæ integritati restituunt, vt asserit Galen. in arte Medicinali in eo cap. quod de cōmunissima intentione curatiua inscribitur; inquit enim concoctione fieri vt humorum putredo cesset, proinde eos alterati manente substantia. Hæc est mea de vtraq; putredine opinio: puto enim non duas esse species, sed vnam, ad quam omnium putrescentium rerum putredines reducantur; hanc autem modò perfectam esse, modò imperfectam, quam Aristot. dicit esse secundùm partem, patet enim imperfectam putredinem per hoc significari.

Quomodo humores in animalibus putrescant.

An putredo secundùm partem sit interitus formæ substantialis, an sit mera alteratio, aliorum sententia, & argumenta. Cap. XV.

Caeterum vt meliùs hæc secundùm partem dicta putredo intelligatur, alia nō parui momēti difficultas nobis expendenda proponitur, quæ inter aliquos eruditos viros agitata est; qui in hoc cōsentientes, quòd hæc secundùm partem putredo sit alia putredinis species, sit tamen hæc quoq; à calore ambientis, acerrimè disputant, an sit in solis qualitatibus alteratio, an potiùs sit interitus formæ substantialis rei putrescentis; habet autem locum quæstio hæc etiam secundùm nostram opinionem; quum enim dicamus, putredinem secundùm partē non esse aliam putredinis speciem, sed eandem quando imperfecta est, opportuna admodum est quæstio, an per hanc imperfectam putredinē intereat forma misti, & aliud mistum generetur, an maneat eadem forma, & in solis accidentibus sit facta mutatio: nec indigna per se consideratione hæc res est, an vinum putrefactū differat specie à seipso iam integro, an non differat; certum enim est non differre specie, si forma substantialis seruata esse dicatur. Thomas Erastus efficaciter tueri conatur hanc secundùm partem putredinē esse interitum formæ substantialis, & quatuor argumentis vtitur. Primùm considerat verba illa Arist. [*quum separata fuerint à natura*] quæ significant, illa, quæ ita secundùm partem putrescunt, recedere à sua natura, atqui natura est forma, ergo vult Arist. hæc suam formam amittere. Præterea hanc vocat corruptionē, non solet autem alterationi tribuere nomen corruptionis, præsertim verò hoc non debet facere in illo initio 4. Meteorologici, in quo de misti generatione, & interitu substantiali sibi agendum proposuit; non potest igitur intelligere, nisi formæ substantialis interitum; sed vocat interitum secundùm partem, quia non est dissolutio misti in elementa, sed est mutatio misti in aliud mistum diuersæ speciei; putauit enim

Erasti opinio.

Primum argumentum.

Secūdum argumentum.

Erastus putredinem ibi in 6. context. definitam non esse dissolutionem in elementa, sed esse mutationem misti in aliud mistum & hac ratione dici putredinem secundùm partem.

Tertium argumentum. Tertiò Aristoteles dixit tria elemẽta esse materiam igni, non ignem illis; at hoc falsum esset de mera alteratione, siquidem ignis quoq; alterari potest ab alijs elementis, proinde est illis materia alterationis; ergo loquitur Aristoteles de mutatione substantiali.

Quartum argumentum. Tandem argumentum sumit ex illis signis, quibus Aristoteles definitionem putredinis postea confirmat; inquit enim exeunte calido, humidum quoq; coeuaporare, hoc autem substantię destructionem significat; inquit enim animalia generari ex ijs, quę putrescunt, atqui animalia formam habent nouam, & diuersam à forma misti putrescentis, ergo vult Aristot. in hac putredine formam substantialem interire.

Mercenarij opinio. Mercenarius verò hoc negat, & inquit esse alterationem tantùm: quod ostẽdit statuto illo fundamento, quòd hæc secunda putredo nil aliud sit, quàm corporis extranei eum elemẽto com mistio, & ipsius elemẽti adulteratio quædam, hoc enim constituto nil aliud reuera dici potest: sed quia nos iam hoc fundamentum sustulimus, & ostendimus hanc putredinem fieri à calore ambientis, non est quòd cùm eo amplius hac de re loquamur.

Aliorum recẽtiorum opinio. Nonnulli verò alij recentiores, qui de putredine aduersus Erastum scripserunt, pręter cætera in hoc quoq; conati sunt Erasti sententiam impugnare: & ostendere hanc secundam putredinem non esse interitum formæ substãtialis, sed esse meram alterationem, & in solis accidentibus mutationem: quum enim ipsi quoq; existimauerint hanc secundam putredinem specie distingui ab altera priore, hanc huius differentiæ rationẽ attulerunt, quòd prior putredo est substantiæ misti perfectus interitus, hæc verò est mutatio in solis accidentibus ab eadem tamen causa proueniens, nempe à calore ambientis.

Primum illorum argumẽtum. Ad hanc igitur sententiam aduersus Erastum probandam sumpserunt argumẽtum ex verbis Aristotelis, qui in contextu quinto quarti Meteorolog. hanc putredinem vocat interitum secũdùm partem: sic autem appellare solet illam generationem, & corruptionem, quæ est secundùm accidentia tantùm, & à nostris vocatur secundùm quid: hoc apertè legimus in contextu decimotertio primi libri de Ortu & interitu, vbi inquirendam proponit causam perpetuitatis generationis, tum illius, quæ dicitur simpliciter, tum illius, quæ secundùm partem. In 2. etiam context. 4. Meteor. dixit Aristoteles: si actiuæ non dominentur passiuis, secundùm partem quidem inquinatio, & incõcoctio fit, at simplici generationi maximè opponitur putrefactio: patet autem incõcoctionem esse in accidentibus mutationem: Ideò secundùm partẽ ibi significat secundùm accidentia, hinc enim fit vt in-

A concoctio generationi misti non maximè opponatur, sed potius putrefactio. Addere etiam nos in confirmationẽ possumus testimonium Aristotelis in 1. cap. 2. Poster. vbi distinguens quæstionem simplicem, an sit, à quæstione complexa, quòd sit, dicit per illam quæri rem simpliciter, & secundùm totam suam substantiam, per hanc verò quæri solùm partem: atqui per hanc quæritur inhærentia accidentis in subiecto: ergo secundùm partem apud A-

B ristotelem idem significat, quod secundùm accidentia.

Secundum argumentum. Præterea (dicunt illi) videmus quandoque elementa, & aliqua mista ita putrescere, vt non amittãt formam substantialem: putrescit enim vinum adhuc remanens vinum, & seruans nomẽ, ac definitionem vini: sic putridam aquam adhuc vocamus aquã: experientia ergo declarat, hanc secundam putredinem esse in solis accidentibus alterationem.

C *Propria sententia, & prædictarum confutatio, & argumentorum solutio.*

Cap. XVI.

Ego huiusce rei difficultatem considerans tandem in hanc sententiam deueni; relictis his duabus opinionibus extremis, tertiam mediam accipiendã esse; vt dicamus in hac imperfecta, & secundùm partem dicta putredine neq; necessariũ esse vt forma sub-

D stantialis intereat, quod putauit Erastus, neq; esse necessarium vt seruetur, quod alij eius aduersarij asseruerunt; dicimus enim omnem putrefactionem, quæ ad dissolutionem in elementa non peruenit, vocari ab Aristotele imperfectam, & secundùm partem: in hac tamen dari gradus, vt aliqua ita leuis sit, vt res alteretur solùm secundùm accidentia, forma verò substãtialis non intereat; aliqua etiam sit maior, qua substantialis forma perdatur, nec tamen in elementa dissolutio fiat, sed mutatio

Imperfectæ putredinis plures sunt gradus.

E misti in aliam misti speciem; videmus enim quandoq; vinum leuiter putrescere, nec desinere esse vinum, quia quando putredinis initium animaduertimus, & aliquo remedio calorem cohibemus ne euaporet, nec pergere putredinem sinimus, non est facta in vino mutatio, nisi in accidentibus, proinde non definit esse vinum; sic quando putrescere incipit in venis sanguis, potest adhibitis remedijs tepri-

F mi illa putrefactio, ita vt sanguis pristinæ suæ naturæ, & integritati restituatur; quod quidem fieri non posset, si forma sanguinis interijsset; nam secundùm Aristotelem compositum, quod perit, nunquam idem redit. Contrà etiam potest eousq; progredi putrefactio, vt forma substantialis perimatur, & vinũ non sit amplius vinum, nisi æquiuocè, sicuti quando cadauer hominem esse dicimus: sic etiam sanguis potest ita putrefieri vt non sit amplius sanguis, sed factus sit humor putridus, cum quo non potest animal amplius viuere: & hoc putre-

putredinis gradus optimè norunt medici, qui in febribus putridis hanc differentiam notare consueuerunt, vt in alia maior, in alia verò minor putredo fiat; vtroq; autem modo vocatur putredo secundùm partem, quia siue destructa sit misti forma, siue seruata, dùmodo non fit facta in elementa dissolutio, non potest perfecta putredo vocari, neq; est interitus contrarius generationi misti: & huius appellationis duplex afferri ratio potest; vna est, vocatur secundùm partem, quia non est absoluta, neq; ad finem ducta putrefactio; altera est, vocatur secundùm partem, quia est secundùm accidentia: est enim necessaria omnis putrefactionis seu perfectæ, seu imperfectæ conditio, vt fit alteratio in accidentibus; non est tamen necessarium vt in omni imperfecta putredine forma quoq; substantialis perdatur, sed quandoque perditur, quandoq; etiam seruatur: quoniam igitur consueuit Aristot. regulas semper afferre vniuersales, rectè fecisset si omnem imperfectam putrefactionem vocasset interitum secundùm accidentia, quia hoc perpetuum ac necessarium est; de forma verò substantiali nullam certam regulam afferre potuit, quia hæc quandoque perit, quandoque non perit. Non est tamen ignorandum, istam appellationem, secundùm partem, non habere hanc propriam significationem, vt significet secundùm accidentia; sed propriè denotare quiddam imperfectum, quod ex aduerso respondet ei, quod est perfectum, & secundùm totum: adeò vt alicuius membri propriam ægritudinem liceat appellare secundùm partem, non quidem vt significetur eam esse secundùm accidentia, sed vt ab illa, quæ totius corporis est ægritudine distinguatur; hoc enim nomen, pars, non habet proprietatem, vt significet accidens: alteratio autem fuit quandoq; vocata generatio secundùm partem, quatenus accidẽs non est tota res, sed aliquid rei; ideò quicquid est aliquid rei, neq; est res tota, non video cur non possit appellari pars, etiamsi non sit accidens: hoc dico, quia, etsi defendi potest quòd Aristoteles in memorato loco per interitum secundùm partem possit significare interitum secundùm accidentia, tamen ego puto hanc eius mentem non fuisse; sed ipsum ea tantùm ratione dixisse secundùm partem, quatenus nõ est perfectus misti interitus; nam misto prout est mistum ille interitus competit, quo in elementa dissoluatur, non ille, quo mutetur in mistum diuersæ speciei. Veritate declarata, superest vt illorum argumenta expendamus atque soluamus. Ad primum Erasti dicimus, recessum à natura non semper significare amissionem formæ substantialis, sed quandoque sumi posse pro recessu secundùm aliquem gradum à qualitatibus naturam rei consequentibus, quæ naturales, & essentiales appellari solent; quod quidem in elementis manifestum est: putrescit enim aliquando aqua, sed remanet aqua, dicitur tamen recedere à natura, quatenus aliquantum recedit à suis naturalibus qualitatibus, nempe quas habebat quatenus erat mistum quoddam: Nam si à natura recedere semper significaret formæ substantialis amissionem, omnia æquè recederent à natura, nec daretur maior, aut minor recessio; quoniam igitur manifestum est dari & maiorem, & minorem recessum à natura, necesse est vt hic possit in accidentibus quoque essentialibus considerari. Ob id notanda maximè est ratio, cur Aristoteles imperfectam putredinem significare voluerit per separationem à natura: tacto enim est, quoniam perfecta putredo duos terminos habet; vnum, à quo; alterum, ad quem; terminus à quo, est ipsa misti natura, terminus verò ad quem, sunt naturæ elementorum, in quas misti dissolutio fit; vtrunq; igitur terminum attingit perfecta putredo, res enim & à natura recedit, & ad elementa peruenit: at in putredine imperfecta postremus hic terminus non attingitur; nam recedit quidem res à sua natura siue per qualitates sibi contrarias, siue etiam per amissionẽ formæ misti, at non peruenit ad dissolutionẽ in elementa: quemadmodum si quis ab hac vrbe discedens Romam proficisceatur, perfectum est iter, si Romam attingat; at imperfectum, si maneat Bononiæ, recessit enim à patria, & Romam versus profectus est, sed Romam non peruenit: Aristoteles igitur rectè ibi fecit, declarans imperfectam putredinem per recessum à natura, non per dissolutionem in elementa, licèt per hanc potiùs declararetur natura putredinis si modò ad eam perueniat; denotat igitur imperfectam putredinẽ ad hoc vltimum non peruenire, quum eam declaret per solum recessum à natura, & dicat esse interitum secundùm partem. Ad secundum dicimus falsum esse id, quod sumit Erastus, nomen corruptionis apud Aristotelem non significare nisi illam, quæ secundùm substantiam fit: & miror quomodo non viderit ea, quæ in 1. Physic. contex. 7 & 8. & in 1. de Ortu & interitu 18. & 20. ab Aristotele scribuntur; ibi enim etiam in accidentibus mutationem generationem & interitum vocat, non tamen simpliciter, sed secundùm quid, quod hic dicitur secundùm partem: quod verò inquit Erastus solum substantialem misti interitum ad quarti Meteorologici institutum pertinere, negandum est; nam in eo quarto libro de pluribus misti alterationibus agitur, quæ non sunt secundùm substantiam mutationes; in primo autem eius libri capite non negamus consilium esse Aristotelis agere de misti generatione, & interitu substantiali; sed ad eandem scientiam, & ad eandem tractationem pertinere dicimus considerare id, quod propriè, & summè tale est, & id, quod minùs est tale: ideò licèt præcipuè ibi agat de perfecta putredine, quæ

Marginal notes: *Cur secundùm partem putredo appelletur.* — *Ad primum Erasti argumentum.* — *Cur putredo imperfecta vocata sit separatio à natura.* — *Ad secundum.*

perfectè opponitur generationi misti, tamen considerare etiam debuit putredinem imperfectam, quæ est misti interitus secundùm partem; ideò eam tetigit paucis verbis in 5. context. eius libri, & statim ad perfectam putredinem considerandam reuersus est, & eius definitionem tradidit, quæ imperfectæ quoq; putredini imperfectè & secundariò accommodatur; sic etiam in primo libro Posteriorum non definiuit Aristoteles demonstrationem ab effectu, sed solam demonstrationem propter quid, & huius conditiones docuit; demonstrationis autem ab effectu satis habuit notare defectum, & cadentiam à perfectione demonstrationis propter quid. Tertium argumentum Erasti contra ipsum manifestè retorquetur: inquit enim, si Aristoteles dicens tria elementa esse materiam igni, non ignem illis, intelligeret alterationem, falsum diceret, quia non minùs ignis ab alijs alterari potest quàm alia ab igne; ego verò similiter dico, si Aristoteles intelligat substantialem mutationem, falsum dicit, quia non minùs ignis ab alijs elementis interimi potest, quàm alia ab ipso. Ad argumentum igitur respondeo, Aristotelem neque de alteratione elementorum ibi loqui, neq; de eorum generatione, & corruptione, quæ fit à contrario, sic enim etiam ignis ab alijs & alterari, & destrui potest; sed loqui de sola putrefactione, quæ est corruptio caloris proprij à calore alieno; sic enim tria elementa pati possunt ab igni, non ignis ab eis, quum nihil eo calidius sit. Ad vltimum dico, falsum esse id, quod sumit Erastus, Aristotelē in context. 6. illius libri definitionem adducere, non illius prioris putredinis, quam dixerat esse interitum misti naturalem, & illius generationi contrarium, sed alterius posterioris, &

Ad tertium.

Ad quartū.

A violentæ; non enim dicimus, definitionem illam præcipuè competere perfectæ putredini, quam Aristoteles in 3. cōtextu dixerat esse interitum contrarium generationi misti: propterea illa omnia signa, quæ postea ad illius definitionis confirmationem afferuntur, eam potissimè putredinem respiciunt; imperfectæ autem putredini competunt modo aliquo, & imperfectè, & vt illi aptari possunt: non est autem necessarium, vt omnia illa signa conueB niant imperfectæ putredini, & secundùm partem dictæ; datur enim putredo ita leuis, vt nullum in ea animal generetur, eaque est mera alteratio, in qua non fit vlla mutatio formæ substantialis, neq; vllius formæ generatio. Ad contraria verò argumenta, quæ ab Erasti aduersarijs adducta sunt, responsio clara sumitur ex ijs, quæ hactenus diximus. Ad primum enim iam dictum est, hanc putredinem ab Aristotele appellari secundùm partem ea tantùm C ratione, quatenus non est secundùm totum; qua eadem ratione etiam generatio accidentalis solet vocari secundùm partem, quia non est mutatio secundùm totum. Alterum verò argumentum, quod ab experientia sumitur, nil aliud probat, nisi dari putredinem, quæ sit mera alteratio, per quam forma substantialis non intereat, quod nos quoque confitemur; dicimus enim vinum quandoq; ita putrescere, vt forma mistionis seruetur: at non probat D hanc solam intelligere Aristotelem per interitum secundùm partem; dicimus enim Aristotel. non hanc tantùm comprehendere, sed etiam illam, qua destruatur forma substantialis, dummodò non fiat perfecta dissolutio in elementa, sed fit mutatio in aliam misti speciem, nam hæc quoque vocatur ibi ab Aristotele interitus secundùm partem.

Ad primum aliorum.

Ad secundū.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

DE MISTI GENERATIONE ET INTERITV,

LIBER TERTIVS.

Definitio putredinis à Galeno adducta, & aliorum sententiæ de illius comparatione cum definitione Aristotelis, & earum confutatio. Cap. I.



PERACTENVS ea, quæ ab Aristot. de putredine dicta sunt, percurrimus, & eius sententiam, quantum per nos fieri potuit, declarauimus: reE stat vt tum alias ab alijs traditas definitiones putredinis expendamus, & cum hac, quam Aristoteles attulit, conferamus, videamusque à quonam sit putredo optimè definita; tum demum hanc Aristotelis sententiam ab omnibus difficultatibus, & ab aliorum morsibus vindicemus, & sic quoque eius veritatem confirmemus. Considerãda primo loco est putredinis definitio, quam Galenus adduxit, in lib. 11. Methodi, cap. 8. proponit enim eo in loco,

Putredinis definitio à Galeno allata.

locum ex professo putredinis naturā declarandam, & talem eius definitionem assignat; putrefactio est mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescentis ab externa caliditate. Hanc definitionem alij & Philosophi, & Medici, qui de putredine loquuti sunt, in eūdem sensum cadere existimârunt cum definitione ab Arist. tradita; discrimen verò, si quod est, parnū, ac leue esse: nos igitur ea, quæ ab alijs de hac Gal. definitione dicuntur, breuiter cōsideremus, vt postea ipsi quoq; propriam hac in re sententiam feramus. Nōnulli recentiores dixerunt, eundem esse vtriusq; definitionis sensum, sed eas in eo tātùm differre, quòd Galenus putredinem pro termino acceptam definiuit, quum totius substantiæ corruptionē dixerit; Aristoteles verò pro via iuncta termino, dixit enim corruptionem proprij caloris, quæ est via ducens ad substantiæ interitū; quum tamen ambo idem significare voluerint. Sed hæc sentētia mihi non probatur; hi namq; in duobus peccasse videntur: primò; quòd harum definitionum discrimen, quod reuera magnū est, vt nos postea ostendemus, ipsi non viderūt; deinde quòd hoc ab eis cōsideratum discrimen reuera nullū est: nam si Galenus dixisset putredinem esse totius substantiæ interitum, vtiq; dicere possemus eum definiuisse putredinem pro solo termino non comprehensa via, quę est alteratio præuia; sed quum dixerit esse mutationem ad corruptionē, apertè dixit viam ad interitū, non interitū ipsum: itaq; non est verum id, quod illi dixerūt, definitionem Galeni in hoc differre à definitione Aristotelis. Alij verò dixerunt, harū definitionū discrimen in hoc esse cōstitutum, quòd Arist. dicens putredinē esse corruptionem, putrefactū mistum respexit; Galenus verò dicens esse viam ad corruptionē, respexit mistum semiputridū, quod potest reduci ad benignum: igitur isti cognouerunt Galenum significasse viam ad terminum, quod illi alteri negauerunt. Sed hi quoque in eo errârunt, quòd dixerunt Arist. respexisse mistum putrefactū: etenim si ipsius misti corruptionē dixisset, vtiq; admitti posset ista consideratio; at non misti corruptionem dixit, sed corruptionem proprij caloris, quæ cōpetit etiam misto semiputrido; calor enim quū sit qualitas, suscipit magis & minùs: quare educi potest à calore ambientis aliquis gradus caloris naturalis, quæ dicetur corruptio caloris, etsi nō totius, nec tamen erit adhuc corrupta substantia. Videntur etiam isti in hoc sibi contradicere, quum prius dixissent Aristot. ibi definire vniuersè omnē putredinem, tam perfectam, quàm imperfectam; sic enim necesse est Aristotelem respexisse & putrefactum mistum, & semiputridum, sicuti reuera debuit absolutè putredinē definire; igitur falsum est id, quod postea dixerunt, Arist. definire mistum tātùm putrefactum. Nos ... tuam cōcedendum id,

Aliquorum opinio de definitione Galeni.

Impugnatio.

Aliorum opinio.

Impugnatio.

A B C D E F

quod de Galeno dixerunt, neq; tantus error Galeno attribuendus est, vt proponat absolutè naturam putredinis declarandam, postea verò solius imperfectæ putredinis definitionem adducat: si namq; ea definitio naturam putredinis exprimit, debet præcipuè competere putredini perfectæ; quæ enim magis est putredo, ea magis recipit definitionē putredinis: itaq; credendum potiùs est tam Galenum, quàm Aristot. absolutè & vniuersè putredinem definiuisse, ita vt definitio competat primùm perfectæ putredini, secūdariò autem etiam imperfectæ; ideo animādum in hoc est Arist. artificiū, qui licèt priùs dixisset genus esse de putredine, quæ est misti interitus contrarius generationi eiusdem, tamen in definitione non dixit esse misti interitum, sed proprij & naturalis caloris, quia si interitum misti dixisset, nō comprehendisset illam imperfectam putredinem, quæ non est mutatio formæ misti, sed in solis accidentibus alteratio: volens igitur ea definitione omnē putredinem vniuersè cōplecti, & perfectam, & imperfectam; non dixit esse substantiæ interitū, sed solùm dixit esse proprij caloris corruptionem; hæc enim est cōmunis omnium putredinum conditio, vt proprius rei calor à calore ambientis educetur, siue totus, siue aliquis ipsius gradus, & quandoq; etiam absq; substantiæ læsione. Sed præterea illud in horum sententia mihi videtur esse mirādum, quomodo potuerint eam Galeni definitionē approbare, quum iam de Arist. definitione loquentes dixissent eam non esse perfectam, nisi & calor externus, & frigus proprium, tanquam duę distinctæ causæ in ea exprimantur: quum enim secundùm eos Aristoteles definitionem à se allatam absoluat & perfectā reddat, adijciens statim etiam frigus proprium, nō video quomodo ipsi, qui Medici sunt, Galenum tueri possint, qui neq; in ea definitione, neq; post allatam definitionē facit ullam proprij frigoris mentionem. Ex his ergo patet errasse hos omnes in definitione Galeni cōsideranda, & ea cum definitione Aristot. conferenda.

Nota artificiū Arist. in definitione putredinis.

Collatio definitionis Galeni cum definitione Aristotelis, & obiectiones contra definitionem Galeni.

Cap. II.

Dicam ego hac in re liberè philosophando quid sentiam, nec verebor dubia illa in medium adducere, quæ me cogunt Galeni definitionem minùs probare, & eorū solutionē Medicis mediandā relinquā. Quòd nō bene sit à Galeno definita putredo, ostendo signo euidentissimo, deinde erroris rationem adducam, & quæ in ea definitione vitia insint, considerabo. Signum quidē manifestū prauæ definitionis est, quòd alijs quoque competit præter putredinem; competit

enim etiam combustioni, quia combustio est mutatio ad corruptionem totius substantiæ corporeæ à calore externo: neq; rectè Galenum tuentur illi, qui dicunt Galenum per illa verba, corporis putrescentis, excludere combustionem, & ab ea putredinem separare; hoc enim esset putredinem à combustione seiungere per semetipsam, non per aliquam essentialem differentiam; quemadmodum si quis definiret hominem per animal bipes, deinde ad hominem ab auibus separandum adderet humanũ, dicens, homo est animal bipes humanum; sic enim nullam inter hæc differentiam poneret, nisi quòd homo est animal bipes, quod est homo, auis verò est animal bipes, quod est auis: sic etiã hic sensus esset, putredo est illa mutatio ad totius substantiæ interitũ à calore externo, quæ est putredo; combustio autem est mutatio ad totius substantiæ interitum à calore externo, quæ est combustio: ponit igitur Galenus in definitione rem differentem; at differentiam, qua differt, non ponit: ideò in eum quoq; errorem lapsus est, quòd in definitione definitum nominauit vt partem definitionis, & separat ipsum à combustione per semetipsum, quod quidẽ vitiosum est, quia in definitione non est ipsum definitum ponendum loco differentiæ: sed dico præterea neq; sic putredinem à combustione separari; nam si corpus putrescens in ignem conijciatur, ita vt comburatur, illa combustio erit mutatio totius substãtiæ putrescentis corporis ad corruptelam à calore externo: quod si quis dicat cõtingere per accidens vt corpus putrescens comburatur, hoc nullius momenti est; quoniam propria rei definitio non debet alij rei competere nec per se, nec per accidens: si enim cõtingeret per accidens, vt aliquod animal brutũ esset animal rationale, ea dici non posset hominis definitio, neque essentiam hominis exprimeret: quoniam igitur definitio à Galeno adducta competit etiam combustioni, non potest dici putredinis definitio, licèt sit oratio quæ verè de putredine prædicatur; quum præsertim cum putredine non reciprocetur, sicut ostendimus. Vt igitur huius imperfectionis rationẽ cognoscamus, & cur Galeni definitio essentiã putredinis nõ declaret, nec separet eam à cõbustione, consi-derandæ sunt particulæ illius definitionis, & singulæ cũ partib. definitionis Arist. conferẽdæ. Iam sæpè diximus, & in lib. logicis fusè declarauimus, in definitione cuiusq; accidentis perfecta, tres partes necessariò postulari, genus, subiectum, & causam. Quod igitur ad subiectum attinet, Galenus nullum proprium subiectum putredinis expressit, nisi totã corporis substantiam, quod nimis amplum & cõmune est, neq; in eo vlla apparet ratio putrescibilitatis; Arist. verò hanc expressit, dũ dixit, in vnoquoq; humido, nam omne humidũ est putrescibile, & quatenus est humidum, dum modò mistum sit: primùm igitur hic defectus in definitione Galeni manifestus inest. Genus verò, quod solet formam, & essentiam definiti significare, exprimitur à Galeno valde commune, dum dicit mutatio ad corruptelã; complectitur enim omnẽ præuiam alterationem ad quemlibet substantiæ interitum; & quamuis huic addatur, à calore externo, comprehendit etiam combustionem, vt iam ostendimus: Aristoteles verò dixit, proprij caloris corruptionem, in qua contineri intelligatur etiam separatio humidi à sicco, hæc antẽ proprij caloris corruptio propriam naturam putredinis exprimit, & eam separat ab omni alia corruptione; nulla enim datur alia proprij caloris corruptio, quam insequatur separatio humidi à sicco, nisi putrefactio: quòd si etiam causa externa adijciatur, adhuc manifestior res est; nulla enim datur proprij caloris corruptio à calore ambientis, nisi sola putrefactio; hic enim est corruptionis mod⁹ propriua putredinis, in quo putredinis natura consistit: quem quũ Galenus in sua definitione nõ exprimat, nec considerare videatur, vanũ est dicere naturã putredinis per eam definitionem declarari: falsẽ si traditam illam definitionem postea explanaret, & doceret quonam pacto ab externo calore mutetur ad corruptelã tota rei substãtia, fortasse aliqua ratione defendi ea definitio posset; sed in eius definitionis declaratione Galenus in toto illo capite ne verbum quidem fecit de eductione caloris naturalis, vel de separatione humidi à sicco, sed solùm affert rationem curã calore externo putrefactio fiat, distinguens calorem externum à calore proprio & naturali, quia ꝓprius internus calor est potiùs rei conseruatiuus, externus verò humores inuadẽs eos perdit, quare à calore externo fit putrefactio, non à proprio calore: quòd autẽ proprius calor ab externo calore extrahatur, Galenus ibi non considerat, ideoq; de eo, in quo est putrefactionis essentia constituta, nihil penitus dicit; imò magnam errãdi occasionẽ præbet, ita vt plures in eum errorem inciderint, vt dixerint aliud esse putredinem Philosophorum, aliud esse putredinem Medicorũ, & humorum putredinem apud Medicos nil aliud esse, quàm efferuescentiã, ac exustionẽ; reuera enim definitio à Galeno adducta cõbustioni competit, quare non absque ratione factum est, vt humorũ putredinẽ esse exustionem quãdam existimauerint. In causa verò putredinis eatenus peccat Galenus, quatenus causam af... remotam, & accidentalẽ, ex qua non cognoscimus quomodo fiat putrefactio; externus enim calor causa est corruptionis caloris naturalis, quam insequitur separatio humidi à sicco, & hanc tandem insequitur totius substantiæ corruptio, ideò Arist. calorem externum afferens vt causam corruptionis caloris naturalis, affert ipsum vt causam proximã, qui... causam effectua ab ea

Ratio defectus in definitione Galeni.

eo immediatè productis Galenus verò eâdem afferet vt causam remotam, quia vt causam effectus remoti, nempe totius substantiæ corruptionis: ignorato igitur effectu medio, non cognoscitur quid sit putrefactio, neq; cognoscitur modus, quo externus calor totam rei substantiā corrumpit, siquidem potest etiam intelligi corruptio per combustionem, imò & multò magis, quia is est modus longè euidētior, quem facile est vt solùm respiciat quisquis eam definitionem cōsiderat. Itaq; si Galeni definitio in demonstrationem mutetur, B ea nullam scientiam pariet, quia medium erit maioris extremi causa remota, & propositio maior demonstrabilis, & mediata erit: ea igitur definitione non dicitur quid sit putredo; quoniam neq; proprium subiectum exprimitur, neq; essentia putredinis, neq; proxima rei causa adducitur. Ego quidem nullam Galeni defensionem inuenio, nisi dicamus ipsum nō eam afferre vt definitionem putredinis, sed præsupponere iam ab Aristotele perfectè de- C finitam putredinem, ideòq; pauca illa de putredine dicere, vt nos reliqua iam ab Aristotele dicta subintelligamus. At si eam vt definitionem putredinis ritè traditam Medici recipiendam esse contendant, vt & ipsi omnes, & multi etiam Philosophi eam vt definitionē receperunt; ego quidem, quum nullam prædictarum difficultatum solutionem videam, eam ex Medicis audire cupio, & expecto.

Galeni defensio.

Alia ab alijs adducta putredinis definitio, & eius reprobatio. D

Cap. III.

NOnnulli recentiores, qui fortasse animaduerterūt definitionem putredinis à Galeno allatam complecti etiam cōbustionem, voluerunt eam aliquantum coarctare, & talem ipsi perfectam, & omnibus numeris absolutam putredinis definitionē protulerunt; putredo est corruptio misti secundùm totam substātiam proueniens à frigore propria vnà cum calore ambientis, alteram enim causam addendo, frigus propriū, videntur combustionem exclusisse. Sed si bene cōsideremus, hæc definitio iisdem difficultatibus, quibus definitio Galeni, & fortasse etiam maioribus obnoxia est: de humido enī, & de proprio putredinis subiecto nihil dicunt, nihil de corruptione proprij caloris, nihil de separatione humidi à sicco, quæ est essentia putredinis, vt iam dictum est; quare non exprefserunt proprium corruptionis modum, quo ab alijs corruptionibus putrefactio distinguitur: sed præterea dicentes corruptionem totius substātiæ, excluserunt putredinē imperfectam, qua non interimitur tota substantia; cui quidem crimini nō est obnoxia definitio Galeni, qui dicēs mutationem ad interitum, imperfectam quoq; putredinem complexus

Definitio aliorum. E

Confutatio.

A est; siquidem tendere ad interitum res aliqua potest, ad ipsum tamē nō peruenire, sed præseruari: errarunt etiam addentes frigus proprium tanquam alteram causam per se agentem, hoc enim falsum esse iā demōstrauimus; quem errorem non commisit Galenus: nihil præterea dicunt de corruptione proprij caloris; quare calorem ambiētis accipiunt vt causam remotam, sicut etiam contra Galenum considerauimus. Præterea in eo reprehendendi esse videntur, quòd rationem reddentes cur à Galeno, & à se in definitione dicatur, secundùm totam substantiam, dicunt per hoc distingui putredinem à corruptione misti animati, quæ vocatur mors; siquidē mors non est totius substātiæ interitus, quum remaneat cadauer, quod postea interit per putredinem. Hoc autem dicentes, videntur nō considerasse definitionem generationis vniuersè acceptæ, quam Arist. tradit in contex. 23. lib. 1. de Ortu & interitu, ibi namq; dicit omnem mutationem substantialem esse mutationem secundùm totum; quamobrem si omni generationi substātiali ea definitio debet competere, oportet etiam viuentis interitum esse mutationem secundùm totum; nam reuera ibi Aristoteles non ideò dicit secundùm totum, quòd velit omnes prorsus substantiæ partes interire, prima namque materia certè nō interit; sed quia vltima forma destruitur, quæ, quum alia omnia cōtineat, & det rei esse specificum, ideò vocatur totum: patet igitur tam mortem, quàm putredinem esse totius substantiæ interitum, vel neutram, quandoquidē in putredine relinquitur prima materia, quæ substantiæ pars est, immò etiam secunda materia modo aliquo relinqui videtur, quum per putredinem dissoluatur mistum in elementa, quę aliquo modo in ipso inerāt, & ita illa, quę simul erant commista, postea separātur: patet igitur in misto solam misti formam esse respiciendam, & in viuente solam animam, cuius vtriusq; corruptio dicitē corruptio totius substantiæ, tum misti, tum animati quum vtriusque auferatur esse specificum; quare non minùs mors, quàm putrefactio, est totius substātiæ interitus; non igitur per hoc distinguitur putrefactio à morte. Ex his ergo quæ dicta sunt, colligimus definitiones putredinis ab alijs adductas maximis vrgeri difficultatibus, quibus tradita ab Aristotele definitio non vrgetur: sed artificio plena est, & optimè naturam, & causam putredinis exprimit, ita vt melius exprimi non posse videatur. F

Dubia, & aliorum obiectiones aduersus definitionem putredinis ab Aristot. traditam. Cap. IV.

SEquitur vt Aristotelis definitionem, atq; sententiā ab aliorū obiectionibus, dubijsq; eam oppugnātibus vindicemus; & sic quoq; illius veritatem, & ea quæ à nobis ha-

ctenus ad eam declarandam dicta sunt, tandem confirmemus; magnum enim esse solet veritatis indicium, quãdo omnia, quæ aduersus eam existere videntur, dubia facilè soluũtur: quoniam autem plura dubia iam à nobis in præcedente disputatione soluta sunt, & aliorum plurium solutiones, etsi à nobis non expressæ, tamen ab omnibus facilè ex dictis nostris colligi possunt, nunc ijs præteritis, alia quædam, quæ difficiliora videntur, in mediũ afferemus. *1. Dubium.* Primùm quidem falsum videtur id, quod Aristoteles dixit, putrefactionem esse mutationem verè cõtrariam generationi misti; etenim generatio est mutatio vna, at putrefactio non est vna mutatio, quum ex pluribus mutationibus constare videatur, vnde etiam factũ est, vt multi absolutè negauerint putrefactionem esse mutationẽ vnam: quoniam igitur eadem debet esse contrariorum conditio, non est putredo generationi contraria, quum generatio sit mutatio vna, putredo verò ex pluribus cõstet, fit enim primùm proprij caloris corruptio, deinde humidi ꝓprij euaporatio & separatio humidi à sicco, & dissolutio misti. *2. Dubium.* Secũdò obijciunt aliqui Aristoteli illud idẽ, quod nos antea Galeno obiecimus; nam definitio putredinis ab Aristot. tradita competere videtur etiam combustioni, quoniam etiam combustio est proprij caloris corruptio à calore externo. *3. Dubium.* Tertiò dubitatur aduersus definitionẽ putredinis, quia non omnis putrefactio à calore ambiẽtis fieri videtur: quum enim omnis putrefactio sit interitus misti, quatenus mistum est, proinde sit misti in elementa dissolutio, omnis igitur dissolutio misti in elementa putrefactio est; atqui potest mistum in elementa dissolui, etiã absque actione caloris ambientis; ergo potest aliquid putrefieri non à calore ambientis: assumptum probatur tripliciter. Primò sic: si mistum poneretur in vacuo: aliquando interiret, quia necessarium est, vt omne genitum possit interire, & aliquando intereat; & vt ex elementis genitum in elemẽta dissoluatur; at in vacuo nullus esset ambiẽtis calor; ergo putrefactio fieret non à calore ambientis. Præterea si mistum poneretur in centro mundi, vbi nullus est calor, putrefieret aliquando, nõ tamen à calore ambientis. Præterea mistum constat ex contrarijs, ergo ex sola contrariorũ inter se actione & passione dissolui, & interire potest, sic igitur fiet putrefactio à principio interno, ab interna pugna, non à calore ambientis; ideò sæpe apud Auerroem legimus, naturalia corpora ideò interire, quia constant ex contrarijs. *4. Dubium.* Quartò dubitatur, & est obiectio Argenterij contra Aristotelem: Si putrefactio est interitus contrarius generationi substantiali, debet definiri corruptio substantiæ, vt definiuit Galenus, non caloris corruptio, vt eam Aristoteles definiuit, quum enim calor sit accidens, caloris corruptio non est nisi alteratio; quare Aristoteles sibi aduersatur, quũ priùs dixerit putrefactionem esse interitũ verè contrarium generationi misti, deinde verò dicat esse corruptionem caloris, quæ est mera alteratio. *5. Dubium.* Quintò obijcit idem Argenterius: corrumpi est pati, calor autem non est qualitas passiua, sed actiua, ergo non rectè dixit Arist. calorem corrumpi. *6. Dubium.* Sextum dubium satis tritum, ac vulgatum est: castaneæ, & nuces putrescunt intus, in extima autem parte manẽt illæsæ; ergo non fit putredo à calore ambientis: quoniam si ab hac fieret, oporteret priùs extimam partem, quæ ambienti calido propinquior est, putrescere, quàm intimam, quæ est remotior: agens enim non agit, nisi per cõtactum; quare priùs agit in propinquũ, quàm in remotum. *7. Dubium.* Postremò dubitatur de multis quæ in aëre valdè frigido frequẽter putrefieri cernuntur: nam in hyeme quoque & in magnis aëris frigoribus videmus & lac, & carnes animalium, & herbas à solo separatas, & alia eiusmodi putrescere, quum tamen calidiora illo aëre esse videantur; atqui ambientis calor, quando est minor calore misti naturali, non ipsum vincit, proinde educere eum non potest, sicut etiam Aristot. apertè dixit; vel igitur hæc nõ deberent eo tempore putrefieri, vel non fit putrefactio à calore ambientis.

Dictorum dubiorum solutiones.

Cap. V.

Ad primum dubium responsio. Vt has oẽs difficultates ordinatim soluamus, ad primam, omissis ijs, quæ ab alijs dicuntur, nos breuiter dicimus & generationẽ misti, & putredinem esse modo aliquo mutationẽ vnam, & modo etiã aliquo non esse vnam: quum igitur similiter vtraque & vna, & non vna dici possit, per hoc non stat quin verè contrariæ inter se hæ mutationes sint: ipsa quidem misti generatio si maximè propriè sumatur pro sola substantialis formæ introductione, est penitus vna mutatio: & putrefactio similiter, si pro sola formæ misti destructione sumatur, est absolutè vna mutatio: & hoc potissimũ respicimus, dum dicimus eas esse inter se contrarias; per vnã enim res incipit esse, quæ antea non erat; per alteram verò illa eadẽ res desinit esse, quę priùs erat: præuia verò ad vtranq; dispositio secũdarium quoddam est, quod ad substantiæ mutationem dirigitur; quare non ita exquisitè consideranda esse videtur, quia non est necessariũ vt contrasia easdem prorsus habeant oẽs conditiones, sed vt aliquas habeant easdem, aliquas etiam differentes, imò etiã contrarias; attamẽ quod ad vnitatẽ & multiplicitatẽ attinet, certum est vtramq; acceptam pro substantiæ mutatione cum tota dispositione præuia, esse congeriem plurium mutationũ, quæ etiam vocari potest mutatio vna, quatenus ad vnum finem tendit, ad substãtiæ mutationẽ; quemadmodũ enim videmus in animali plura esse distincta mem-

bra

bra, & plures partes varijs præditas temperaturis, quæ tamē omnia ad vnitatē reduguntur ab vna vltima forma, quę totū animalū reddit vnum; simili quadam ratione plures illæ mutationes, etsi secundùm se plures sont, tamen respectu vltimi finis, ad quem tendunt, dici possunt vna mutatio, quoniā ab vno fine vnitatem recipiunt: sic igitur possumus etiā cōprehensa tota præuia dispositione dicere & generationē misti esse mutationē vnā, & misti putredinē esse mutationē vnā: quòd enī plures cōtineat mutationes, negari certè non potest; fit enim primùm actio calidi externi, qua mistum calefit, postea verò caloris naturalis euaporatio; & eductio humidi, quæ est motus quidam localis, & humectatio externarū partium, ac demū totius exiccatio; quas oēs mutationes, siue totidē his contrarias in generatione misti fieri nō est necessariū, sicuti etiam nō oportet vt in viuētis interitu fiant eædem illæ præuiæ dispositiones, quæ fiunt in generatione eiusdē, neq; etiam vt totidē illis contrariæ, sed satis est si finis vtrinsque vnus sit, & finis vnius sit contrarius fini alterius, & tota præuiæ dispositionis cōgeries dicatur vna ex illius finis vnitate; sic enim & generatio misti, & eiusdē putredo est similiter mutatio vna.

Ad secundū. Ad secundū dubiū multi cōcedunt etiam cōbustionem esse corruptionē proprij caloris à calore externo, & ad argumētum hoc soluendum multa inania dicont, quæ referenda non sont: ego puto nō esse alio modo respondendum, quàm id constanter negando; quoniā in cōbustione destruitur potius frigus à calore, quàm calor à calore: quum enim id, quod cōburitur, vel sit frigidum, vel habeat qualitatē mediam inter summū calorē, & summum frigus, proinde sit minùs calidū, quàm ignis, & respectu illius habeat locū frigidi, non alia ratione patitur, quàm vt frigidum à calido; agit enim tūc ignis in gradus frigoris ad eos corrūpendos, non in gradus caloris, & in ea actione frigidū habet locum cōtrarij, humidū verò & siccum habent locū vel materiæ patientis, vel similiter humidū habet locum contrarij, in quod agit ignis vt siccus, proinde patiēs nō patitur vt calidum, nec vt siccum, sed vt frigidum, & humidū, & per horum destructionem cōburitur, atq; in ignē vertitur, eaq; est actio vehemens, & violenta; quare cōbustio nullo pacto dici potest corruptio caloris à calore, sed frigidi & humidi à calido & sicco: in putrefactione aūt etsi calidū externum agit primùm in patiens calfaciendo, tamē agit etiā in calidum educēdo; nec alia ratione dicitur putrefactio, nisi quatenus agit calidum in calidū ad ipsum extrahendū quod nō potest fieri actione vehementi, sed leni, & sensim facta: præterea Aristot. ipse definitionem putredinis pòstea declarās asserit illam proprij caloris corruptionē complecti, & in se continere separationem humidi à sicco; at in cōbustione non euaporat humidum, nec separatur à sicco, sed absumitur totum, siccum aūt intenditur, & fit siccū igneum, quia omnia elemēta ibi deniq; mutātur in solum ignē: eductio igitur caloris naturalis, quam insequatur separatio humidi à sicco, & quæ fiat à calore ambientis, nō potest esse combustio, sed solùm putrefactio. Præterea conditio necessaria putredinis est vt fiat in corpore humido, nō ita combustionis, potest enim terra pura mutari in ignem, quæ erit combustio rei nullatenus humidæ: patet igitur definitionem putrefactionis non posse dici definitionem combustionis.

Ad tertium. Ad tertium dubium concedimus omnem dissolutionem misti in elemēta esse putrefactionem, sed negamus fieri aliter posse talem dissolutionem, quàm à calore ambientis. Ad probationes verò, ad primam dicimus, quòd positum in vacuo mistū non corrumperetur, quamuis corruptibile sit: licèt enim inconueniens sit, & absurdum, rem corruptibilem nunquam corrumpi, sequitur tamen ex falsa & impossibili positione, est enim impossibile dari vacuum; quare non est mirum, si hoc posito sequatur corruptibile nunquam corrumpi; & alia fortasse plura absurda; natura enim nihil frustra facit, & omni corruptibili cōstituit proprium agens, à quo corrumpatur, tali autē destituitur mistum, dum in vacuo ponitur. Ad secundam probationem dicunt multi etiam ad centrum mundi calorem aliquem peruenire ex actione cœlesti, à quo mistū si ibi esset, putrefieret: sed hæc solutio nititur fundamento dubio, dum asserit ad centrū mūdi aliquid caloris peruenire. Idcirco ego aliter respōdeo, siue illuc perueniat calor, siue nō perueniat, argumentum nullius roboris esse: nam si dicamus, nullum ibi esse calorem, non putrefceret illud mistum, non quidem quòd euaderet incorruptibile, sed quia non putredine, sed alio modo interiret; etenim à circunstante frigido destrueretur interitu violento, cuiusmodi est etiam combustio, quemadmodum antea dictum est: sicut enim cōbustio mistū in elemēta non dissoluit, sed totū conuertit in ignem; ita summū frigus in cētro mundi mutaret totum mistum in terram destructis cæteris elemētis, sed non faceret ipsorum separationem, quæ est putrefactio. Si verò in centro dicatur esse aliquis calor, is vel vincet calorē misti naturalem, vel non vincet; de hoc enim non est disputandum, quoniam ad dubij solutionem nihil confert: si igitur vincet, ab eo putrefiet mistum, & erit putrefactio à calore ambientis; si verò sit ita debilis, vt non vincat, vt in præsentia concedamus ab eo non posse putredinem fieri, saltem aget in illud mistum tanquam contrarium, nempe tanquam frigidum in calidum, & ita destruet illud destructione violenta, sicut antea dicebamus. Ad tertiam probationem dicunt aliqui, licèt mistum constet ex contrarijs, tamen internum eius frigus

Combustio nō est actio in calidum, sed in frigidum.

non agere in calorem internum, nisi ipsi dominetur; non dominatur autem nisi constituta priùs actione calidi externi, à quo internus calor imminuatur, tunc enim incipit etiam frigus internum agere in internum calorem, & ipsum expellere; est ergo necessaria actio calidi externi, quia sine hoc non fit putrefactio. Sed hanc solutionem ego probare non possum: iam enim ostendi, fieri non posse, vt frigus internum agat in internum calorem, & sit causa putredinis positiua; sed facta mistione B iam est vna qualitas media, nō duæ, quę inuicem agere possint; & quanuis etiam ea media qualitas intendatur, vel remittatur, est tamen semper vna vel ad calorē, vel ad frigus magis vergens, quæ nō potest in seipsa habere agens & patiens: vtor autē ad hoc probādum argumento ex ore istorum desumpto, dicunt enim frigus nō agere in calorem, quia illi nō dominatur, quasi posset in illum agere, si maius illo esset; si autem hoc verum est, ergo deberet ca- C lor, quem dicūt viribus superiorem esse, agere in frigus propriū, & ipsum expellere, eadē enim esse debet ratio actionis & graduum caloris in gradus frigoris, & graduum frigoris in gradus caloris: sic igitur fieri nunquam posset vt daretur mistum excessu calidum, vel excessu frigidum, quoniam altera qualitas potē-tior destrueret alteram debiliorem; hoc autē dicere esset omnem mistionē de medio tollere, & omne primariū qualitatū temperamē- D tum: vanum igitur est id, quod illi dicunt, facto temperamento calidi cum frigido posse vnum agere in alterū, etiamsi plus insit vnius, & minus alterius. Ego igitur aliter ad argumentum dico, constare ex contrarijs non esse in misto rationem corruptionis, sed corruptibilitatis, idq; nō ea ratione, vt corrumpi possit mistum ex contrariorum, à quibus constat, actione inter se, siquidem facta mistione non possunt ampliùs inuicem agere: quò fit, vt cō- E stare ex cōtrarijs nil aliud significet, quàm esse genitū ex ijs, quæ fuerunt contraria, in ipso autem misto non sunt amplius contraria: sed eatenus dicitur significare corruptibilitatem, quatenus mistū constans ex contrarijs est naturæ mediæ inter extrema contraria; proinde significat illud habere extra se cōtrariū, à quo lædi, atq; interimi potest; nam cōtrarietas est non solùm extremi cum extremo, sed etiam extremi cum medio: quoniam igitur mistum F est medium constans ex extremis, vt ait Arist. in calce primi lib. de ortu & interitu, ideo pati, ac destrui potest tum à frigidiore, tum à calidiore. Sic igitur est intelligendus Auerroes, quando dicit, omne ex contrarijs constans esse corruptibile, per hoc enim significat, illud habere extra se contrarium, à quo destrui potest, ita vt ab externo agente pati, & corrumpi semper dicatur, nunquam a seipso. Quartum dubium facilè soluitur per ea, quę antea dicta sunt, iam enim diximus non omnē putredinē

Cur omne cōstans ex contrarijs sit corruptibile.

Ad quartū.

A ad interitum vsq; substantiæ peruenire: quanquam enim perfecta putrefactio est substātiæ destructio, non tamen omnis putrefactio est perfecta: ideò Aristot. licèt in definitione putredinis præcipuè respiciat putredinē perfectam, quæ est corruptio caloris, quam insequitur separatio humidi à sicco, & denique etiam substantiæ interitus; tamen ita in definitione loqui voluit, vt imperfectam quoque putredinem complecteretur: quando autem B dixit, putrefactionem esse interitum contrarium generationi misti, perfectā putrefactionem intellexit, quæ est destructio substantiæ misti, de hac enim præcipuè loq volebat; ideo etiam in definitione hanc præcipuè respexit, & eam caloris corruptionem, quæ ad substantiæ interitum ducat, sed voluit etiam vt ea definitio secundario imperfectam quoq; putredinem amplecteretur. Ad quintum dicimus, leuissimam esse obiectionem, quia licèt calor C qualitas actiua esse dicatur, non ob id dicitur esse impatibilis, & incorruptibilis; quia licèt agat in siccum & humidū in generatione misti; tamen patitur etiam & læditur à frigore, vt contrarium à cōtrario, sicut antea declarauimus: nunc autem non propriè dicimus corrumpi calorem naturalē, sed extrahi, & educi à calore ambiētis, vt simile attrahitur à simili: est igitur calor in generando misto actiuus, & multas etiam edit operationes in misto geni- D to; nec propterea fit vt sit impatibilis, nam & destrui potest à suo contrario, & attrahi à simili. Ad sextum dubium de castaneis & nucibus respōdent aliqui causam huius esse, quoniam externus calor aperit extimam partem castaneæ, ac nucis, vbi est rarior, & penetratu facilior, & ita penetrat ad intimas partes putrefaciendas. Sed hæc solutio probanda non est; quia calor incorporeus est, neq; vt intima penetret eget apertione, quum præsertim nō E migret de subiecto in subiectum, sed agendo, producat alium numero calorem in patiente; patiens autem, quum sit vnum cōtinuum, calefit & in externis & in internis partib. sed magis in externis, quæ sunt agenti propinquiores: quòd autem in castaneis, ac nucibus putrefactis appareant parua foramina in cortice, id non est, quia calor externus agendo perforauerit, sed quia calor & humor intimæ partis putrescentis euaporantes faciunt illud F foramen, per quod exeunt; ideo intus in ea parte videmus relictū puluerem, quod signū putredinis est, recedēte enim humido siccus puluis remanet: videmus etiam genita ex ea putredine animalia, quia externs calor si respectu excitis humidi eam nanciscatur proportionem, quæ sit conueniens respectu naturæ illius animalis, generat illud animal, & respectu illius fit naturalis, qui respectu misti putrescētis iam est factus præternaturalis, & destructiuus: potuit igitur calor externus penetrare ad internas partes putrefaciendas etiam

Ad quintū.

Ad sextum

Responsio aliquorum.

Confutatio.

sine

siue foramine, licèt necessariò foramē fiat ab internò humido euaporante. *Solutio vera.* Reiecta igitur ea solutione dicēdum est, calorem externum calfacere tum extimam, tum intimam partē, & magis etiam agere in extimam, tanquam propinquiorem, quàm in intimam, quæ remotior est; sed quum pars intima sit ad putrescendum aptior, quàm extima, ideò putrescit intima, dum extima adhuc seruatur incolumis: extima enim multò siccior est, proinde minùs putrescibilis, intima verò humidior, & putrescibilior; quoniam igitur agens magis agit in illud patiens, quod sit aptius ad actionem illam recipiendam, ideò priùs putrescit pars intima castaneæ, vt aptior ad putrescendum, licèt ab agente remotior sit; extima verò pars difficiliùs putrescit, quia propter siccitatem magis resistit agenti externo, tandem tamen ipsa quoque putrescit, sed non nisi post lōgum tempus; & semper multò priùs quàm pars extima, est putrefacta pars intima propter prædictam causam. *Ad septimū.* Postremum autem dubium non leue est, & multos maximè conturbauit. Ad ipsum igitur soluendum est nobis ante omnia statuendum tanquam verissimum illud idem, quod dubium videbatur, & ex quo hæc ipsa difficultas oriebatur, nempe putredinem à calore ambientis tunc solùm fieri, quando ille mediocris, & debilis est, & sensim agens; non fieri autem, quando ambiens est calidissimum: *Calor ambiētis nō putrefacit, nisi lente agat.* patet autem hoc per experientiam; nam res in ignem coniectæ nō putrescunt, sed vruntur; & in æstate plura, quæ ab aëris calore putrefierent, si exponantur radijs Solis, qui magnum calorem efficiunt, nō modò non putrescunt, sed etiam à putredine præseruantur. Ratio autem huius discriminis est; quoniam si calor vehementer agat, priùs resoluit humidum, quàm calorem internum educat, quoniam internus calor non potest educi celeri, & vehementi actione, sed longa ac minùs vehementi: quando igitur actio est vehemens, præoccupat resoluere humidum antequàm internum calorem educat, sic autem res exiccata diutiùs à putredine præseruatur: at si actio non sit vehemens, sed lenta, priùs educitur calor, & eam eductionem insequitur humidi euaporatio, quæ est putredo; ob id solemus res exponere radijs Solis, vt humidum, quod facit rem aptissimam ad putrescendum, resoluatur ante proprij caloris eductionem, & ita res præseruetur. Illud præterea hac in re annotādum est, maiorem, ac minorem agendi vim non solùm ab intensione graduum prouenire, sed etiam ab extensione magnitudinis: nam, vt sæpe diximus, in magnitudine maiore maior vis agendi inest, maior enim ignis magis calefacit, quàm minor; ideò multa agentia, quæ intensione debilia sunt, extensione sunt valida; contrà verò aliqua, licèt paruam habeant extensionem, vehementer tamen agunt, propter magnam in-

A tensionē: cū hoc tamen discrimine, quod quæ intensione sunt valdè efficacia, illa vehementer etiā agunt secūdùm intensionem, & celeriter suā actionem absoluunt; quæ verò extensione tantùm valida sunt, illa magnam faciūt actionē, non quidem vt vehementē, ac celerē, sed vt longā, & diu perseuerantē, adeò vt tandē vincant, sed post longū tempus, non celeriter, vt illa: *Discrimē inter agens validum intensiuè, & agens validum extensiuè.* tale agens est calor aëris, qui mediocris est, nec vehementer agit, sed sensim & lentè; quò fit, vt calorē priùs educat, quàm re- B soluat humidū, quare talis calor putredinem facit: ratio aūt huius est, quoniam omne agēs corporeū in agendo repati necesse est, & ex ea repassione eius vires imminuuntur; sed vbi agens est mole magnū respectu patiētis, ibi vel nulla, vel debilis admodum fit repassio: illud enim agens repatitur quidē à patiente in suis partib. illis propinquis, sed hæ fouentur atque adiuuantur à partibus remotioribus; vt partes aëris propinquæ alicui patienti patiūtur qui- C dem ab illo, sed adiuuātur à magna mole circūstantis aëris, ita vt illarum vires nullam imminutionem recipere, sed eædem seruari videantur; vires autem patientis imminuuntur continuè, ac debilitantur, adeò vt ipsum tandem succumbere necesse sit: hac igitur ratione longa & perseuerās actio agentis extēsione magni, quamuis intensione debilis, fit magna & valida, ita vt superet vim patientis etiā intēsione maiorē, & hinc fit vt tandē necessa- D rium sit mista omnia à circundante aëre superari, ac putrefieri. Hoc igitur quomodo in aëre cōtingat, declarādum est: eo enim intellecto manifestū erit, cur multa in aqua, & in terra, quæ frigidiores aëre sunt, putrescant: *Cur in aëre omnia mista putrescant.* quod enim de aëre dicemus, id alijs omnib. ambiētibus accōmodandum erit. Dubitari quidem de aëre maximè potest ob ea, quæ dicūtur ab Arist. in context. 10. & 11. quarti Meteorol. ibi namq; dicit res frigidissimas, & res calidissi- E mas nō putrefieri, propterea q frigidissimæ resistunt suo frigore calori aëris, faciūtq; ne ab illo mistum patiatur; calidissimarū verò calor maior est calore ambientis aëris, quare quum ab eo nō vincantur, educi nō potest: quaobrē si sententia illa Arist. vera est, nihil in aëre putrescere posse videtur, vel saltē pauca admodū putredini obnoxia sunt; oportet enim calorem aëris, si putrefacere debeat, superare & calorem, & frigus misti, quod quidē perrarò F est, vt si dicamus aërem esse calidum quinque gradibus, mistū verò habere quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris; sed cætera, quæ vel frigus, vel calorem habeāt maiorē calore aëris, putrescere nō poterunt; hoc tamē dicēdum nō est, siquidē putredo est interitus misti quatenus mistum est, proinde omni misto competere debet. Dico igitur Arist. eo in loco denotare solùm velle difficultatem putrescēdi in reb. frigidissimis, & in calidissimis, sed nō impossibilitatem, nā illas quoq; tandē pu-

trescere necesse est: quod ex iactis fundamẽ- A tis ita ostẽdo. Statuatur in aëre aliqua res frigidissima, vt metallum, quod à magno frigore est cõgelatũ, aër calidior agit in illud ꝑ calorẽ: sed repatitur ab eius frigore, ex qua mutua actione necesse est vt & frigus metalli, & aëris calor imminuatur, at calor aëris fouetur, ac restituitur à magna mole circũstantis aëris, adeo vt dicere possimus à tota aëris mole metallum pati, proinde calorẽ aëris nõ imminui ob magnũ excessum magnitudinis, imminui B tamen frigus metalli: perseuerante igitur pugna diutissimè, & decrescẽte frigore metalli, aëre autẽ seruante proprij caloris gradum, necesse est vt tandem fiat in metallo caloris gradus similis gradui aëris, proinde soluatur cõgelatio, ac putrefiat metallum; similis enim calor à simili educitur, quia vincitur à magnitudine molis; proinde metallum necessariò dissoluetur, atq; putrescet. Hinc colligimus magnũ & manifestum esse errorẽ illorum, qui in C quartũ Meteorol. interpretatione dixerũt, putredinẽ esse proprium interitũ animatorũ, id est illorũ similarium, quæ vel sunt partes animatorũ, vel ex animatis ortum habuerunt, vt carnis, sanguinis, lactis, vini, & aliorũ eiusmodi; at metalla, & lapides nõ per putredinẽ interire; decepti enim sunt ob magnam istorũ resistentiam, quam faciunt agẽti externo; sed ratio, quomodo exposuimus, declarat necessarium esse, vt illa quoq; tandem putrescant: D Arist. etiam in eo lib. satis clarè docuit putredinem esse interitum misti quatenus mistum est, & esse commune contrarium generationi misti, proinde omne mistũ esse putrescibile, licèt aliqua diutissimè durẽt, vt metalla, & lapides propter frigus resistens calori ambientis, & oleum, & alia eiusmodi propter magnã viscositatem, quæ indicat mistionem elementorum maximam, & exquisitissimam, proinde difficilem reddit dissolutionẽ. Si verò mi- E stum sit calidissimum, vt piper, & vinũ generosum, necesse est vt aër tanquam minus calidus agat in illud vt frigidus in calidum, & vt cõtinua, & perseuerãte actione paulatim imminuat illius calorem, ipse aũt ob dictã causam seruet proprium suæ qualitatis gradum; igitur necesse est imminutionem caloris misti eousq; procedere, vt tãdem ad gradum similem gradui aëris redigatur, & tũc à calore aëris ambientis extrahatur, & misti illud dis- F soluatur: ideo illa, quæ mediocriẽ habent calorem, & calori cõtinẽtis similiorẽ, citiùs putrescant, nisi propter magnã elementorũ cõmistionem diutius seruẽtur. Ex his possumus facilè intelligere, cur etiã in aqua, & in terra tãdem omnia mista putrescant: quũ enim & in terra, & in aqua aliquid caloris insit, necesse est vt ex diuturna, & incessante actionẽ tãdem imminuatur seu calor, seu frigus misti, & redigatur ad similẽ caloris gradũ, atq; putrescat; longa enim & perseuerãs actio, & nunquam

Vicomercati error.

Cur in aqua & in terra omnia mista putrescant.

debilitata, licèt intensione sit debilis, & sensim fiat, tamẽ extensione est maxima, ac si tota simul collecta cõsideretur, validissima: quare necesse est vt mista omnia tãdem dissoluantur, atq; putrescant, quum effugere nequeant actionem ambientis vniuersalis, nimirũ elementorũ, præsertim verò aëris. Quòd verò Arist. dixit, tria elemẽta esse materiam igni, ita vt etiã ignis ambiens putrefacere possit, id sano modo intelligendũ est: tangens enim ignis nõ putrefacit, sed vrit ob eius vehementissimã actionem; at si ita agat, vt minùs vehemens eius actio sit, veluti si à patiẽte remotior agat per aliud corpus medium, vt per aërem, tunc potest putrefacere: ideò videmus multa, quæ igni nostro propinqua ponuntur, putrefieri à calore ignis debiliùs in illa agente; quæ tamẽ, si in ignem ipsum conijcerentur, statim comburerẽtur: neq; est quòd aliquis dicat ea à propinquo aëre putrefieri, non ab igni; nam putrefiunt quidem ab aëre, sed vt ab agente secundario, ab igni autem vt primario, à quo recipit aer illum calorem, per quem putrefacit.

Dubium de igne.

Solutio.

Dubium de putredine vini, & aliorum solutiones, earumq; impugnatio. Cap. VI.

Sed alia maior difficultas nobis expendenda, ac soluenda proponitur; quam & ob id, & quoniã prolixam de hac facere tractationem oportet, seorsum ab alijs cõsiderare cõstituimus; eaq; est de vini putredine: quũ enim illud sit nobis maximè laborandũ, vt omnia, quæ putrefieri cernuntur, ad vnã & eandem putredinis naturam reducantur, nitendũ est etiam vini putredinem declarare, & ostendere quomodo sub definitione putredinis à nobis tradita, ac declarata contineatur; quod quidem nõ satis manifestũ est: id enim, quod hac in re dubium maximũ facit, est conuersio vini in acetum, quam complures dicunt esse putrefactionem: quũ enim alio etiam modo vinum putrescere tempore æstatis videamus, quando propter ambientis calorem incalescit, & ebulliendo fit putridum, & vappa, & hæc omnium protsus cõsensione sit vini putrefactio; cognoscendum est, qualis sit illa alia vini putrefactio, qua vinum non fit vappa, sed acetum, & quid inter has duas mutationes intersit: tota autem difficultas consistit in declarando, quomodo vinum mutetur in acetum. Galenus in 4. lib. de Simplicib. medicamentis inquit vinũ habere quatuor partes: primùm enim habet fæcem terream, quæ fundum petit; secundò habet partem illam, quæ flos vocatur, & primùm quidem supernatat, deinde etiam ipsa fundum petit; tertiò habet partem aquosam toti vino commistam; ac tandem habet ipsammet vini substantiam: vino autẽ efferuescente inquit illam aqueam partẽ præcipuè feruescere, & tunc florem supernatare, sed

Galeni, & Medicorum opinio.

sed hunc quoq; cessante ferufcentia fundum petere, vbi fæx subsistit: declarans igitur Galenus conuersionem vini in acetum, inquit eã esse putredinem, non quidem totius vini, sed partis tantùm humidioris, & aquosæ, quæ cũ substantia vini est commista, adeo vt ea putrescente, & euaporante, id, quod remanet, fit acetum, remanet autem ipsa vini substãtia cũ imminutione etiam proprij & naturalis caloris facta à calore ambientis, q simul aquosas partes putrefacit, & propriũ calorem substantiæ vini imminuit, quo fit, vt vinum reddatur frigidius; certum enim est frigidius esse acetum vino, ideo inquit ibi Galenus acetũ esse quodammodo vinum mortuũ. Hanc Galeni sententiam nõnulli recentiores Medici, quorum etiam antea meminimus, penitus sequentes, ac declarantes, dixerunt acetũ non esse vocandum putridum vinũ, id enim falsum esset, propterea quòd ea non est perfecta putredo, sed secundùm partem solùm; siquidem non ipsa vini substantia est putrefacta, sed solæ aquosiores partes. portio autem vinosa non est putrefacta, licèt ex putrefactione portionis aquosæ reddita sit frigidior. Et quia Galenus ibidẽ dicit, acetum vi quoq; calida præditum esse, id isti sic interpretantur: ex illa partis aquosæ putrefactione generatur situs, qui toti substantiæ aceti cõmiscetur, & facit ipsum participẽ alicuius caloris: idque, dicunt a Galeno ibidẽ significari, quando inquit acetum calorẽ vini naturalem perdidisse, sed alium calorem adscititium ex putredine acquisiuisse, nempe ex cõmistione situs: hoc tamen ego quidem apud Galenum non vidi, qui huius cõmistionis situs nullam mentionem fecit; sed solùm dixit acrimoniã aceti prouenire ex calore extraneo, quem ex putredine contraxit acetum.

Confutatio. Hæc sententia, vt mihi videtur, magnis vrgetur difficultatib. quas breuiter referam; & quũ soluere ipse nequeam, Medicis soluẽdas relinquã. Primum quidem, si ipsa quoq; vini substantia, quam illi vinosam portionem appellant, proprium calorem amisit, non video cur non illa quoque sit dicenda putrefacta. si putrefactio est corruptio caloris naturalis, & corruptionem caloris naturalis a calore ambientis insequitur necessariò separatio humidi à sicco; igitur secũdùm illos illa est putrefactio secundùm totum, quia sic necessarium est vt non solùm aquosæ partes, sed etiam vinosæ putrefiant: quòd si dicant non esse putrefactionem secũdùm totum, quia non totũ humidũ euaporat, sed pars eius tenuior; quodnã erit discrimen aceti, & vini putridi, quod vocatur vappa? nullum certè discrimen apparet, quia neq; illius vini putridi, quod vappa dicitur, totum humidũ euaporauit; ipsi tamen dicunt hanc esse putredinem secundùm totũ, & inde fieri vt absoluté vocetur vinum putridũ, acetum verò nõ dicatur putridum vinum propter rationem prædictam; attamẽ necesse est vel vtrãq; similiter esse putredinem secundùm totum, vel neutram. Sed neque rectè dicitur, partem vini humidiorem putrescere; etenim sicut antè cõsiderauimus, non attribuitur putredo parti humidæ euaporanti, sed toti misto: quare si ex omnibus partibus integrantibus pars aliqua humidi euaporet, totum putrescere dicitur; quia toti attribuitur putrefactio, & totum ab eo nominatur nõ humidum solum exiens. Similiter igitur dicenda est putrefactio secundùm partem, vel similiter secundùm totum, & vini in acetum mutatio, & vini in vappam; proinde per vtranq; similiter vinum est vocandum putrescens, vel putridũ, quod illi negant. Quod verò de situ dicunt, vanum est, & gratis pronuntiatum; nemo enim vnquam vidit situm in aceto genitum esse, & commistum toti substantiæ vini, neq; etiam est credibile, quia situs redderet acetum turbidum, & praui saporis: attamẽ sæpe videmus acetum limpidum, & transparentissimum, quod etiam iucundum omnibus habet saporem. Est etiam consideratione dignum, quòd in vera vini putrefactione videmus ebullitionem fieri, quæ indicat manifestè euaporationem humidi; at in cõuersione vini in acetum nihil tale videmus, quare ibi nullum putrefactionis indicium apparet; quamobrem necesse est magnam esse differentiam inter vinum putridum, & acetũ: sed hoc postea diligentiùs considerabimus, & ostendemus mutationem vini in acetum nullo modo esse putredinem appellandam. Nonnullos autem alios audiui dicentes vinum esse animatum anima vegetante, ideoque conuersionem in acetum esse mortem vini ex interitu animæ, putrefactionem verò esse corruptionẽ vini quatenus est mistum, non quatenus est animatum; ideo hi penitus negant acetum esse vinum putrefactum. *Aliorum opinio.* Sed hæc sententia, licet propè accedere ad veritatem videatur, ipsa tamen secundùm se vera non est: omnis enim anima est actus corporis organici, atq; heterogenei; at vinum non est organicum, seu homogeneum: illud enim, quod Galenus dixit de quatuor illis vini partibus, non facit vinũ esse heterogeneũ, sed solùm denotat esse mistum, & constare ex elementis: igitur in vino non est anima, quia non potest anima residere vbi non sunt organa ipsi inseruientia ad edendas operationes animales: nulla etiam in vino apparet vegetantis animæ operatio; neq; enim augetur, neq; nutritur, neq; omnino alimẽtum sumit, neq; generat sibi simile; quare etiam ex operationibus manifestũ est, nullam in vino animam inesse: prætereà videmus quidẽ in alijs viuentibus hunc vtrunq; interitum, mortem & putrefactionem; sed semper in ijs omnibus mors tempore præcedit putrefactionẽ, videmus enim nõ putrefieri animalium corpora, nisi post mortẽ: sic igitur etiam in vino accidere oporteret, non deberet enim putrescere, *Confutatio.*

nisi priùs moreretur, hoc est, conuersum esset (A) in acetum: hoc tamen non videmus, immò experimur contrarium, putrescit enim vinum antequam vertatur in acetũ, factum autem acetum non putrescit, sed diutissimè seruatur.

Fundamēta necessaria ad propositum de aceto dubium soluendum. Cap. VII.

EGo vt in re difficillima sentētiam meam proferam, quum in aliorũ dictis acquiescere non potuerim, post longam consi- (B) derationem in hãc opinionem deueni, quòd necesse sit confiteri in vino duos calores, & duas humiditates, vt hinc discrimē sumamus vini putrefacti, & aceti; omnino enim negandum puto, acetum esse vinum putrefactũ, & vinum mutari in acetum per putrefactionē.

Opinio Alberti de duplici calore vini. Duplex humidum ponit Albertus in quarto Meteorologicorum cap. 10. deinde etiam duplex calidum in cap. 15. sed in horum condi- (C) tionibus declarandis mihi videtur Alberti sententiam non omnino esse approbandam: quod enim ad calorem attinet, ipse dicit esse in vino duos calores, vnum naturalem, alterum loci, vbi creuit vitis, qui est infusus à calore magno Solis, & hunc dicit esse accidentalem.

Confutatio. Hoc autem mihi dubium videtur: nam calor loci non est alius calor diuersus à calore naturali, sed est illi corpori naturalis; hominem enim in Aethiopia natum nõ diceremus duos habere calores, vnum naturalem quate- (D) nus est homo, alterum accidentalem ex loco; sed diceremus vnum tãtùm esse calorem naturalem, qui propter locum maior, & intensior est, quàm calor hominis nati in Italia; vtriusq; enim hominis calor dicitur naturalis, licèt alter maior, alter minor: puto autem Albertum id accepisse ex Galeno in quarto de

Galeni opinio de duplici calore in plantis. simplicibus medicamentis cap. 7. tametsi rectiùs dicere videtur Galenus, quàm Albertus; (E) ibi nanq; Galenus de plantarum fructibus loquens inquit duplex in ijs calidum inesse, vnũ cuiq; proprium, & ingenitum, alterum externum, & à Sole infusum, sed eorum tamen naturæ conueniens, & familiare; non enim hoc secũdum calidum vocat Galenus accidentale, sed potiùs naturale, quia licèt externum appellet ratione principij, vnde prouenit, tamen significat factum esse naturale: ideo rectiùs mihi videtur, si dicamus, vnũ hac ratio- (F) ne esse calorem vini naturalem, qui intensior sit propter locum; nam qualitates cuiusq; rei naturales non in indiuisibili sunt constitutæ; sed intra quosdam terminos quandam latitudinem comprehendentes, quæ tota dicitur naturalis.

Propria opinio de duplici calore vini. Quum igitur per hoc non appareat in vino plurium calorũ distinctio, in qua possimus conquiescere, ego credo aliam adduci posse firmiorem, & principijs philosophiæ magis consonam calorum distinctionem in vino, ex qua veram propositę difficultatis solutionem haurire possimus. Certum (A) est, in quolibet animato duos inspici interitus naturales, tempore etiam distinctos, mortem, & putredinem; & vtranq; censuit Aristot. esse corruptionem caloris naturalis, mors enim naturalis est absumptio caloris vitalis à seipso per absumptionem humidi naturalis: post mortem verò remanens corpus interit per putredinem, quæ est corruptio caloris temperaturæ, qui continebat, ac terminabat humidum commistum sicco: omne igitur viuēs (B) duos habet calores, vnum animalem, qui insequitur animam, alterum elementarem, qui est calor temperaturæ, & post mortem remanet: sed hoc tamen est sano modo intelligendum; nõ enim credo existere posse in eodem subiecto duos calores tanquam duo distincta indiuidua eiusdem speciei, sed vnum esse calorem intensiorem ex vtroq; conflatum; ita vt dicere duos nil aliud sit, quàm dicere duo distincta principia à quibus profluunt plures (C) caloris gradus, quàm ex altero tantum; ita vt simul iuncti constituant vnum numero calorem intensiorem, qui secundùm aliquos gradus est calor elementaris, secundùm reliquos verò est calor vitalis. Potest autem hoc optimè declarari exemplo luminis: si enim nocturno tempore locus aliquis à duabus simul candelis illuminetur, maius ab ijs lumen prodit, quàm ab altera sola, nam vna extincta remanet in eodem loco minus lumen; attamen (D) accensis simul vtrisq; non dicimus in illo eodem aëre duo distincta lumina inesse, sed vnũ numero lumen, intensius tamen, quàm id, quod ex vna tantùm candela proueniret; ex vna enim candela prodeunt aliqui gradus illius luminis, & ex altera reliqui, & ij omnes simul iuncti constituũt vnũ lumen intensius.

De duplici humido opinio Alberti. Quod verò ad humidum attinet, Albertus in loco prædicto inquit dari in mistis corporibus duplex humidũ: Vnum, quod dicitur cõtinuans, (E) à quo fit partium coniunctio; nam si absque vlla humiditate essent penitus siccæ, essent omnes disiunctæ; nullum igitur est corpus ita durum & exiccatũ, quod non habeat aliquid humidi cõiungēs partes inter se: ideo Alchimistæ ex quolibet quantumuis arido corpore oleum educunt, humidum enim continuans est crassum instar olei; ideo rectè etiam à quibusdam vocatur humidum oleaginosum ex aereo, & ex aqueo humido constans. Alterum (F) mistorum humidum vocatur ab Alberto humidum quasi nutriens: idq; est humidum aquosum, quod inest misto præter continuationem partium, & facilè resoluitur, quum sit aqueum: oleaginosum verò non facilè, quia crassius est. ideo quando volumus aliqua mista à putredine præseruare, curamus vt vel sale, vel igni, vel Sole exiccētur, vt euaporet humidum aqueum, quod est causa facilis putrefactionis, sic enim diu seruatur incolume. Notare vtrunq; humidum possumus in carnibus animaliũ mortuorum; nam ex humido aqueo facile

facile putrescunt, sed eo consumpto diu durant, quia manet solum alterum humidū, quo partes coniunguntur: ideò non absq; ratione humidū aqueū vocatum est ab Alberto quasi nutriens, quia in animali viuente dispersum est per substantiam carnis tale humidum ex alimentis genitum, quo substantia carnis nutriatur, idque nec penitus extraneum est, nec penitus naturale, sed medium quodammodo inter extraneum, & naturale; est enim aliqua ex parte assimilatum naturali, at non penitus B assimilatū: in carnibus igitur animalium iam viuentium humidum hoc verè dicitur nutriens; sed in carnibus animalium mortuorum non est ampliùs nutriens, sic neq; in alijs mistis inanimatis, in quibus præter humidū coniungens sit etiam humidum aqueū extraneū: ideo hoc ab Alberto vocatum est non absolutè nutriens, sed quasi nutriens, hoc est, simile humido alimentali in viuentibus, quod est verè nutriens.

De qualitatibus vini. Cap. IIX.

Duo calores in vino.

His iactis fundamentis, declarandæ ante omnia sunt qualitates vini. Dicimus igitur in vino, quum à viuente corpore defluxerit, inesse duos illos calores, quos antea declarauimus; vnum elementarem, seu temperaturæ: alterū verò animalem; quamuis enim non sit animatum, tamen potest secum ferre calorem ab anima sibi insitū, & impressum; quod quidem aliarum rerum exemplo manifestissimo comprobare possumus: semē enim tam animalis, quàm plantæ secundùm Aristot. in initio lib. 2. de Ortu animalium nō habet animam actu, attamen ab anima iam accepit vim generatiuam alterius similis, quam in 3. cap. eius libri, dicit nil aliud esse, quàm calorem vitalem, quem distinguit à calore igneo & elementari; ita vt in generatione viuentis primum mouens sit animal, seu E planta, vnde semen defluxit, semen verò sit eius instrumentum quod per vim ab eo receptam, videlicet per calorem vitalem generat alterum animatum simile; quum ergo in semine sit calor vitalis præter calorem elementarem, cur non idem dicere possumus, immò debemus, de vino, quod similiter ex animato corpore defluxit? habet igitur vinum duos calores, hoc est, vnum ex duobus conflatum, sicuti de lumine diximus, qui magnus, & in- F tensus est, vt experientia declarat: isque non consistit in indiuisibili, sed in quadam latitudine, & est modò maior, modò minor, pro specierum varietate, atque etiam pro diuersitate locorum; in locis enim calidioribus, vbi Sol maiorem efficit calorem, vina calidiora nascuntur, isque non est externus calor, sed potiùs naturalis, & cōnatus illi vino; nam ex calore loci fit, vt tum calor vini vitalis, tum elementaris, qui ambo naturalem vini calorem constituunt, maior, atque intensior sit. Sic e-

A tiam negare in vino non possumus duplicem illā humiditatem; & eam apertè ponit Gal. in libro prædicto; dum distinguit in eo substantiam vinosam, & substantiā aquosam: vinosa enim substātia habet illud humidū, quo fit cō iunctio partium; humidū verò aquosum est illud, quod ex alimēto contractū est: dum enim vua erat viti coniuncta, ad eam cōfluebat humor aqueus, quo nutriretur; separata ergo vua à vite retinet adhuc humorē illum aqueū, qui nondū in vini substantiam cōuersus erat, neq; ampliùs conuertitur, quia vinum non est ampliùs animatū: hoc aūt humidū aqueū, quod in vino remanet, est illud, quod in coctione vini consumitur; & quando vinum feruet, & quando igne coquitur, absumitur humidum illud aquosum, & remanet solum alterū humidum, quod ipsi vini substātiæ intimius est; & inde fit vt totum vinum dulcius reddatur, quia consumpto humido aqueo remanet sola vini substantia, & eius humidū verè naturale, quod quum per concoctionem sit in substantiam conuersum, dulcedinem facit; quia omne concoctum, vt inquit Aristot. dulce est.

Duæ humiditates in vino.

Solutio propositæ difficultatis de aceto, & de vini putredine. Cap. IX.

Ex his, quæ de duplici calore, ac de duplici humido dicta sunt, sumi potest propositæ difficultatis solutio, & differētia inter acetū, & putridum vinum; ex eo enim calorum & humiditatum discrimine, necesse est multas in vino contingere varietates. Quoniam igitur iuxta Aristotelis doctrinam certum est, putrefactionem non esse cuiuslibet calidi, & cuiuslibet humidi eductionem, sed solius calidi elementaris, & illius humidi, à quo partes habent compactionem, & continuationem; corruptionem autem caloris vitalis nō esse putrefactionem, sed potiùs mortem, quum non ab eo calore contineatur humidum iunctū sicco: & similiter eductionem humidi, quod alimentale, seu extraneum appellabatur, non esse putrefactionem, quum adhuc remaneat humidum continuans, quod cum sicco est commistum, & maximè propriè vocatur naturale: ideò si in vino euaporat solum humidum aqueū manente humido coniungente, tantum abest vt illa sit vini putrefactio, vt potiùs sit à putredine præseruatio; hinc enim fit vt vina vetusta non ampliùs putrescāt, quia necesse est vt continuè euaporet humidum vini aquosum ex calore tum ambientis, tum proprio, quare semper magis, ac magis exiccatur vinum, quo fit, vt vetustius vinum tanquam siccius minùs sit aptum ad putrescendum: & experientia docet maximum periculū putrefactionis vini esse prima æstate sequente ipsius confectionem; ea namq; elapsa si sanum remaneat vinum, altera sequente æstate non putrescet: vinum autem continuè euaporare ita est manifestum, vt proba-

tione non egeat, atq; etiam id fieri absq; putredine; etenim euaporat solum humidum aquosum, non alterum oleaginosum, proinde nō soluitur mistio: similiter si solus vini calor vitalis intereat manente calore elemētari, ea non dicetur putrefactio vini, quoniam eam non insequitur solutio mistionis. At inquies: *Dubium.* Si ex interitu illius caloris quem vinū contraxit ab anima, non fit putrifactio vini, fiet ergo mors, vinū igitur dicetur mori, quo nihil ab surdius: quod enim non est animatū, ei mors B non competit si quidem mors est interitus caloris vitalis cum ipsius quoq; animæ interitu, vel recessu à corpore; in vino autem iam diximus animam non inesse. Respondeo interitū *Solutio.* solius caloris vitalis in vino nō posse quidem propriè vocari mortem, quum nullus eum sequatur animæ interitus, siquidem vinum non habet animam; posse tamen per quandam similitudinem dici mortem, ita vt vinum postquam vitalem calorem amisit, per similitudinem dicatur mortuū, propterea quòd viuentia tunc dicuntur mori, quando vitali calore C destituūtur: Hæc omnia si admittantur, vt mihi quidem admittenda esse videntur, facilem reddunt propositæ difficultatis solutionem: arbitror enim dicendū esse acetū fieri per interitū caloris vitalis manente calore elementari, proinde sine separatione humidi continuantis à sicco; putridum aūt vinum fieri per corruptionē caloris temperaturæ, seu elemētaris, quam insequitur separatio humidi con- D tinuantis à sicco, quæ est putrefactio: hoc enim ita esse ex eo maximè cōprobatur quòd his admissis ratio facilè redditur omniū, quæ vino contingere cernuntur; vinū enim dilutū, ac tenue debilem habet calorem, & plurimū humidi aquei, facilè igitur putrescit, quia non facilè resoluitur tantum humidū à calore tum ambientis, tum proprio, ideo manet in vino multū humidi aquei: quod facit, vt debilis calor facilè educatur à calore ambientis, E qui totum simul calidū euocans, tam vitalem, quàm elementarem facit vt humidū quoq; continuans separetur à sicco; idq; non fit nisi cum ebullitione, quod est putredinis iudicium manifestū. Vinum aūt merum, ac generosum siccius est, & minus habet aquei humoris, ideo non ita facilè putrescit, sed potiùs acescit: nam si ab ambiente calido fiat euaporatio caloris vitalis, qui in vino est, eam non insequitur separatio humidi coniungentis à sicco, propte- F rea quòd non ab illo calore terminantur passiuæ, sed ab elementari, qui potest remanere illæsus; quia si solus educatur calor vitalis, calor elementaris remanens est valde remissus, proinde ibi est plurimum frigoris, & parum caloris; quare frigus illud, quum magnum sit, resistit calori ambientis, & ob hanc causam acetum non putrescit, quum præsertim adsit etiam defectus humidi aquei, à quo, si adesset, facilius putrefactio redderetur, sicut antea

A declarauimus; quoniam igitur acetum amisit calorem vitalem, & caret humido aquoso, non amplius putrescit, quia est valde frigidū, & resistit suo frigore calori ambientis; tantò autem minùs resistit, quantò plus habeat humoris aquosi: ideò acetum factum ex vino tenui, ac diluto faciliùs putrescit propter eius humidi aetem aquosam quam factum ex vino generoso, quod diutissimè seruatur: illud enim omnino constituendum nobis est, nō facilem esse putredinem, vbi solum adest humidum continuans sine humido aqueo adiunctu: ideò oleum etsi valde humidum est, non facilè putrescit, quia illud est humidum totū oleaginosum, & cum sicco efficacissimè commistum, vnde illa viscositas oritur, quæ facit ne humidum à sicco separari possit à sicco separari: humidissimum autem esse oleum ex eo constat, quod excessu aëri sit, & aqueum est, vt ait Arist. in contex. 41. 43. & 48. quarti Meteorolog. Confirmant etiam id, quod de vino diximus, ea quæ ibidem dicuntur ab Arist. in contex. 52. & 53. inquit enim vinum esse aqueæ naturæ, & excessu valde aqueum, proinde etiam excessu frigidum, sed calidū esse ob alienam caliditatem; alienam enim intelligit caliditatem animalem, quam vinum secum tulit, propterea quòd anima, & omne insequens animam est quoddam superadditum misto cōsideratō quatenus mistum est, & hac ratione dici potest alienū respectu misti. Dum igitur considerat Arist. vinū quatenus est mistum ex elementis, quæ est eius consideratio in illo 4. lib. rectè dicit aqueum esse, & frigidæ temperaturæ, & parū habere caloris, reddi autem calidū à calore vitali, & quandoq; etiā calidissimū, vbi ratione loci calidum illud intensius redditur. Secundùm hanc igitur sententiam optimè illi loquuntur, qui Galen. ait dixisse acetum esse vinum mortuum; sic enim dicere melius est, quam dicere esse vinū putrefactū: idq; confirmatur testimonio Aristot. passim in eo 4. libr. vbi exempla sæpe adducit misto rū, de quibus is liber est, nominat vinū, & acetum tanquā species quasdam mistī; quod non faceret, si acetū esset vinum putrefactū, quia nominatione cuiuslibet misti significatur quoddam in specie sua cōpletum per propriam formā mistionis: at putrefactum, quatenus est putrefactum, notat imperfectionem, & recessum rei à propria natura, & progressionem ad dissolutionem in elementa; proinde indignum est, quod nominetur vt mistum. Si verò alij, qui dicunt acetum esse vinum putrefactū, dicerent hanc esse differentiam inter acetum, & vinum verè putridum, quòd minor est aceti putredo, huius aūt maior; hæc sententia & experientiæ, & rationi aduersatur: in omnibus enim videmus minorem putredinem esse viam ad maiorem, ita vt faciliùs fit vt magna putredine corripiatur id, quod aliquantum putrescere cœpit, quàm id, quod

Olei natura.

Quid acetū dici non possit mediocriter putrefactum.

id quod adhuc putrescere non incepit: & ratio hoc idem confirmat, facilior enim transitus est à medio ad extremum, quàm ab extremo ad extremū; deberet ergo acetū facilè putrescere, si in eo, vt illi dicūt, est inchoata putredo; attamen acetū non putrescit, seu difficillimè putrescit: & experientia docet vinū faciliùs fieri putridū antequā fiat acetū, quàm si mutatum sit in acetū: non possumus ergo dicere acetū esse vinū mediocriter putrefactū. Confirmatur etiam hæc sententia nostra ex illa aceti generatione, quā arte molimur; curamus enim vt vel à Sole, vel ab alio mediocriter calefaciente incalescat vinū, vt calidum vitale exhaletur, & humidū aquosum absumatur; sic enim fit vt remaneat solus calor elemētaris, & humidū continuans, quæ est aceti natura; est enim excessu aqueū, & valde frigidū, quia parum habet caloris in sua mistione; sed est absq; dubio perfectū mistum, vt dixit Arist. in memoratis locis, non corpus putridū, seu putrescens, vt Medici arbitrantur.

An Galeni de aceto sententia modo aliquo defendi possit. Cap. X.

VErùm quia Galenus sæpe dicit acetum ex vino esse genitū per putredinē, nempe ex putrefactione humoris aquei cū ipsa vini substantia cōmisti; etsi nos dictū hoc non admodū approbamus, dignū tamen consideratione ob Galeni auctoritatem esse censemus, an id modo aliquo defendi, & ad rectū sensum trahi possit. Ego quidem arbitror illud admitti posse, si per quādam solùm similitudinem, non vt propriè dictū intelligatur: quemadmodū enim illa, quæ verè putrescūt, per proprij caloris corruptionem putrescunt, proinde ex dissolutione proprij humidi, & à calore ambientis, ita acetum ex vino genitum est per corruptionē caloris, & resolutionē humidi à calore ambientis: attamen magnū est horum discrimen; nam in definitione putredinis non aliud calidū, neq; aliud humidum consideratur, nisi elemētare, & est putredinis conditio vt humidum non immediatè patiatur à calore ambientis, sed priùs patiatur calor naturalis, & educatur, deinde illam caloris eductionem insequatur proprij humidi dissolutio: potest quidem aliquo violento interitu, vt antea diximus, vt cōbustione, destrui simul totum mistum sine præcedente eductione caloris; sed interitu illo naturali, qui vocatur putredo, non potest mistum dissolui, nisi priùs educatur calor naturalis, qui humidum & siccum coniuncta continebat: de humido namq; continuante loquor, nō de aduentitio, quod diximus per quādam similitudinē appellari nutriens seu alimentale, ideo videmus ligna arida diutissimè seruari, etiā in magnis cellibus, & in locis calidissimis, nec vnquam educi humidū continuans, nisi priùs educatur

Similitudo inter generationem aceti & putredinem.

Differētia inter putredinem, & aceti generationē.

A calor naturalis continens. At si alterius caloris, & alterius humiditatis vini corruptionem cōsideremus nempe caloris vitalis, & humidi aquosi, quod dicebatur quasi nutriens, aliter sese res habet; nam humidū illud non ideo resoluitur, quia priùs vitalis calor sit corruptus: proinde eius humidi euaporatio nō insequitur corruptionem caloris vitalis, sed fit immediatè à calore ambientis; ab eo enim immediatè & euocat calor vitalis, & resoluitur humidum aquosum, & persæpe etiam sine exhalatione caloris vitalis solum humidum aquosum consumitur: quo fit, vt vinū maneat calidius, cuiusmodi est vinū vetustum, est enim maximè exiccatum, quia resoluta est illa humiditas aquosa, quam priùs habebat; quum enim hæc obtundat actionem caloris, hac consumpta vinū efficaciùs calefacit, quia efficaciùs agit calor cū sicco, quàm cum humido: quòd si contingat, vt simul cū humidi aquosi resolutione, vel post illam, calor quoq; vitalis exhaletur, fit ex vino acetū; quare huius generatio lōgè diuersa est à putredine: nam in putredine necesse est priùs educi calorē naturalem, deinde fieri separationem humidi; at in generatione aceti non fit resolutio humidi ex euaporatione calidi, quia hæc non insequitur alicuius caloris corruptionem in vino, siquidem à neutro calore dicitur contineri; imò quum illud humidum fuerit inductum ab anima nutritionem moliente, patitur potius à calore vini animali, & consumitur, quàm contineatur & regatur: quanquā enim in vino anima non remansit, sed solus calor vitalis, & humidū illud alimentale attractū priùs ab anima nutritionis gratia, tamen seruatur cum illo calore hæc vitalis conditio vt cōsumat humidum; non quidem ita, vt nutriat vinum ea actione, non enim nutritur ampliùs vinū, sed quia resoluitur ab eo calore humidū illud, & simul etiam à calore ambientis, à quo non educitur calor vitalis pro generatione aceti, nisi priùs multum humidi aquosi fuit resolutum: ideo videmus ex vino nouo non facilè fieri acetum, sed ex vino vetustiore, cuius humidum aquosum sit aliqua ex parte resolutū: differt igitur generatio aceti à putredine, quòd in generatione aceti non fit resolutio humidi ex eductione caloris, sed fit immediatè à calore ambientis, & simul à calore vitali adiuuante eius consumptionem, vt prædiximus. Est igitur acetum genitū modo quodam simili putrefactioni, quia calor educitur & consumitur humidum; non est tamen reuera putrefactio, quia non educitur calor elementaris, sed solus animalis, neque huius eductionem insequitur euaporatio alicuius humidi, sed potiùs præcedit; postquam enim vinum est exiccatum per euaporationem humidi, quod vocatur quasi nutriens, tunc per exhalationem calidi vitalis generatur acetum: quare patet in generatione aceti nō dissolui mistū quatenus

mistum est, quia siccum & humidum temperaturæ non separantur inuicem, sed manent coniuncta. Sunt autem hæc omnia consentanea naturæ & qualitatibus aceti, quæ & per experientiam notæ sunt, & à Galeno declarãtur in prædicto lib. 4. de simplicibus medicamẽt. est enim acetum frigidum, & humidum actu, sed facultate exiccatiuum, quia per consumptionem humidi alimẽtalis redditum est siccius, quàm vinum; neque ita humectat, quia recessit humiditas aquosa, illa verò quæ est temperaturæ, est maximè commista cum sicco, per corruptionem autem caloris vitalis factum est frigidum: est etiam acre, & mordax (vt ait Galenus) ex tenuitate substantiæ, qua fit penetratiuum; singulas enim animalis partes penetrat, & per frigus constringit, & itaq; dicationem facit: quæ interdum tanta est, vt fit eum dolore, nempe si tanta fiat singularum partium constrictio, quæ faciat disiunctionem continuitatis, sic enim dolor fit: dicere etiam videtur Galenus, illam acredinem prouenire à calore extraneo, quem contraxit acetum ex putrefactione, siquidem omne putrescens amittit calorem proprium, & acquirit alienum: quod Galeni dictum admittere possumus in eo sensu, secũdùm quem diximus generationem aceti posse per similitudinem putredinem appellari: quum enim hæc quoque fiat à calore ambientis; ambiens autem non possit patientis corporis calorem educere, quin simul inducat aliquid caloris extranei; nullum est absurdum, si dicamus acetum aliquid extranei caloris accepisse ab actione ambientis, & ab eo adeptum esse illam acrimoniam; ita vt acrimoniam calori extraneo attribuamus, mordacitatem autem frigori constringenti; verè tamen putridum dici non potest acetum, sicut antea ostendimus. Hoc pacto ego puto solui posse hac in re omnem difficultaẽ: si quis autem aliquid probabilius inuenerit, eius sententiæ subscribere non recusabo.

Qualitates aceti.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, LIBER DE *FACVLTATIBVS ANIMÆ.*

Propositio, ac diuisio dicendorum. *Cap. I.*



VVM animæ naturam declarandam suscepit Aristoteles in tribus de Anima libris, neq; alia ratione cõsideratã, quam prout causa, & principium aliorum est, duas eius tractationes in iis libris ab eo factas notare possumus: quoniam enim anima tum corporis animati principium est vt forma ipsum constituens, tum operationum vt effectrix; per vtramque respectum declarare voluit quid sit anima. Prius etenim eam definiuit per respectum ad corpus animatum, cuius est forma, dicens eam esse primum actũ corporis naturalis instrumentalis; qua communi definitione omnem animam complexus, significauit eam esse omnis animæ conditionem, & naturam, vt sit actus, & perfectio, qua corpus viuens constituitur, & in specie collocatur. Deinde verò eandem cõsiderare statuit etiam prout respicit operationes, quemadmodum in contex. 33. lib. 4. videre est; & vsque singula animæ parte ab eo loco ad finem vsque lib. 3. hac ratione diligentissimè pertractauit. Quod igitur ad priorem animæ considerationem attinet, eam nos in præsentia ad eos, qui libros Aristotelis vel voce, vel scriptis interpretentur, remittimus; quum eorum officium sit Aristot. verba, & ipsam animæ definitionem, & singulas eius particulas declarare: sed & nobis alia fortassis occasio dabitur, qua aliquid de ea definitione dicamus: nunc de altero animæ respectu quædam, quæ prolixiorem disputationem postulare videntur, quàm vt in commentariis exponi conueniat, scribere constituimus: quum enim plures operationes animæ sint, quarum edendarum naturali facultate prædiram esse animam constat; inde factum est, vt respectu diuersarum opinionum diuersas etiam facultates philosophi omnes animæ attribuerint. Quum igitur Aristoteles in libris de Anima solitus sit animam, & eius partes facultatum nominibus appellare: nam certum est, vegetatiuum, sensitiuum, motiuum, appetitiuum, intellectiuum, & alia eiusmodi nomina facultatum esse, & varias operationes respicere: illud nobis considerandum proponitur, de quo solent philosophi nostri controuertiri, quomodo hæ facultates

Duæ considerationes animæ in lib. de Anima.

In lib. de mẽte humana.

tates tum ad ipsam animæ substantiam, tum ad se inuicem referantur: quæritur enim, an à substantia animæ distinguantur, an potiùs sint idem, quod illa; quæritur etiam, quo discrimine ipsæ discrepent inter se, & quot sint: hæc igitur consideraturi statuimus imprimis, id, quod paulò antè tetigimus, nomen facultatis in præsentia à nobis sumi propriè prout respicit operationem, & significat potentiam operandi, vnde Latini potentias animæ eas appellare consueuerunt: quum enim potentia respiciat actum, duplex autem sit actus, vt Aristoteles docet in initio libri secundi de Anima; actus primus, qui est forma; & actus secundus, qui est operatio formæ: duplex etiam est facultas; vna est, quæ respicit actum primum, eaque est materiæ potentia; altera verò, quæ respicit actum secundum, & est potentia formæ cuiusmodi sunt facultates animæ, de quibus in præsentia sermonem habituri sumus.

An facultates ab essentia animæ distinguantur, opinio Scoti, & Greg. Ariminens. cum eorum argumentis.

Cap. II.

Considerandum primo loco est, an facultates distinguantur re ab ipsa animæ substantia, an sint idem, quod illa: sed ad omnem tollendam ambiguitatem, sciendum est, posse duob. modis intelligi id, quod Latini dicunt realiter differre: primùm enim sumitur pro eo, quod est differre subiecto, vt quando cum Aristot. dicimus, materiam & priuationem non esse distinctas re, id est subiecto, sicuti neq; pomum & albedo, quæ simul sint subiecto, distingui dicuntur, sed solùm ratione; altero modo sumitur pro eo, quod est esse res diuersas, & secundùm essentiam distinctas, etiam animo non cogitante: sic autem dicimus materiam & priuationem esse distinctas re, sic etiam pomum & albedinem: quum enim toto genere differant, maximè dicuntur distingui re, hoc est essentias habere diuersas: quæstio autem præsens nullum habet locum iuxta priorem acceptionem, quæ enim in eodem vinente insint facultates, & anima ipsa, certè non distinguuntur subiecto: sed locum habet iuxta posteriorem tantùm acceptionem, quærimus enim quum simul sint in eodem, an potentiæ sint quid reale distinctum essentialiter ab ipsa animæ substantia, an idem sint, quod illa. Scotus lib. 2. Sent. dist. 16. & Gregorius Ariminensis ibidem quæst. 3. nituntur ostendere potentias animæ esse ipsammet animæ substantiã, quæ, quum varias operationes respiciat, varijs etiam nominibus appellari solet, quæ dicuntur potentiæ animæ, proinde hæ sunt idem re, quod ipsa animæ substantia; & hanc sententiam sequitur magna pars recentiorũ phi-

Realiter differre est dupliciter.

Opinio Scoti, & Gregorij Ariminẽsis.

A losophorum. Contra verò Thomas existimauit, potentias esse qualitates secundæ speciei manantes ab essentia animæ, proinde ab ea distinctas re, sicut apud eum varijs in locis legere possumus, præsertim verò in 1 part. Sum. quæst. 77. artic. 1. & in 1. Sentẽt. distinct. 3. quæst 4. artic. 2. Hanc eandem sententiam sequutus est Aegidius in Quodlibeto 3. quæst. 11. & Ioãnes Gandauensis in libr. 2. de Anima. Pro sententia Scoti hæc ab ipso, & ab alijs argumenta

B afferuntur. Primum est: de quo dicitur definitio, de eodem dicitur & nomen definiti; atqui de forma prædicatur definitio potentiæ actiuæ, ergo & nomen; anima igitur est suæ potentiæ: major clara est: minor probatur auctoritate Aristot. in 9. Metaph. vbi potentiam actiuam ita definit, potentia actiua est principium transmutandi aliud quatenus est aliud, atqui forma est huiusmodi principium, ergo forma est potentia actiua. Secundò sic argu-

C mentantur: sicuti se habet potentia passiua ad patiens, nempe ad materiam primam, ita & potentia actiua ad agens, nempe ad formam; at potentia materiæ passiua est materia ipsa; ergo etiam potẽtia actiua est ipsamet forma: probant similitudinem per ea, quæ dicuntur ab Aristot. in 9. Metaphys. quæ nunc recensenda non sunt: assumptum autem ita probant; si potentia materiæ esset aliquid diuersum à natura materiæ, esset accidens; ergo aliquod

D accidens in materia reciperetur ante formam substantialem, quod est absurdum. Tertiò: sicuti se habet forma merè naturalis ad suas operationes, ita etiam anima ad suas; at forma merè naturalis est immediatum principium suarum operationum absq; vlla potentia media, ergo & anima; nullæ igitur sunt potentiæ distinctæ ab essentia animæ, sed sunt anima ipsa: similitudo est manifesta, quia non debet anima esse minoris perfectionis, quàm forma

E inanimati, imò debet esse maioris; forma autem inanimati potest exire in actum secundũ absque vlla potentia media: quod probatur & de substantiali forma, & de accidentali: forma enim substãtialis est natura, at natura est principium motus immediatũ, vt denotat dictio illa, primò, in definitione naturæ: tales etiam sunt formæ accidentales, nam calor ignis est immediata causa calefaciendi alia sine vlla potẽtia media, sic grauitas & leuitas sunt cau-

F sæ immediatæ mouendi elementa ad sua loca, igitur anima multò magis debet esse immediata causa suarum operationum, ergo nõ per potentias medias. Quartò, natura nihil frustra facit, nec abundat in superuacaneis, atqui ipsa animæ substantia sufficiens est ad producendas omnes operationes seclusa ope cuiuslibet extra se, ergo frustra ponuntur potentiæ ab ea distinctæ. Quintò, agens nunquam agit in extremum, quin prius agat in medium, si medium habeat; itaque si anima efficit operationes per medias potentias, ne-

Opinio Thomæ.

Primum argumentum Scoti.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

Quintum argumentum.

esse est vt priùs agat in ipsas potentias, quod est absurdũ,& inexcogitabile. Sextò, si potentiæ sunt diuersæ ab essentia animæ, & ab ea manant, ergo ab ea pendent vt à causa, in quo igitur causæ genere? certè nō vt à materia, neque vt à fine, neq; vt à forma, vt patet, ergo vt ab efficiente; igitur anima aliquid immediatè producit, quod aduersarij negant, producit enim ipsas potentias: quòd si dicant has produci per alias potentias medias, procedemus in infinitũ, quod dicendum non est. Septimò, si nullum agens potest immediatè aliquid producere, sed solùm per potentiam mediam; ergo neq; ipsa potētia poterit immediatè operationem producere, nisi per aliam potētiam mediam, & sic illa per aliam, quare procedemus in infinitum. Octauò, si anima, vt operetur, requirit potentiam à se distinctam, vel eam requirit ob suam perfectionē, vel ob suã imperfectionem; at neutro modo requirit, ergo nullo; non ob suam imperfectionē, quia hoc posito formæ accidentales, quũ sint imperfectiores, magis requirerēt huiusmodi potentias, at non requirunt, vt antè dictum est de calore, & leuitate ignis; non etiam ob suã perfectionem, quia substantiæ à materia abiunctæ, ac Deus ipse, quum sint perfectiores, magis requirerent, quod tamen dicendũ non est. Postremò sententiam hanc confirmant auctoritate Aristotelis in libris de Anima in pluribus locis: nam in contex. 9. lib. 2. inquit, si esset oculus animal, potentia visiua esset forma eius, ergo potentia est idem quod anima: deinde in contex. 10. inquit, anima est sicuti potentia instrumenti; postea verò passim in ijs libris ita potentias animæ cōsiderat, vt putet se de ipsis animæ partibus loqui; dicit enim naturas, & gradus animatorum ab his potentijs constitui, quod falsum esset, si potentiæ essent qualitates; quoniam igitur vbique potentias cum anima ipsa confundit, non cēsuit eas esse aliquid præter ipsam substantiam animæ, sed esse planè ipsam animam.

Sextum argumentum.

Septimum argumentum.

Octauum argumentum.

Nonum argumentum.

Opinio Thomæ & Aegidij & eorum argumenta. Cap. III.

E contrario autem ad probandum potentias animæ esse qualitates, per quas anima suas operationes edat, multa argumētā à Thoma, & ab Aegidio, & à Ioanne Gandauense afferũtur, vt apud eos videre est, ego verò pauca præcipua seligam: & quia sententiam hanc veriorem esse puto, afferam etiam responsiones, quibus ad singula aduersarij vtuntur, & quantum roboris habeant, considerabo. Primum argumentũ, quo opinio Thomæ comprobatur, tale est: potentia naturalis, seu aptitudo ad operandum ponitur ab Aristotele in secunda specie qualitatis; at potentiæ animæ sunt aptitudines naturales ad operandum, ergo sunt essentialiter in secũda specie qualitatis; proinde sunt re distinctæ ab anima, quæ est substantia. Ad hoc respondēt aduersarij, non omnem potentiam operandi poni ab Aristotele in secunda specie qualitatis, sed solam potentiam ad bene, seu facilè operandum, vel ad facilè resistendum. Sed hæc responsio nullius momenti est, & iam abundè reprobata à nobis fuit in lib. de materia prima, quoniam differentia per magis & minus non variat speciem, multò igitur minus potest variare genus: & quemadmodum actus currendi non differt genere ab actu bene currendi, ita neq; potentia currendi differt genere à potentia bene currendi; potentiã enim respicit actum, quare vt se habet actus ad actũ, ita & potentia ad potentiam. Sumitur etiam alia huius cōfirmatio ex habitu, & dispositione, quæ specie non differũt, sed solùm secundùm magis, & minùs fixum; neq; potentia bene currendi differt specie à potentia currendi absolutè. Secundò ita argumentantur: si anima esset idem quod suæ potentiæ, ipsæ quoq; potentiæ inter se essent idem, quæ alicui tertio sunt idem, etiam inter se sunt idem; igitur potentia visiua erit idem, quod potentia motiua, & quod potentia olfactiua, & quod reliquæ omnes: hoc tamen nemo asfereret, quia potentiæ sunt plures, non vna. Ad hoc alij respondent, potentias animæ dupliciter cōsiderari posse, vno modo secũdum internam rationem, altero modo secundùm externam: ideo si secundùm internam rationem considerentur, totum argumentum esse concedendum, hac enim ratione omnes sunt ipsamet anima, quæ vna est, & hoc solùm eo argumento ostenditur: si verò considerentur secundùm rationem externam, dicunt argumentum nihil habere roboris; quia quatenus eadem anima respicit varias operationes, appellatur nominibus diuersis, & potentiarũ ratione diuersorũ respectuum: quam suam opinionem declarantes dicunt potentiam esse animam ipsam, & nihil aliud ei superaddere, quàm respectũ quendam, quoniam anima est substantia quædam non otiosa, sed (vt aiunt) virtuosa, & apta ad multifariam operandum; quare ista aptitudo nihil aliud est, quàm anima ipsa vt respiciens hāc, aut illã operationē. Sed cōtra hanc responsionē ita argumentati possumus; illæ aptitudines, quę secundùm externam rationem respiciunt varias operationes, & in quibus potentiarum discrimen consistit, vel sunt aliqd, vel nihil; si nihil, nulla igitur erit potentiarum differentia, quare argumentum contra eos viget: si verò aliquid vel sunt substantiæ, vel accidentia; substãtias quidem nemo diceret: sic enim non possent esse, nisi diuersæ formæ substantiales; si verò sunt accidentia, vt reuera sunt, considerandum est, in quanam sint Categoria; in Categoria quidem relatiuorum poni nō possunt, quia non est ratio, nisi inter alia, quæ simul actu sint, nō est enim pater nisi qui actu filium habeat,

Primum argumentum.

Responsio eorum.

Impugnatio.

Secundum argumentum.

Responsio eorum.

Impugnatio.

quo-

quo fit vt semper necessarium sit vno relatiuorum existente alterũ quoq; existere, at in anima sunt actu istę facultates etiam nulla existente operatione; neq; dicere possunt esse relationem rationis, quoniam etiam animo nõ cogitante habet anima potẽtiam videndi distinctam à potentia ambulandi, nulla etiam existente actu visione, aut ambulatione: igitur hæ potentiæ non habẽt esse respectiuum, sed absolutum, proinde in nulla alia Categoria statui possunt, nisi in Categoria qualitatis, vt considerantibus manifestum est: itaq, aduersarij hoc dicentes veniunt in ipsammet opinionem Thomæ; quod enim dicunt potentias omnes secundùm internam rationem idem esse, nil aliud est, quàm dicere vnam esse animæ substantiam, à qua omnes emanant: quum autem dicunt eas distingui secundùm varios respectus, fateri coguntur eas vel esse qualitates, vel nullo modo distingui, & ita argumentum aduersus eos validum esse. Alia quoq; ratione potest eadem ipsorum responsio impugnari; nulla est magis interna, seu magis essentialis consideratio, quàm quæ significatur per hanc duplicatiuam, quatenus: quod patet testimonio Aristotelis in 1. Posterior. vbi docet hanc esse præcipuam, & supremam conditionem, quæ in propositione faciat necessarium, & essentialem connexum; ergo nulla esse potest intimior ratio potentiæ visiuæ, quàm quæ significatur dicendo, potentia visiua quatenus est potentia visiua; itaq; si nulla est magis interna ratio quàm hæc, & potentiæ secundùm internam rationem omnes idem sunt, sequitur potentiam visiuam, quatenus est potentia visiua, esse potentiam olfactiuam, & potentiam ambulatiuam: patet igitur vanam esse eorum distinctionem internæ, & externæ, nisi intelligatur eo modo, quem diximus, nempe vnam esse animæ essentiam, potentias verò esse diuersas aptitudines ad varias operationes; & externas dici, quia sunt extra animæ essentiam, quum sint qualitates eam insequentes, quarum singula quatenus talis, absolutum quoddam est, & ab alijs distinguitur: hoc videtur confiteri Ludouicus Buccaferreus, qui prędicta distinctione vtitur; sed tandem veritate coactus asserit essentiam animę esse quoddam prius, potentias verò esse posteriores, quod est concedere eas distingui à substantia animæ. Præterea aduersus id, quod illi dicunt, animam esse substantiam quandam virtuosam, tali argumento vti possumus ex eorum verbis desumpto: anima est virtuosa, ergo non est virtutes ipsæ, quia neq; concretum potest prædicari de suo abstracto, neque abstractum de concreto; neq; enim album est albedo, neque albedo est alba; igitur si anima est ipsæmet potentiæ, seu virtutes, vt illi dicunt, non rectè vocatur potens, seu virtuosa, vel, si rectè appellatur, aliud est ipsa anima habens virtutes, siue potentias, & aliud

A potentiæ ipsę. Præterea sic pro opinione Thomæ argumentari possumus: potentia operandi respicit actum, id est operationem ipsam; sed semper nobilior, & perfectior est actus potentia ipsum respiciente; ergo si potentia essentialiter, & secundùm internam rationem esset anima ipsa, operatio, quę est accidens, esset perfectior, quàm anima, quæ est substantia.

Tertium argumentum.

Aliud quoque argumentum constituere possumus ex duobus, quæ à Thoma vt distin-B cta ponuntur in prædicto loco primi sententiarum: sicut se habet posse ad esse, ita potentia ad essentiam; sed in anima differt posse ab esse; ergo & potentia ab essentia; quòd differat posse ab esse, probat ibi Thomas ratione supernaturali, quæ aliena est à nostra consideratione; nos autem id probare possumus ratione naturali, quod est aliud Thomæ argumentum in eodem loco: nam anima secundùm suum esse respicit totum corpus vt à se formaC tum, & constitutum, at secundùm suum posse respicit operationes, & distinctas eiusdẽ corporis partes tanquam instrumenta, quibus vtitur ad operandum: hoc autem discrimen in aliqua corporis nostri parte notare possumus; aliquis enim oculos habens cæcus est, quare in eiusmodi oculo est anima secundùm suum esse, quia oculus est animatus, & habet substantiam animæ in seipso; non est autem ibi anima secundùm suum posse, quia non potest D operari, & videre: quoniam igitur ibi est substantia animæ absq; potentia visiua, aliud est ipsa visiua potentia, aliud est substãtia animæ.

Quartum argumentum.

Alijs quoq; argumentis vtuntur in memoratis locis Thomas, & Aegidius, & Gandauensis: quæ quum infirmiora videantur, dimittimus, præsertim quia apud eos legi possunt.

Vera sententia, & eius declaratio.

Cap. IV.

E EGo in hac controuersia, licèt magis ad Thomæ, & aliorum prædictorũ opinionem accedam, eam tamen penitus recipere non possum, sed adhibendam ei esse puto quandam correctionem; arbitror enim totam huiusce rei veritatẽ in duobus dictis esse constitutam: alterum aduersus Scotum tale est; facultates animæ sunt re distinctæ ab ipsa animæ substantia, & sunt qualitates secundæ speciei: alterum verò aduersus Thomam, & F alios est, facultates animæ nõ sunt agẽtia media inter animam, & operationẽ, vt Thomas, & Aegidius existimarunt, sed sunt solũmodo conditiones quædam, & aptitudines animæ ad operandum. Horum prius satis probatur argumentis antea pro Thoma adductis, quibus reuera nil aliud ostenditur, nisi facultates esse qualitates ab animæ essentia distinctas; at non ostenditur eas esse agentia media, sicut illi existimasse videntur. Alterum autẽ dictum probatur argumentis Scoti, eorum enim plura cõtra Thomam efficacissima sunt; nec solui

Primum dictum contra Scotum.

Secũdum dictum contra Thomam.

posse videntur, dum dicimus potentias esse agentia media inter animam, & operationem; sed à nobis hoc negantibus facilimè soluetur. Vt igitur veritas clarior fiat, & omnia aduersantia argumēta soluantur, notanda sunt quędam. Primo loco sciendum est, potentiam operandi esse accidens quoddam medium inter priuatiuum, & positiuum: quum enim noter priuationē actus, videtur esse priuatiuum potiùs, quàm positiuum, non est tamen pura priuatio, sed est quoddam reale, & absolutū; est enim aptitudo, ac propensio quædam ad talem actum, quam Arist. in genere qualitatis collocauit directè tanquā eius speciem: quòd si esset mera priuatio, in nulla Categoria poni posset, nisi per reductionem; adeo vt hinc colligere possimus, facultatē operandi esse quidem rem quandam positiuam, & absolutam, sed debilis admodum, ac tenuis entitatis. Secundo loco notandum est, hanc potentiam siue aptitudinem præsupponere in eadem re aliam naturam priorem, quam insequatur: hoc autem satis videtur considerantibus esse manifestū; quia omnis operatio fit ab actu, quare aptitudo operandi, quum sit potentia, præsupponit necessariò priorem aliquam actualem naturam, à qua prouenit, & potest inductione declarari: nam potentia recipiendi omnes formas, quæ inest primę materiæ, ipsam materiæ naturam insequitur; & in elementis grauitas, & leuitas nil aliud sunt, nisi potentiæ naturales, quibus elementa propensa redduntur ad sua loca naturalia, hæ autem ipsas elemētorum formas consequuntur: aliæ quoque plures eiusmodi potentiæ naturales consequuntur alia accidentia priora, vt illæ, quæ exempli gratia nominantur ab Aristotele in cap. de Qualitate; cursor enim dicitur, qui naturalem habet potentiam bene currendi, sed hæc necesse est vt ab aliqua causa priore proueniat, veluti ab optima partium corporis inter se proportione, vel à conueniente qualitatum temperie, seu à bona totius corporis habitudine, vel ab alia aliqua eiusmodi causa, quæ necessariò differt specie ab ipsa potentia, & quandoque etiam genere: nam si dicatur esse temperies, ea vel est in prima, vel in tertia specie qualitatis, non in secunda; si verò figura, ea est in quarta specie; quòd si dicatur esse situs partium, distinguitur toto genere ab ipsa potentia, quum sit in Categoria positionis: potentia verò primę materiæ differt ab ea toto genere, quum sit qualitas, materia verò substantia. Tertiò scire oportet, tales potentias non alio modo pendere ab alia causa priore, quàm vt à causa effectrice: sed eam non posse esse effectricem propriè dictam, quæ est per transmutationem, & cum resistentia patientis, sed per solam emanationem; emanatio enim dicitur, quando absque vlla resistentia patientis, & sine vllo efficientis conatu effectus ipsum insequitur quasi sponte sua, sicut

Potentia operandi est mediū inter positiuum, & priuatiuum.

Omnis aptitudo præsupponit aliam naturam positiuam.

Potentia est effectus per emanationē.

A vmbra corpus, quemadmodum alio in loco declarauimus. Quartò notandum est, potentiam hanc naturalem, licèt sit modo quodam media inter causam, quam insequitur, & operationem, non esse tamen causam mediam; sed causam illam priorem esse immediatam causam operationis; vt si quis actu currat, non dicimus potentiam currendi esse illius cursus proximam causam, animam verò, seu instrumenta, seu temperiem, seu quodlibet aliud, à B quo illa potentia emanare dicatur, esse causam remotam, sed potiùs proximam, & immediatam: etenim potentia non est causa operationis, sed solùm aptitudo causæ ad operandum; quod potest argumento prædicto comprobari: operatio enim fit ab actu, non à potentia, nisi prout potentia præsupponit aliam quandam actualem naturam, à qua emanat; illi igitur tribuenda est actio, non ipsi potentiæ, quæ non est nisi conditio causæ ad o- C perandum: patet autem hoc de potentia passiua primæ materiæ, est enim conditio materiæ ad recipiendum, non est tamen recipiens medium, non enim potentia recipit, sed materia immediatè recipit: hoc idem in qualitatibus elementorum motricibus manifestum est, grauitas enim & leuitas sunt aptitudines, & propensiones naturales elementorum ad propria loca, proinde qualitates secundæ speciei, & omnium consensione distinctæ à for- D mis elementorum; nemo tamē dixit elementa moueri à grauitate & leuitate tanquam motoribus à forma distinctis, sed vt acceptis loco formarum latentium: omnes enim, qui de motore elemēti controuersantur, vel à forma moueri elementum dicunt, vel à generante externo; nemo tamen dicit à grauitate & leuitate prout sunt qualitates à forma distinctæ; esse autem qualitates testatur Aristot. in 1. cap. lib. 2. de Partibus Animalium. Ex his collige- E re possumus, debile esse argumentum Aegidij in prædicto loco, quod indicat eum non sano modo hanc sententiam accepisse, ac defendisse: inquit enim, non potest anima edere immediatè operationes, quia est naturæ nimis remotæ ab operatione, natura autem non transit ab extremo ad extremum sine medio: anima quidem est substantia, & permanens; operatio verò, siue sit immanens, siue transiēs, est accidēs non permanens; ideo conueniens F fuit vt operatio ab anima produceretur per mediam potentiam, quæ est quidem accidēs, sed permanens, & ita medium inter conditiones extremorum. Videtur enim considerasse Aegidius id, quod ab Aristot. & clariùs ab Auerroe dicitur in libr. 8. Phys. auscultationis; motorem penitus immutabilem non posse immediatè producere effectū nōuum, & mutabilem, nisi per motorem medium, qui partim mutabilis, partim immutabilis sit, cuiusmodi est Cœlum, quod secundùm substātiam immutabile est, secundùm locum autem mutabile.

In 1. libr. de motu grauiū, & leuium.

Potentia non est causa media.

Argument. Aegidij.

Solutio.

tabile. Sed hæc similitudo non est omnino par, quia primus motor agit in Cœlum, & Cœlum agit in hæc inferiora, quare Cœlum est agens medium; at potentia non est agens medium inter operationem, & animam, neq; est instrumentum animæ, sed conditio, & aptitudo ad operandum, quę eius naturam insequitur per emanationem: argumētum igitur Aegidij, licèt ingeniosum & probabile sit, necessitatem tamen non habet: nulla enim ratio prohibet quin anima, quæ est substantia permanens, possit esse immediata causa accidentis fluentis. Postremò notandum est, potentias pronenire quidem ab anima vt à principio, & origine, non tamē in ea recipi vt in subiecto, sed in corpore animato: quemadmodum enim operationes attribuūtur animato vt subiecto, animæ verò vt principio, & causæ, ita etiam potentiæ; totum enim animatum dicitur potens operari propter animam tanquam causam, à qua potentiæ emanant.

Anima non est subiectum potētiarum, sed causa, & origo.

Contrariorum argumentorum solutio. *Cap. V.*

His ita constitutis, nitendum est ad argumenta contraria respondere. Ad primū Scoti sumptum ex Aristotele in 9. Metaphysicorum, dicere possumus, Aristotel. ibi nec definire solam potentiam, quæ est qualitas, nec solam formam sine potentia, sed totum coniunctum, hoc est, formam potentem, seu agens potēs, hoc enim dicitur principium mutandi aliud quatenus est aliud. Dicere etiam possumus, eam definitionem competere potentiæ, & nomen illud, principium, ibi non significare causam agentem, sed rationem agendi; sic enim potētia actiua est principium, id est, ratio principij. Ad secundum negamus potentiam passiuam esse ipsammet materiæ substantiā, dicimus enim eam esse accidens manans à natura materiæ: ad probationē autem respondemus non esse absurdum, si aliqua accidentia indeterminata, & potentialia in materia præcedant formam, quum ab his materia ad nullam certam naturam restringatur, vt alibi declarauimus; accidentia quidem terminata non debēt formam præcedere, quū eam insequantur; at potentia passiua non est huiusmodi, sed est necessaria materiæ vt possit esse rerum principium, & recipere formas. Thomas autem in prędictis locis aliter hoc argumentum soluit, quum concedat potētiam passiuam esse ipsammet substantiam materię: sed nos aliàs hanc eius opinionem reiecimus; ideo standum putamus solutioni, quam nunc attulimus. Ad tertium respondet in memoratis locis Thomas negando similitudinē quantum attinet ad formas accidentales, propterea quòd non ita se habet calor ad suam operationem, vt forma substantialis ad suam; calor enim non est causa primaria, sed agit tanquam vicus formæ, quam insequitur; quare similis

Ad primum Scoti.

Ad secundū.

Alia solutio Thomæ.

Ad tertium.

A potius est potentiæ animæ, quàm animæ ipsi: itaque de formis substantialibus negare videtur Thomas aliquam ipsarum agere sine potentia media, cui ego assentiendum puto; ac de accidentalibus formis eius sententiam non approbo; in eo namque errauit, quod confessus est potentiam esse agens medium inter formam, & operationem; hoc enim si dicamus, innumeris vrgemur difficultatibus, vt antea dictum est. Ego igitur de omnibus formis B naturalibus, tam substantialibus, quàm accidentalibus vniuersè negandum esse puto, quòd agant sine potentia media tanquam ratione agendi; quemadmodum vniuersè de omnibus asserimus, quòd agant sine potentia media tanquam causa media; ideò vt in præsentia admittamus dictionem illam, primò, in definitione naturæ significare immediatè, quod quidem fortasse verum non est, dicimus naturam producere motū in eodem C corpore sine vlla causa media; neque per hoc stare quin naturam insequatur potentia motrix, per quam moueat non tanquam per causam mediam, sed tanquam per conditionem necessariam: sic formam accidentalem actiuam consequitur sua potentia, quæ ab ea distincta est, vt calorem insequitur potentia actiua quæ est in secunda specie qualitatis, quū calor sit in alia specie: sed cauendum est ne in sumendis formis accidentalibus actiuis erre- D mus, nam grauitas & leuitas reuera non sunt actiuæ; & dum aduersarij ex his a[illegible]gumentum sumunt, decipiuntur; nam fo[illegible]æ elementorum mouent elementa imm[illegible]ediatè, grauitas autem & leuitas non sunt causæ mediæ, sed sunt propensiones ad propria loca à formis emanantes, & potentię naturales, quas æquum est ponere in secunda specie qualitatis; quare grauitatem & leuitatem non insequuntur aliæ potentiæ; & id, quod dici solet, ele- E menta moueri à grauitate, & à leuitate, sano modo intelligendum est, nempe ea moueri à suis formis per grauitatem, ac leuitatem, tanquam per potentias mouendi, non tanquam per causas medias. Ad quartum negamus animam esse aptam operari per seipsam sine ope alicuius extra essentiam ipsius, hoc enim manifestè falsum est, etiam reiectis potentijs; eget enim anima corporeis instrumentis, sine quibus operari non potest: sed vtcun- F que de alijs sese res habeat, sat est si in præsentia dicamus, quando inquiunt, seclusis quocunque extra ipsam, si intelligant seclusis potentijs, eos falsum sumere, & petere principium; nos enim dicimus, nullum agens posse agere seclusa potentia actiua. Ad quintum dicimus, eos supponere potentias esse causas medias, quod quidem nos negamus: de solis enim medijs, & instrumentalibus causis verum est id, quod sumunt agens agere priùs in medium, quàm in extremum; at potentiæ non sunt causæ mediæ, neq; instru-

Grauitas, & leuitas non sunt actiuæ.

Ad quartū.

Ad quintū.

menta media, sed sunt aptitudines ab ipsa ani- A mæ essentia emanantes. Dicimus præterea ineptam, & incongruam in hoc argumento loquutionem esse; ab anima enim tum potentiæ emanant, tum operationes producuntur per potentias, nec tamen anima in potentias agere dicitur, neque in operationes.

Ad sextum. Ad sextum dicimus, nullum agens materiale posse immediatè producere aliquid per transmutationem sine potentia media, at per emanationem potest aliquis effectus ab agente im- B mediatè prouenire; sic igitur potentiæ emanant immediatè ab essentia animæ, non per alias potentias.

Ad septimū. Ad septimum respondere alij debent, qui dicunt potentiam esse operationum causas proximas, at nobis, qui id negamus, argumentum non officit; non enim dicimus potentiam, prout est quiddam distinctum ab anima, producere operationem.

Ad octauum. Ad octauum dicimus potentiam insequentem, & animæ, & formis naturalibus esse necessa- C riam, ob earum imperfectionem; nam formæ à materia abiunctæ agunt per essentiam, ideò & potentia, & ipsamet operatio in eis idem est quod essentia; at formæ materiales ob suã imperfectionem agunt per potentias ab essentia distinctas, quum non possint agere per essentiam: ideò quando dicunt, ergo etiam formę ignobiliores agunt per potentias medias, hæc omnia concedimus.

Ad nonum. Ad Aristotelem autem, qui passim in libris de Anima sumit po- D tentias pro ipsamet animæ essentia, dicimus, naturam animæ esse absconditam, & innominatam, ideò Aristotelem eam significasse nominibus potentiarum consequentium, quæ nobis notiores sunt; quum præsertim ibi consideret animam vt principium operationum, sic enim conuenientissimè vocari potest nomine potentiæ ab ea emanantis: sic etiam in libris de Cœlo formas elementorum nominauit per grauitatem, & leuitatem, quia for- E mæ non sunt nominatæ; ipse tamen grauitatem, & leuitatem, quas ibi dixerat esse formas elementorum, postea qualitates esse asserit in primo capite libri secundi de Partibus animalium. Ad hoc autem confirmandum considerentur verba Aristotelis in context. nono libri secundi de Anima, quæ ipsi contra nos adduxerunt: ibi namque non absolutè dicit, potentiam visiuam esse animam, sed hoc constituto, si oculus esset animal totum, quia vidit poten- F tiam visiuam non esse animam ipsam, sed esse accidens consequens animam, qua oculus informatur: at quia non per animam, sed per potentiam visiuam distinguitur oculus ab alijs membris, ideò dixit, si oculus esset animal totum, potentia visiua esset anima eius; putauit igitur eam non esse animam, sed quid distinctum ab anima, quum reuera oculus non sit animal totum.

Ad omnia argumenta Thomæ. Argumenta verò omnia, quæ pro Thomæ, & aliorũ opinione adducta sunt, nil aliud probant, quam potentias esse re dis- A tinctas ab essentia animæ, & esse qualitates, quod nos quoque asserimus; at non probant esse causas medias: quare sunt à nobis omnia concedenda.

De distinctione facultatum Animæ inter se, duæ aliorum contraria opiniones.

Cap. V.

HActenus ostendimus facultates animæ ab ipsa animę substantia distingui vt ac- B cidentia à suo principio, cõsiderandum restat quomodo ipsæ inter se distinguantur: illud quidem manifestum est, earum differentiam ab actionum discrimine deriuari, ita vt quæ est ipsarum operationum differentia, eadem sit etiam facultatum, vt enim distinguitur visio à nutritione, ita & visiua facultas à nutritiua: quisquis igitur noscat proprios singularum operationum fines, & vtilitates, qua- C rum gratia sunt à natura institutæ, is & operationum, & facultatum discrimen, quod a fine sumitur, optimè intelliget, idq; nos tanquam difficultate carens alijs considerandum relinquimus: sed alia est vtrisque communis difficultas, quam nunc considerare decreuimus, de ipsarum tam operationum, quàm facultatum principio, & origine; quoniam enim sunt qualitates ab ipsa animæ substantia manantes, sicut antea demõstrauimus, & plures sunt D animæ tanquam plures formæ secundùm essentiam distinctæ, quod quidem concedere omnes videntur, minùs erit illarum facultatum inter se discrimen, quæ vnam & eandem animæ substantiam insequantur; illæ verò, quæ à diuersis animabus, tanquam à diuersis principijs prodeant, maiore inter se discrimine dissidebunt. Est igitur inprimis cõsiderandum quæ sit animarum distinctio in viuentibus, hoc enim declarato cognoscemus, quæ- E nam facultates vnam & eandem formam consequantur, & quæ diuersas. Duæ hac de re opiniones existunt, vna est Latinorum ferè omnium, altera plurium recentiorum, præcipuè verò Auerroistarum.

Latinorum opinio de animarũ multitudine. Latini non concedunt in eodẽ viuente plures animas tanquam formas substantiales distinctas, sed solùm in diuersis viuentibus; in homine enim vnam tantùm esse dicunt animæ substantiam tanquam vnam formam, rationalem vocatam; in F quolibet bruto vnam tantùm vocatam sensibilem; & in qualibet planta vnam vocatam vegetantem; & has inter se essentialiter differre tanquam formas diuersas: quum autem in eodem viuente vnam tantùm esse animam secundùm substantiam dicant, illam præditam esse aiunt omnibus facultatibus animarum ignobiliorum; vt in bruto non esse animam vegetantem, & sentientem vt duas distinctas formas, sed vnam tantùmmodò præditã omnibus facultatibus, & vegetantis animæ, & sentientis, sed à præstãtiore facultate appellari sensibilem:

sibilem: sic in homine vnam tantummodò esse animam rationalem, quæ prædita est tum proprijs facultatibus, tum illis omnibus, quæ attribuuntur & vegetanti, & sentienti animæ, sed à nobilioribus suis facultatibus vocatur rationalis, seu mens, seu intellectus; ita vt eadem anima humana per facultatem rationalem intelligit, & sapiat, per sensibilem sentiat, per vegetantem nutriat, & augeat, & generet aliud simile. Secundùm hanc igitur opinionē omnes facultates animæ in homine insunt, & in eo vnam & eandem animæ substantiam insequuntur; prout verò in diuersis specie viuentibus considerantur, à diuersis animarum substantijs emanant: facultas enim sensibilis, & facultas nutritiua in bruto pendent ab eadem anima bruti, quæ dicitur anima sensibilis; sed si ad differentiam specie viuētia referatur eadem facultas, insequitur diuersas animas tanquam diuersas formas, vt facultas nutritiua in bruto insequitur animam bruti, quæ dicitur anima sensibilis, in planta verò insequitur animam plantæ, quæ vocatur vegetans, & in homine animam humanam, quæ dicitur rationalis: ob id aliud esse dicunt animam sensibilem, aliud facultatem sensibilem, sic aliud animam nutritiuam, aliud facultatem nutritiuam; & sensibilem animam in solis brutis inesse, non in homine, esse tamen & in homine, & in brutis sensibilem facultatem; & nutritiuam animam in solis plātis inesse, non in animalibus, in omnibus tamen & plantis, & brutis animalibus, & homine inesse facultatē nutritiuam. Hæc dicentes illud meo quidem iudicio mirabile pronuntiare videntur, omnes facultates in eodem viuēte insequi vnam tantùm formam substantialem, singulam verò facultatem in diuersis viuētibus diuersas etiam formas insequi, proinde maius hac ratione esse discrimē vnius facultatis in pluribus viuentibus quàm plurium facultatū in eodem. Hæc igitur Latinorum sententia est. Plures autem Auerroistæ putārunt partem vegetantem, & sentientem, & intelligētem esse distinctas formas substantiales, etiam in eodem viuente, vt in homine; sic in bruto duas esse formas, sensibilem, & vegetantem, ita vt eadem sit anima sensibilis in homine, & in brutis, & eadem vegetans in plantis, in brutis, & in homine: secundùm quam opinionem singula facultas animæ vnam & eandem animæ substantiam semper insequitur, nunquam plures, vt facultas nutritiua solam animam vegetantem, siue in plantis, siue in brutis, siue in homine consideretur; adeò vt in quo viuente sint ipsæ partes animæ, in eodem sint etiam facultates illarum partium propriæ, proinde in quo est potentia nutritiua, in eodem sit anima nutritiua distincta ab alijs partibus animæ, si quæ in eodem insint; & in quo est facultas sensibilis, in eodem sit etiam anima sensibilis. De hac igitur cōtrouersia nos secundùm principia philosophiæ Aristot. disputaturi, & quæ eius sententia fuerit inuestigaturi, vtriusq; opinionis argumenta seorsum referemus, deinde quid putemus sensisse Aristotelem, exponemus.

Auerroistarum opinio.

Argumenta pro opinione Latinorum.

Cap. VI.

Latini, quum ad probandum non posse in eadem materia plures simul formas substantiales inesse, pluribus argumentis vti soleant, & horum aliqua iam in libro, quem de communi rerum generatione conscripsimus, considerauimus; nunc ea tantùm, quæ peculiariter ad animam & eius partes attinentia adducunt, in medium afferemus. Primùm sic argumentantur: frustra fit per plura, quod æquè absolui potest per pauciora, at in bruto vna anima sensibilis sufficit ad omnes edendas operationes animæ vegetantis, ergo frustra in bruto ponitur anima vegetās distincta à sensibili: idem dicendum est in homine de parte vegetante, & de parte sensibili, quæ ponantur distinctæ à rationali, frustra enim ponuntur, si vna rationalis sufficit ad earum omnium operationes edendas. Secundò si in bruto essent duæ illæ distinctæ formæ, vegetans, & sensibilis, & in homine tres, vegetans, sensibilis, & rationalis, duobus interitibus obnoxium esset brutum, & homo tribus; diuersæ namq; formæ distinctis interitibus destruuntur, siquidem vnus substantialis interitus vnius tantùm substantialis formæ destructione terminatur; priùs igitur interiret in bruto anima sensibilis, deinde vegetans; sic in homine priùs oporteret animam rationalem separari, deinde sensibilem, ac tandem vegetantem: ter igitur homo moreretur, & brutum bis, hoc tamen nemo asseret. Tertiò si esset in homine anima vegetans re distincta à sensibili, & hæc re distincta a rationali, homo esset planta, & esset animal brutum; quoniam anima vegetans, vt ab alijs distincta, plantam constituit, & anima sensibilis, vt ab alijs distincta, constituit brutum. Quartò aliqui ita argumentantur: si anima vegetans esset in homine distincta ab alijs partibus animæ, non esset nisi communis, & eadem, quæ in plantis est; ergo operationes quoque essent communes; qualis enim est forma, tales sunt operationes: consequens tamen falsum est, quia non idem est nutritionis modus, quo alitur homo, & quo planta; sed modus nutritionis hominis est hominis proprius, & nutritio plantæ est propria plantæ; igitur etiam principium nutritionis humanæ est aliquid proprium hominis, proinde est anima rationalis, non alia communior; quare anima rationalis habet alitricem facultatē, & alias omnes. Vtuntur etiam maximè auctoritate Aristotelis in contextu 31. lib. 2. de Anima, vbi dicit vegetatiuum contineri in sensitiuo, vt triangulum in quadrangulo; at quadrangulum non

1. argument. Latinorum.

2. argument.

3. argument.

4. argument.

5. argument.

A habet actu triangulum, ita vt sint duæ distinctæ figuræ, sed vna tantùm est figura actu, quę dicitur quadrangulum, & cõtinet triangulum virtute, non actu; sic igitur non est vegetatiuum actu in sensitiuo, esset autem actu, si esset forma distincta, sed solùm potestate, & virtute, quia sensitiuum habet vim vegetatiuam, & aptum est omnibus vegetantis animæ muneribus fungi. His argumentis, & alijs, quæ missa facio, nituntur ostendere, non posse in eodem animato esse plures animas tanquam B distinctas formas, sed vnam tantùm fungẽtem muneribus aliarum.

Argumenta pro opinione Auerroistarum. Cap. IIX.

In lib. de communi rer. generat. cap. 2.

CONtraria verò Auerroistarum opinio, quàm ego Aristotel. fuisse arbitror, illis argumẽtis maximè comprobatur, quibus aliàs ostendimus animam, & formam mi- C stionis in eodem viuente esse duas re distinctas formas: quum enim in illis res ita manifesta sit, vt eam negare vanum esse videatur, inde colligimus nihil esse absurdi, si plures quoq; in eodem simul existere formas asseramus; nam si rationi & rerum naturæ non repugnat duas esse re distinctas formas substantiales in eadem materia, certè neque tres, neque decem, neq; centum simul esse repugnabit: sed multis causa erroris fuit similitudo D partium animæ inter se, quæ multò maior est, quàm formæ mistionis, & animæ; harũ enim tanta est dissimilitudo, vt negari non posse videatur eas esse duas distinctas formas, sicut eo in loco demonstrauimus: sed animarum inter se maior est similitudo, vt in earum communi definit[ione] mani[fe]stum est: omnis enim anima est actus corporis naturalis heterogenei, & varijs instrumentis præditi: idcircò multi, E quum animæ & formæ mistionis distinctionẽ confessi sint, eam tamẽ in partibus animæ negauerunt.

1. argument.

Sed his aliquam poterat fidem facere de distinctione animarũ inter se illa continua, quam in nobis experimur, pugna sensus cum ratione; quod enim sensus appetit, ab eo ratio frequenter abhorret; & quod ratio vult, id persæpe sensus fugit vt molestum; ita vt eadem res molesta sensui, & iucunda rationi sit, vel sensui iucunda, & molesta rationi; F alia igitur est animę substantia, qua sentimus, & alia, qua intelligimus, & volumus: hoc argumento vtitur Galenus in lib. 5 de Hippocratis & Platonis decretis, ad probandum diuersas esse animæ partes, rationalẽ & concupiscibilem, & irascibilem; & integrũ ex Platone sumit in lib. 4. de Republ. putatq; esse efficacissimum.

Responsio aliorum.

Si quis autem dicat hoc indicare solùm facultatum discrimen, non animarum, propterea quòd hæ inuicem pugnantes facultates eandem animam insequuntur:

Confutatio responsionis.

hoc certè absurdissimum est, quia non possunt ab A eadem animæ substantia prodire duæ contrariæ, & inter se pugnantes facultates, quarũ vna alteri resistere, & ei impedimento esse, & præualere contendat: neq; est quòd aliquis nobis obijciat facultatẽ motricem, quæ est apta mouere ad contraria loca, quia hæc est quidem facultas libera, at dum ad hunc locum mouet, non mouet ad contrarium; sed sensus & ratio simul eodem tempore mouent ad contraria, & pugnant inuicem tanquam duæ distinctæ B facultates; quare non recta est comparatio: nam facultas motrix vna tantùm est, quę contraria respicit sine aliqua pugna cum seipsa; at appetitus sensibilis, & voluntas sunt duæ distinctæ facultates, vt ipsimet aduersarij concedunt, eæq; inter se pugnantes; quare non possunt ab vna & eadẽ animę substantia deriuari, sed necessariò à pluribus, ac diuersis animæ partibus prodeunt: quod ne aduersarijs absurdum, ac rationi repugnans videretur satis illis C erat considerare discrimen manifestissimum formæ mistionis, & animæ in eodem viuente; quia, vt modò dicebamus, si duas distinctas formas tolerat natura simul in eadẽ materia, potest eadem ratione & tres, & quatuor, & plures tolerare.

2. argument.

Sed ad maiorem huius sententiæ comprobationem libet nunc alia quædam argumenta ad animam attinentia considerare præter illa, quæ aliàs ad probandũ formæ mistionis, & animæ distinctionẽ adduximus: qui D autem plura videre cupit, is legat quæstionem Ioannis Gandauensis 8. lib. 7. Physic. vbi fusissima disputatione hanc sententiã tuetur. Primùm quidem ad hanc sententiam sequẽdam illud me maximè mouit, quòd forma simplex est essentia, & dat vnum tantùm esse, non plura, quæ igitur dat esse hominem, eadem non potest dare esse animal; igitur si homo per animam rationalẽ est homo, non potest per eandem esse animal, & esse viuens, sed per ratio- E nalem est homo, per sensibilem est animal & per vegetantem est viuens: hoc significauit Aristoteles, dum frequenter formam appellauit essẽtiam, & τὸ τί ἦν εἶναι, id quod nostri quod quid est, seu quidditatem vocare consueuerunt: aliud namq; est quid est animal, aliud est quid est homo: absurda igitur est aduersariorum sententia qui dicunt eandem formam esse simul in eodem has omnes quidditates, & tribuere simul plura esse, & eandem rem simul in F specie, & in genere collocare.

3. argument.

Incidunt autem in aliud quoq; absurdum non minùs graue: sicut enim dicunt, plura esse ab vna & eadem forma tribui, ita etiam dicunt vnum & idem esse tribui simul à pluribus diuersis formis; nã secundùm eos tam forma propria hominis, quàm forma propria equi, & forma propria leonis dat esse animal: hoc autem tum ipsum per se cuilibet considerãti absurdum est manifestum, tum etiam hoc argumento reprobari potest: quia si vnum, & idem esse prouenit simul à plurib. formis, ergo à singulis prouenit

uenit per accidens, vt animalitas per accidens à forma hominis, per accidens à forma equi, & à qualibet alia: illa enim est alicuius causa per accidens, sine qua illud esse potest; atqui animalitas existere potest, & existit actu sine forma humana; ergo ab ea prouenit per accidēs, & eadem ratione à qualibet alia per accidens, idque à nullo rectè philosophante negari potest. Ex hoc autem possumus tale argumētum colligere: omne quod est per accidens, est reducendum ad aliquod per se, vt ait Aristot. in 2. Physic. context. 66. 67. ergo necesse est aliam esse formam ab omnibus specierum formis distinctam, quæ per se tribuat esse animal, eamq; vnam & eandem esse in omnibus animalibus, proinde communem formam generis distinctam esse à formis specierum: quod

4. argument. eo quoque argumento confirmatur, quòd sic seruatur vniuocatio generis, quæ secūdùm illorum sentētiam seruari non potest; illa enim verè conueniunt in vniuoco, quibus vna aliqua natura cōmunis, qua participent, respondet, atqui secundùm eos homo, & bruta non participant aliqua eadem communi natura, qua sint animalia, siquidem homo est animal per animam rationalem, equus verò est animal per propriam equi formam, ergo animal non est eis genus vniuocum; at si in omnibus animalibus vnam & eandem inesse animę sensibilis naturam fateamur, animalis vniuocationem optimè seruamus: sic etiam per vegetantis animæ participationem dicimus in viuente tanquam communi genere conuenire animalia omnia, & stirpes, ideoq; viuens esse illis omnib. genus vniuocum.

Responsio Latinorum. Ad hæc omnia solent aduersarij respondere, confugiendo ad diuersos eiusdem animæ gradus, ideò hos di-

Confutatio. ligenter considerare oportet; ego enim, vt liberè dicam, quum ex eorū scriptis nunquam potuerim intelligere quid sint isti gradus, non potui non suspicari eos quoque, licèt ad hos gradus confugiant, id tamen, quod dicūt, non satis intelligere. Vt igitur hac in re veritatem cognoscamus, sumamus exempli gratia animam humanam: hanc illi dicunt vnam tantùm esse & vocari rationalem, & dare homini tum esse hominem, tum esse animal, tum esse viuens, non tamen per eundem gradum, sed per gradum vegetabilem dare esse viuens, per gradum sensibilem dare esse animal, & per gradū rationalem dare esse hominē; & quāuis ea sit forma vna, & diuersa à forma equi, eam tamen in eo cum illa conuenire inquiunt, quòd continet gradum sensibilem, sicut illa; licèt igitur in nulla vna cōmuni forma conueniant homo, & equus, conueniunt tamen in eiusdem gradus sensibilis participatione: sic animalia, & plantæ nullam habent communem animam, conueniunt tamen in participatione eiusdem gradus vegetabilis, quem continent omnes tum animalium, tum stirpium formæ, & hac ratione seruatur horum generum vni-

A uocatio. Ego verò ex ijs intelligere cuperem, quidnā sint isti gradus; quatenus enim distincti sunt, necesse est vt vel substantiæ sint, vel accidentia: nam si dicerent neutrum horū esse, dicerent esse nihil, proinde & id, quod de his gradibus dicunt, nihil esset, nulla enim ab ijs distinctio, nulla vniuocatio prouenire posset: accidentia autem dici non possunt, quia id, quod substantiam constituit, non potest esse accidens: restat igitur vt sint substantiæ, & vt

B sint plures distinctę formæ, non possunt enim esse aliæ substantiæ, quàm formæ; si autē sunt formę, iam illi incidunt in sentētiam nostram, vt cuilibet eam consideranti manifestum est: ideò mirū profectò est, quomodo aduersarij multas simul in eadē materia formas cōcedere vereantur, nec tamen vereantur dicere formam distinctā in varios substantiales gradus, quod quidem vel absurdum est, vel est idem à quo ipsimet abhorreant: cur autē abhorreant

C non video: etenim si formę essent corpora, vtique vereri deberemus ne plures simul in eodē existere ponentes diceremus corpus à corpore penetrari; sed quum secundùm se incorporeæ, ac simplices sint, neq; aliud sit apud Aristotelem forma, quàm essentia, & quidditas rei, non video quid absurdi dicamus, dum ponimus plures subordinatas quidditates in eadem re, quum pateat eundem hominem esse & animal, & viuens, & hominem, quæ plures

D essentiæ colligatæ sunt ea ratione, quatenus vna ad aliam refertur vt potestas ad actum, nam ex potestate & actu vnum fit: dum igitur naturam, & conditionem formæ diligenter consideramus, cognoscimus nil aliud esse illos ab his positos gradus, quàm formas; idq; Thomas veritate coactus aliquando confessus est, vt postea ostēdemus. Præterea aliud absurdū eorum opinionem consequitur: dicunt enim rationalem, & sensibilē, & vegetabilem in homi- *5. argument.*

E ne nō tres formas esse, sed tres facultates vnius & eiusdem formæ, attamen harū singula apud Arist. plures habet facultates: vegetantis enim facultates sunt nutritiua, accretiua, & generatiua; & sentientis visiua, auditiua, & aliæ plures; sic rationalis facultates sunt intellectus, & voluntas; igitur facultas habet aliam facultatem, & facultatē facultates insequūtur, hoc autem dicere vanum est: soli namq; substantiæ animę attribuendum est vt habeat varias ope-

F randi facultates, quum nil aliud sit facultas, quàm potētia, seu aptitudo animę ad operandum: dicendum igitur est vegetātem, sensibilem, & rationalē in homine tres partes animæ esse, & tres formas, & earū singulam varijs præditam esse facultatibus: & hanc sententiam significauit Aristoteles in 1. cap. libri de Vita & morte, quando dixit [*necesse est vnam & eandem esse animæ particulam in animali, qua & animal est, & viuit, ipso autem esse plures ac diuersas*] nam esse ibi non potest significare, nisi essentiam, quare putauit eas essentialiter esse *Autoritates Aristotel. in lib. de Vita & morte.*

distinctas, licèt ex cõnexu potestatis, & actus A vna ex eis anima fiat; nam statim rationē subiungens inquit [*quia non idem est esse animal, & esse viuens*] significat ergo distinctas essentias, quæ distinctas formas denotant: in 2. etiam cap. eiusdem libri ait [*necesse est in corde esse principium & sensitiuæ, & nutritiuæ animæ*] vtranq; enim vocat animam in animali, quare vult duas esse animas, non vnam, quæ & nutritiua, & sensitiua dicatur. Sed clarissimè significauit hanc sententiam Aristotel. in 2. lib. B de Ortu animal. cap. 3. quando dixit, conceptum in vtero priùs habere animam vegetantem, postea recipere sensibilem, qua est animal, ac demum rationalem, qua est homo; sic enim asseruit has esse diuersas animæ partes; neque ad id confugere aliquis potest, vt dicat

In 2. de Generat. animal.

Aristotelem ibi ordinem naturæ considerare, non ordinem temporis, nam Aristoteles manifestissimè de tempore loquitur, & innuit, non simul fieri animal, & hominem, nec simul C animal, & equum: ideò plures ex aduersarijs

Interpretatio aduersariorum.

hoc videntes, & negare non audentes, dixerunt Aristotelem ibi non de ipsa animæ substantia loqui, sed de operationibus, & harum tantùmmodò ordinē significare: anima namq; humana momento temporis aduenit, non tamen simul est apta edere omnes operationes, sed priùs edit illas, quæ ad partē vegetantem pertinent, deinde illas, quæ ad sensibilem, tandem illas, quæ ad rationalem.

Confutatio.

Sed hæc interpretatio à verbis Aristotel. alienissima est; D ibi namq; non de operationibus, sed de ipsa substantia animæ loquitur: & adeò manifestum est quæstiones ibi ab Aristotele proponi de substantia animæ, non de operationibus, vt id negare pertinacis admodum hominis esse videatur: clara etiam sunt verba illa [*non simul animal fit, & homo, nec simul animal & equus*] forma enim est, quæ dat esse, & rem constituit, nec fit homo, vel animal ab operatione, sed à E forma.

Dubium.

De hoc igitur non est vllo pacto dubitandum, sed alia potiùs difficultas ex ea Aristotelis sententia oriri videtur: quia si priùs aduenit anima vegetans, deinde anima sensibilis, ac tandem rationalis, forma igitur generis existit sine vlla forma specifica & datur genus extra omnes species suas; siquidem erit ibi viuens, quod nec est planta, nec animal; deinde erit ibi animal, quod non est aliqua species animalis; hoc tamen falsum videtur, & F communi omnium opinioni, & rationi repugnantissimum. Sed quisquis rem ipsam, & ibi verba Aristotelis bene consideret, facilè hoc dubium soluet.

Solutio prior.

Videtur dici posse conceptum priùs viuere anima matris, quàm propriam recipiat animam, proinde viuere tanquā membrum quoddam illius fœminæ, non tanquam aliud indiuiduum illius speciei; omnes igitur partes animæ habet vt sibi communicatas à fœmina vtero gerente; ideoq; conceptus humanus semper est homo, priùs quidem est

A homo vt hominis pars, deinde verò vt homo integer: sed hæc tamen solutio non habet locum in illis animalibus, quæ pariunt ouum; animal enim quod ex ouo generatur, si priùs animam vegetantem recipiat, vt Aristoteles omnino necessarium esse dicit, non potest esse animal per animam animalis incubantis, quum sit separatum: ideò secundò dicere possumus, conceptum in vtero esse speciem specialissimam, non quidem perfectam, sed imperfectam &, (vt aiunt) in fieri, non in facto

Altera solutio.

B esse, conceptus enim humanus, quando accepit animam vegetantem, vel sentientem, est homo in fieri, & in via; & ita negandum est consequens, non enim sequitur dari animal, quod non sit aliqua species animalis, forma autem generis ibi existens absq; forma speciei restringitur saltem ab accidentibus, & à dispositionibus conferentibus ad formam speciei, ab his enim fit illa species potestate proxima, C quum ex eo cõceptu non possit aliud animal fieri, quàm homo: illud igitur, quod dici solet, formam generis non posse existere sine forma speciei, intelligēdum est de re perfecta, & quæ iam sit in facto esse, non de re imperfecta, quæ adhuc sit in fieri, & in via, licèt tunc quoq; dicatur modo aliquo restricta ad aliquam speciem, nempe ab accidentibus, & dispositionibus, vt dictum est.

Forma generis quomodo existat sine forma speciei.

Sed aduersus ea, quæ de illis gradibus diximus, fortasse obijcere nobis D quispiam posset illud, quod nos aliàs de formis elemētorum tractati sumus, eas habere varios gradus, ratione quorum intendi ac remitti possunt: si enim forma elementi, quæ simplex est, plures habet distinctos gradus, cur anima, quæ non ita est simplex, plures habere gradus non poterit? nos autē ad hoc dicimus, non eandem esse rationem: nam forma ele-

Solutio.

menti simplex est neq; habet actu plures gradus, quibus plura simul constituat, & det plu- E ra esse; dum enim constituit aquam, nullam aliam rem constituit; remitti tamen potest, & ita remissa constituit vnum aliquod mistum tantùmmodò vt aurum, & desinit aquam constituere: at secundùm illos anima hominis habet simul actu plures distinctos gradus, quibus simul diuersa constituit, quum simul det esse viuens, & esse animal, & esse hominem; quò fit, vt per eandem formam & differat homo à brutis, & cõueniat cum eis: nam ratione F gradus rationalis est differentia, qua distinguitur homo a brutis, ratione autem gradus sensibilis eadem est natura cõmunis, in qua conueniunt homo & bruta; quæ est manifesta repugnantia in natura, imò de forma, quæ apud Aristotel. simplex essentia est, id ne imaginabile quidem esse videtur: nos igitur non talem elementi formam esse statuimus; formam enim aquæ non dicimus & aquam, & aurum eodem tempore constituere, & simul aquam ab alijs corporibus distinguere, & esse rationem conuenientiæ inter illa eadem. Adde

quòd

quòd formæ elementorum remittuntur per gradus, non quatenus sunt formæ cōstitutrices, sed quatenus sunt materia, id est, quatenus sunt conditiones materiæ mistorum, qđ significauit Arist. in contex 10.8. Metaphysic. aliàs à nobis declaratos aduersarij autem tribuunt animæ gradus vt fungenti officio formæ, & vt rem in specie constituenti: qđ Arist. aduersatur, qui in prædicto loco inquit formam, quatenus est forma, esse indiuisibilem: patet igitur longè diuersam esse graduum rationem in anima, & in forma elementi: quod si ita attribuant animæ gradus, vt nos formis elementorum, dicunt animam intendi, ac remitti posse, ita vt anima rationalis per remissionem fiat anima sensibilis, & hęc per intensionem, & additionem graduum fiat rationalis, quod quidem ridiculum est. Hanc, quā hactenus demōstrauimus, fuisse Auerrois sententiam nō est dubitandum: nam sæpe Auerroes dicit omnes partes definitionis esse formas, & genus esse formam vniuersalem, differentiam verò esse formam particularem: dicit etiam genus esse compositum, & ex materia & forma constare: quare putauit aliam esse formam qua cōstituitur genus, & aliam esse, qua cōstituitur species: legere autem de hoc Auerroem possumus in commento 28. lib. 2. Physic. & in 17. primi Metaphys. & in 11. tertij, & in 43. septimi, & in 6. & vltimo octaui, & in Epitome Metaphysica, tract. 2. cap. 13. nobis enim in præsentia in considerandis omnibus Auerrois verbis non est immorandum. Id solum Apud Auerroem est notandum, in commen. 42. lib 7. Metaphys. Auerroem dicere genus non esse actu in specie, sed potestate, sic etiam differētias remotiores potestate esse in specie, non actu; solam autem vltimam esse actu: hoc enim Auerrois dictum si crassa Minerua intelligamus, in errorē labi possumus: quia si in homine non esset actu natura animalis, homo nō esset actu animal: quum igitur homo sit actu animal, inest actu natura generis in specie; proinde dictum Auerrois est sano modo intelligendum. quoniā enim sola vltima differentia tenet locum actus, cæteræ verò communiores, quæ constituūt superiora genera, locum habent potestatis quatenus restringuntur, ac determinantur ab vltima, eatenus dicuntur inesse potestate; sic enim etiam materia in composito inest potestate, quia est sub forma, & ab ea perficitur, & ad determinatam naturam contrahitur; vltima verò differentia non ampliùs ab alio perficitur, sed perficit alias, ideò absolutè fungitur officio actus absq; potestate, præterquam respectu operationis; sed nos de primo tantūm actu, non de secundo in præsentia loquimur: per hoc tamen non stat, quin materia sit com-

In lib. de Mistione. *Auerroes.* *Quomodo genus non sit actu in specie.*

posito insit actu, & differentiæ ac formæ communiores insint actu in specie; proinde & natura generis, quæ à propria eius forma constituitur. Hanc igitur fuisse Auerrois sententiam non est dubitandum; sed Auerrois verba, quæ in pluribus locis legūtur, diligentissimè perpenduntur à Io. Gandauense in prædicta sua quæstione, quæ omnia apud eum legenda, & cōsideranda relinquo. Galenus quoq; huius sententię fuit, in 5. enim & in 6. lib. de Hippoc. & Plat. decretis, licet attribuat Arist. vt dixerit esse facultates tantùm eiusdē animæ, ipse tamē asserit esse partes animæ specie distinctas, non tantùm facultates, idq; proponit probandum in sequentibus libris, vt apud eum videre est: quòd autem in iudicanda Aristotelis sententia deceptus sit Galenus, ex eo patet, quòd Aristoteles in eo tantùm Platonem carpit, quòd eas loco separauerit, nō in eo quòd specie distinctas esse asseruerit.

Galenus.

Vera sententia conclusio, & contrariorum argumentorum solutio. Cap. IX.

Haec igitur omnia considerans probabiliorem semper existimaui plurium Auerroistarū sententiam, ad quam tuendam sunt nobis illa eadem fundamenta statuenda, quæ aliàs in libro de Communi rerum generatione iecimus, ac declarauimus: proinde hic repetenda nō sunt: id solùm notare volo, Aristotelem in libris de Anima solitum esse totam animarum collectionem in eodem viuente appellare animam totam, illarum autem singulam appellare partem animæ: quum enim ex potestate & actu vnum fiat, ex materia & forma fit vnum, & ex materia & pluribus formis fit vnū; & plures quoque formæ ita subordinatæ, & inter se colligatæ eo nexu actus & potestatis dicuntur esse quodammodo forma vna, quæ plures habet substantiales partes, quas illi gradus vocabāt, dum formas appellare verebatur: huic igitur toti animæ omnes operationes attribuuntur ratione diuersarum partium: ideò Aristoteles in primis verbis 3. lib. de Anima hoc respiciēs dixit [*a parte autem animæ, qua & cognoscit anima, & sapit*] totam enim animam vocat omnium animæ partium collectionem in homine, quæ per partem vegetātem dicitur nutrire, & augere & generare sibi simile, per sensibilem verò sentire, & per rationalem contemplari, & sapere: in alijs quoque locis hunc eundem loquendi modum annotare possemus, sed eum vnum tetigisse satis sit, quia per illum alij omnes facilè animaduerti atq; intelligi poterunt. Alia quoque hac in re sunt animaduersione digna, quæ mox in soluendis contrarijs argumentis considerabuntur. Ad horum igitur solutionem venientes ad pri-

Quid sit anima tota, quid pars animæ. *Ad primum.*

distinctas, licèt ex cõnexu potestatis, & actua vna ex eis anima fiat; nam statim rationẽ subiungens inquit [*quia non idem est esse animal, & esse viuens*] significat ergo dist nctas essentias, quæ distinctas formas denotant: in 2. etiam cap. eiusdem libri ait [*necesse est in corde esse principium & sensitiuæ, & nutritiuæ animæ*] vtranq; enim vocat animam tnanimali, quare vult duas esse animas, non vnam, quæ & nutritiua, & sensitiua dicatur. Sed clarissimè significauit hanc sententiam Aristotel. in 2 lib. de O.tu animal. cap. 3. quando dix t, conceptum in vtero priù. habere animam vegetantem, postea recipere sensibilem, qua est animal, ac demum rationalem, qua est homo; sic enim asseruit has esse diuersas animæ partes; neque ad id confugere aliquis potest, vt dicat Aristotelem ibi ordinem naturæ considerare, non ordinem temporis, nam Aristoteles manifestissimè de tempore loquitur, & innuit, non simul fieri animal & hominem, nec simul animal, & equum: ideò pluees ex aduersarijs hoc videntes, & negare non audentes, dixerunt Aristotelem ibi non de ipsa animæ substantia loqui, sed de operationibus, & harum tantùmodò ordinẽ significare: anima namq; humana momento temporis aduenit, non tamen simul est apta edere omnes operationes, sed priùs edit illas, quæ ad partẽ vegetantem pertinent, deinde illas, quæ ad sensibilem, tandem illas, quæ ad rationalem. Sed hæc interpretatio à verbis Aristotel. alienissima est; ibi namq; non de operationibus, sed de ipsa substantia animæ loquitur: & adeò manifestum est quæstionem ibi ab Aristotele proponi de substantia animæ, non de operationibus, vt id negare pertinacis admodum hominis esse videatur: clara etiam sunt verba illa [*non simul animal fit, & homo, nec simul animal & equus*] forma enim est, quæ dat esse, & rem constituit, nec fit homo, vel animal ab operatione, sed à forma. De hoc igitur non est vllo pacto dubitandum, sed alia potiùs difficultas ex ea Aristotelis sententia oriri videtur: quia si priùs aduenit anima vegetans, deinde anima sensibilis, ac tandem rationalis; forma igitur generis existit sine vlla forma specifica & datur genus extra omnes species suas; siquidem erit ibi viuens, quod nec est planta, nec animal; deinde erit ibi animal, quod non est aliqua species animalis; hoc tamen falsum videtur, & communi omnium opinioni, & rationi repugnantissimum. Sed quisquis rem ipsam, & ibi verba Aristotelis bene consideret, facilè hoc dubium soluet. Videtur dici posse conceptum priù. viuere anima matris, quam propriam recipiat animam, proinde viuere tanquã membrum quoddam illius fœminæ, non tanquam aliud indiuiduum illius speciei; omnes igitur partes animæ habet vt sibi communicatas à fœmina vtero gerente; ideoque conceptus humanus semper est homo, priùs quidem est

In 2 de Generat. animal.

Interpretatio aduersariorum.

Confutatio.

Dubium.

Solutio prior.

A homo vt hominis pars, deinde verò vt homo integer: sed hæc tamen solutio non habet locum in illis animalibus, quæ pariunt ouum; animal enim quod ex ouo generatur, si priùs animam vegetantem recipiat, vt Aristoteles omnino necessarium esse dicit, non potest esse animal per animam animalis incubantis, quum sit separatum: ideò secundò dicere possumus, conceptum in vtero esse speciem specialissimam, non quidem perfectam, sed imperfect m &, (vt aiunt) in fieri, non in facto esse, conceptus enim humanus, quando accepit animam vegetantem, vel sentientem, est homo in fieri, & in via; & ita negandum est consequens, non enim sequitur dari animal, quod non sit aliqua species animalis, forma autem generis ibi existens absq; forma speciei restringitur saltem ab accidentibus, & à dispositionibus conferentibus ad formam speciei, ab his enim fit illa species potestate proxima, quum ex eo cõceptu non possit aliud animal fieri, quàm homo: illud igitur, quod dici solet, formam generis non posse existere sine forma speciei, intelligẽdum est de re perfecta, & quæ iam fit in facto esse, non de re imperfecta, quæ adhuc fit in fieri, & in via, licèt tunc quoq; dicatur modo aliquo restricta ad aliq am speciem, nempe ab accidentibus, & dispositionibus, vt dictum est. Sed aduersus ea, quæ de illa gradibus diximus, fortasse obijceret nobis quispiam posset illud, quod nos alias de formis elementorum tractati sumus, eas habere varios gradus, ratione quorum intendi ac remitti possunt: si enim forma elementi, quæ simplex est, plures habet distinctos gradus, cur anima, quæ non ita est simplex, plures habere gradus non possit? nos autẽ ad hoc dicimus, non eandem esse rationem: nam forma elementi simplex est neq; habet actu plures gradus, quibus plura simul constituat, & det plura esse; dum enim constituit aquam, nullam aliam rem constituit; remitti tamen potest, & ita remissa constituit vnum aliquod mistum tantùmmodò vt aurum, & desinit aquam constituere: at secundùm illos anima hominis habet simul actu plures distinctos gradus, quibus simul diuersa constituit, quum simul det esse viuens, & esse animal, & esse hominem; quò fit, vt per eandem formam & differat homo à brutis, & cõueniat cum eis: nam ratione gradus rationalis est differẽtia, qua distinguitur homo à brutis, ratione autem gradus sensibilis eadem est natura cõmunis, in qua conueniunt homo & bruta; quæ est manifesta repugnantia in natura, imò de forma, quæ apud Aristotel. simplex essentia est, id ne imaginabile quidem esse videtur: nos igitur non talem elementi formam esse statuimus; formam enim aquæ non dicimus & aquam, & aurum eodem tempore constituere, & simul aquam ab alijs corporibus distinguere, & esse rationem conuenientiæ inter illa eadem. Adde quòd

Altera solutio.

Forma generis quomodo existat sine forma speciei.

Solutio.

quòd formæ elementorum remittuntur per gradus, non quatenus sunt formæ cõstitutrices, sed quatenus sunt materia, id est, quatenus sunt conditiones materiæ mistorum, qđ significauit Arist. in contex 10.8. Metaphysic. aliàs à nobis declaratos aduersarij autem tribuunt animæ gradus vt fungenti officio formæ, & vt rem in specie constituenti: qđ Arist. aduersatur, qui in prædicto loco inquit formam, quatenus est forma, esse indiuisibilem: patet igitur longè diuersam esse graduum rationem in anima, & in forma elementi: quod si ita attribuant animæ gradus, vt nos formis elementorum, dicunt animam intendi, ac remitti posse, ita vt anima rationalis per remissionem fiat anima sensibilis, & hęc per intensionem, & additionem graduum fiat rationalis, quod quidem ridiculum est. Hanc, quā hactenus demõstrauimus, fuisse Auerrois sententiam nō est dubitandum: nam sæpe Auerroes dicit omnes partes definitionis esse formas, & genus esse formam vniuersalem, differentiam verò esse formam particularem: dicit etiam genus esse compositum, & ex materia & forma constare: quare putauit aliam esse formam qua cõstituitur genus, & aliam esse, qua cõstituitur species · legere autem de hoc Auerroem possumus in comment 28. lib. 2. Physi. & in 17. primi Metaphys. & in 11. tertij, & in 43. septimi, & in 6. & vltimo octaui, & in Epitome Metaphysica, tract. 2. cap. 13. nobis enim in præsentia in considerandis omnibus Auerrois verbis non est immorandum. Id solum Apud Auerroem est notandum, in comment. 42. lib. 7. Metaphys. Auerroem dicere genus non esse actu in specie, sed potestate, ut etiam differētias remotiores potestate esse in specie, non actu; solam autem vltimam esse actu: hoc enim Auerrois dictum si crassa Minerua intelligamus, in errorē labi possumus: quia si in homine non esset actu natura animalis, homo nō esset actu animal: quum igitur homo sit actu animal, inest actu natura generis in specie; proinde dictum Auerrois est sano modo intelligendum. quoniā enim sola vltima differentia tenet locum actus, cæteræ verò communiores, quæ constituūt superiora genera, locum habent potestatis quatenus restringuntur, ac determinantur ab vltima, eatenus dicuntur inesse potestate; sic enim etiam materia in composito inest potestate, quia est sub forma, & ab ea perficitur, & ad determinatam naturam contrahitur; vltima verò differentia non ampliùs ab alio perficitur, sed perficit alias, ideò absolutè fungitur officio actus absq; potestate, prætetquam respectu operationis; sed nos de primo tantùm actu, non de secundo in præsentia loquimur: per hoc tamen non stat, quia materia in composito insit actu, & differentiæ ac formæ communiores insint actu in specie: proinde & natura generis, quæ à propria eius forma constituitur. Hanc igitur fuisse Auerrois sentētiam non est dubitandum; sed Auerrois verba, quæ in pluribus locis legūtur, diligentissimè perpenduntur à Io. Gandauense in prædicta sua quæstione, quæ omnia apud eum legenda, & cõsideranda relinquo Galenus quoq; huius sententię fuit, in 5 enim & in 6. lib de Hippoc. & Plat. decretis, licet attribuat Arist. vt dixerit esse facultates tantùm eiusdē animæ, ipse tamē asserit esse partes animæ specie distinctas, non tantùm facultates, idq; proponit probandum in sequentibus libris, vt apud eum videre est: quòd autem in iudicanda Aristotelis sententia deceptus sit Galenus, in eo patet, quòd Aristoteles in eo tantùm Platonem carpit, quòd eas loco separauerit, nō in eo quòd specie distinctas esse asseruerit.

In lib. de Mistione.

Auerroes.

Quomodo genus non sit actu in specie.

Galenus.

Vera sententia conclusio, & contrariorum argumentorum solutio. Cap. IX.

Haec igitur omnia considerans probabiliorem semper existimaui plurium Auerroistarū sententiam, ad quam tuendam sunt nobis illa eadem fundamenta sta tuenda, quæ aliàs in libro de Communi rerum generatione iecimus, ac declarauimus: proinde hic repetenda nō sunt: id solùm notare volo, Aristotelem in libris de Anima solitum esse totam animarum collectionem in eodem viuente appellare animam totam, illarum autem singulam appellare partem animæ: quum enim ex potestate & actu vnum fiat, ex materia & forma fit vnum, & ex materia & pluribus formis fit vnū; & plures quoque formæ ita subordinatæ, & inter se colligatæ eo nexu actus & potestatis dicuntur esse quodammodo forma vna, quæ plures habet substantiales partes, quas illi gradus vocabāt, dum formas appellare verebātur: huic igitur toti animæ omnes operationes attribuuntur ratione diuersarum partium: ideò Aristoteles in primis verbis 3. lib. de Anima hoc respiciēs dixit [*de parte autem animæ, qua & cognoscit anima, & sapit*] totam enim animam vocat omnium animæ partium collectionem in homine, quæ per partem vegetātem dicitur nutrire, & augere & generare sibi simile, per sensibilem verò sentire, & per rationalem contemplari, & sapere: in alijs quoque locis hunc eundem loquendi modum annotare possemus, sed eum vnum tetigisse satis sit, quia per illum alij omnes facilè animaduerti atq; intelligi poterunt. Alia quoque hac in re sunt animaduersione digna, quæ mox in soluendis contrarijs argumentis considerabuntur. Ad horum igitur solutionem venientes ad pri-

Quid sit anima tota, quid pars animæ.

Ad primum.

mum negamus minorem, qua dicebatur, in brutо animā sensibilem absq; vegetante sufficere ad edendas omnes operationes animæ vegetantis: dicimus enim nullam formā posse operationes edere ad aliam formam pertinentes, proinde necessariam esse in bruto animam vegetantem à sensibili distinctam, sic in homine vegetantem, & sensibilem distinctas à rationali. Ad secundū negamus consequentiam: ratio autem negationis est, quoniam, vt ex Arist. colligimus in libro de Vita & morte, cuiuslibet viuentis mors est præcipuè, & immediatè destructio animæ vegetantis, absque hac autem animæ parte non possunt reliquæ partes, sensibilis, & rationalis, in corpore remanere; ideò ex illius interitu aliæ quoq; per necessariam consequutionem simul intereūt, vel à corpore separantur; vnus igitur est viuentis interitus, & vna mors, non plures: neq; ob id fit, vt vna & eadem sit anima, qua est homo, & animal, & viuens: quòd enim non sit vna, sumitur argumentum à generatione, quum non simul omnes adueniant, sed priùs anima vegetans, deinde sensibilis, postmodum verò rationalis, quæ fuit Arist. sententia in 2. lib. de Ortu animal. cap. 3. à nobis antea declarata: itaq; à generatione viuētis sumitur pro nobis argumentum validissimum, ab interitu autē nullum; neq; enim pro nobis, neq; pro aduersarijs, quum viuens omnib. simul animæ partibus eodem momento destituatur. Tertium verò argumētum, vt liberè dicam, est puerile, & Philosophis indignum: quia si anima vegetans constitueret plantam & sensibilis brutū, vtique si homo has vt distinctas formas haberet, esset planta, & esset brutū; sed anima vegetans reuera nō plantam constituit, sed viuens, quod est commune genus animalis, & plantæ; & anima sensibilis nō brutum constituit, sed animal genus cōmune bruti, & hominis; nil ergo aliud eo argumento ostenditur, nisi quòd si in homine sint hæ tres distinctæ formæ, homo est simul viuens, & animal & homo, hoc autem quis negare potest? ex his colligo necessarium esse, vt quot sunt formæ in homine, tot sint etiā in quolibet bruto: sicut enim in homine est anima vegetans, qua est viuens, & anima sensibilis, qua est animal, & rationalis, qua est homo; ita in equo necesse est præter vegetantem, qua est viuens, & sensibilem, qua est animal, esse etiam propriam formam; si enim solam sensibilem haberet, non differret specie equus à formica, sed solis accidentibus: hoc significauit Aristoteles in 2. libro de Ortu animalium, capite 3. quando dixit, non simul fieri animal, & equum; sic enim asseruit per aliam formam esse animal, & per aliam esse equū: sic in qualibet planta necesse est præter animam vegetalē, in cuius participatione omnes plantæ, & omnia animalia conueniunt, esse etiam propriam formam, qua distinguitur specie ab alijs plantis: nam si per solam animam vegetantem omnes plantæ constituerentur, non differrent specie lactuca, & quercus; sed hæ vltimæ differentiæ sunt nobis incognitæ, eas tamen dari fatendum est, easq; esse vocandas animas: omnem enim form. in nobiliorem anima animā esse necessariū est; nobilior aūt est forma speciei, quàm forma generis; ergo si anima sensibilis, quæ est forma generis, est anima, ppria quoq; equi forma, quæ est nobis incognita, est anima: neq; absurdum est plurimas animarū species cōstituere, siquidem aduersarij quoq; id fateri cogūtur; quum enim dicant, aliam esse equi animam, aliam asini, & aliam cuiusq; speciei animalis, tot animas ponūt, secundum essentiam distinctas, quot animalium, ac stirpiū species sunt: nisi dicant eiusdem esse speciei canem & equū, & omnia bruta; quod si dicāt, cum ijs disputandum non est. Sunt aūt hac in re consideratione digna verba Thomę in prima parte Summæ, quæst. 50 artic. 4 ad primū, vbi inquit animalia bruta differre specie perdiuersos gradus animę sensitiuæ: deinde paulò pòst ad secundum inquit, magis & minus, prout ex eiusdem formæ intensione, ac remissione proueniunt, non variant speciem; sed quatenus proueniunt à formis diuersorum graduum, sic variant speciem: fatetur igitur id, quod nos antea ex eius opinione colligebamus, hos gradus animæ sensibilis esse diuersas formas, & vnam esse alia perfectiorē, cuiusmodi esse etiam numeros aliàs cum Aristotele diximus: quare necesse est vt dicat animam sensibilem esse naturam communem & generalem; varios autem eius gradus esse diuersas formas specificas, à quibus coarctatur, quæ est nostra sententia. Illud tamen est animaduertendum, duplices esse operationes formæ specificæ. etenim tum proprias ipsa edit operationes, quas non edit forma generalis, vt propria hominis forma habet proprias operationes, contemplari, & sapere, distinctas penitus ab operationibus animę sensibilis, tum etiam coarctat, & restringit operationes formæ generalis, & illius speciei proprias reddit: anima enim rationalis in homine vt vegetantem, & sensibilem coarctat, & eas reddit humanas; ita & eius operationes restringit, & facit hominem modo humano sentire, & modo humano moueri, & modo humano nutriri, & augeri, & generare hominem, non equum, neque animal commune, neque viuens cōmune; ita vt nutritio in homine tum à parte vegetante, tum à rationali prouenire dicatur; nām ipsa per se nutritio à vegetante prouenit, modus autem, & coarctatio, qua fit nutri-

Marginalia: *Ad secundū.* (B) — *Nota confessionem Thomæ.* (C) — *Forma specifica duplex operatio.* (E) — *Quot sunt formæ in homine, tot etiam in brutis sunt.* — *Nutritio in homine tū ab anima vegetante fit, tum à rationali.* — *Quælibet plā a duas animas habet.*

nutritio humana, adijcitur à rationali: quòd si per rationalem animam intelligamus humanam animam totam ita appellatam à parte nobiliore, illi attribuuntur omnes operationes ratione diuersarum partium, vt nutritio ratione partis vegetantis. In illis igitur, quas ignoramus, vltimis formis brutorum, & stirpium, hoc secundum munus inspicimus; nempe coarctationem operationum formarũ generalium, sed proprias earum operationes distinctas ab operationibus formæ generis non cognoscimus, has enim si noras haberemus, ex ijs in formarum notitiam duci possemus: vel dicẽdum est, nullam esse earum propriam operationem, nisi coarctationem operationum formæ generalis, hoc enim fortasse sufficit, ne illæ nobis incognitæ formæ dici possint otiosæ, & operationibus carentes; siquidem omnes operationes tribuũtur formæ specificæ, quæ alias omnes complectitur atq; restringit. Ex his sumitur etiam quarti argumenti solutio: quemadmodum non datur viuens, quod neq; sit planta, neq; animal, ita neq; nutritio communis datur, sed omnis nutritio vel est humana, vel equina, vel huius plantę propria, vel illius: dicimus igitur, neq; animam vegetantem, quæ in homine est, neq; eius operationem esse communem: quoniam anima humana tum generales formas coarctat, tum earum operationes, facitque omnes esse humanas: quod autem anima vegetans, vel anima sensibilis dicatur communis, id fit per mentalem abstractionẽ: nam si eam mente concipiamus abiunctam ab omnibus conditionibus restringentibus, est communis & est illa eadem natura, quæ in alijs viuentibus inest; etenim non est in rebus vniuersale, nisi per mentalem abstractionem, quod significauit Auerroes in commentario octauo primi libri de Anima, quando dixit, intellectum esse qui facit vniuersalitatem in rebus. Postremo loco adduxere aduersarij verba illa Aristotelis in contextu 31. secundi libri de Anima: vegetatiuum inest in sensitiuo potestate, sicut triangulum in quadrangulo: sed si hæc bene perpendamus, cognoscemus ea refragari potiùs illorum sententiæ quàm suffragari; considerandũ enim est quid ibi significent ea nomina, vegetatiuum, & sensitiuum, an animas, & formas substantiales, an facultates animæ: ostendo enim neutrum sensum ijs verbis accommodari iuxta eorum opinionem: formas quidem significare non possunt, quia secundùm eos anima sensibilis est vna simplex forma, in qua nullo modo inest ipsa substantia animæ vegetantis: sed neque facultates, quoniam secundùm eos anima sensibilis habet actu omnes facultates, quas habet; vt enim habet actu facultatem sensibilem, ita & nutriti-

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Declaratio contex. 31. libri 2. de Anima.

A uam & generatiuam habet actu, attamen Aristoteles denotat esse actu sensitiuum, in quo sit potestate vegetatiuum; reliquum est, vt dicant nomen potestatis ibi non respicere actũ primum, nempe vel formam, vel facultatem, sed operationem, & actum secundum, ita vt nil aliud significet, quàm vim, & potestatem edendi operationes attinentes ad vegetantem: & verborum sensus sit hic, in sensitiuo inest potestate vegetatiuum, id est, anima sensitiua habet potestatem edendi omnes operationes animæ vegetantis. Sed hoc quoque ab

B Aristotele alienum est, quia comparatio cum figuris conueniens non esset, oporteret enim ita competere quadrangulo proprietates trianguli, vt animæ sensibili inest vis edendi operationes animæ vegetantis; id tamen dicere non possumus, quia quadrangulo non competunt proprietates trianguli. Itaq; secundũ illorum opinionem manifestum est, nullum

C esse eorum verborum conuenientem sensum, si illa bene perpendamus, nec sola eorum superficie velimus esse contenti. At iuxta sententiam nostram facilis est illorum verborum interpretatio: nam Aristoteles ibi non de facultatibus loquitur, sed de ipsa substantia illarum partium animæ, quum eas in contextu præcedente vocasset animas, & dixisset non conuenire in aliqua vna communi natura vniuoca: idcircò recta est earum comparatio cũ

D figuris, hæ namque distinctæ sunt specie, sed ordinem habent inter se, & præcedens continetur potestate in sequente, vt triangulum in quadrangulo; quomodo autem contineatur potestate, possumus in numeris considerare, in quibus id manifestius est, nam ternarius est pars quaternarij, & in illo inest, vt patet: neq; per id fit, quin quaternarius sit vnus numerus, vtendum enim est illa distinctione vulgata, materialiter, & formaliter: ternarius enim

E in quaternario inest materialiter solùm, at nõ formaliter, siquidẽ est pars quaternarij, pars autem est materia; formaliter verò non est ibi ternarius, quoniam vna tantùm est ibi formalitas, qua vnus numerus fit, qui dicitur quaternarius; quoniam igitur res à forma constituitur, & vna tantùm ibi est formalitas, vna etiam est species numeri, non plures, nec ibi est ternarius vt species numeri, sed solùm vt pars quaternarij: sic de figuris dicendum est: qua-

F drangulum est vna figura, non plures, quia licèt insit in eo triangulum, inest tamen solùm vt pars, & materialiter, sed non formaliter, & vt alia species figuræ: ducto enim diametro, diuiditur quadrangulũ in duo triangula, quę illius partes sunt: non igitur proprietates trianguli in quadrangulo insunt, sed ipsamet (vt ita dicã) eius substãtia in quadrãgulo est, quo niam area trianguli est pars totius areæ qua-

dranguli: ratio igitur clara est cui dicatur triangulum in quadrangulo esse potestate, inest enim vt pars, & vt materia; materia autem in composito inest potestate, quia substat formę tanquā potestas actui, à quo perficitur, ac determinatur; quare inest quidem triangulum in quadrangulo, sed determinatur à formalitate quadranguli, tanquam materia à forma: hac ratione antea dicebamus, genus & differentias remotiores in specie inesse potestate, quatenus tenent locum materiæ, sola vero vltima differentia dicitur actu inesse, quia fungitur officio actus, & formæ, & perficit, & cōtrahit cætera omnia ad determinatam naturam, sicut optimè declarat Auerroes in cōment. 23. lib. 7. Metaphysic. & in Epitome Metaphysica, tract. 1. in cap. de Potentia & actu. Quoniam igitur Aristot. animam totam solet nominare ab vltima parte, quæ continet alias tanquam forma materiam, & actus potestatem, ideò vbi duæ partes animæ inesse cōsiderantur, vegetans, & sensibilis, totam vocat sensibilem, à qua dicit vegetantem contineri potestate; vbi verò & hæ, & rationalis, totam vocat rationalem, & hanc dicit continere alias potestate: quamuis enim sint plures substantiales formæ, tamen sola vltima dat nomē toti animæ, & dicitur alias continere potestate, q̄a illę respectu eius funguntur officio materiæ, ipsa verò formæ. In prædicto igitur loco sumit Arist. sensitiuū eo modo, quo reuera existit, non existit aūt sine anima vegetante, ideò sumit tanquam animam totam, quæ vocetur sensitiua, sed contineat etiam vegetantem potestate, id est, tanquam determinatam ab ipsa, & habentem locum partis & materię; ea igitur ratione anima vegetans inest potestate in anima sensibili, qua secundùm Auerroem antea declarauimus solam vltimam differentiam esse actu in composito, & omnia continere, & esse totum, reliqua verò omnia esse potestate, & esse partes: hæc est illius loci vera intelligentia, neq; alium sensum illa verba recipiunt; sic autem intellecta fauent nostræ opinioni, vt considerantibus manifestum est.

De facultatibus Animæ vegetantis. Cap. X.

Satis demonstratum est (vt arbitror) tres esse distinctas animæ partes, etiam in eodem viuente, vegetantem, sensibilem, & rationalem; idque rationi omnino consentaneum est, vt quod est earum discrimen secundùm proprias naturas, id perpetuum, ac semper idem sit, siue illæ in diuersis viuentibus, siue in eodem considerentur. Quoniam igitur ab harum singula proprię facultates emanant, considerandum breuiter est, quasnam, & quot singula facultates habeat, vt harum omnium numerum, & differētiam quantum præsens occasio postulat, cognoscamus. Vt à vegetante anima ordiamur, huic tres facultates attribuit Arist. altricem, auctricem, & generatricem; has enim solas tanquam præcipuas nominare satis habuit, & alias, quas Medici considerant, tanquam secundarias, & illis ministrantes in lib. de Anima commemorare neglexit, nempe attractricem, retentricē, expultricem, & concoctricem, etenim sine harum ministerio hæc anima neq; nutrit, neque auget, neq; generat; tis autem tribus sublatis cæteræ corruunt, quia ipsæ per se sine illis tribus præcipuis viuenti nō prosunt: at illę tres, licèt ordinem inter se habeāt, & vna ad aliam tanquam principaliorem dirigatur, singulæ tamen possunt appellari præcipuæ, quoniam quæ minùs præcipua est, ea existere etiam potest, & operari sine principaliore; altrix enim facultas dirigitur ad auctricem, & ambæ ad generatricem, nam generare aliud simile est huius animæ operatio maximè omnium pręcipua in mente naturæ vniuersalis, quia confert immediatè ad conseruationē speciei, huius gratia dedit viuentibus facultatem auctricem, qua augerentur donec ad perfectam ætatem peruenirent, ac debitam quantitatem adipiscerentur, vt possent aliud simile generare; accretio igitur fuit penitus necessaria viuentibus propter generationem: quoniam enim semen à viuente abscissum modicæ est quantitatis, & viuētia omnia in principio parua admodum, proinde ad generādum inepta oriuntur, oportuit ea augeri, & perfectā quantitatem consequi, tanquam necessariam ad aliud simile generandum: accretio autem fieri non potest absq; nutritione, imò neq; generatio; ideò propter vtramq; est necessaria nutritio, vt considerantibus per se manifestum est: sed quamuis ad has nutritio dirigatur, & illis inseruiat, tamen ipsa quoq; per se existere potest absq; illis, & est necessaria propter conseruationem indiuidui, vt patet in illis viuentibus, quæ non amplius augentur, neque generant; videmus enim plures homines esse natura steriles, & ad generandum ineptos, sic etiam plura animalia bruta, & plures stirpes, quibus, postquam augeri desierunt, necessaria est nutritio vt seruentur vsque ad tempus eis à natura præscriptum, & alias edere possint naturales operationes, quales sunt in homine contemplari, & sapere, & alios regere, has enim nobilissimas operationes edere potest homo etiam ad generandum ineptus, & quando non ampliùs augetur; oportet igitur eum post absolutam accretionem diutius seruari harum operationum gratia; seruatur autem, & quandoque etiam diutissimè per nutritionem.

tritionē. Hæ igitur tres facultates tanquā præcipuæ ab Arist. nominatæ sunt in secundo libro de Anima, aliæ verò quatuor neglectę, vel sub illis tribus implicitè comprehensæ; quoniam illæ tres absq; alijs secundarijs exerceri minimè possunt, & earum ministerium necessariò præsupponunt, & continent; his autē tribus sublatis cæteræ auferuntur, quia sunt prorsus inutiles, nihil autem est frustra in natura. Est autem summoperè animaduertendū, non talem esse ordinem in his facultatibus, vt posterior aliam priorem insequatur, & dicatur esse facultas facultatis, quod antea Latinis tanquam absurdum obiecimus; non enim dicitur facultas habere aliam facultatem, sed sola animæ substantia dicitur omnes facultates habere, imò & omnes eam immediatè insequuntur, non vna facultas aliā facultatem; sed ordo in solis operationibus intelligendus est, vna enim ad operandum pręsupponit operationem alterius, vt à natura animæ vegetantis immediatè emanant hę tres facultates, altrix, auctrix, & generatrix; sed generatrix non potest operari, seu anima ipsa non potest per hanc facultatem generare aliud simile, nisi pręsupposita priùs operatione tum altricis, tum auctricis facultatis: sic igitur dirigi vnam ad aliam dicimus ratione operationum, sed non ratione emanationis ipsarum à substantia animę, quod quidem etiam de facultatibus animæ sensibilis, quas postea considerabimus, est intelligendum, hoc enim semel annotasse satis est. Hæ sunt vegetantis animæ facultates, quas dum inter se conferimus, & earum inter se ordinationem, ac pendentiam, quam modò declarauimus, consideramus, facilè cognoscimus eas ab vna & eadē animæ substantia prouenire: at si eas cum sensibilis animæ facultatibus comparemus, tanta est illarum ab his discrepantia, vt satis apertè declaret eas à diuersis animæ partibus emanare, quum illarum operationes ad operationes harum non ... igantur, neq; illis iuuiant, nisi quatenus animali ad vsum sensuum necessaria est vitæ conseruatio, quam per nutritionem assequitur.

Nota de ordine facultatum.

Dubia de facultatibus Animæ vegetantis, & eorum solutio. Cap. XI.

CAeterum de his, quæ modò dicta sunt, dubia quædam oriuntur, quæ ad eorū plenam intelligentiam soluere oportet. Primùm quidem de nutritione & accretione dubitatur: ignis enim combustibili alitur & augetur, ergo hæ non sunt propriæ operationes animæ vegetantis, proinde nec propriæ eius facultates altrix & auctrix. Multò magis de generatione dubitatur, quia neque omnib. viuentibus, neq; solis competere

1. Dubium.

2. Dubium.

A videtur: quòd non omnibus competat, manifestum est; plures enim homines infœcundi, ac steriles nascuntur, sic alia plura animalia, & plures stirpes; imò etiam aliqua secundùm totam speciem infœcunda sunt, vt muli, & illa animalia, quę ex putri materia generantur. Quòd autem solis nō competat, manifestum est in multis inanimatis, à calido enim generatur calidū, à frigido frigidū, ab igni ignis, ergo etiā inanimata generant sibi similes; quo-
B modo igitur dici potest hanc facultatem manare ab ipsa animæ vegetantis natura? nam si id verum esset, oporteret in solis viuentibus, & in omnibus hāc facultatem inesse: id enim, quod à propria alicuius rei natura emanat, necessarium illi rei est; neq; aliam naturam insequi potest. Ad hæc, & primò ad primum de nutritione, & accretione dicimus negandum esse eas competere igni, & rebus inanimatis, quia propriè loquendo sola animata nutriuntur
C & augentur: tres enim conditiones in accretione propriè dicta requiruntur, vt Arist. docet in 1. lib de Generatione & interitu; vna est vt ex materia extrinsecus accedente res augeatur; secunda, vt idem numero seruetur id, quod augeri dicitur; tertia demū, vt non solùm toti, sed etiam singulis particulis facta sit additio magnitudinis, ita vt omnes separatim acceptæ dicantur maiores factæ: in ignis autem incremento sola prima conditio adesse vide-
D tur, reliquæ duæ absq; dubio desunt; quia nō manet idē numero ignis, qui auctus dicatur, sed fit alius, & alius neq; omnibus eius particulis fit additio magnitudinis, sed toti tantūmodò nouus ignis accedit; veluti si frusto ceræ aliam ceram adiungamus, tota enim cera fit maior, at partes singulæ nullum faciunt incrementum. Ob eandem rationem neq; nutritio propriè dicta competat igni, quoniam conditiones prædictæ etiam in nutritione re-
E quiruntur, quoniam neq; idem numero manet, neq; singula particula nutriri dicitur; vera autē nutritio est, quando omnium partium substantia reparatur atque instauratur: igitur propriè sumendo nutritionem, & accretionem cum tribus memoratis conditionibus, sola viuentia nutriuntur & augentur, & hæ sunt propriæ operationes animæ vegetantis. Ad secundum de generatione, quę non omnibus viuentibus competere videtur, dicimus
F negari non posse plnia esse viuentia, quæ nequeunt generare; sed hæc generandi impotentia, vel competit indiuiduis quibusdam, non toti speciei, vel etiam speciei toti: si quibusdam tantùm indiuiduis competat, nō toti speciei, id nullam debet difficultatem facere, quia certum est res naturales recipere impedimentum præter consilium & intentionem naturæ; ideò sicuti contingit vt homo

3. Dubium.

Solutio primi.

Sola animata nutriuntur, & augentur.

Solutio secundi.

A sine oculis nascatur, vel cum oculis ad videndum ineptis, ita contingere potest vt nascatur homo sterilis, seu propter malam temperiē, seu ob alicuius instrumenti defectum; hæc enim vocantur monstra, & præter naturæ consilium facta, in quibus concedendum est esse aliquid frustra. Si verò hæc impotentia competat toti speciei, id est, omnibus eius indiuiduis, id vel est aliquo tantùm tempore, vel omni tempore, & semper; aliquo tempore, vt B omnibus hominibus nullo excepto competit vt tempore pueritiæ, & tēpore senectutis nequeant generare, & in his non possumus dicere organa esse frustra: in puero enim non sunt frustra, quia sat est si aliquando poterit generare; neq; in sene, quia sat est si aliquādo generare potuit ille idem homo. per hoc aūt non stat, quin facultas generandi insequatur animæ vegetantis naturam: quod enim ad ipsam animā attinet, ea semper habet omnes C vires suas; sed quia ad eas exercēdas plurium aliorum ministeriū requiritur, ideò propter aliquem horum defectum fit quandoq; vt animal generare nequeat, cuiusmodi defectus in omnibus pueris, & in omnib. senibus necessariò inest. Vbi autem tota species per omne tempus hanc impotentiā habet, maius dubiū est, quod quidem contingit in mulis, & in animalibus ex putri materia genitis: sed de mulis dicere possumus non esse mirum si nō generent, sunt enim numerandi inter animalia D monstrosa, quæ præter naturæ consiliū fiunt; natura enim voluit equū coire cum equa, & asinum cum asina, non asinum cum equa: sicut igitur cōcedimus facultatem generandi, aut etiam instrumenta generationis esse frustra in fœmina sterili, & in viro infœcūdo; ita de tota mulorum specie dicēdum est, eos frustra habere organa, & facultatem generatricem, quum sint animalia mōstrosa, & aliquo vitio E affecta; ob id nōn est fortasse eis assignanda propria species, quū nil aliud sit mulus, quàm equus imperfectus, & asinus imperfectus, vt ait Ioan. Grammaticus in contex. 34. lib. 2. de Anima: vt igitur tueamur naturam nihil frustra facere, satis est si dicamus equū perfectū, & asinū perfectum generare sibi simile: nam mulus, licèt habeat facultatem generatricem, quatenus habet animam vegetalem, habet tamen in partibus instrumētalibus, vel in qua- F litatum temperie aliquem defectum, qui facit ne illa facultas possit exire in actum, & ita facultas generatrix in mulo sit frustra tanquam in animali monstroso: quòd autem in mulo sit potentia generatrix saltem ratione suæ originis, quæ est anima vegetans, cognoscere possumus ex eo, quod scribitur ab Arist. in 6. lib. de Historia animalium, cap. 24. inquit enim, inuentam esse mulam prægnantem, sed

Cur muli & aliqua alia animalia nō generent.

eam non potuisse fœtum perficere, & edere prolem perfectam, hoc igitur est signū, & vestigium quoddam facultatis generatricis insequentis animam vegetātem: inquit etiam in eodem cap. Arist. & postea in cap. 36. esse in Syria mulos & mulas coeuntes, & generantes prolem perfectam; sed addit, eos nō esse eiusdem generis cum his mulis nostris, sed habere tātum similitudinem faciei, propter quam appellantur muli, differre tamen specie à mulis genitis ex asino & equa. De animalibus verò ex putri materia genitis dicendum est, ea non esse quidem monstra, sed habere tamen naturalem quandā imperfectionem, quæ impedit facultatem generatricem ne exeat in actum: euenit enim sæpe vt aliquid alicui cōpetat ratione generis, quod tamen repugnet naturæ speciei; nam forma speciei adueniens formæ generis, plura illi supperaddit, quæ illam, & eius operationes ad certos quosdam modos restringunt, aliqua etiam demit, hoc est, affert aliquod impedimentum alicui eius operationi; quod hic dicere possumus de his animalibus ex putri materia genitis: propria enim eorum forma facit in eorum natura talem defectum, vt potentia generatrix nō possit edere suam operationem; imò in his quoq; aliquod apparet vestigium facultatis generatricis, quia (vt ait Arist. in lib. de Ortu animal. capit 16.) hęc animalia non carent omnino actu generandi, generant enim aliud, sed imperfectum, quod neq; est mas, neq; fœmina, neque est eis simile secundùm speciem; quare habent aliquam generationem, sed imperfectam, quæ ad speciem conseruandā non prodest, indicat tamen esse ibi aliquam facultatem generatricem: & hæc in eis non potest dici frustra, tum quia aliquam habet operationem, quamuis imperfectam, tum etiā quia ne facultas aliqua animæ frustra sit, satis est si in aliquo viuente ducatur perfectè ad actum: simile enim etiam in sensibus notare possumus; vbi enim est anima sensibilis, ibi sunt omnes eius facultates, saltem vt in origine, licèt non semper omnes vt in subiecto; vt si dicamus apes auditum non habere, habent quidem apes facultatem auditiuam ratione solùm originis, sed propter naturam propriam habēt aliquem defectum illis naturalem, qui prohibet ne illa facultas possit exire ad actū: neque ob id dici potest, ibi esse frustra, quia quum insequatur necessariò animam sensibilem, quæ in omnibus animalibus æquè inest, satis est, ne frustra esse dicatur, si in aliquo animali perfectam possit edere operationem. Ad tertium dubium, quòd generare sibi simile videatur etiam igni, & alijs inanimatis competere, illud idem dicendum est, quod de accretione paulò antè dicebamus: non enim

Cur multa competunt ratione generis, quæ repugnant ratione speciei.

Quomodo facultas sine operatione nō sit frustra.

Solutio tertij.

Quomodo generare sibi simile sit proprium animatorum.

enim vtrunq; generare sibi simile est propriũ animæ vegetãtis, sed modo quodam proprio & cum statutis quibusdam cõditionibus, quę inanimatis competere non possunt; proprius autem hic modus tangitur à Thoma in 1. part. Summæ, quæst. 78. artic. 2. ad secundum, sed non perfectè explicatur: ipse enim dicit, generationem similis in rebus inanimis fieri penitùs ab extrinseco, in viuentibus autẽ fieri quodam altiori modo per aliquid ipsius viuentis, quod est semen, in quo est principium B corporis formatiuum, ideoque oportere aliquam esse rei viuentis facultatem, per quam semen præparetur, eamq; esse vim generatricem: sed hanc Thomæ responsionem postea veritate declarata perpẽdemus: nos dicimus differentiam in hoc esse constitutam, quòd ignis ignem generat, agendo in aliam materiã extra se, & ex ea educendo aliam ignis formã: at viuens non ita generat aliud simile, vt agat in aliam materiam extra se, sed largitur quo- C dammodo alteri aliquid de suamet materia, & aliquid de suamet forma cum facultate actiua, dum exhibet semen generationi: nam semen plantæ, dum est in ipsa planta, est animatum anima vegetante, qua etiam planta tota, & ab ea separatum retinet vim prolificam, & alterius plantæ generatricem, non quidem ex alia materia, sed ex illa ipsa, quę est in semine, quæ priùs fuit portio quędam materię totius plantæ, à qua semen prodijt; separatur D igitur à planta aliquid de propria materia, & aliquid de propria forma de facultate generatrice, quæ est agens proximum, à quo ex illa materia fit alia numero planta: huic porportione respõdet semen in animalibus; est enim materia quædam abscissa ab ipsomet animali generante, retinens vim actiuam & generatiuam alterius similis animalis; semen enim humanum propriè dicitur totum illud, quod constat ex semine viri, & menstruo sanguine E fœminæ, soletq; appellari conceptus, & est similis seminibus plantarum, quoniam habet insitam vim actiuam, quæ, vt inquit Arist. in 2. Phys. est natura humana non tãquam forma, sed tanquam artifex, & agens proximum; habet etiam in se materiam, ex qua potest homo fieri, nempe sanguinem menstruum fœminæ: hæc enim fuit ratio distinctionis maris & fœminæ, propter eorum diuersa officia in generatione; nam maris officium est exhibere vim F actiuam, & generatiuam alterius animalis similis; fœminæ verò exhibere materiam conceptui: quæ munera distinxit oculatissimus Philosophus Aristot. neq; illa confudit, quod Medici faciunt; dum dicunt & semen viri esse materiam fœtui, & fœminam quoque semen vi actiua præditum emittere; ita vt & virile semen vtroque munere fungatur, tum agentis,

Officia maris et fœminæ in generatione.

Medicorum error.

A tum materię; & fœmina tum sanguinem menstruum exhibeat vt materiam generationis, tum semen præditũ vi generatiua; quod quidem si verum esset, oporteret euenire aliquando vt fœmina sine viri congressu concipiat, quod tamen nunquam compertum est. Sed repugnantissimũ etiam illud est rationi, quia natura non abundat in superuacaneis, nec propria rerũ munera confundit: quare si statuit à mare prodire vim actiuã, à fœmina verò B materiam, non debuit fœminæ dare semen cum facultate generatrice, neque virili semini materiæ officium tribuere: voluit igitur fœminæ officiũ esse exhibere conceptui materiam, ex qua à facultate actiua virilis seminis generetur alterum animal simile; & hoc genitum viuit priùs anima matris, sed postea viuit anima propria: quemadmodum etiam ramus in planta viuit eadem numero anima, qua viuit tota planta, sed postea auulsus fit a- C lia planta numero, & ita vetus illa planta generat alteram similem, largiendo aliquid de sua propria materia, & de sua propria forma. Hæc igitur est alterius similis generatio, quã Arist. dicit esse propriam vegetantis animæ operationem, cuius propria conditio est, vt generans exhibeat aliquid de sua materia, & aliquid de sua forma, nam in semine tum materia inest, tum vis quędam vitalis à forma viuentis proueniens, & fungens officio agen- D tis: hoc significauit Aristoteles in libro de Vita & morte, cap. 14. dum generationem viuentis ita definiuit, generatio est prima participatio animæ nutritiuæ cum calore naturali; generans enim communicat aliquid de sua anima nutritiua, quatenus exhibet semen animatum, vt ipse Arist. asserit in 2. lib. de Ortu animal. cap. 3. est enim semen præditum facultate vitali, quæ eadem in generante erat; sed simul cõmunicat aliquid de sua materia, E quia forma non potest migrare de materia in materiam, quare necesse est, vt viuẽs generans exhibeat portionẽ suæ materiæ vnà cum portione animæ nutritiuæ, & caloris sui naturalis; sit autem postea alia numero anima, & aliud viuens eiusdem speciei. Inanimata verò ita generant aliud simile, vt solam conferant vim actiuam in aliam externam materiam; at neq; de propria materia, neq; de propria forma aliquid exhibeant, sed aliam numero formam eiusdem speciei ex illa externa materia F educant. Illud autem, quod in memorato loco Thomas dixit, verum est, sed ipse materiã considerare nõ videtur, quæ tamen in hac generatione est maximè consideranda: inquit enim generationem animatorum esse penitùs ab extrinseco, agens enim agit in materiam extra se, viuentis autem generationem esse per aliquid ipsius viuentis, scilicet per se-

Quid sit generatio viuentis.

men; quæ omnia vera sunt, sed postea dicens in semine esse principium corporis formatiuum, videtur considerare semen vt habẽs vim actiuam, non vt materiam; attamen nisi materiam quoq; in semine consideremus, nõ satis apparet in hac facultate actiua discrimẽ, quo generatio viuentis ab inanimati generatione secernatur, siquidẽ etiã inanimatũ habet vim generatricem alterius similis: sed res ita clara est, vt omnino dicendum esse videatur eam Thomæ incognitam non fuisse, quamuis eam non expresserit. Sed illud quoq; mihi dubiũ est, quod ibidem à Thoma subiungitur, oportere aliquam esse rei viuentis facultatem, per quam huiusmodi semen præparetur, eamque esse vim generatricem: etenim duæ generatrices facultates hic considerari posse videntur, vna, qua viuens generat semen; altera, qua semen generat aliud viuens simile; ipse quidem Thomas significare videtur vim illam generatricem, quæ secundùm Arist. est præcipua facultas animæ vegetãtis, esse priorem illam, qua semen generatur: ego tamen puto esse potiùs alteram posteriorem, quæ in semine inest tanquam artifex, & ex illa materia generat aliud viuens; seminis enim generatio nil aliud esse videtur, quàm concoctio quædam vltimi alimenti, proinde nõ est illa generatio alterius similis, de qua in præsentia loquimur: neq; ob id negamus esse in ipsomet viuente vim generatricem alterius similis; nã dicendo eam in semine inesse, dicimus in viuente, à quo est abscissum semẽ, & à quo hanc vim recepit: viuens igitur non ea ratione dicitur habere vim generatricẽ, quatenus potest ex alimento generare semen, sed quatenus semen in viuente genitum habet vim generatricem alterius viuẽtis similis. Alia plura de his vegetantis animę facultatibus & operationibus dici possent, quæ cõsultò omittimus, tanquam ad singularum facultatum & operationum distinctam declarationem pertinentia; nunc enim consilium nostrum est generalem tantummodò harum facultatũ partitionem, & enumerationem facere: hac eadem ratione de aliarum animæ partium facultatibus nũc aliqua dicere aggredimur, aliàs fortasse de singulis diligentiùs atq; accuratiùs locuturi.

Nota in viuẽte duas facultates generatrices.

De facultatibus Animæ sentientis. Cap. XII.

Sentientis verò animæ facultates in duas classes diuidi solent, in externos & internos sensus externi sunt illi, qui ab obiectis ipsis materialibus patiuntur, iíque sunt quinque, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus: de internorum autem numero ambigitur, quum ab alijs plures, ab alijs pauciores statuantur: ego duos propriè loquẽdo esse arbitror, sensum communem, & phantasiam, à nostris imaginatiuam appellatam vel tres, si memoriam addere velimus: sed quia nomen sensus cognitionem denotare videtur, memoria verò nõ est cognoscitiua, sed solùm cõseruatiua imaginũ & tãquam promptuarium imaginatiuæ; ideò dubiũ est an memoriam liceat sensum appellare: sed qualiscunq; sit, certum est esse vim quandam animæ sensibilis, & posse facultatem huius animæ nominari, quę immediatè inseruit imaginatiuæ; nam ex imaginatione imago imprimitur in organo memoratiuæ facultatis, quod est proximum organo imaginatiuæ, & est tanquam liber apertus, in quo imaginatiua inspicere, ac veluti legere imagines sensilium rerũ potest: sed ipsa per se memoria vim cognoscendi non habet, neq; habere debuit, propterea ꝙ facultas cognoscitiua non potest sine cognitione recipere species; species enim recepta nil aliud est, quàm cognitio ipsa, plura autẽ simul cognosci minimè possunt, ideò facultatẽ illam, quæ plura simul retinere apta esset, cognitione carere oportuit, immediatè tamen inseruire cognitioni, & hac tantũ ratione posse appellari cognoscitiuam. Sẽsus cõmunis ad quinq; externos eam habet rationem, quam habet centrum quod vnum est, ad quinq; distinctas lineas ab eo prodeũtes: est enim tanquã ipsorum radix atq; principiũ, & comparat inter se plurium sensuum obiecta, & illorum discrimen cognoscit, non tamen operatur, nisi præsente obiecto externo, quemadmodũ neq; ipsi externi sensus. At imaginatiua, res quoq; absentes imaginari potest: etenim necessariũ quidẽ est eam moueri primũ ab aliquo externo sensu, sed postquam semel apprehendit, & idolũ impressit in memoria, potest postea illud idẽ sæpe imaginari, etiam absente obiecto materiali. Præter hos verò ponunt aliqui alios internos sensus, vt ęstimatiuam, & cogitatiuam, seu ad ratiocinandum, & discurrendum à noto ad ignotum in particularibus, seu ad ea cõprehendenda, quæ à sensu cognosci nequeũt. vt ouis videns lupum, sentit solos colores, & magnitudinem, & figuram lupi, & hęc omnia imaginatur; neq; tamen propter hęc fugit lupum, sed propter inimicitiam & periculum, quod simul cognoscit per facultatem æstimatiuam, licèt sub externum sensum non cadat: ob hanc igitur rationem ponit hãc facultatem Thomas in 1. part. Sũmæ, quæst. 78. art. 4. & inquit appellari in brutis æstimatiuam; in homine autem cogitatiuã, quia perfectiùs in homine, quàm in brutis, prędictum munus exercet: etenim bruta res, quæ à sensibus non apprehenduntur, non concipiunt per earum inter se collationem, sed naturali quodam instinctu,

Internorum sensuum numerus.

Memoria nõ est cognoscitiua.

Sensus communis.

Imaginatiua.

Contra ponẽtes æstimatiuam, & cogitatiuam.

stinctu, homo verò per collationem ipsarum inter se: ideò accedere in hoc videt Thomas ad opinionem Auerrois, qui præter facultatẽ imaginatiuam posuit in homine cogitatiuã, cui tribuit vim affirmandi, & negandi, & ratiocinãdi. Ego verò hac in re arbitror nõ esse ab Arist. recedendum, qui præter sensum cõmunem, & phantasiam, & memoriam, non posuit aliam internam animæ sensibilis facultatem, quæ ad cognitionem pertineat; etenim enuntiandi vim, multò autem magis ratiocinandi & discurrendi propriam esse voluit solius animæ rationalis, vt in 3. lib. de Anima videre manifestè possumus: vnum igitur est, & ab Aristotele alienum, ponere vllam animæ sensibilis facultatem rationatricem, vel enuntiatricem: ad concipiendas autem res sensiles etiam absentes, sufficit sola imaginatrix facultas, quare aliam ponere superuacaneum est: at quoniam imaginatio secundùm Aristotelem est motus ab externo sensu factus, proinde nihil possumus imaginari, quod priùs in sensu non fuerit; ideò multi considerantes fieri aliquando imaginationem etiam illorum, quæ nunquam fuere in sensu; imò & eorum, quæ nihil penitùs sunt (imaginamur enim montem aureum, & animalia monstrosa) alias facultates, quarum id munus esset, introduxerunt. Attamen certum est hæc omnia præstari à sola imaginatiua; phantasma enim fuit aliquando sub sensu, saltem ratione partium suarum separatim, licèt non ipsum totum, sensu namque & montem seorsum apprehendimus, & aurum: quæ igitur sensus separata cognouit, hæc à phantasia coniunguntur, & ita montem aureum imaginamur: sic etiam vidimus magnitudinem montis, & vidimus animal, ideò magnitudinem cum animali coniungentes, imaginamur animal magnum instar montis, & alia eiusmodi: hac igitur ratione omnis imaginatio ortum habet à motu facto ab externis sensibus: neque credendum est eam enuntiare, quando imaginatur montem aureum; non enim affirmando dicit, mons est aureus; sed absque vlla enuntiatione duo componit, & concipit simplicia tanquam vnum. Quod verò aliqui dicunt de conceptu rerum, quæ nullo modo sub sensum cadunt, dignum est aliqua consideratione: ouis enim fugit lupum propter inimicitiam, quam nullo sensu cognoscit, sed naturali tantum instinctu: sic auis cognoscit vtilitatem paleæ ad nidificandum, nec tamen aliquo externo sensu illam vtilitatem percepit: ideò illi ducti sunt ad ponendam facultatem æstimatiuam, distinctam ab imaginatiua, vt Thomas in loco prædicto. Attamen, si bene consideremus, non oportet ob id ponere aliam animæ sensibilis facultatem distinctam ab imaginatiua; iucunditas enim & mo[lestia non] sunt aliquid in obiecto sensili inexistens, sed sunt passiones quædam rem cognitam insequentes: nam in palea inest quidem color, & figura tanquam res quædam, sed non inest iucunditas, quam dicatur auis sentire, proinde iucunditas illa in palea nihil est, visionem aũt paleæ consequitur in aue perceptio iucunditatis, non quòd iucunditas insequatur colorem paleæ secundùm se, neq; naturam animæ sensibilis secundùm se, sed quia propriam illius animalis naturam insequitur ille naturalis instinctus, quo percipit iucunditatem ex intuitu paleæ, inditus à natura, vt excitetur appetitus apprehendendi paleam ad nidificandum, sic ex visione lupi fit molestia quædã in oue, vt excitetur appetitus fugiendi ad se conseruãdum, illa tamen molestia in lupo nihil penitùs est: ideò notandum est ex Arist. in 3. lib. de Anima, à contex. 28. vsq; ad 32. in rerũ sensilium perceptione tria hæc ordinatim fieri: primùm sentitur res à sensu externo sub ratione obiecti proprij, vt color à visu quatenus est color: secundò percipitur iucunditas, vel molestia, siue cadẽ res quatenus delectãs, vel molestans, quia, vt diximus, nulla est in ipso obiecto iucũditas, vel molestia tanquam res sensilis, sed obiectum in sensu iucunditatem, vel molestiam efficit per impressionem suæ speciei; & Arist. perceptionem obiecti sub propria obiecti ratione attribuit sensui externo, perceptionem verò iucũditatis, vel molestiæ sensui communi, qui est communis radix, & centrum omnium sensuum; idq; non sine ratione fecit, quia hæc iucunditatis, vel molestiæ perceptio non est propria alicuius sensus, sed omnium communis cõditio indita à natura, propter animalis cõseruationem, ideo iure adscribitur sensui communi, qui est commune principium omnium sensuum externorum: ab hoc igitur apprehẽditur obiectum ab externo sensu oblatum, & simul percipitur vt iucundum, vel vt molestum: tertio demum excitatur appetitus, qui in duos diuiditur, prosequutionem, & fugam; iucundum enim appetimus, molestum autẽ fugimus; & quia à sensu communi offeruntur phantasiæ obiecta sensilia, quæ in ea producunt phantasma, phantasia imaginatur obiectum tam præsens, quàm absens, tum sub ratione obiecti, tum sub ratione delectantis, vel molestantis, ideò similiter ex imaginatione obiecti absentis excitatur appetitus prosequendi, vel fugiendi. Horum igitur trium duo priora ad eandem facultatem pertinent: nempe ad sensum, vel ad phantasiam: idem enim est animæ operandi modus circa vtrumque, quũ similiter apprehendatur, & cognoscatur vtrumque; seu à sensu communi, seu à phan-

Enunciare et discurrere est proprium solius intellectus.

In perceptione sensilium tria ordinatim fiunt.

tasia [illegible] num ex altero; priùs enim apprehenditur obiectum sub ratione obiecti sensilis, deinde verò vt iucundum, vel molestum; sed cum hoc discrimine, quòd apprehensio obiecti sub ratione obiecti pertinet absolutè ad naturā sensus quatenus est sensus, seu phātasiæ quatenus est phantasia, ideircò animalibus omnibus competit; sed apprehēsio eiusdem vt iucundi, vel molesti non amplius ad sensum pertinet quatenus est sensus, neq; ad phantasiam quatenus est phantasia, sed quatenus restringuūtur, & coarctantur à propria forma cuiusque animalis; iam enim diximus propriam cuiusq; formā coarctare formā generis, & eius operationes cōtrahere ad quosdam proprios modos, & ad proprias cuiusq; animalis conditiones: colorem igitur & figuram paleç omne animal visu præditum videt, & imaginatur, sed omne animal percipit ex ea visione iucunditatem, sed aliqua tantùm animalia, quæ egent palea ad nidificandum: hæc igitur apprehensio rei vt iucundæ competit sensui illius animalis, non prout sensus est, sed vt determinatus, & coarctatus à propria illius animalis natura; sed quum hæc sit nobis incognita, solemus eam nomine naturalis instinctus appellare. Tertium verò illorum trium, quod est prosequi, vel fugere, ad aliam eiusdem animæ facultatem, quæ appetitiua dicitur, pertinere existimo; nec dicendum esse cum quibusdam vnam & eandem animæ facultatem esse sensitiuum, & appetitiuum, sed potiùs duas distinctas, sicut ostendere nititur Thomas in 1. part. Summæ, q. 78. artic. 1. quæ fuit etiam sententia Aristotelis, si bene perpendamus ea, quæ ab ipso in 2. libro de Anima, contextu 20. & 22. & 27. scribuntur, & potest etiam ita demonstrari: vbi diuersi sunt modi operandi circa idem obiectum, ita vt varijs modis anima ab illo obiecto immutetur, ibi diuersæ facultates iudicandæ sunt: quemadmodum vbi idem est operandi modus circa diuersa obiecta, ibi vna & eadem est facultas animæ iudicanda; eodem enim modo operatur sensus in visione albi & in visione nigri; ergo facultas visiua vna est: atqui non est idem operandi modus, quo anima sentit & iudicat, & quo appetit idem obiectum: ergo non per vnam facultatem, sed per duas hæc duo præstat: minor probatur; quia sentire est cognoscere, & fit per trāsitum obiecti ad animam; in cognitione enim obiectū quodammodo ad animam trahitur, at in appetitu trahitur potius anima ad prosequendum obiectum: quoniam igitur sensus omnes, & phantasia sunt facultates cognoscentes per obiecti receptionē, diuersa ab his est facultas appetitiua, cuius operatio, quamuis cognitionem obiecti præsupponat, nō est tamen formaliter cognitio, sed potiùs propensio animæ ad prosequēdum obiectum, quod priùs cognouit: eadem igitur anima sensibilis per diuersas suas facultates hęc omnia pręstat; cognoscit enim tum sensu, tum imaginatione, & cognitionem insequitur appetitus prosequendi, vel fugiendi. Ex appetitu autem incitatur ad motum, vt quęrat quę vtilia sunt, & fugiat noxia; ideò tandem hæc eadem anima habet facultatem motricem, quæ fuit animalibus necessaria ad ipsorum conseruationem. Vt igitur omnes sensibilis animæ facultates colligamus, tres sunt in animali operationes certo ordine dispositæ, cognoscere, rem cognitam appetere, ac demum ad eam moueri: harum gratia datę sunt animali à natura plures facultates: ad cognitionem quidē propter rerum sensilium diuersitatē non satis fuit vna facultas, ideò plures in animali sunt facultates cognoscitiuæ, quinq; externi sensus, & tres interni, nempe sensus communis, phantasia, & memoria; licet enim memoria non sit cognoscitiua, nullum tamen aliud habet officium, quàm inseruiendi cognitioni; inseruit enim suppeditando obiectū, quod in ea seruatur, vt ab ea moueatur phantasia: ad prosequendum autem, & fugiendum data animali est facultas appetitiua: demum ad se mouendum facultas motrix, hæc tamen non omnib. inest animalibus, sed perfectioribus tantùm illa namq; imperfecta animalia, quæ à Græcis ζωόφυτα appellantur, non habent facultatem motricem, sicuti tribus quoq; perfectioribus sensibus destituta sunt, & duos tantùm habent, tactum & gustatum; ob id facultas motrix apud Aristotelem cōstituit gradum viuentis distinctum à gradu sensibilis; phantasia verò & appetitus non constituunt alium gradum: quoniam enim quatuor graduū distinctionem Arist. non aliunde accepit, quā ex maiore & minore amplitudine, & communitate, appetitus aūt & imaginatio sunt æquè cōmunia, ac sensus, quia vbi sensus, ibi imaginatio, & appetitus, ideò hæc non faciunt gradum viuentis distinctum à gradu sensibili: at facultas motrix non omnib. sentientibus inest, ideò hæc propriū viuentis gradū constituit, in quo sunt animalia non omnia, sed perfectiora. Hæc de anima sensibili, atq; de eius facultatib. in pręsentia dixisse satis sit.

Facultas appetitiua.

Facultas motrix.

Collectio omnium facultatum animæ sensibilis.

De facultatib. Animæ rationalis. Cap. XIII.

Animæ rationali tres facultates aliqui attribuunt, intellectum, voluntatem, & memoriam; ita vt intellectu res apprehendat atq; cognoscat, voluntate ad eas prosequendas trahatur, memoria verò cōseruet. Aliqui verò memoriam quidem huic animæ ascribunt, sed negant esse facultatem diuersam ab

sam ab intellectu, vt Thomas in 1. partic. Summæ, q. 79. artic. 7. Sed de memoria alio in loco opportuniùs disputabimus: nunc satis sit breuiter dicere, duas tantùm esse mentis nostræ facultates, vnam cognoscendi, alteram appetendi, seu volendi, nil enim aliud est voluntas, quàm appetitus animæ rationalis: quemadmodum enim cognitionem sensus insequitur propensio ad obiectum, quæ dicitur appetitus, & ita mentis cognitionem proprius appetitus consequitur; quem vt ab appetitu sensibili distinguerent, voluntatem appellârunt. Harum duarum facultatum discrimen ex ijs, quæ paulò antè de sensu diximus, manifestũ est; aliud enim est cognoscere, aliud est rem cognitam appetere, & longè diuersus est operandi modus hic ab illo; nam mens nostra cognoscit patiẽdo & recipiendo species à phantasia, per quam receptionem dicitur fieri res ipsæ, obiectum igitur, vt cognoscatur, ad animam fieri oportet, & in ea recipi: sed in volendo trahitur potiùs mens ad prosequendum obiectum: quod etiam in se diuersitatem babet, nam cognoscitur quatenus ens, appetitur autem quatenus bonum. Ipsa autem facultas cognoscitiua vna tantùm statuenda esse videtur, quia hæc animæ pars non habet illam, quam aliæ, ex organis varietatem, quũ nullo prorsus proprio organo vtatur; sed in ipsamet anima, non in organo, species recipiũtur, vnde sola ab Arist. vocata est locus specierum; & ob id vnus tantùm in ea notari potest modus, quo ab obiectis immutatur, & dicitur recipiendo fieri singula. Est autem consideratione dignum, quam Arist. in 3. lib. de Anima distinguat intellectum practicum à speculatiuo, num hi dicendi sint duæ distinctæ facultates, an vna & eadem. Thomas in quæstione prædicta, articulo 11. inquit esse vnam & eandem facultatẽ, & hac vtitur ratione: id, quod accidit obiecto sub ratione obiecti, nõ variat potentiam; at rebus, quæ mente apprehenduntur, accidit vt dirigantur ad opus, vel nõ dirigantur ad opus; ergo hæc differentia non potest varias potentias constituere, sed vna tantùm est, quæ res omnes eodem modo apprehẽdit, & harum alias ad actionem dirigit, alias non dirigit, sed simpliciter contemplatur: hoc significare visus est Arist. in cõtex. 49. libri 3. de Anima, dum dixit, intellectum practicum à speculatiuo distingui fine, sunt enim ambo cognoscentes eodem modo, proinde vnam & eandem animæ facultatem denotant; sed speculatiuus finem habet ipsammet cognitionem, practicus verò eam ad actionem dirigit: sed quamuis ratione vltimi finis distinguantur, proximo tamen & immediato fine non secernuntur, quia etiam intellectus practicus habet proximum finem cogni-

An in parte animæ intellectiua sit memoria, vide librũ de spec. intell.

Voluntas.

Intellectus.

Num intellectus practicus & speculatiuus sint duæ potentiæ.

Opinio Thomæ, & argumentum.

A tionem veri in rebus agendis. Ego vero arbitror, intellectum practicũ, & speculatiuum, duas notare rationalis animæ facultates: quũ enim tria in intellectu practico considerauerit Aristoteles, quemadmodum etiam in sensu; apprehensionem rei, affirmationem, vel negationem boni vel mali; ac demum prosequutionem, vel fugam, certum est in duobus prioribus nullum intellectuum discrimẽ oriri, quoniam in illis non potest intellectus

B alio nomine appellari, quàm speculatiuus; res enim contemplatur per vnam & eandem suam facultatem, quæ intellectiua dicitur, quia etiam bonum contemplatur, quatenus est verum: in solo igitur tertio necesse est horum discrimen esse constitutum, imò & propriam intellectus practici conditionem, qua dicitur practicus, in eo solo consistere, vt nomen quoque ipsum declarat; nam in duobus reliquis cognoscit tantùm, & contemplatur,

C in tertio autem actionem respicit, & per hoc solùm distinguitur à speculatiuo, videlicet per propensionem ad prosequẽdum bonum, & fugiendum malum, quæ dicitur voluntas, & differt ab apprehensione, quemadmodum diximus: per hoc autem denotatur diuersitas obiecti sub ratione obiecti, quia licèt verum, & bonum, vt ibi Thomas inquit, re idem sint, & vnum in altero sit inclusum, tamen differunt ratione, & per has duas distinctas ratio-

D nes cõstituunt duo distincta obiecta duarum facultatum; apprehenditur enim bonũ, prout est quoddam verum, appetitur autem non vt verum, sed vt bonum: quoniam igitur distinctæ sunt obiectorum rationes, quatenus obiecta sunt, & diuersi etiam modi operandi circa illas, non possunt nisi duas animę rationalis facultates significare, non tamen alias, quam easdem duas, quas antea considerauimus, intellectum & voluntatem; intellectus

E enim est facultas apprehensiua, & cognoscitiua obiecti, vt veri; voluntas verò est facultas prosequutiua eiusdem, vt boni: ille igitur intellectus qui dicitur speculatiuus, est prior facultas, seu operatio prioris tantùm facultatis, sine altera posteriore; ille verò, qui vocatur practicus, est operatio vtriusque, & catenus notat aliam animæ facultatem, quatenus est operatio voluntatis, imò hæc est propria cõditio intellectus practici, qua distinguitur

F à speculatiuo, quum in apprehensione seu veri, seu boni ab eo non differat; sed hãc præsupponẽs videtur esse formaliter electio, quæ est operatio voluntatis. Igitur intellectus practicus, & intellectus speculatiuus eatenus duas animæ facultates significant, quatenus discrimen denotant intellectus & voluntatis. Hanc sententiam tuetur Ioan. Gandauensis in quæst. 39. libri 3. de Anima. Ad argumen-

Confutatio & opinio propria.

Ad argumentum Thomæ.

tum autem Thomæ dicimus, de apprehensione rei totum esse concedendum: quum enim possit cognitio tum dirigi ad actionem, tum non dirigi, accidit ei vt dirigatur, & accidit vt non dirigatur, proinde hæc sunt apprehensioni accidentalia discrimina, nec possunt facultates diuersas constituere, quum apprehensio respectu omnium rerum eodem modo fiat: obiectum quoque quatenus apprehenditur, seruat in omnibus eandem obiecti rationem, quia etiamsi sit bonum, cognoscitur tamen quatenus ens quoddam, cui vt cognoscibili accidit bonitas, illa præsertim, quæ est rei agendæ, quum hæc possit esse tum bona, tum mala; & tam bona, quàm mala, quatenus apprehenditur, apprehenditur vt ens quoddam, & quando affirmatur esse bona, vel esse mala, cognoscitur illa affirmatio vt vera. Per hoc igitur argumentum nil aliud ostenditur, nisi intellectum practicum in ipsa apprehensione non denotare facultatem distinctam ab illa, qua significatur per intelle-A ctum speculatiuum; iam enim diximus, hos in apprehensione nullam habere differentiā, nisi accidentalem, quę sumitur à rerum differentijs, prout diuersæ res sunt, sed non prout habent rationem obiecti. At si tertium intellectus practici actum, qui electio est, considéremus, mutatur ratio obiecti; licèt enim sit ens, eligitur tamen non ampliùs vt ens, sed vt bonum. Sic ergo neganda est minor argumenti, quia non est ampliùs illi accidens, vt B ad actionem referatur, sed necessarium & essentiale: propria enim ratio obiecti voluntatis est quatenus bonum; sicut propria ratio obiecti intellectus est quatenus ens; bonum autem est per se omnium humanarum actionum finis: quoniam igitur in intellectu practico fit priùs apprehensio, deinde prosecutio; obiectum non est idem in vtraque, quia mutatur ratio obiecti; apprehenditur enim vt ens, non vt bonum, appetitur autem non vt ens, sed vt bonum.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,
Liber
DE PARTITIONE ANIMÆ.

Propositio, ac diuisio dicendorum.

Cap. I.



AGNA fuit inter priscos Philosophos controuersia de animæ partitione, atque eius distributione per corpus, eáque à posterioribus quoque agitata est: solent enim tum interpretes Aristotelis, tum Medici de hac re disputare, & quærere an anima tota in toto corpore insit, pars verò in parte, an potiùs tota tum in toto, tum in singula corporis partę. Verùm Ioan. Gandauensis huius quæstionis ambiguitatem animaduertens, tres eius acceptiones notauit, secundùm quas totam suam disputationem in tres partes distinxit, eumque alij postea sequuti sunt: easdem tetigit etiam Thomas in 1. parte Summæ, quæst. 76. articul. 8. nos igitur hac de re disputaturi, id ritè factum esse arbitrantes, ad vitandam obscuritatem eadem distinctione vtemur; etenim certum est, problema C hoc posse tribus modis intelligi: habet enim anima essentiam suam; habet quantitatem quamuis per accidens, quum ad corporis extensionem extensa sit; ac denique habet facultates diuersas; ideò primùm quæri potest, an tota secundùm essentiam, & in toto corpore sit, & in qualibet parte; secundò an tota secundùm quantitatem sit & in toto, & in singula parte; tertiò demum, an anima tota, id est, secundùm omnes facultates suas sit non solùm in toto, sed etiam in qualibet parte, an D potiùs secundùm aliquam facultatem sit in aliqua parte, & secundùm aliam in alia: ideò dicere solent, animam posse tripliciter appellari totum, totum essentiale, totum quantitatiuum, & totum potestatiuum, id est, cum omnibus suis potentijs & facultatibus. *Anima potest tripliciter appellari totum.* Hunc itaque ordinem in hac nostra disputatione seruabimus: primùm de tota anima secundùm suam substantiam; postea de tota secundùm suam quantitatem & extensionem; ac E demum de tota secundùm facultates suas, quid iuxta Aristotelis mentem sentiendum sit, considerabimus.

Primùm

De prima quæstionis intelligentia.
Cap. II.

Dubium contra primam quæstionem.

QVod ad primam partem, ipsamq; animæ substantiam attinet, quum ante omnia intelligẽdum sit, quidnam quæratur, non erit ab re, si difficultatem à Ioanne Gandauense tactam consideremus: ipse enim quamuis de hac re disputet, suamq; sententiã proferat, tamen subiungit, sibi hanc quæstionem non probari, sed absurdam videri: nam quærere, an anima tota secundùm essentiam sit in qualibet parte corporis, an non tota, sed eius pars, est cõstituere eam habere partes essentiales, quod minimè verũ est: quoniam anima, quum sit forma, est substantia simplex, & nullas habet essentiales partes: non rectè igitur appellatur tota, si partes nõ habet, sed rectiùs diceremus nec totam, nec secundùm partes in corpore, vel corporis partibus esse, quia neq; partes habet, neq; potest appellari tota.

Aliquorum solutio.

Nituntur multi varijs modis quæstionem hãc ab absurditate vindicare. Sunt qui dicant animam habere definitionem, & partes definitionis, & hac ratione habere partes essentiales.

Solutionis impugnatio.

Sed hoc nihil est, quoniam anima non per partes essentiales definitur, sed vt natura quædã simplex per effectus eam declarantes: proptetea nemo vnquam dubitauit, an anima secundùm omnes suæ definitionis partes sit in qualibet parte corporis, an secundùm vnam definitionis partem sit in vna parte corporis, secundùm aliam verò in alia; ideò quæstio sic intellecta absurdissima esset, proinde hoc modo problema ab absurditate non defenditur.

Aliorum solutio.

Nonnulli verò alij dixerunt, posse in hac quæstione animam vocari totam; non ita tamen, vt sumatur totũ respectu partiũ, siquidem anima, vt dictum est, partes non habet; sed pro ut sumitur totum pro eo, quod est perfectum & absolutum, cui nihil deest; ita vt quæstio sic, an anima secundùm suam essentiam perfecta sit & in eo toto corpore, & in qualibet eius parte.

Impugnatio.

Sed neq; sic conueniens est quæstio, neque vllum locum habere potest; quum enim anima secundùm omnium sententiam nec intendi, nec remitti possit, sed substantiam habeat indiuiduam, non datur eius substantia, nisi perfecta, & integra; proinde vanũ est quærere an in corporis parte sit perfecta animæ substãtia, an imperfecta, quũ nullibi possit esse imperfecta.

Solutio propria.

Ego verò, etsi arbitror Gandauensem rectè dubitasse, & illũ quæstionis sensum ita esse absurdum, vt nullum apud Philosophos locum habere possit; alios tamen duos inuenio, secundùm quos digna quæstio est disputatione, neque absurda dici potest. Vnus est; vt nomen partis pro parte subiecta, hoc est, pro specie sumamus, nomen autem totius pro omnium specierum animæ collectione, sicut Arist. frequenter in lib. de Anima vocat animam totam, & partes animæ, ita vt quæstio sit, quum in eodem viuente plures inesse posse animas ordine quodam dispositas iam alibi ostenderimus, tãquam formas substantiales distinctas, num hæ locis quoq; distinguantur in corpore, an nõ distinguantur, sic enim ad substantiam animę quæstio pertinet: quæritur enim, an huius animæ substantia vnã tantùm corporis partem occupet, illius verò aliam; quam sententiam ab Arist. Plat. attributam esse manifestum est. Alter verò sensus est, constituendo ipsas specierum animæ substantias locis distinctas non esse, sed simul omnes informare idẽ corpus, admitti quæstio potest, si appellationem totius, & partium attribuamus non animæ, sed corpori: reuera enim nõ potest anima vocari totum essentiale, nec vllus vnquã dubitauit an anima tota secũdùm suam essentiã sit in singula corporis parte, an pars aliqua essentię in vna parte, alia verò pars in alia, hoc enim ne excogitabile quidem est, quare de hoc disputare vanum esset; sed videtur sic posse quæstionẽ proponi, eãq; nihil in se habere absurditatis, anima secundùm suam essentiam toti corpori adsit, & cuilibet corporis parti, an potiùs alicui tantùm parti corporis insit anima secundùm suam essentiam, ita vt in reliquis partibus non insit, hoc enim in controuersia positum est, neque paruum est operæpretium id considerare.

Opinio Platonis de distributione partium animæ, & eius confutatio.
Cap. III.

QVum quæstio proposita intelligi his duobus modis possit, quod ad priorẽ attinet, certum est eum ab Aristot. Platoni fuisse attributum, videlicet vt tres animę partes in corpore animalis in tribus distinctis locis collocauerit, concupiscibilem in iecore, irascibilem in corde, & rationis compotem in cerebro: quanquam enim credi potest, Platonem non animarum, & formarum substantialium, sed facultatum animæ distinctionem intellexisse; tamen Aristoteles illi attribuit, vt eas tanquam diuersas substantiales formas, ita vt prædictum est, locis separauerit in corpore animalis; & Galenus quoq; in 5. & 6. libris de Platonis & Hippocratis decretis, diligenter Platonis verba considerans nititur ostendere eam illius fuisse sententiam.

Confutatio opinionis Platonis.

Huius igitur falsitatem ostendit Aristoteles, argumẽto sumpto ab animalibus illis imperfectis, quæ in partes diuisa adhuc viuunt; omnes enim quas habent, animę partes in singulis diuisis partibus coniunctæ ex earum operationibus cognoscuntur, sed non vna in vna

parte, alia verò in alia: quum enim in singula animalis parte ab alijs separata omnes operationes inspiciantur; vbi autem est operatio, ibi & facultatem, & ipsam animę substantiam inesse oporteat; omnes animæ partes in singula animalis parte reperiri fatendum est, proinde locis distinctas non esse. Præterea secundùm hanc sententiam ostendi non potest quomodo animal sit vnum: quia vbi sunt tres distinctæ formæ substantiales non subordinatæ, ibi tria esse distincta composita manifestum est; illæ autem animę non possunt dici subordinatæ, quū distinctę locis esse statuantur, sed earum singula est forma specifica, cōstituens proprium animatum sine alijs; vbi enim est vna, ibi non sunt aliæ: nos autem, qui dicimus has partes animæ non distingui locis, sed omnes simul informare idem corpus, in hoc absurdum non incidimus, sed optimè animalis vnitatē seruamus; dicimus enim eas esse subordinatas, ita vt vltima contineat omnes, & sola det toti nomen, ac definitionem: vel igitur animalis vnitatem tueri Plato non potest, vel ad eam seruandam statuere cogitur aliam vniuersalem animam, à qua totum corpus informetur, & vnum reddatur, ab hac enim illæ omnes contineri dicerentur; quemadmodum etiam nos dicimus plures esse in corpore animalis formas mistionis, easq; locis separatas, quia vbi est forma carnis, ibi nō est forma nerui, nec forma ossis, neq; ob id tolli animalis vnitatem, quum satis sit anima illis omnibus superueniens, & eas omnes continens, ad vnitatem animalis cōstituendam: ob id dicimus cadauer non esse ampliùs vnum corpus, nisi per contactum, quoniam anima destitutum non habet ampliùs formā vnam, quæ totum cōtineat, sed plures locis distinctas: sic igitur animal ita, vt Plato posuit, à tribus animæ partibus inuicem disiunctis informatum non est vnum, sed plura animata se mutuò tangentia.

Cadauer non est corpus vnum.

Præterea manifestum est, vt Arist. in 2 de Anima lib. ostendit, in illis tribus animæ partib. naturalem, ac necessariū ordinem inesse: sensibilis enim anima non est sine vegetante, nec rationalis sine his ambabus; atqui irascibilis, quam Plato in corde posuit, nō est nisi anima sensibilis; concupiscibilis verò, quàm posuit in iecore, non est nisi anima vegetans, quum Medici quoq; eam in iecore, tāquam propria sede locare videātur; quomodo igitur in corde est anima sentiens absq; vegetāte? quomodo in cerebro rationalis absque alijs duabus? Sed ipsę operationes falsitatem huius opinionis declarant: patet enim & cerebrum, & cor nutriri, proinde in ijs partibus quoq; esse partem animæ altricem, in quibus Plato rationalem, & irascibilem collocauit: igitur non sunt locis distinctæ, vt asseruit Plato. Huius-

A modi ergo sententia, qua dicantur singulæ partes animę ita esse in singulis partibus corporis, vt locis distinguantur, & vbi vna est, ibi non sint aliæ; falsa omnino est, & tum rationi, tum experientiæ refragatur.

Alberti opinio, & argumenta, & opinionis confutatio. Cap. IV.

B QVoniam igitur partes animę in animalis corpore locis distinctæ esse nō possunt, sed omnes simul sunt, & solùm ratione distinguuntur, vt Aristot. censuit, altera, quam tetigimus, quæstio exoritur: quum tota anima secundùm omnes species suas simul sit in eadem materia, an tota insit in aliqua tantùm præcipua corporis parte, non in alijs, an potiùs in toto animalis corpore, & in omnibus eius partibus insit. Priorem sententiam accepit Albertus, vt apud eum legere possu-

Alberti sententia.

C mus in lib. 2. de Anima, cap. 7. vbi asserit, animam secundùm suam essentiam ac substantiam residere in solo membro præcipuo, quod inquit esse cor, in alijs verò partibus ipsam animæ substantiam non inesse, sed solùm facultates diuersas, quæ ad illas à corde transmittuntur: ideò dicit cor esse organum essentiæ animæ, alias autem partes esse organa facultatum. Sententiam hanc probat Albertus pluribus argumentis. Primò, si in oculo esset anima secundùm substātiam suam, ergo tota ibi

1. argument. Alberti,

D esset animæ essentia, proinde anima tota: quū enim substantiales partes non habeat, necesse est vt vbi est secundùm substantiam, ibi sit tota, igitur auulso oculo tota anima auferretur quare in reliquo corpore non remaneret anima; hoc tamen falsum esse videmus: ergo in oculo non est substantia animæ. Secundo, si essentia animæ in qualibet corporis parte inesset, manus ab homine abscissa deberet ali-

2. argument.

E quandiu viuere: quoniam si ibi esset substantia animæ, non posset forma illa subitò interire, quia forma substantialis non interit sine præuia alteratione, quæ non fit subitò, sed in tempore aliquo: consequens tamē falsum est, quia manus abscissa statim mortua est, neque vlla ibi notari potest præuia alteratio: igitur in manu non inerat substantia animæ. Tertiò, si essentia animæ esset in qualibet animalis

3. argument.

F parte, pars quęlibet animalis esset animal, vbi enim est animæ substantia, ibi perfecta & integra est; vbi autem est anima perfecta, necesse est illud perfectum animal esse. Tandem confirmatur hæc sententia auctoritate Aristot. in lib. de Motu animal. cap. pen. vbi dicit, animā non in omnibus corporis partibus inesse, sed in vna tantū præcipua, cui cæteræ partes adnascuntur, & ea ratione participant vitam; idq; declarat exemplo Regis ad rem valde accommodato. Rex enim non omnib. regni sui partibus adest

4. argument.

tibus adest secundùm substâtiam, sed soli regiæ, ad alias verò partes tanquam ab illa pendentes trâsmittit vim gubernandi per varios ministros suos, & ita regere dicitur nō solam regiam, sed regnum totum: sic igitur in solo corde residet anima secundùm substantiam suam, non in alijs membris, sed ad illa varias facultates transmittit ad varia munera obeunda. Hæc Alberti sentêtia admittenda non est, & iure à multis impugnatur, pręsertim à Thoma in 1. part. Summæ, quæst. 76. artic. 8. & in quæstionib. disputatis de anima, quæst. 2. art. 10. & in 2. contra gentes, cap. 72. vbi sententiā veriorē tuetur, nempe animam tâquam substantiam simplicem, & indiuiduam, inesse in qualibet corporis parte integrā, non in solo membro pręcipuo. Potest aūt falsitas opinionis Alberti multis argumentis ostendi. Primò sic, si essentia animæ non adesset cuilibet corporis parti, sequeretur non totum animal esse animatū; etenim partes omnes corporis præter partem præcipuā, quum animā non habeant, animatæ dici nō possunt: nec defenditur Albertus, dicêdo cæteras partes esse animatas per virtutes, seu facultates animę eò transmissas; quoniam illæ virtutes non sunt nisi accidentia, quare non possunt substantiam constituere, & dare esse materiæ; nam (vt inquit eo in loco Thomas) si anima non esset in corpore nisi motor, & rector, locum vtiq; haberet opinio Alberti, possent enim cæteræ partes corporis ab illis facultatibus moueri, & regi per pendentiam à parte præcipua; sed quia est in corpore vt forma informans materiam, & substantiale corpus cōstituens, necesse est omnes corporis partes esse animatas, & ab ipsa anima informatas. Præterea vel putat Albertus facultates animæ esse ipsammet animę essentiam, & ab ea non distingui, vel esse qualitates re distinctas à substantia animę, vt nos alias demonstrauimus; vtrumuis dicat, eius sententia falsa est; nam si sint idem, quod anima ipsa necesse est vt in omnibus partibus insit substantia animæ, si in eis sunt facultates animæ: si verò sint qualitates distinctæ à substantia animæ, similiter necesse ibi animā esse, vbi sunt facultates, quoniam accidentia à forma subiecti emanantia non debent esse loco distincta à forma, nam eiusmodi omnia emanant in eodem subiecto, in quo inest forma, à qua emanant. Sumitur etiam ex definitione animæ argumentum cōtra Albertum, inquit enim Aristoteles animam esse actum primum corporis naturalis organici, organicum intelligens illud, quod varijs instrumentis præditum est; huiusmodi autem est totum viuentis corpus, non solum membrum præcipuum, quia cor dici quidem potest organum, at non organicum, vt ibi ab Aristotele vocatur organicum: idq; ipsemet Albertus fatetur, dū dicit, cor esse organum essentię animæ, cętera verò membra esse organa facultatum: quod si dicat cor esse corpus heterogeneum, ideoq; ob varia partium suarum officia dici posse organicum, hoc certè nihil est, quia non eiusmodi est membrum præcipuum in animalibus imperfectioribus, quæ cor non habent, sed aliquid cordi proportione respōdens, hoc enim homogeneum, ac simplex est, idde enim fit, vt illa animalia etiam in partes diuisa aliquandiu viuant: quare quum membrum pręcipuū non in omnibus animalibus organicum appellari possit, definitio autem animæ sit vniuersalis, & omnia viuentia complectatur, non potest in ea definitione organicum significare aliud, quàm totum viuentis corpus: quum igitur huius dicat Aristot. animam esse actum primum, hoc est, formam, quæ ipsum constituit, apertè significat animam informare totum corpus, non solum membrum pręcipuū: idq; confirmant ea, quæ statim ab Arist. ibi dicuntur de plantis, inquit enim plantarum partes esse organa, vt radicem, folia, fructum, & pericarpium, quod denotat totam plantam vocari corpus organicum, propterea quòd his omnibus instrumentalibus partibus prædita est. Idem significauit Aristoteles in contextu 9. eiusdem libri, quando argumentum sumens ab oculo dixit animam ita esse totius animalis actum, & formam, vt visus est actus oculi: vana enim esset ea Aristotelis argumentatio, si anima non totum corpus informaret, vt considerantibus manifestum est.

Opinionis confutatio. *2. argument.* *3. argument.*

Vera sententia, & eius declaratio. *Cap. V.*

VT meam hac in re sententiam proferā, credo Albertū errasse quidem aliqua ex parte; vt modò ostensum est, attamē aliqua etiam ex parte veritatem attigisse: vt enim absurdum esse arbitror id, quod ait Albertus, animam secundùm suam substantiam in solo corde esse; ita & contrariam sententiam, quòd in omnibus corporis partibus æquè resideat anima, falsam esse existimo: etenim si omnes corporis partes æquè pręcipuè, & absq; vllo ordine animam haberent, necessarium prorsus, & insolubile esset argumentū Alberti; oporteret enim manum a corpore separatam viuere aliquandiu, quod tamē non contingit: præterea secundùm hanc sententiam vana de membro præcipuo disputatio redderetur, quia nullum in viuentis corpore membrum præcipuum vocari posset; siquidem nullo alio argumento præcipuū membrum iudicatur, nisi radicatione animæ in co quæ ex operationibus indagari solet: quoniam igitur magna est Philosophorum ac

Anima est in omnibus partibus corporis ordine quodam.

Medicorum disceptatio de membro præcipuo in corpore animalis, concedere hi omnes videntur non æquè in omnibus partibus viuentis inesse animam, sed radicari in aliquo membro præcipuo, & ab eo ad reliquas corporis partes diffundi, secundum Arist. autem præcipuum membrum in animalibus sanguineis cor est, in alijs autem, & in plantis pars aliqua cordi proportione respondens; nos facilioris doctrinæ gratiâ de solo corde loquemur, quod enim de hoc dicemus, illud idem de quolibet præcipuo membro in ijs, quę cor nō habent, intelligendum erit. De cordis quidem primatu clara est Arist. sententia in libro 3. de Partib. animal. cap. 3. 4. & 5. vbi ab Auerroe in cap. 4. res hæc disertissimè disputatur, nec non ab Alexandro in 1. suo lib. de Anima, cap. vltimo, hoc igitur in præsentia constituto, ex eo elicimus animam præcipuè, ac primariò residere in corde, & in eo esse tanquam in radice, à qua postea diffunditur animæ substantia ad vniuersum corpus; primū enim quod generatur, est cor animalis, & in eo radicatur anima, postea verò illi cæteræ partes aggenerantur, ad quas statim protenditur anima nō tantùm secundùm facultates, sed etiam secundùm essentiam, ad extēsionem enim subiecti corporis, anima quoq; extenditur. hac igitur ratione habet anima in corde esse principale, in reliquis autem partibus habet esse participatum; quemadmodum etiam lumen in Sole habet esse principale, in aere autē habet esse per participationem, & per deriuationem à Sole; quò fit vt aliquo solido corpore interposito priuetur statim aer, vel pars eius aliqua suo lumine, quia priuatur illa participatione, ac pendentia à luce Solis. Sic etiam dicuntur res omnes habere esse per participationem primi entis, quod solum habet esse per se, & est ipsummet esse subsistens, ideoq; sublato primo ente, cętera omnia statim redigerentur in nihil: hac igitur eadem ratione si manus à toto corpore seiungatur, statim in ea vita omnis extinguitur, quia manus nō habebat animā, nisi per continuam deriuationem à corde, qua simulatq; destituitur, desinit esse animata: contrà verò euenit in plantis, & animalibus annulosis, in quorum partibus separatis inest adhuc vita aliquandiu, propterea quòd animalia illa pro corde habent humorem quendam intus per totam animalis longitudinem extēsum, & homogeneū, proinde diuisionem recipiens; quo fit vt, si ita diuisio fiat vt in singula parte remaneat aliqua pars illius humoris, singula pars aliquādiu viuat, quū in se habeat portionem aliquā membri principalis: sic etiam planta in omni parte habet membrum præcipuum, in quo est anima radicata, siue id sit cortex, siue radix (siquidem in omnibus ferè partibus habet radicem potestate) siue quidpiā aliud; vnde fit vt pars ab alijs seiūcta viuere possit, & fieri aliqua planta per se: at in animalibus perfectioribus, in quib. est cor, vel aliud simile, quod sit heterogeneum, & certam figuram requirat, id nulla ratione fieri potest, quia tale membrum præcipuum non est diuiduum manente vita animalis. Hæc est rei veritas, quæ ipsa per se cōsiderantibus manifesta est: quum enim anima duobus muneribus fungatur in corpore, vt Græci notare solent; informat enim corpus, & constituit animatum; deinde illo iam informato, & animato vtitur vt instrumento ad operandum; facultates non respiciunt corpus nisi vt organum, quo vtantur; non vtuntur autem, nisi animato; ideo præsupponunt ipsum iam animatum, neque esse possunt nisi vbi sit anima; facultates igitur à corde missæ secundùm Albertum ad alias corporis partes possunt quidem reddere membrum aptum ad operationem, sed nō possunt facere membrum animatum, hoc enim sola anima per suam substantiam præstare potest, imò neque aptum reddere possunt ad operandum, nisi priùs constituatur esse animatum. facultas enim præsupponit animam, à qua non potest esse seiuncta. Ex his colligimus alium quoq; Alberti errorem: non rectè enim dicitur cor esse organum essentiæ animæ, cætera verò membra esse organa facultatum. organum enim non dicitur nisi respectu facultatis, quia respicit operationē, ipsa verò animæ substantia quatenus est forma, materiam potiùs habere dicitur, in qua recipiatur, quàm organū. Ex his ergo patet animam secundum substantiam suam non in solo corde inesse, sed in omnib. membris; nō tamen in omnib. æqualiter, sed ordine quodā: nam si æquè in manu atq; in corde inesset anima, h. e. æquè præcipuè, oporteret manum à corpore abscissam viuere aliquandiu, quod tamen non videmus.

De cordis primatu.

Duo animæ munera.

Cur non rectè dicatur organum essentiæ animæ.

Cur animalia insecta, & plantæ post diuisionem viuant.

Responsio ad argumenta Alberti.

Cap. VI.

VEritate ita declarata, facile est ad Alberti argum respondere. Ad primum neganda est cōsequentia: quia licèt in oculo sit anima tota secundùm essentiam, quū essentiam habeat indiuiduam, nec propriè appelletur tota, tamen non est ibi tota secundùm quantitatem & extensionem; qua de re posteriùs loquemur; auulso igitur oculo non tota secundùm extensionem anima aufertur, sed remanet in alijs partibus corporis. Ad secundum dicere possemus compertum esse quandoque membrum aliquod abscissum corpore pusillum tempus viuere, vt ait Alexander in 1. lib. de Anima, cap. vlt. quandoque

Ad primum.

Ad secundum.

caput h

caput humanum à toto abſciſſum vixiſſe par- A
uo quodam tempore; hoc enim non eſt abſo-
num rationi, quia licèt habeat animam deri-
uatam à corde, tamen quia ipſam animæ ſub-
ſtantiam inſitam habet, fieri poteſt vt non ſta-
tim in eo anima extinguatur: ſed aliter reſpon
demus, & concedentes membrum abſciſſum
ſtatim interire, dicimus id fieri, quoniam in
illo non erat anima radicata, ſed à membro
præcipuo deriuata; ob id enim fit, vt ſeparato
membro non poſſit ampliùs in eo eſſe anima; B
ſicuti etiam de lumine dicebamus.; negamus
igitur ſequi quòd manus abſciſſa debeat viue-
re: ad probationem autem, quando dicebat
formam ſubſtantialem non poſſe ſine altera-
tione præuia interire, dicimus hoc eſſe verum
de forma totius compoſiti, & de forma etiam
illius partis, in qua habeat eſſe radicatum, &
principale; at non de forma partis habente ibi
eſſe participatum; illud enim non eſt formam
interire, quum in alijs partibus eadem rema- C
neat, ſed eſt potiùs illam partem per eam ſepa
rationem priuari participatione illius formæ,
quæ eadem remanet in membro præcipuo:
ad hanc igitur priuationem dicimus non eſſe
neceſſariam alterationem præuiam, ſed ſatis
eſſe ſeparationem à toto, & à membro præci-
puo; per hoc tamen non ſtat quin fieri poſſit
vt membrum ſeparatum viuat paruo aliquo
tempore, vt modò dicebamus, deinde ſtatim
intereat ſine vlla præuia alteratione; ſiquidē D
hæc non eſt neceſſaria, niſi vbi forma etiam
ſecundùm totam ſuam extenſionem intereat.

Ad tertium. Ad tertium quoque ſimiliter negamus conſe-
quens: & ratio negationis eſt; quia, vt aliquod
vocetur animal, non ſatis eſt ſi habeat animæ
eſſentiam integram, hæc enim indiuidua eſt,
& vbi eſt, ibi non poteſt niſi integra & tota eſ-
ſe; ſed etiam oportet vt habeat totam ſuam
materiam, & corpus integrum, in quo reci-
piatur: quum enim anima ſit prædita pluri- E
bus facultatibus, per quas apta eſt plures ede-
re operationes, requirit neceſſariò corpus va-
ria obtinens inſtrumenta, quę omnibus facul-
tatibus correſpondeant; ideò licèt in oculo
inſit animæ eſſentia integra; oculus tamē non
poteſt dici animal, quia non habet ibi anima
omnia ſibi neceſſaria inſtrumenta, neq; inte-
gram ſuam materiam, cui adiuncta poſſit ani-
mal conſtituere; quare oculus non eſt animal,
ſed pars animalis. Propterea negare etiā poſ- F
ſumus animam in oculo eſſe integram & per-
fectam: quum enim ſit eſſentialis conditio cu-
iuſuis formæ vt recipiatur in tali determinata
materia, proinde ſit neceſſaria animæ condi-
tio, vt ſit in corpore tot inſtrumentis prædito,
anima, quæ eſt in oculo; ob hunc defectum
non poteſt vocari perfecta. Ad Ariſtotelem

Ad quartum reſponſio Thomæ. autē in calce libelli de Motu animalium Tho-
mas in memorato loco reſpōdet, Ariſtotelem
loqui de ſola facultate motrice, ſignificans ſe
hanc concedere non in omnibus partib. ineſ-
ſe, ſed in ſola parte præcipua: ſed hanc reſpon-

Confutatio. ſionem ego probare minimè poſſum; vel e-
nim intelligit huius facultatis obiectum adæ-
quatū, vel præcipuum, quod ſit eius primum
principium, & tanquam radix: ſi adæquatum,
falſa eſt eius ſententia, quia vis motrix non in
ſolo corde ſed in toto corpore ineſſe conſpi-
citur: ſi verò præcipuum, non de ſola motrice
facultate, ſed de tota quoq; animæ ſubſtantia
id aſſerere debuit, quum ibi dicat eam in ſin-
gulis quoque partibus ineſſe totam. Nos igi- *Vera reſponſio.*
tur dicimus, Ariſtotelem nil aliud ibi negare,
niſi quòd anima ſit æquè in omnibus parti-
bus radicata, & ſignificare velle, eam in ſolo
membro præcipuo habere eſſe radicatum; ne-
que ob id negare animam eſſe in omnibus
membris ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & ha-
bere in eis eſſe participatum. Comparatio au-
tem cum Rege non ſecundùm omnes condi-
tiones accipienda eſt, ſed ſecundùm illam tan-
tummodò, quòd vnus eſt locus principalis, in
quo anima reſidet tanquam in regia, quem-
admodum vna eſt vrbs regia, in qua reſidet
Rex: in reliquis autem non eſſet conueniens
comparatio; nam anima, quum ſit per ſe in-
corporea, poteſt ſecundùm ſuam eſſentiam
tota in qualibet parte ineſſe, non ſic Rex, qui
corporeus eſt.

Galeni argumentatio contra Ariſtotelem de membro præcipuo.
Cap. VII.

HAec ſententia, quam modò expoſui-
mus, eſt rationi maximè conſentanea,
nam & animatum, & vnum eſſe totum
animal oportet, non eſt autem animatum to-
tum, niſi in omnibus eius partibus ipſa animæ
ſubſtantia inſit, non in ſola præcipua, vt puta-
uit Albertus: ad vnitatem verò animalis ſer-
uandam vnum tantùm præcipuum mēbrum
eſt concedendum, in quo tota ſit anima radi-
cata, & à quo tanquam principio, & fonte ad
omnes corporis partes effundatur; ſic enim &
vnum corpus eſt per omnium partium ab vna
pendentiam, & anima vna, quæ ex omnium
dictarum partium cōgreſſu conſtituitur: nam
propter earum inter ſe ordinem, atque reſpe-
ctum ſit vt vna ad aliam tanquam poteſtas ad
actum, & tanquam perfectibile ad perfectio-
nem referatur, proinde vna ex his omnibus a-
nima conſurgat, cuius totius nominatio ab
vltima tanquam ab actu deſumatur, qua ra-
tione verè dicere poſſumus, vnam eſſe in ho-
mine animam, quę dicitur rationalis; ſic vnam
in equo animam equinam, & ſic de reliquis.
At ſecundùm Platonis opinionem, quam re-
iecimus, hoc dicere minimè poſſumus: dum
enim partes animæ locis ſeparatæ in animalis
corpore ſtatuuntur, vna aliam non perficit,
ſed ſingula per ſe perfecta anima eſt, & abſq;
aliarum ope propriùm animatum conſtituit:

quocirca animal non potest vnum animatum appellari, sed plura, sicut antea considerauimus. Præterea iux a omnium Philosophorum sententiam animal, presertim verò homo, paruus mundus appellari solet: attamen hoc secundùm hanc opinionem verum non est, adest enim hæc magni momenti dissimilitudo, quòd in magno mundo vnum esse principem necesse est, vt omnes concessisse videntur, ex cuius vnitate Aristoteles mundi vnitatem demonstrat asseruit; in animali autem non vnus princeps, sed tres iuxta Platonis sententiam, quam Galenus quoq; sequutus est, absq; dubio statuuntur; neque absurditatem hanc euitat Galenus, dum cerebro principatum tribuit propter animam rationalem, quæ in eo residet, & præstantissima omnium est; etenim non penes solam nobilitatem attendẽdus est principatus, sed etiam penes gubernationem, atque pendentiam: attamen quid cordi cerebrum imperet, quid iecinori, & quomodo hosum actiones iussu cerebri, aut eius virtute ad hæc transmissa producantur, ne fingere quidem tota Galeni pertinacia, ac proteruitas potest, quinimò ipse palàm fatetur in 2. ac 3. libro de Hippocratis & Platonis decretis, cerebrum & cor proprias habere functiones, easque vtrumque absque alterius ope obire; quod dicere est confiteri neutrũ actioni alterius imperare, aut vim aliquã contribuere, proinde neutrum posse princeps membrum appellari. Verùm quia veram hanc Aristotelis sententiam demoliri prolixissima disputatione Galenus nixus est in libris de Hippocratis & Platonis decretis, non ab re fore iudicaui, si præcipua quædam, quæ ibi à Galeno contra Aristot. afferuntur, breuiter referã & expendam: quamuis enim non de membrorum primatu, sed de animæ dispensatione per corpus sit nobis proposita dispensatio, attamen cum hac ita est præcipui membri consideratio coniuncta, vt penitus omitti nec debeat, nec possit: hac igitur de re aliàs fortasse fusiùs disputabimus, nunc eam enim moderatione tangere satis erit, & quantum ad partium animæ distributionem, de qua loqui instituimus, declarandam pertinere videatur. Galenus in memoratis libris de hac re fusissimè disputat aduersus Aristotelem & aduersus Stoicos, Chrysippum præsertim, qui omnes vni cordi primatum attribuerunt, & animam vniuersam in eo tanquã loco præcipuo, ac membro principe residere asseruerunt: ipse verò & eorum argumenta soluere, & suam opinionem comprobare efficaciter nititur in septem prioribus libris, & in principio octaui; ita vt omnia fermè, quæ ab eo in tota illa parte dicuntur, ad hoc vnum pertinere videantur. Sed ego plurima illa paucis perstringam, omnia namq; argumenta, quæ tum à Galeno, tum à Chrysippo, & alijs à nominũ etymologia, ab existimatione, naturaliq; instinctu hominum, atq; Poëtarum auctoritate

Stoici.

A desumpta sunt, & à Galeno soluta, tanquam leuia, & probabilia, vt ipse met Galenus apertè ibi profitetur, missa penitus faciam; & vno argumento contentus ero, in quo potissimè tanquam demonstratiuo Galenus innititur à venarum, & arteriarum, & neruorũ origine desumpto: quum enim horum trium ministerio absolui omnes in animali operationes videantur, illud esse præcipuum membrum, & præcipuam animæ sedem dicendum esse videtur, B vbi origo venarum, & arteriarũ, & neruorum esse conspiciatur. Quoniam igitur Aristoteles horum omnium principium asserit esse cor, Galenus in hoc constitutam esse totam controuersiam existimans, petit sibi demonstrari cor esse & neruorum, & venarum principium; nam hoc ostenso concessurum se profitetur solum cor esse membrum princeps & in eo vno animam omnem residere: sed quum ipse per anatomen certò se cognouisse affirmet venarum principium non cor esse, sed iecur, & neruorum non cor, sed cerebrum; insolubile inde C argumentum sumi arbitratur, ad demonstrandum tria esse præcipua membra, & tres trium specierum animæ sedes; argumentum autem tale est: illud est membrum præcipuum, & animæ sedes, vbi est principium venarum, & arteriarum, & neruorum; at principium venarum iecur est, neruorum cerebrum, arteriarum verò cor; igitur tria sunt membra præcipua, cerebrum, cor, & iecur, in quibus tres partes ani- D mæ resident; & has non tantùm facultates distinctas, sed species animæ diuersas & formas substantiales esse asseuerantes affirmat: in quo ego quidem ab eius sententia non recedo, sed in eo tantùm, quòd has esse locis separatas, vt prædiximus, Platonem sequutus existimat: nutritiuam igitur animam, quam etiam naturalem partem vocat, Plato verò concupiscibilẽ, in iecore tãquam propria sede collocat, quo- E niam ibi principium est generationis sanguinis, quo totum corpus alitur, & origo venarũ, quę sanguinem ad omnes corporis partes nutriendas deferunt; deinde vitalem, seu irascibilem in corde, vbi est origo caloris vitalis, qui per arterias inde orientes ad vniuersum corpus emittitur, ac tandem rationalem, seu cognoscentem ponit in cerebro, à quo originem ducunt nerui omnes, per quos ad omnes corporis partes vis sentiendi, ac vis mouẽdi trãs- F mittitur. Hoc vnum argumentum ex tota ea prolixa Galeni disputatione mihi expendendum desumpsi, quia cum eius solutione coniuncta est sententiæ Aristotelis validissima demonstratio; vno enim labore & veritatis comprobationem, & argumenti solutionem afferemus.

Argum. Galeni contra cordis primatũ.

Fundamenta pro declaratione veritatis. Cap. IIX.

VT clarior & firmior disputatio nostra fit, quædam priùs fundamenta, ac velnti discendorum,

cendorum principia statuemus, quæ vel sunt à Galeno concessa, vel ita manifesta, vt à nullo erudito viro negari possint. Primo loco assumo id, quod ab Aristotele dicitur in contex. 19. libri 3. de Anima, agens est præstantius & nobilius materia patiente: hoc autem per se manifestum esse videtur; nam actus est nobilior potestate, agens autem agit quatenus est actu, & materia patitur quatenus est potestate. Secundò accipio id, quod ab Aristotele declaratur in 8 lib. Physicæ auscultationis, in ordine agentium agens primarium esse præstantius agente secundario, & instrumentali; agens enim primarium vim agendi tribuit agēti secundario, quod sine primario nullam prorsus habet: hinc etiam fit vt inter agentia secundaria illud nobilius, ac principalius sit, quod est prius, & primario agenti propinquius: quòd si quis dicat primarium quoque agens egere secundario, & nihil agere sine illo, id nihil est, neq; in agente secundario vllam præstantiam notat; primarium enim illo eget vt ministrante & inseruiente, non vt agendi facultatem ipsi largiente; at secundarium eget primario, à quo vim agendi recipiat, quæ tota in eo radicata est: hæc omnia ita sunt manifesta, vt quisquis ea neget, indignus sit, quo cum disputatio instituatur. Tertiò, sumo id, quod præcipuum Galeni fundamētum est neruos omnes oriri à cerebro & esse instrumenta tum sensus, tum voluntarij motus. Quartò sanguinem alimentalem in iecinore generari, & inde magnam partem ad reliqua membra nutrienda transmitti per venas, sed aliquam etiam partem per venam cauam ad cor, ibiq; magis elaborari, & ex eo sanguinem tenuiorem, & vitalem spiritum in sinistro cordis ventriculo generari. Quintò cum Galeno accipio sanguinem deferri quidē à iecore ad cor per venam cauam, non tamen per eandem ad iecur remeare; sed duo tantūmodò esse vasa, per quæ sanguis ex corde ad alias partes emittatur; vnum, quo ad pulmones ex corde defertur sanguis, quo nutriantur; alterum (quæ arteria magna est, ab Arist. vena aorta appellata) quo ad omnea corporis partes vitalis spiritus mittitur, & cum spiritu portio aliqua sanguinis purissimi, ac tenuissimi, quod vehiculum spiritui fit. Sextò sumo cor esse fontem caloris in animali, quem calorem cum spirituum substantia mittit per arterias ad cunctas corporis partes, tanquam primum animæ instrumentum; hoc Galenus asserit in lib. 7. de Hippocr. & Platon. decretis, & res per se clara est: anima enim omnia facit per calorem naturalem, tanquam per primum eius instrumentum; locus autem in animali calidissimus consensione omnium cor est; quamobrem ibi est origo, & fons omnis caloris animalis. Septimo loco statuo id, quod alibi fusiùs declaraui, duos in animali esse calores, seu potius duas caloris origines, vna origo est anima, altera verò est na-

1. fundamentum.

2. fundamentum.

3. fundamentum.

4. fundamentum.

5. fundamentum.

6. fundamentum.

Calor est primum animæ instrumentū.

7. fundamentum.

A tura elementaris; in omni enim misto necesse est aliquid inesse caloris propter elementa calida, huic autem additus calor animæ vnum reddit calorem intensiorem, qui in diuersis partibus varius est, & modò maior, modò minor ob temperierum varietatem; etenim in solo vitali calore nulla in corporis partibus diuersitas oriretur, nisi fortasse propter earum maiorem, vel minorem à corde distantiam, sed propter diuersas elementorum mistiones B fit vt alia pars calidior, alia frigidior esse dicatur: Medici quidem soliti sunt totum ex vtrisque conflatum calorem vocare cuiusq; membri temperaturam, seu calorem temperaturæ; attamen si rectè loqui velimus, debemus illum tantummodò calorem, qui formam mistionis insequitur, & in corpore post animalis obitum remanet, vocare calorem temperaturæ, alterum verò, qui consequitur animam, nominare animalem, sed totum ex vtrisque C constantem naturalem cuiusque membri calorem appellare.

Duo calores in animali.

Solutio argument. Galeni, & contra illum argumentatio.

Cap. IX.

HIs ita constitutis ostendo nullum principatum iecinori attribui posse, deinde idem in cerebro demonstrabo, vt osten D sum maneat, solum cor esse membrum princeps, & vniuersæ animę sedem, vnde etiam argumenti Galeni solutio desumatur: de iecore ita argumentor: iecur in nutritione nullam aliam operam præstat, quàm præparandi, & exhibendi materiam, qua totum corpus alatur; agens autem conuertens hanc materiam, hoc est, sanguinem alimētalem in substantiam est calor naturalis missus à corde per arterias ad omnia membra, ergo facultatis altricis prin- E ceps est cor, non iecur: deductio consequentis manifesta est eo ex fundamento à nobis iacto, agens est principalius materia, & cuilibet mediocriter in philosophia versato, qui in nullius verba iurauerit, manifestissimum esse debet suppeditationem materiæ ignobile officium esse, & ministri potiùs, quàm principis, idq; in artibus notare possumus; nam ars illa, quæ nauibus construendis solam materiam subministrat, vilissima est, eamq; nemo archi- F tectonicam, seu artem principem appellaret; ast illa, quæ ex illa materia nauim extruit, potest architectonica nominari; & adhuc magis alia superior ars, quæ huic præcipit quomodo, & qualem efficere nauim debeat: ita ars illa, quæ domibus ædificandis materiam suppeditat, ignobilis est, nec potest vocari princeps; ars autem ædificandi, quæ domum efficit, magis potest appellari ars princeps, quoniā illi imperat; sed multò magis ars alia, quæ non facit, sed facienti præcipit, nomine architectonicæ dignanda est, & has solemus voca-

Quòd iecur nullū habeat principatum.

Quanam artes dicantur architectonica.

Principis officium.

re architectos; quoniam officium principis est non occupari in aliqua actione particulari, sed in aliqua tantùm vniuersali; qua singulis ministris propria officia distribuantur, ac principis auctoritas, & agendi facultas communicetur. Facultas igitur altrix in corde sita est, vbi est fons caloris vitalis, & à quo per omnia membra distributo fit conuersio sanguinis alimentalis in substantiã: hoc respexit Aristot. in li. 3. de Partibus animal. cap. 4. quando generandi sanguinis officium cordi attribuit, non iecori; respexit enim (vt inquit ibi Auerroes) sanguinem illum, qui primus est perfectione, & intentione naturæ, non illum, qui solo generationis ordine primus est; nam primus perfectione, & naturæ consilio est ille, qui generatur in corde, & agentis potiùs, quàm materiæ in totius corporis nutritione locum habet: ex eo enim generatur spiritus, & idem vnà cum spiritu per arterias ad omnia membra defertur, tanquam secundarium agens, & primum principis instrumentum, à quo cum omnibus membris communicato sanguis alimentalis, qui à iecinore per venas prouenit, in cuiusq; membri substantiã mutatur: quid enim (quæso) causæ fuit, vt natura ad singulam corporis partem non solam venam, sed cum vena consunctam arteriam mitti voluerit? certè ea vna causa fuit, quia nutritio & agens, & materiam postulat, materia nutritioni à iecore ad membra per venas mittitur, agens autem nutriens mittitur à corde per arterias: quomodo igitur altrix facultas agenti potiùs, quàm materiæ attribuenda est; non iecur, sed cor in animalis nutritione est membrum princeps; iecur autem est tanquam eius minister, à quo & cordi ad generandos spiritus, & toti corpori materia ad nutritionem suppeditatur, nam etiam ad alias partes sanguinẽ mittere est cordi materiam ad alendum subministrare, quatenus est mittere ad vitales spiritus, qui à corde prodeuntes in omnibus corporis partibus existũt, & agentis officio fungentes sanguinem à iecore missum in substantiam vertunt: hoc igitur iecoris officium indignũ principe est; idq; tantum abest vt cordi attribuere conueniat, vt potiùs non esset cor dicendum princeps, si eo munere fungeretur: adde quod (vt ait in dicto loco Auerroes) hanc quoque suam operam non præstat iecur, nisi virtute cordis: dicant enim Medici cur iecur arterijs refertum sit, vt per anatomen inspicere omnes possunt, vel enim frustra sunt in iecore vitales spiritus per arterias delati, si iecur propria tantùm virtute sanguinem generat; vel præbent iecori actiuam facultatem, & vitalem calorem, quo sanguinem efficit, quod quidem omnino dicendum est, quia natura nihil frustra facit: imperium igitur cordis in iecur est manifestissimũ; quum & iecoris officium sit generare materiã, qua totum corpus alatur, sed non tamẽ alere, ac vertere in substantiam & in eius quoque

Altricis facultatis fons & principiũ est cor.

Sanguis duplex.

Iecoris officium principe indignum est.

muneris functione iecur non agat, nisi per facultatem ipsi à corde cõmunicatam; ita vt dicere possimus etiam sanguificationem à spiritibus fieri, qui à corde ad iecur mittuntur, quum cordis imperio, & auctoritate iecur sanguinem generet. At (inquit Galenus) venarum origo, & principium iecur est: hoc autem, si bene perpendatur, leuissimum, & nullius momenti ad id, de quo disputamus, esse cognoscetur; dictũ enim hoc ambiguum est: quia vel intelligit principium generationis venarum, vel principium dispensationis sanguinis per eas, vel principium magnitudinis, sicuti dicere solemus initium viæ, initium lineæ: si primo modo intelligat, nullum inde argumentum sumi potest; genitas enim esse venas & ante cor, & ante iecur credere possumus, tanquam instrumenta, quæ priùs parare oportet, quàm præcipua membra his vsura generẽtur, quemadmodum si quis aduentum principis alicuius expectans aliqua priùs necessaria instrumenta paret, vt accedens princeps ijs statim vti possit: hoc autem si concedamus, non apparet quæ pars venæ cauæ priùs generari cœperit, an illa, quæ est propè cor, an illa, quæ in iecore & nemo ex certa cognitione id asseuerare potest: credendum autem potiùs est, totam illam venam simul secundùm omnes suas partes cœpisse generari, non vnam eius partem priùs quàm alias: asserit etiam Galenus se per experientiam in arboribus comperisse iecur priùs corde genitum, quod si admittamus, nil tamen inde aduersus Aristot. colligi potest: quanquam enim ego hoc non vidi, & cogor de eo maximè dubitare, tamen dicere possum, naturã voluisse venas & iecur cordi prægenerare tanquam necessarios ministros, quorum vsus cordi necessarius est: dicat tamẽ Galenus an ante generationem cordis cognouerit iecur esse animatum, hoc quidem ipse asseuerare non audet, neq; si assereret, vlla esset ei fides adhibẽda, quia repugnantissimum est rationi: anima enim non potest existere sine membro præcipuo, in quo solo radicatur: quare si fœtus priùs habet iecur, quàm cor, nõ habet tamen animam nisi genito corde: ideò quãdo Aristoteles dicit cor primum omnium generari, dictum hoc saltem in comparatione membrorum animatorum defendi potest; cor enim animatum præcedit omnium aliorum membrorum animationem, & priùs est animatum, quàm iecur. Si verò intelligat Galenus iecur esse principium dispensationis sanguinis per venas, & hac ratione esse principiũ venarum, id concedimus de sanguine alimentali, & materiali, hoc enim dicimus generari in iecore, & ab eo primum tum ad cor, tum ad omnia membra per venas transire; num autem ob id fiat vt iecur sit membrum princeps, iam suprà diligenter considerauimus: adde quòd si hac ratione esset princeps, multò dignior hoc nomine ventriculus esset, à quo

Nota de venarum initio.

 pri-

priùs ad iecur materia alimentalis mittitur, quàm à iecore ad alias partes. Tandem si magnitudinis principium Galenus intelligat, negandum est iecur esse initium venarum, sed tale est solum cor, in quo solo est conceptaculum sanguinis sine vena, quum vena caua per iecur transeat, & in eo nullibi sit interrupta, ita vt nullum eius venæ initium in iecore notari possit, quòd si cóceptaculum aliquod sanguinis ibi esset præter venam, à quo illa ortũ duceret, vtiq; ibi esse initium magnitudinis venarum asseuerare possemus. Non est etiam alicuius momẽti id, quod Galenus magna cum iactantia considerat, sanguine per venam cauam à iecinore ad cor permeare, sed non per eandem ad iecur remeare: hoc enim verissimum est, sed solùm pertinet ad ostendendum principium dispensationis sanguinis alimentalis per illam venã esse iecur, non cor; at nihil probat de principio magnitudinis, quia licèt per illam venam fluat sanguis à iecore ad cor, nèc refluat à corde ad iecur, ob id tamen non fit, vt eius magnitudinis initium sit iecur, quum in iecore nullũ eius venę initium notari possit: & hoc confirmatur ex consideratione venæ portæ, per eam enim fluit materia à mesenterio ad iecur, nec refluit à iecore per eandem: igitur si ea ratio aliquid firmitatis haberet, eius venę initium non esset iecur, proinde nõ omnium venarũ initium diceretur. Quod autem à Galeno dicitur, ampliorẽ esse venam cauam in iecinore, quàm prope cor, debile argumentum est, & ab Auerroe solutum in memorato loco: non omnia enim in suæ magnitudinis initio maiora sunt, sed in singulis partibus eam habent quantitatem, quæ muneri & operationi conueniens sit; præsertim vbi initium magnitudinis non est initium generationis, sicut antea de vena caua dicebamus: quoniam igitur initium dispensationis sanguinis alimentalis per eam debuit in iecore esse, ideò conueniens fuit vt in iecore vena amplior esset; non tamen ibi est eius magnitudinis initium, sed in corde, licèt aliquanto angustius sit. Quod igitur ad iecur attinet, nõ potest illi facultatis altricis principatus attribui, sed is soli cordi attribuendus est. Ad argumentum autem Galeni facilè respondemus:

Solutio argumenti Galeni de iecore.

nam si de perfecto sanguine loquamur, qui in nutritione fungitur officio agentis, neganda est minor; non enim iecur est huius generationis principium, sed cor: si verò alimentalem sanguinem, qui nutritionis materia est, intelligamus, neganda est maior; non enim vbi hic generatur, ibi est animæ sedes, & membrum princeps, quia materiam subministrare agenti est potiùs serui officium, quàm principis; quum præsertim in hoc quoq; munere obeundo pendeat iecur à corde, siquidẽ non sanguificaret, nisi beneficio caloris vitalis ad ipsum per arterias delati: de iecore igitur argumentum Galeni nihil concludit. Sed neq;

A de cerebro: nam cerebrum esse cognitionis, & motus instrumentum, non inficiamur; dicimus tamen nullam ibi cognitionem fieri, nisi beneficio spirituum vitalium: qui à corde illuc per arterias mittuntur, vt ipsemet Galenus confitetur, asserit enim in lib. 7 de Hippocratis & Platonis decretis, animal ex cerebri sectione nullam in sensu & motu læsionem recipere, nisi ad aliquem cerebri ventriculum vulnus penetrauerit: quũ enim ventriculi spiritu sint repleti, inquit ex illius spiritus exinanitione animal remanere stupidũ sine sensu, & motu; postea verò iterũ restitui, quum iterum ijdẽ ventriculi spiritu repleantur; & hunc à corde ad cerebrum per arterias mitti Galenus non negat: fatetur igitur non in ipsa cerebri substantia vim sentiendi, ac mouẽdi inesse, sed in solis spiritibus, qui in cerebri ventriculis concluduntur: adeò cõsiderans Galenus spiritus reuera à corde prouenire, & ob id credere aliquem posse vim omnem cognoscendi à corde tribui, ad hoc confugit, quòd ipsamet anima non in spiritibus, sed in cerebri substantia resideat, ita vt spiritus non sint ipsius animæ sedes, sed sint primum instrumentum, quo anima vtitur ad sensum, & ad motum efficiendum. Mirandum profectò est, quomodo, vt suam sententiam tueretur, ad magnum hoc absurdum confugerit: quum enim fateatur substantiam cerebri nullũ habere sensum, & detractam etiam non afferre aliquam animali noxam, nisi ad ventriculos vulnus perueniat; quomodo ad id induci potuit, vt diceret substãtiam cerebri esse præcipuam animæ sedem? rationi enim cõsentaneum est maximam fieri in toto animali læsionem, & omnium operationum impedimentum ex vulnere membri præcipui, in quo ipsa animę substantia residere dicatur: adde quòd cerebrum est omnium membrorum frigidissimum, animæ autẽ conuenientior est locus calidus, quàm frigidus; tum quia nobilior potiùs qualitas est animæ attribuenda, quàm ignobilior, quæ priuationis locum tenet; tum quia manifestum est animam omnes suas operationes ędere per calorem: neq; alicuius momenti hac in re est Galeni cauillus, dum inquit cerebrum non esse frigidissimum, sed esse omni calido aëre calidius; cauillus enim est manifestus, siquidem neq; Aristot. neq; vllus alius ita vel cœcus, vel proteruus fuit, vt cerebrum nil penitus habere caloris, & absolutè frigidissimum esse dixerit; sed solùm comparatione aliorum membrorum animalis, præsertim autem viscerum: quum enim omnia calorem habeant, minimum omnium habet cerebrum, & hac ratione frigidissimum dicitur, quia minùs calidum respectu calidioris instar frigidi est, & frigidi operam pręstat. Dicendum igitur est omnem sentiendi, ac mouendi vim non à cerebro spiritibus, sed cerebro à spiritibus tribui, proinde à corde, in quo primùm generatur, & à quo

De cerebro.

Error Galeni de sede animæ.

Cerebrum est omniũ membrorum frigidissimum.

Galeni cauillus contra Aristotelem.

Neruorũ substantia a cerebro est.

ad omnes corporis partes per arterias deferuntur: & quoniam a substantia cerebri omnes nerui tanquam surculi deducuntur, siue ab ipsamet, siue à spinali medulla, quæ cum ea est coniuncta, vt ex colore cognosci potest, neruus enim albus est, tanquam ipsa cerebri substantia aliquantum indurata, partem tamen mediam tenuiorem, ac molliorem retinens, tanquam portionem quandam cerebri; ideò pro cerebro in omnibus corporis partibus existunt nerui, per quos cerebrū officium suum cum omnibus partibus communicat, sed in nulla tamē corporis parte conspicitur neruus sine arteria; quare si recta ratione vti velimus, dicere debemus substantiam cerebri, & neruos esse instrumentum & sensuum omnium, tam internorum, quàm externorum, & motus voluntarij, spiritum autem vitalem esse instrumentū prius, & primo mouenti propinquius;

Nota ordinē instrumentorum, quibus in eadem operatione anima vtitur.

anima enim immediatè vtitur vitali spiritu, hic vtitur neruo, & tandem etiam neruus per musculum mouet singulas partes: cerebrum igitur est instrumentum secundarium, quod vim recipit à [illegible]bus, sic nerui omnes, cum quibus hoc ministrādi munus à cerebro communicatur. Quod autem à Galeno dicitur, secto, vel constricto neruo statim musculum motu priuari, nobis non officit; nam agens primarium, licèt instrumentis vim agēdi tribuat, tamen vicissim etiam eget instrumentis, & ministris ipsi à natura assignatis, ita vt sine illis agere nequeat: neque igitur spiritus, neque anima ipsa absque neruorum ministerio mouere potest, sicuti neq; nerui sine anima, vel sine spiritu vitali; similiter enim experimur constricto, seu compresso brachio, vel crure, ita vt spiritus refluat ad interna, manere totū brachium, vel crus stupidum sine sensu, & sine motu, quamuis neruos obtinet integros, idq; etiam Galenus in 6. eorum librorum confitetur: est igitur neruus necessarium animæ instrumētum ad sensum, & ad motum, sic etiam spiritus; imò magis. quum immediatè inseruiat primo agenti, & per ipsum facultas neruis ab anima tribuatur: quare neque absque neruo, neque absque vitali spiritu edere anima has operationes potest.

Argumen. ex Gal. de cordis primatu.

Primatum autem cordis, & pendētiam omnium aliorum membrorum ab eo fatetur Galenus in illo 6. libro, dum inquit solum inter omnia viscera cor, si eximatur, naturalem suam functionem seruare, & moueri: hoc enim dicens indicat cor à nullo alio membro pendere, sed habere in se animam radicatam cætera verò omnia viscera pendere à corde, & ab eo vim animalē recipere, quum separata pereunt statim suis functionibus.

Solutio argumenti Gal. de cerebro.

Ex his colligimus solutionem argumenti Galeni, quòd à neruorum origine sumitur: ego enim, qui in nullius verba iuraui, fateor neruos à cerebro originem ducere, concessa enim minore propositione nego maiorem, non enim illud est princeps membrum

A iudicandum, à quo nerui oriuntur, sed potiùs illud, à quo oriuntur spiritus: nam ratione consonum est vt membrum princeps, & præcipua animæ sedes ibi esse dicatur, vbi est origo primi, ac præcipui instrumenti, quo anima vtitur, non vbi oritur secundarium, & à primo mouente remotius instrumentum.

Galeni opin. de spiritu animali.

Sed restat vt illud vnum refugium, ad quod se Galenus recipit, illi adimamus: videns enim non posse negari cerebri à corde pendentiam, dum concedit spiritum, qui in cerebro est, in corde

B generari, & inde ad cerebrum mitti, hoc infitiari ausus est, vt plurium absurdorum accumulatione errorem suum insigniorem redderet: dixit igitur duplicem esse spiritum; vnum vitalem, qui fit in corde, alterum verò animalem, qui non in corde, sed in cerebro generatur, ita vt omnis cognitionis, & voluntarij motus principium sit spiritus animalis, qui oritur in cerebro; proinde pars animæ nobilis-

C sima non in corde, sed in cerebro resideat: non negat quidem spiritum vitalem à corde ad cerebrum per arterias deferri, sed inquit eum in arterijs esse vitalem, at in cerebro mutari à facultate cerebri in animalem: modum etiam huius mutationis declarans, ait spiritum vitalem mitti primùm à corde ad illum reticularem plexum, qui sub cerebro est, & ibi aliquantum elaborari, deinde ab eo per arterias ferri ad ventriculos cerebri, vbi perfectiùs ela-

D boratur, & exquisitiùs concoquitur, & mutatur in animalem.

Confutatio.

Sed quisquis intelligat quid sit concoctio, cognoscet hoc Galeni dictū nil posse pronunciari ineptius: concoctio enim fit à calore, quomodo igitur spiritus vitales calidissimi a cerebro frigidissimo concoqui possunt? at elaborantur (inquit) à cerebro, nos igitur consideremus quonam pacto elaboretur: certè nulla esse potest alia cerebri elaboratio, seu actio in spiritus, quàm refrigeratio,

E necesse est enim vt calidius à minùs calido patiatur tanquam à frigido, atque refrigeretur; itaque refrigerantur spiritus vitales in cerebro, & huius refrigerationis causa finalis, scopusque naturæ manifestus est, sic enim ad cognitionem aptiores redduntur;

Cognitio frigidum organū postulat.

nimius namque calor impedimento est cognitioni, quia calor motum & agitationem efficit, cognitio autem quietem, & stabilitatem requirit: testatur hoc Aristoteles in libro 2. de Par-

F tibus animalium, cap. 10. dum sit calidioris sanguinis agitationem refringere sensum; & clariùs in 2. capite eiusdem libri, dum inquit sanguinem calidiorem plus habere roboris, sed frigidiorem maiore sentiendi, atq; intelligendi vi esse præditum; & paulò pòst ibidem dicit esse suis contrarijs ingeniosiora illa, quæ sanguinem frigidiorem ac tenuiorem habēt: quod autem ibi ab Aristotele de sanguine dicitur, in spiritu quoq; locum habere debet, ita vt vitalis spiritus, si aliquantum refrigeretur, aptior ad sensum, & ad omnem cognitionem redda-

seddatur: ipse quoq; Galenus in lib. de Oculis asserit cerebrum calidius minùs esse aptum ad contemplationē. Ex his igitur patet, quod-nam cerebri officium sit, & cur fuerit à natura constitutum; eius enim officium est, calorem spirituū moderari cogitationis gratiā, & hanc ob causam factum est à natura frigidum, & satis magnæ molis, in homine præsertim, qui maximè omnium ad cognōscendū, & ad contemplandum natus est, vt plus vitalis spiritus contineret, atq; ipsum refrigerando ad cognitionem idoneum redderet; quia frigus stabilitatem facit, calor autē agitationem, & mobilitatem, quæ cognitionem perturbat. Ad hunc sensum si trahamus illa, quæ ab Aristotele de cerebro in cap. 7. eiusdem libri dicuntur, inanis redditur Galeni aduersus Aristotel. exclamatio in lib. 8. de Vsu partium: quòd enim officium cerebri sit calorem cordis moderari, asserere absque vlla absurditate possumus, si id sano modo intelligamus; quū enim spiritus vitales sint primum animæ instrumentum, & in corde generētur, & ab eo ad omnes partes mittantur, ad eorum calorem moderandum dedit natura animalibus cerebrum, quod suo frigore calorem spirituum, qui illuc mittuntur, imminuens, eos ad cognitionem redderet aptiores; ob id sola sanguinea animalia, vt pote calidiora, cerebrum habent, sola namq; frigido illo membro ad moderandum spirituum calorē indiguerunt. Vt igitur, quanta sit cerebri præstantia, & quis primatus, intelligamus, ita rectiùs, quam Medici faciant, philosophari nos oportet: Princeps in regno suo omnia agere dicitur, non quidem ipse per se, & immediatè omnia, sed per varios ministros, qui ab eo varijs muneribus præficiuntur, & vim agēdi recipiunt; cerebrum autem non omnia agit, non enim nutrit, neq; auget, neq; simile generat, neq; ad hæc munera obeunda vim vllam contribuit, neq; obeuntibus impertat; igitur cerebrum non est membrum princeps, sed est minister quidā principis, omniū tamen ministrorum nobilissimus, cui operatio omnium præstantissima commendata est à principe, nempe cognitio, & is, qui cognitionem insequitur, totius corporis, & singularū partium motus: at cor in nulla particulari actione occupatur; sed in hac vna vniuersali generandorum spirituum vitalium, per quos tanquam princeps dicatur omnes edere operationes; eos enim & ad cerebrum, & ad iecur, & ad omnes corporis partes mittit, per quos tribuit alijs membris auctoritatem & vim obeundi proprias singulorum functiones, cerebro sentiendi, ac mouendi, ventriculo concoquendi, iecori sanguificandi, manibus apprehendendi, & sic reliquis omnibus; nullum enim membrum potest sine spiritu vitali suam actionem exercere: omnium ergo membrorum pendentia a corde, & ipsius cordis principatus manifestissimus est; quò fit vt in solo

Officium cerebri.

Quomodo cerebrum dicatur suo frigore calorē cordis moderari.

Nota quæ sit cerebri præstantia.

Omnium membrorum pendentia a corde.

A corde tanquam membro præcipuo sit animæ sedes statuenda, & ipsi cordi omnes operationes tanquam primo agenti attribuendę, ita vt maximè omnium cor & nutrire, & sentire, & imaginari, & mouere, & reliqua omnia peragere dicatur, quemadmodū rex nouit omnia, quæ à ministris aguntur, eaque suo imperio agere dicitur, quocirca non absq; ratione ab Aristotele fuit primum sensorium appellatum. Galenus tamen hæc considerans mirabili suB terfugio vsus est, & vt cordi principatum sentiendi, ac mouendi adimeret, cerebroq́ue tribueret, dixit duos in animali esse spiritus, vitalem, qui in corde, & animalem, qui in cerebro, non in corde generatur, & hunc esse primum instrumentum animæ cognoscētis, quæ in cerebro residet. Ego autem miror, cur non plurimas spirituum species introduxerit: nam certum est spiritus à corde recedētes aliquam in alijs membris alterationem recipere, præC sertim refrigerationem, ex maiore enim recessu à fonte caloris necesse est vt eorum calor aliquantum imminuatur, & præterea à proprijs singulorum membrorum temperaturis multas recipiunt varietates; quò enim magis ad frigus vergit membri temperies, eò magis remitti spirituum calorem oportet, maximè verò in cerebro, quod (vt diximus) frigidæ admodum est temperaturæ: itaque si hæc spirituum alteratio sit diuersorū specie spirituum D generatio appellanda, dicendum erit spiritus concoctiuos non in corde, sed in ventriculo ex vitalibus à corde prouenientibus generari: sic sanguificatiuos ex vitalibus generari in iecore, apprehensiuos in manibus, lactificatiuos in mammis, carnificatiuos in pluribus membris, & sic alios plurimos; non est enim dinersa ratio ab ea, qua Galenus dicit spiritus cognoscitiuos, seu animales, non in corde, sed in cerebro ex vitalibus generari: quid igitur? E dicemúsne tot esse spirituum species, quot in diuersis partibus operationes à spiritibus fieri cernuntur? an pudebit nos ita philosophari, & huiusmodi fabulis veritati tenebras offundere, ad imprudentes homines decipiendos? nos igitur dicimus, differentiam secundùm magis & minùs non variare speciem: & quemadmodum aliàs ostendimus omnem calorem esse eiusdem speciei, licèt alius alio intensior sit; ita spiritus omnes in toto aniF malis corpore eiusdem esse speciei, & vitales vocandos, & in solo corde generari: quòd si à diuersis operationibus eos varijs nominibus distinguere quispiam velit, & illos, qui sunt in manibus, apprehensiuos appellare, qui verò in cerebro, animales, seu cognoscitiuos, non prohibemus, dummodò ratione ipsius spirituum substantiæ accidentalem esse differentiam fateamur: sic autem plures quoq; artifices videmus ad varia opera varios caloris gradus adhibere, prout singulorum operum conditio postulat: coquus enim in cibarijs co-

Galeni fuga ad duplices spiritus.

Confutatio.

In lib. de Calore cœlesti.

quendis, atque condiendis modò plus, modò minus ignis subijcere consueuit, eadem tamé est species ignis, idem specie calor, quo ad omnia vtitur. Sed illud in artibus considerandum est, quod totam huiusce rei veritatem, & Galeni errorem patefacit: certum est calorem non dici remissum, nisi aliquos gradus frigoris commistos habeat: quando igitur coquus remisso calore vtitur, vbi res coquenda talem postulat, operatio illa fitne à gradibus caloris, an à gradibus frigoris, qui remittere calorem illum dicuntur? certè nemo est, qui non gradibus caloris totam eam actionem attribuat: quod idem in omnibus alijs artibus, quæ calore vtantur, manifestum est; quandoq; enim remissiore, quandoq; intensiore vtuntur, semper tamen calore dicuntur vti, non gradibus frigoris, nisi ad moderandum calorem. Sic de spiritibus in cerebro existentibus, quos Galenus animales vocat, dicendum est; remittitur .n. eorū calor à frigore cerebri, proinde à cerebro solos frigoris gradus recipiunt; at gradus caloris, quos retinent, habent à corde: operationes igitur animales, quæ fiunt in cerebro, fiunt à gradibus caloris illorum spirituum, nō à gradibus frigoris, proinde à facultate manāte à corde non à facultate cerebri, nisi quatenus cerebrum frigore suo calorē spirituum moderando ita operam suam præstare, & ad cognitionem conferre dicitur; temperatus enim ad eas operationes calor postulatur, non tantus, quantus esset, nisi à cerebro imminueretur. Hoc ita sese habere manifestum est cuilibet cōditionem animæ consideranti: quemmodum enim cœlestia corpora non frigus faciunt, sed calorem, ita & animam non frigus, sed calor insequitur, quem Aristoteles in lib. 2. de Ortu animalium vitalem esse dixit, & proportione respondere elemento stellarum: argumento sunt corpora mortuorum, cadauera namque omnia frigidiora sunt, quàm viuentia, quia mors est caloris vitalis extinctio, quē viuentia recipiunt ab anima: quoniam igitur animam non frigus, sed calor insequitur, licèt non summus calor, sed moderatus; ideò ad omnes animales operationes anima non frigore vtitur, sed solo calore, vt instrumento, & eo quandoque maiore, quandoque minore, prout qualibet actio postulat; ob id ad calorem moderandum plura instrumēta molita est natura, potissimè verò cerebrum, quod maximè omnium frigidam habet temperaturam, vt calorem spirituum moderatissimum redderet ob eam, quam diximus, causam: per hoc tamē non stat, quin anima ad omnes suas operationes edendas calore vt instrumento vti dicatur, idque ab Arist. notatum legimus in lib. 2. de Partibus animalium, cap. 7. Quale autem temperamentum ex frigore cerebri, & spirituum vitalium calore fieri diximus, tale ex spiritu arteriarum, & neruo in alijs corporis partibus fieri existimandum est; pro corde enim in alijs membris arteria est, & pro cerebro neruus: ideò non erat Galeno laborandum in quærendo quomodo per neruos spiritus animalis, qui vim sentiendi, ac mouendi deferat, à cerebro ad membra mittatur, qua de re in septimo illorum librorum inquit se dubitare, nec posse aliquid certi statuere; etenim spiritu misso à cerebro membra non egent, quum satis eis sit spiritus vitalis à corde per arterias delatus, qui neruis eam facultatem impertiatur. De ipsa igitur animæ substantia quomodo, & quo ordine sit per omnes corporis partes distributa, hæc dicta sint.

Nota quomodo anima per solum calorē, non per frigus omnes edat suas operationes.

In omnibus membris pro corde est arteria, & pro cerebro neruus.

De Animæ partitione secundùm quantitatem opiniones aliorum, & argumenta. Cap. X.

Sequitur vt animam secūdùm suam quantitatem, & extensionem considerantes videamus, an verè sit extensa per vniuersum corpus, ita vt tota secundùm suam quantitatem in toto corpore sit, non tota in parte, sed potiùs pars in parte; an potiùs tota etiam in singula parte esse dicatur. Sunt qui dicant alias partes animæ præter rationalem esse extensas ad extensionem materiæ, quia sunt formæ verè materiam informantes, & ita quamlibet earum esse totam in toto, non totum autem in parte, sed partem in parte; at rationalem negant esse formam informantem, sed dicunt assistere tantùm homini, sicuti nauta assistit naui, ideoq; non esse extensam ad extensionem materiæ, sed indiuisibiliter tum in toto, tum in singula parte inesse. Sed de hoc in præsentia disputare est ab instituto nostro alienum: alibi opportuniùs considerabimus, an secundùm Aristotelem omnis anima sit forma informans materiam, an non omnis. Nunc autem de sola anima informante sermonem facientes quærimus, an omnis anima, quæ sit forma dans esse corpori viuenti, & materiam informans, sit quanta per accidens, & extensa ad extensionem materiæ, ita vt sit pars in parte, an potiùs sit tota in qualibet parte. D. Thomas hac in re distinctione vtendum esse existimauit, neque idem de omni anima esse asserendum: animam quidem plantarum, & imperfectiorum animalium, quorum partes etiam diuisæ viuunt, dixit esse extensam ad corporis extensionem, & ita totam in toto, sed partem in parte, idque significasse Aristotel. in contextu 20. lib. 2. de Anima, dicentem in his esse in toto vnam animam actu, sed plures potestate, quum in parte seiūcta ab alijs remaneat anima: perfectiorum autem animalium animam negauit esse extensam, & quantam, sed indiuisibilem esse dixit, & nullo modo quantam, nec per se, nec per accidens, proinde in toto esse indiuisibiliter, ita vt tota etiam sit in singula parte, siquidem nullas habet partes, quum nec per se, nec

Aliquorum opinio.

Opinio Thomæ.

nec per accidens diuidua fit. Videtur igitur D. Thomae exiſtimaſſe animam non ſolùm hominis, ſed & omnium perfectorum animalium, quorum partes ſeparatæ non viuunt, eſſe eiuſdem conditionis cum animabus cœleſtibus, nam & illæ ſuis orbibus adſunt indiuiſibiliter, ita vt ſecundùm ſe totas adſint etiam cuilibet parti orbis. Albertus aliqua ex parte à D. Thoma non diſſentit: in eo quidē diſcrepat, quòd de omni anima negat eam ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſe in omnibus partibus corporis, ſed dicit eam eſſe in ſolo membro præcipuo, quam ſententiam iam refutauimus: in eo etiam diſcrepat, quòd nullam viuentium diſtinctionem facit, ſed eandem in omnibus rationē vigere arbitratur: in eo autem conſentire D. Thomæ videtur, quòd inquit omnem animam illi parti, cui ineſt, ineſſe indiuiſibiliter, & totam eſſe in toto, & totā in ſingula parte; ita vt in corde anima inſit indiuidua, & quantitate, & partibus carens, proinde tota in qualibet cordis parte: ad hoc autem declarādum vtitur exemplo puncti in linea, eſt enim in qualibet lineæ parte punctū, vbiq; tamen indiuiſibile, neq; extenſum per lineam: & hoc exemplum accōmodat Albertus ad declarandam rationem, cur partes animalis inſecti retineant animam ſeparatæ; quū enim id ſignificare videatur eorum animam eſſe per corpus extenſam, ipſe hoc negans ait ita ibi animam ineſſe, vt in linea punctum; vbicunque enim notetur punctum in linea, ibi eſt indiuiſibile, tamen ſi in eo ſecetur linea, duo puncta fiunt, quia vtraque lineæ pars retinet punctum: ſic igitur etiam in planta, & in animali inſecto anima, cui ineſt, indiuiſibiliter ineſt, ſeparatis autē partib. adhuc in ſingulis remanet eodem modo vt indiuiſibilis: hæc Alberti ſententia fuit. Nos autem de eo, in quo à D. Thoma Albertus diſcrepat, nihil in præſentia dicemus, nempe quòd ipſa animæ ſubſtantia inſit ſoli membro præcipuo, iam enim in hoc Alberti ſententiam reiecimus; reſtat igitur vt de illo ſolùm, in quo conuenerunt, diſputemus, nempe an anima, quæ ſit forma verè informans materiā, poſſit indiuiſibiliter, & abſque extenſione ineſſe illi, cui ineſt, ita vt ſit etiam tota in qualibet parte viuentis corporis ab ea informati. Referemus igitur inprimis argumēta, quibus hæc opinio comprobari videtur, mox quid ſentiendum ſit conſiderabimus. Præcipuum argumentum, quo inniti videtur Thomas, eſt hoc: primo loco ipſe hoc diſcrimen declarat animæ, & formæ corporis inanimati, qđ forma inanimati eodem prorſus modo ſeſe habet ad totum, & ad partes, neq; vlla eſt partium pendētia inter ſe ratione formæ, quum nulla dici poſſit præcipua magis, quàm aliæ; anima verò longè diuerſo modo ad totum animatum, & ad eius partes ſe habet, varijs enim inſtrumētis eget, quæ omnia in toto corpore habet, ſed non in ſingula parte omnia: hæc autem diuerſitas totius & partium parua admodum eſt in plantis, quia ſi in ramo non ſunt actu omnia, quæ ſunt in tota arbore, ſunt ſaltē poteſtate, ideò anima eſt ibi extenſa per partes, & ad corporis dimſionem diuidua: in animalibus autem inſectis eſt maior diuerſitas, quoniam anima in vna corporis parte non habet omnia neceſſaria inſtrumenta, nec actu, nec poteſtate, tamen non tanta eſt diuerſitas, vt anima nō poſſit in parte aliqua ſeparata ſeruari modico ſaltem tempore; quocirca in his quoque anima ad corporis extenſionem extenſa, ac diuidua eſt: at in animalibus perfectis tanta eſt totius, & partium ſingularū diuerſitas, vt anima longè diuerſis modis ad totum, & ad partes ſe habeat; quia in parte nō ſolùm non habet omnia organa, ſed neq; aliquid habet, quod poſſit eam per vllum quamuis breue tempus ſeruare poſt ſeparationem partis à toto; ideò toti tantum dicitur propriè ineſſe, non partibus ſingulis, niſi quatenus cum omnibus cōmunicatur indiuiſibiliter: hoc ita declarato, ſic Thomas argumentatur: illa forma, quæ lōgè diuerſo modo ſeſe habet ad totum, & ad partes, non eſt extenſa, neq; ad corporis diuiſionē diuidua; eiuſmodi eſt anima perfectorum animalium; ergo non eſt extenſa, ſed cuilibet parti indiuiſibiliter ineſt. Secundū argumentum pro Thoma à Caietano adducitur tale: de omni forma extenſa ad extenſionem materiæ verū eſt, quòd in maiori corpore eſt maior virtus, & in minore minor, ſed hoc non eſt verū de anima, ergo anima non eſt extenſa: maior manifeſta eſt: minor probatur, quia homo aliquis minor eſt validior homine maiore, & animalia quædā minora multò validiora ſunt alijs maioribus; bos enim eſt maior leone, & leo eſt validior boue. Tertiò inquit Caietanus: ſi anima eſſet extenſa per omnes corporis partes diuiſibiliter, manus ſeparata à corpore deberet aliquandiu viuere, quia nō poſſet in manu interire anima ſubitò abſque vlla prænia alteratione. Addere in confirmationē poſſumus exemplū puncti in linea, quo vtitur Albertus, & Ioan. quoq; Bacconius in 3 Sent. diſtinct. 18. quemadmodum enim in omni parte lineę ineſt punctum indiuiſibiliter, & diuiſa linea remanet in vtraque eius parte punctum; ita videtur de anima eſſe concedēdum, eam in ſingulis corporis partibus indiuiſibiliter, & abſque extenſione ineſſe.

Vera ſententia, & eius comprobatio. Cap. XI.

Hæc Thomæ opinio de animalib. perfectis, vt ego arbitror, eſt ab Ariſtotele aliena, itidem & Alberti ſententia de viuentibus omnibus, quòd anima cui ineſt, ſeu toti, ſeu parti præcipuè, indiuiſibiliter inſit, ac ſine extenſione; credo enim in philoſophia Ariſtotelis firmam & irrefragabilem eſſe

Omnis forma informans materiam extensa est.

hane propositionem, omnis forma informans A materiam, & constituens compositum, est extensa ad extensionem materiæ, proinde tota secundùm extensionem suam in toto est, non tota autem in parte, sed pars in parte; colligatio enim & vnio formæ cum materia ad vnum compositum constituendum, hoc necessariò efficit, vt æquè vtraque extendatur, & in parte materiæ sit pars formæ: per hoc enim distinguitur forma informans à non informante, quæ solùm assistat ad regendum, B sicuti nauta assistit naui; hæc enim non est alligata materiæ, neque per eam extensa, neque speciem constituit per suam præsentiam in materia, proinde nullas partes habet, sed cuilibet corporis parti tota inest indiuisibiliter: sed forma constituens compositum, & ipsum in specie collocans, & dans esse cunctis illius partibus, necesse est vt ad diuisionem corporis diuidatur: sicut enim albedo non est per se quanta, neque diuidua, sed fit quanta, ac di- C uidua per accidens ratione materiæ, in qua inest, vt ait Aristoteles in libro Categoriarum in capite de qualitate; ita de omni forma materiam informante dicendum est, nam eadem in omnibus ratio viget, pars enim informans vnam corporis partem non informat aliam: & quisquis illa omnia bene consideret, quæ à Latinis dicuntur, ad probandum animam esse in qualibet parte totã, manifestam in eorum dictis ambiguitatem animaduerteret; de ipsa D namque animæ substantia verum est id, quod dicunt: sicut enim tota, & integra est albedinis essentia in parte parietis, nec minùs, quam in toto pariete; Ita in singula viuentis parte inest essentia animæ integra, non tamen tota secundùm quantitatem, quam per accidens adepta est ex cõiunctione cum corpore: quẽadmodũm etiam albedo in qualibet parietis parte, etsi tota inest secundùm essentiam, non tamen inest tota secundùm suam extensionẽ E & quantitatẽ; nam illa, quæ in alia parte parietis inest, in hac parte non inest: hanc Aristotelis sententiam fuisse manifestum est in

Argumen ex contex. 7. lib. 3. de Cœlo.

context. 7 lib. 3. de Cœlo, vbi dicit nullum diuisibile esse posse in aliquo indiuisibili, quare neque indiuisibile in aliquo diuisibili toto, nempe idem numero indiuisibile, sed non diuersa numero, vt diuersa sunt puncta in linea; quæ ab aduersarijs considerantur; etenim, vt modò dicebamus, materiæ, & formæ infor- F mantis coniunctio hoc necessariò efficit, vt vna ad alterius extensionem extendatur. Sed

Argumen. ex lib. 8. Physic. context. 78.

clarissima est Aristotelis sententia in contex. 78. lib. 8. Physic. vbi ad ostendendum primum motorem non esse formam materialem, sed abiunctam à materia, hoc fundamentum statuit, quòd forma materialis diuiditur ad diuisionem materiæ, ita vt in parte materiæ sit pars formæ, non forma tota; ex quo ita constituto fundamento faciens diuisionem formæ ex diuisione magnitudinis, in qua est, ostẽdit nullam formam materialem posse mouere perpetuò: at si fieri posset vt aliqua forma materiam informans singulis materiæ partibus indiuisibiliter inesset, & in singulis tota, illud Aristotelis fũdamentum euerteretur, & tota illa argumẽtatio corrueret; nam dicere aduersarius aliquis posset, primũ motorem esse formam materialem, non tamen extensam ad materiæ extensionem, proinde nullam eius fieri partitionẽ posse, quia in singula parte est tota. Aliqui tamen sunt, qui licèt hac in re sententiam nostram tueantur, tamen putãt argumentũ hoc aduersus Thomam nihil habere efficacitatis: quia quũ Aristoteles ibi dicat, si forma materialis tanto tempore mouere potest, eius dimidiũ minore tempore mouebit, præsupponit talem esse illam formam materialem, quę in parte materiæ separata ab alijs partibus seruetur aliquãdiu; dicere namque non possumus dimidiũ illius formæ mouere tanto tẽpore, nisi statuamus illam in partibus à toto separatis adhuc seruari; Thomas autem diceret animam perfectiorũ animaliũ non esse eiusmodi, sed esse talem, quæ in toto tantùm inesse possit, in partibus autem separatis minimè seruetur: quare argumentum nihil habet roboris aduersus Thomam. Sed hæc eorum consideratio mihi probari nullo modo potest: quia si admittatur, similiter ratio illa Aristotelis corruit, & nullam prorsus vim habet ad demonstrandam primi motoris abiunctionem à materia; aduersarius enim dicere posset, primum motorem esse quidem formam materialem, sed talem, quæ in partibus separatis non seruetur, qualis est anima perfectiorum animalium. Ego igitur puto argumentum illud contra Thomam ad mentem Aristotelis declarãdam esse optimũ; quoniam Aristotelis consideratio eo in loco est vniuersalis, & abstracta ab hoc formarum materialium discrimine, quòd aliæ seruẽtur, aliæ non seruentur in partibus à toto separatis: sed mentalem tantùm diuisionem ibi Aristoteles facit, statuens hanc esse communem conditionem, ac legem omnium formarum materialium, tam substantialium, quàm accidentaliũ, vt in tota materia sit forma tota, in parte autem materiæ sit pars formæ; hoc enĩ tanquam certum constituens argumẽtatur à partitione mentali, tum magnitudinis, tũ formæ in ea existentis, non à diuisione reali, quam fieri posse statuat; sic enim ratio nullius momenti fuisset, quemadmodum etiam prædicto fundamento de formarum extensione nõ constituto, nullam prorsus haberet efficacitatem. Id autem, quod multos in errorem traxit, fuit, quoniam aliud est formam inesse in cunctis partib. corporis, aliud est eam remanere in ijsdem separatis à toto; nam in omnibus partibus inesse est commune omni formæ informanti materiam, at in singulis remanere post earum separationem non omni-

Responsio aliquorum.

Responsionis confutatio.

bus competit; viuentibus enim vel nullo modo cõpetit, vel imperfectè; & in his licèt realem diuisionem in partes cum formæ conseruatione facere nequeamus, mentalem tamẽ possumus, & considerare in hac corporis parte esse partem formæ illi respondentem, & partem potentiæ motricis, vt ibi considerat Aristoteles, nam potentiæ imminutionem sumere aliunde nõ potest, quàm ex partitione extensionis formæ, quam ibi præcipuè respicit; non enim de ipsa tantùm vt motrice probare ibi vult Aristoteles adiunctionem à materia, sed ipsiusmet motoris, & argumentum sumit ab eius partitione quæ fit necessariò cum partitione magnitudinis, si est in magnitudine tanquam informans; & hanc ipsius partitionem necessariò insequitur partitio etiam facultatis motricis. Ad horum autem cõfirmationem simile quiddam notare apud Aristotelem possumus in contextu 20. libri 2. de Anima, vbi probare volens facultates animæ non esse in animali distinctas loco, sumit argumentum ab animalibus insectis, quorum partes separatæ iunctas retinent omnes animæ facultates; nam certum est Aristotelem non de solis animalibus insectis id ostendere velle, sed de omnib^9, nullo excepto; tamen argumẽtum, quo vtitur, non habet locum in animalibus perfectis, quia in eorũ partibus separatis nulla animæ facultas seruatur; facit ergo in his mentalem tantùm diuisionem, & ex animalibus imperfectioribus ostendit idem esse dicendum in alijs perfectioribus: quòd si quis contendere vellet id non esse verum, nisi vbi post partium separationem omnes animæ partes in singula remanere cernuntur, illa Aristotelis contra Platonem argumentatio vana redderetur; quia de solis insectis animalibus probaret, non de alijs. Sic igitur patet validissimum inde argumẽtum fuisse ad Aristotelis sententiam hac in re cognoscendam. Ioannes autem Bacconius in 3. Sentẽtiarum, distinct. 18. artic. 3. locum illum expendens veritatem sub nube inspexisse videtur, sed eam plenè assequutus non est; dixit enim argumẽtũ illud Aristotelis esse efficax secundùm propositiones physicas cõmunes, sed non esse efficax secundùm propriam considerationem animæ intellectiuæ; est enim propositio vniuersalis in naturali philosophia, omnem formam dantem esse materiæ extendi ad materiæ extensionem, sed hæc non est vera de anima intellectiua. Sed rectiùs philosophatus esset, si dixisset validum esse argumẽtum secundùm considerationem vniuersalem, & mente abiunctam à diuisione reali, illudq́ in omnibus, nullo excepto, locum habere; sed non esse coarctandum ad realem partitionẽ, quia sic inualidum redderetur, propterea quod neq; de anima intellectiua, neq; de plurium brutorũ animalium anima aliquid haberet efficacitatis, quũ hæ facta reali diuisione in ma-

Ioan. Bacconius.

A gnitudinis partibus non seruentur. Quòd autem lapsus sit Bacconius in intelligenda vi argumentationis Aristotelis, patet, quia iuxta eius sententiã ratio Aristotelis est prorsus inefficax: nam aduersarius diceret partitionẽ illam fieri nõ posse, quia primũ mouens est intelligẽtia, quæ dat quidem esse corpori, & hac ratione est forma materialis; diuidi tamẽ non potest, quoniam ad extensionẽ magnitudinis extensa non est, quamobrẽ non probaret Aristoteles

B primũ motorem à materia absolutum esse: itaq; si ratio illa Aristotelis valida esse debet, eo modo, quem diximus, intelligenda est; sic enim est validissima, nempe eo fundamento constituto, quòd omnis forma informans materiam extensa est ad materiæ extensionẽ. Præterea ad mentem Aristotelis declarãdam sumitur argumentum etiam ex cõtex. 9. lib. 2. de Anima, vbi ab oculo ad totum animal argumentatur, & probat ita se habere partem a-

C nimæ ad totam animam, vt se habet pars animalis ad animal totum; putat ergo animã habere partes secũdùm extensionem, & in parte corporis partem animæ inesse, totam verò animam in toto animali.

Argumen. ex contex. 9. lib. 2. de Anima.

Contrariorum argumentorum solutio.
Cap. XII.

RESTAT vt argumenta pro Thoma & alijs adducta soluantur. Ad primum,

D in quo Thomas considerat animam ad corpus totum, & ad partes diuersis modis se habere, dicere possumus, argumentũ hoc primo ipso aspectu ipsiusmet sententiam oppugnare; videtur enim rationi consentaneum, vt forma, quæ alio modo se habeat ad totũ, alio ad partes, alio etiam modo insit in toto, & alio in partibus; quoniam igitur toti tota inest, nõ debet similiter cuiq; parti inesse tota, sed pars parti: ipse tamen ex eo quòd alio modo se ha-

E bet ad totũ, & ad partes, ostẽdere nititur, eam eodem modo inesse toti, & cuilibet parti, nẽpe omnibus indiuisibiliter, quod quidem fundamento ab ipsomet Thoma iacto cõsonum esse non videtur. Sed diligentiùs argumentũ hoc considerando, dicimus animam ad corpus referri duobus modis; vno modo, vt eius formam, & actum primũ, à quo in specie constituitur; altero modo, vt corpore à se informato vtentem tanquam instrumento ad ope-

F randum, & vt ei tribuentem actum secũdum: priore igitur modo dicimus animam eodem modo se habere ad totum, & ad partes, quatenus informat, ac perficit tum totum, tum partes omnes; proinde minorem propositionem hac ratione veram non esse, sed veram esse secundo modo: anima enim quatenus vtens non eodem modo se habet ad partes singulas, quo se habet ad totũ; in toto enim habet omnia organa necessaria, in singulo autẽ membro non omnia: sed quum his duobus officijs anima fungatur in corpore, tũ infor-

Ad primum.

Anima ad corpus refertur duobus modis.

mandi, tum vtendi, dicimus extensionem animæ sequi primum solùm officium, non secundum, quia necesse est omnem formam informantem totum, & partes, extensam esse ad extensionem materiæ, licèt diuersis modis vtatur toto, & partibus: ad argumentum igitur dicimus, si sumatur relatio animæ ad corpus ratione informationis, negandam esse minorem; anima enim hac ratione ita se habet ad partes, vt ad totum; si verò ratione vsus, & operationum, negandam esse maiorem, quia etiamsi aliter se habeat ad totum, & ad partes ratione vsus, tamen dummodò eodem modo se habeat ad hæc omnia ratione informationis, debet esse extensa, & ad corporis diuisionem diuidua: quare argumentum Thomæ prorsus inefficax & fallax est.

Ad secundum. Ad secundum dicimus, propositionem illam, in maiori corpore vis maior inest, esse intelligendam cæteris partibus; non est enim comparandus leo cum boue, qui specie differunt, quia sic etiam dicere possem, paruum ignem magis calfacere, quàm magnum aërem, neque tamen sequitur formas horum elementorum non esse extensas: neq; comparandus est paruus homo, qui sit sanus, & validus cum magno malè temperato, & malè affecto; nam propter meliorem temperaturam, vel propter bonam valetudinem poterit esse validior homo paruus homine magno; sed si temperatura, & alia omnia sint paria in duobus hominibus, magno, & paruo, dico magnum hominem semper esse paruo validiorem, & vniuersè in omnibus maiorem esse vim in maiori corpore, quàm in minori eiusdem speciei, & cæteris omnibus partibus existentibus.

Ad tertium. Ad tertium sumptum à manu abscissa iam respondimus, dum aduersus Albertum de animæ substantia disputauimus.

Ad quartum. Postremum verò, quod sumitur à similitudine puncti in linea, vanum prorsus est, quia neganda est similitudo; non est enim ita punctum in omnibus partib. lineæ, vt est anima in toto viuente corpore: punctum enim non est in partibus lineæ actu, sed potestate. neque dat esse ipsi lineæ; anima verò dat esse corpori animato vt eius forma, & est actu in illo, imò est actus ipsius: ideò si punctum est in linea indiuisibiliter, nõ oportet animam esse in corpore indiuisibiliter, sed potiùs oportet eam esse extensam ad extensionem materiæ. Præterea anima in toto corpore, & in singulis partibus vna & eadem numero esse dicitur, punctum verò non idem numero est in omnibus lineæ partibus, sed plura, & infinita, quare non est idonea comparatio.

An anima secundùm omnes suas facultates sit in singula parte corporis, aliorum sententiæ & argumenta. Cap. XIII.

Svperest huius nostræ disputationis tertia pars, in qua considerandum est, an anima vt totum quoddam (vt Latini vocant) potestatiuum, sit tota in qualibet corporis parte; hoc est, an in singula parte corporis habeat omnes suas facultates simul iunctas, an potiùs in singula parte vnam tantùm habeat facultatem, vel plures, non tamen omnes, ita vt potentia visiua sit in oculo, non in manu, neque in pede. Hæc de re disceptatio fuit inter expositores Aristotelis, tum antiquiores, tum recentiores, nam vtraque pars sectatores habuit: alij namque dixerunt, in qualibet corporis parte omnes inesse facultates, alij verò hoc negârunt. Hanc posteriorem sententiam sequutus est Albertus: quum enim putauerit animam secundùm suam essentiam non esse in omnibus corporis partibus, sed in vna tantùm præcipua, necesse est vt dicat transmitti ab ea ad alia membra varias facultates, per quas membra inter se distinguantur, vt visiuam ad oculos, olfactiuam ad nares, & sic de reliquis, proinde non simul esse omnes in eadem corporis parte. *1. Opinio.* In hac opinione videtur fuisse Ioan. Grammaticus in interpretatione contex. 20. lib. 2. de Anima, nõ quidem quòd semper facultates diuersæ diuersas corporis partes obtineant, sed quòd non omnes simul iunctæ sint in qualibet parte; vt dicamus esse in lingua facultatem gustatiuam, & facultatem tactiuam, & facultatem nutritiuam, at non facultatem visiuam. Hanc sententiam aliqui posteriores sequentes, eam pluribus argumentis probare nisi sunt, ea tamen omnia ad huius vnius argumenti vim rediguntur; *1. argument.* natura nihil frustra facit, ergò vbi non potest fieri operatio alicuius facultatis, ibi nec facultas ipsa esse potest, nam facultas gratia operationis est; frustra igitur ponitur, vbi fieri operatio non potest: quòd autem non in qualibet corporis parte fieri omnes operationes possint, per se manifestum est, neq; enim in manu, neq; in pede fit visio. Sed ex ipsis quoque organis idem ostenditur: *2. argument.* quum enim cuilibet facultati sint necessaria propria organa cuique assignata à natura, sine quibus operari non potest, organa autem non possint simul esse omnia in eadem corporis parte, non possunt in eadem parte corporis omnes operationes fieri: ideò ex ipsis quoque instrumentis argumentantur; vbi enim non inest instrumentum cuique facultati necessarium ad operandum, ibi neque facultas ipsa statuenda est, quoniam igitur in pede non est oculus, dicendum est potentiam visiuam in pede non esse: quemadmodum & è conuerso vbi facultas non inest, ibi frustra instrumentum poneretur; nam in pede frustra esset oculus, quum ibi facultas visiua non insit; ideò natura non dedit oculum pedi, quia nihil vnquam frustra facit. Confirmant testimonio Aristotelis in 2. libro de Cœlo, contex. 50. vbi dicit; si natura dedisset astris facultatem ambulandi, seu progrediendi, vtique dedisset eis etiam instrumentum talis motus, significans non posse in astris esse hanc facultatem,

tatem, quia ibi esset frustra. Similiter in 3. lib. de Anima, context. 44 inquit; si stirpes haberent facultatem loco motricem, instrumenta quoque talis motus haberent, at instrumenta non habent, ergo neque facultatem: quare apud Aristotelem efficax semper est argumentum hoc, non est ibi instrumentum talis operationis, ergo neque facultas operandi ibi inest. Ex altera parte illis, qui dicunt in singula corporis parte esse omnes animæ facultates, argumenta non desunt. Primùm quidem vtuntur argumento valde efficaci: in qualibet corporis parte inest ipsa animæ substantia, ergo in qualibet sunt omnes facultates: vel enim facultates sunt idem cum animæ essentia, vel sunt qualitates eam insequentes; si idem, omnino necessarium est, vt vbi est anima, ibi sint omnes facultates, si verò sunt qualitates essentiam animæ consequentes, similiter oportet animam in qualibet parte corporis esse his omnibus præditam; quemadmodum necesse est vbicunque est Sol, ibi esse lumen, quod eum consequitur; & vbicunque est homo, ibi esse risibilitatem: neque eadem est ratio de facultatibus, ac de organis; nam facultates, quum sint incorporeæ, possunt in qualibet parte simul omnes existere; organa verò corporea simul existere nequeunt, quia non datur penetratio corporum, sed necessariò disiuncta sunt. Confirmatur hæc sententia testimonio Aristotelis in context. 20. lib. 2. de Anima, vbi argumento sumpto ab animalibus insectis, ostendit facultates animæ non distingui loco, sed in singula corporis parte inesse omnes; & quum ibi multas nominet, nempe motricem, sensibilem, phantasiam, & appetitum, vult et idem omnibus intelligamus, quoniam ea demonstratio non debet esse particularis, nam statim in context. 21. inquit, dubium esse de facultate speculatiua, sed postea in 22. subiungit, verum esse de cæteris omnibus id, quod priùs dixerat, eas locis separatas non esse, sed sola ratione separabiles. Eadem est Alexandri sententia in cap. vlt. lib. 1. de Anima, vt ibi legere possumus. Eandem sequitur Simplicius in context. 19. & 20. libri 2. de Anima, vbi quum eam Aristotel. attribuat, aduersus ipsam facit hanc obiectionem: sensus externi loco distincti sunt, nam facultas visiua non est in omnibus partibus corporis, sed solùm in oculis, sic olfactiua in solis naribus, sic auditiua in solis auribus, ergo hæ facultates locis disiunctæ sunt: sed soluens inquit nil aliud per hoc probari; quàm instrumenta corporea locis distincta esse, at non facultates; etenim hæ in qualibet corporis parte insunt omnes, quoniam in qualibet parte est anima. Themistius quoque tum in calce 3. libri de Anima, tum in context. 20. lib. 2. clarè dicit omnes animæ facultates, quæ in toto corpore sunt, esse etiam in qualibet parte; sed sola earum organa locis [illegible] cta, quia sunt corporea, nec dantur corporum penetratio. Habemus etiam de Aristotelis sententia testimonium Ioan. Grammatici, qui in context. 20 lib. 2. de Anima, fatetur Aristotelem existimasse omnes animę facultates esse simul iunctas in qualibet corporis parte, licèt ipse in hoc ab Aristotele dissentiat, & contrariam opinionem sequatur, sicut antea dicebamus.

2. Opinio. — 1. argument. — 2. argument. — Alexander. — Simplicius. — Themistius. — Ioan. Grammaticus.

A — B — C — D — E — F

Vera sententia, & eius declaratio.

Cap. XIV.

IN hac difficultate ego sententiam mediam sequendam esse arbitror, per quam videntur duæ prædictæ contrariæ opiniones, & argumentationes modo aliquo inter se conciliari: puto enim facultates animæ in qualibet corporis parte omnes aliqua ratione inesse, aliqua etiam ratione non inesse: quum enim iam diximus eas esse qualitates manātes quidem ab anima vt à principio, & origine, sed in corpore animato receptas vt in subiecto; dicendum videtur omnes in qualibet corporis parte inesse secūdùm originem, sed non secundùm subiectum, ita vt per hanc distinctionem, originaliter, & subiectiuè (sic enim nobis in præsentia more Latinorum loqui liceat) omnis hæc in re difficultas tollatur: nam visiua facultas est in solo oculo, vt in subiecto, sed originaliter est etiam in pede, etenim in pede est anima, quam illa facultas insequitur, ita vt reciperet pes facultatem visiuam, si haberet oculum. Sententia hæc ex ipsa rei cōsideratione fit manifesta, & per eam prædicta contraria argumenta ad rectum sensum, & ad conciliationem rediguntur: nam si anima suapte natura omnes operationes edere apta est, necesse est vt vbi est essentia animæ, ibi sit etiam hæc aptitudo, quæ ab ea emanat, & potentia, seu facultas appellatur; & in hoc sensu posterioris sectæ argumētum efficax est. Sed quoniam facultates in corpore animato recipiuntur, nihil autem in materia recipitur, nisi ad id recipiendum idonea, non recipitur in qualibet corporis parte facultas visiua quia non omnis pars ad eam recipiendam apta est, sed solùm oculus, & hac ratione argumentum prioris sectę validum est, neque nos ad hanc nostram sententiam comprobandam alijs argumentis vti volumus, quam illismet, quibus alij contrarias illas opiniones tutati sunt; patet enim vtramque eorum sententiam aliqua ex parte veram esse, sed quoniam ipsi hāc distinctionem non animaduerterunt, ideò discordes in suo certamine perstiterunt. Huic etiam nostræ sententiæ attestantur verba Ioan. Gandauensis in sua quæstione, dubius enim est, vtra duarum contrariarum opinionū verior sit; & ait vtramlibet defendi posse, & veriorem quidem sibi videri illam, qua dicitur in omni corporis parte omnes facultates inesse, sed alteram esse appa-

Omnes facultates in singula parte insunt originaliter, at non subiectiuè. — Ioan. Gandauensis.

rentiorem: quam enim de facultatibus iudicium ex operationibus faciamus, ibi tantùm videtur esse facultas, vbi fit operatio; quocirca hæc quoque sententia defendi sine absurditate potest: itaque vidit vir ille sub nube ipsam rei veritatem, sed eam, quam diximus, distinctionem ignorans se explicare nequiuit. De facultatibus autem animæ rationalis, quas alibi declarauimus, manifestior res esse videtur: quum enim hæc animæ pars nullum habeat organum proprium, habet vbique suas facultates; sed quia non potest operari non operante phantasia, ideò ibi videtur intellectio fieri, vbi fit imaginatio; proinde si in pede inesset phantasiæ organum, ibidem etiam intellectio fieri videretur. Sed huius nostræ sententiæ veritas clarior fiet, si omnia ab alijs adducta argumenta diligentiùs expendamus, & quantum roboris habeant, consideremus.

Contrariorum argumentorum solutio.

Cap. XV.

Ad primum primæ sectæ.

Prioris sectæ argumentum erat: si in qualibet corporis parte inessent omnes facultates, ibi essent frustra, quia frustra est facultas, cuius non potest esse operatio: ad hoc dicimus totum esse concedendum, si intelligant subiectiuè, hoc enim tantùm eo argumento ostenditur; si verò originaliter, negamus consequens: ad probationem autem dicimus necessarium fuisse, vt vbi est anima, ibi sint originaliter omnes eius facultates, quia non potest animæ essentia non esse fons omnium facultatum suarum; vt autem non sint frustra, satis est si in aliqua corporis parte recipiantur; quum enim organa sint corporea, nec simul esse, ac se penetrare queant, necesse fuit ea locis distingui: à tota igitur animæ substantia, quæ in toto corpore est, quælibet facultas emanat: recipitur tamen quælibet in vna tantùm parte, quæ ad eam recipiendam apta est, non in omnibus: illi igitur, qui sic argumentantur, in eo errare videntur, quòd partes animalis sumunt tanquã plura animalia, quum tamẽ omnes sint vnum tantùm animal, in quo nulla facultas animæ frustra esse dicitur, dùmodo in aliqua corporis parte possit suam exercere operationem.

Quomodo in natura sit aliquid frustra.

Si quis verò obijciat cæcum ab ortu, in quo facultas visiua frustra esse videtur; dicẽdum est non posse omnino negari in natura id, quod est frustra: quod enim dicitur, naturam nihil frustra facere, intelligendum est de effectibus vniuersalib. omnibus, nullo excepto, de particularibus verò nõ quidem omnibus, sed maxima ex parte, propterea quòd effectus naturæ quandoque impedimentum recipiunt, & propter materiæ defectum aliqui præter consilium naturæ eueniunt, cuiusmodi sunt oculi A ad videndum inepti.

Ad secundum.

Vel dicamus id de omnibus vniuersè verum esse si intelligatur secundùm intentionem & consilium naturæ; quicquid enim a natura fit secundùm eius consilium & intentionem, id nunquam potest esse frustra. Ad verba autem Aristotel. facile est respondere; vtique enim frustra in Cœlo poneretur facultas ambulandi, quum nulla in Cœlo pars sit, in qua recipi possit: sic frustra in plantis eadem facultas inesset, quum in nulla B plantarum parte recipiatur: at in animali nulla est ipsius corporis pars, in qua sit frustra facultas visiua; quia, quum in omnib. corporis partib. insit, sat est, si in ea saltem parte, quæ oculus dicitur, recipiatur: sed si in pede quoq; esset oculus, ibi quoq; fieret visio, quum autem ibi non sit oculus, non ob id est ibi frustra facultas visiua; quia sat est, si in oculo, qui in capite est, recipiatur.

Ad primum secundæ sectæ.

Contrariæ quoq; sectæ argumentum nil aliud probat, nisi in qualibet C parte esse facultates omnes originaliter, sed non probat inesse subiectiuè: quia sicut secũdùm Arist. omnes operationes toti viuẽti corpori vt subiecto attribuendæ sunt, nõ animæ, nisi vt principio; sic etiam facultates sunt animæ vt principij, & originis, sed nõ vt subiecti recipientis. Hoc significauit Arist. in context. 9. lib. 2. de Anima, dicens facultatem visiuam esse vt formam oculi, per eam enim distinguit oculum ab alijs membris, quasi alia membra D eam facultatem non habeant: aliquem igitur dari modum oportet, quo in alijs partibus facultas visiua nõ insit: quare dicẽdum est, eam in alijs nõ inesse subiectiuè, sed solum originaliter.

Ad secundum.

Quod verò in contextu 20. libri 2. de Anima Aristotel. dixit de animalibus insectis, id sano modo intelligēdum est: non enim dixisset in vtraque parte incertæ diuisæ seruari potentiam visiuam vt in subiecto, quum non sit in vtraque oculus; sed ex illis facultatibus, E quæ sunt subiectiuè in toto corpore, satis habuit argumentum sumere ad probandum de omnibus, vt inde colligeremus, omnes in omnibus partib. esse ratione animæ, à qua originem ducunt, etsi non ratione subiecti corporis: nam per se manifestũ est, plures facultates simul esse posse in eadem corporis parte, etiã vt in subiecto, non tamen omnes, quia non est in oculo facultas odoratiua; attamen eam in omnibus partibus esse originaliter ra- F tione ipsius animæ, ex ijs, quæ diximus, manifestum est. Ad hanc sententiam trahi facilè possunt Alexandri, & Simplicij, & Themistij dicta, quæ antea retulimus, quòd quidem alijs considerandum relinquimus; satis enim nobis est, per eam, quam attulimus distinctionem, omnia aliorum dicta ad verum sensum trahi posse, & omnes aliorum opiniones conciliari.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, LIBER DE ACCRETIONE ET NVTRITIONE.

Quot modis sumatur accretio, & quæ conditiones ad accretionem propriè dictam requirantur.

Cap. I.



QVAM difficile, atque arduum sit accretionis naturam penetrare, & modum, quo viuentia corpora augentur, cognoscere, tum res ipsa declarat, B tum doctissimorum virorum, qui de hac re scripserunt, testimonia confirmant; nam, vt nūc alios mittam, Petrus Pomponatius, qui duobus à se editis libris diligentissimè, & optimè de accretione disputauit, non solùm se in eius cognitione non acquiescere, palàm, & ingenuè cōfessus est, sed etiam asseuerare ausus, nullum esse mortalium, qui possit asserere sibi in huiusce rei intelligentia esse plenè satisfactum. Hoc ego considerans, C & illius viri, cuius eruditionem atque iudiciū plurimi facio, exemplo & authoritate ductus; neque detrectandam mihi propter difficultatem esse hanc disputationem existimaui, quod pusillanimi, ac philosophia indigni hominis esset; neque eo animo hanc scribendi prouinciam suscipere constitui, quod me ad plenam veritatis notitiam peruenisse putans, perfectam eius declarationem polliceri me posse considerem, quod quidem arrogantiam fortasse, ac temeritatem præ se ferret: sed vt D in re difficillima eam partem, quæ cum minoribus difficultatibus coniuncta esse videbitur, accipiens, niterer quantum per me fieri possit, propè ad veritatē accedere, ac si ipsam non prorsus attingere, saltem ad eam inueniendam alios magis excitare, & fortassis etiam iuuare hac me disputatione possem. Scribam igitur & quæ fuerit hac in re Aristotelis sententia, & quid sentiendum sit, quanta potero diligentia perscrutabor. Vt autem ad E ea, quæ obscura, & abscondita nobis sunt, inuestiganda à notioribus progrediamur, priùs quædam ab omnibus concessa, & cognita de accretione tanquam dicendorum fundamēta constituā, vt & illa, quæ nota sunt, ab illis, quæ in controuersia sunt posita, distinguamus, & per illa ad reliquorum inuestigationem viam planiorem reddamus. Ante omnia vt quam accretionem in præsentia consideremus, in-

A telligatur, sciendum est ex Auerroē in 1. libr. de Cœlo, comment. 22. accretionem tribus modis sumi: quandoque enim sumitur pro aggregatione, seu accumulatione, vt quando cumulum fabarum augeri dicimus per appositionem aliarum fabarum; & quando aquam ex aquæ appositione maiorem fieri dicimus: quandoq; absque alicuius corporis accessione dicimus aliquid augeri per solam rarefactionem, & sic imminui per condensationem absque alicuius particulę subtractione, quan- B do enim aqua in aërem mutatur, quantitas maior redditur, quoniam aër est rarior aqua, & quādo aër in aquam vertitur, fit minor quātitas, quia aqua est densior aëre: tertio modo, qui maximè omnium proprius est, sumitur accretio pro viuentium tantummodò corporum incremento, quum statim nata augeri incipiant, donec ad perfectam ætatem, ac debitam sibi quantitatem peruenerint. De hac tertia accretione, alijs dimissis, est nobis pro- C posita disputatio, & hanc vt ab alijs separet Aristoteles in primo libr: de Ortu & interitu, tres conditiones in ea postulari dixit; vna est, vt ex aliqua extrinsecus accedēte materia res maior fiat; secunda, vt id quod augetur, idem numero maneat, postquam auctum est, quod ante accretionem fuit; tertia demum, vt non modò totum maius fiat, sed etiam quælibet eius particula augeatur. Primę accretioni duę posteriores cōditiones non competunt, nam neq; idem numero manet fabarum aceruus, D neque partes illius omnes creuerunt quia, singulis granis nulla est facta additio; sic per appositionem aquæ alia numero aqua est facta, & tota quidē aqua aucta est; sed singulæ eius particulæ nullum incrementum acceperunt: ad hunc modum redigitur accretio ignis; continuè namq; alius, & alius numero ignis generatur, nec singulis particulis additio quantitatis fieri dicitur; per has igitur duas conditiones hic accretionis modus excluditur. Per E primam autem conditionem excluditur secundus modus; nam in mutatione aquæ in aërem fit maior quantitas, nulla extrinsecus adueniente materia. Sed tertio modo sumpta accretio his omnibus conditionibus prædita est: nam & planta, & animal idem numero seruatur per totam viam, vt manifestū est; & ex alimento extrinsecus assumpto quodlibet viuens augetur, & demum non solùm toti, sed etiam cuilibet parti fit quantitatis ad-

Accretio triplex est.

Tres conditiones veræ accretionis.

Qualis sit accretio ignis.

ditio; ratio autem cur hæ omnes conditiones A coniunctim in viuentium accretione reperiantur, est, quia hæ ab interno principio augentur, & ex alimento non extrinsecus apposito, sed introrsum recepto; hinc enim fit, vt ad omnes partes augendas per totum viuentis corpus distribuatur, nec solùm totum maius fieri dicatur, verùm etiam partes omnes. Sed hæc omnia, & tres prædictæ conditiones magis in sequentibus declarabuntur.

Quomodo fiat in viuentibus accretio, & quæ mutationes ad eam faciendam concurrant. Cap. II.

Est præterea breuiter, & pingui Minerua exponendũ, quomodo in viuentib⁹ hæc vera accretio fiat; nam Aristoteles in 5. Physic. auscult. accretionem ab alijs mutationibus seiunxit ratione terminorum, qui ex diuersis categorijs sumuntur; generatio enim & C interitus est mutatio de substantia in substantiam, alteratio de qualitate in qualitatem, latio de loco ad locum; at ipsa accretio & imminutio est de quantitate in quantitatem: est igitur inter has omnes mutationes differentia essentialis, quę sumitur à terminis, hoc est, à forma fluente, quæ est ipsa motus essentia, vt nos in tertij Physicorum interpretatione demonstrauimus: attamen accretio fieri non potest sine multiplici omnium aliarum mu- D tationum concursu, vnde magna difficultas hac in re oritur; quum enim absq; multis, ac diuersis mutationibus fieri accretio nequeat, difficile est cognoscere in quanam ex eis sit accretionis natura constituta: sunt igitur ordinatim hæ omnes mutationes considerandæ, & vidẽdum per quas, & quot mutationes, & quo ordine alimẽtum ad augendas omnes corporis partes perueniat, postquam intra est receptum: hoc autem considetemus in ani- E malium perfectorum accretione, quæ nobis familiarior, atque euidentior est: poterit enim quisq; & omnibus animalibus, & stirpib⁹ hæc omnia per quandam proportionem accommodare. Certum est inprimis cibum in ore sumi, ac, si durus fuerit, conteri dentibus, quæ contritio ab aliquibus prima concoctio dicitur: sed ea recera non est cõcoctio, sed potiùs præparatio ad primam concoctionem, quæ postea in ventriculo fit: cibus enim in ventri- F culo non coqueretur, nisi priùs liquaretur; liquari autem vel non posset, vel ægrè posset, nisi priùs esset in ore contritus: transit itaque ab ore ad ventriculum cibus, fitq; primùm necessariò motus ille localis; in ventriculo autẽ fit prima concoctio, qua & alteratur cibus, & secundùm substantiam mutatur in succum, qui à Græcis χυλὸς dicitur; quare in ventriculo fit tum alteratio cibi, tum generatio, & interitus; generatio quidem succi, interitus verò panis, vini, & aliorum ciborum: deinde alio motu locali mouetur succus ad intestina, & ab his per venas meseraij fertur ad iecur, in quo iterum alteratur, & secundùm substantiam mutatur, vertiturque in sanguinem; fit igitur in iecinore tum alteratio, tum interitus succi, tum generatio sanguinis: postea loco mouetur sanguis, dum per venas ad omnia mẽbra trãsmittitur, & ex venis per minutissimos poros penetrat membrorũ partes solidiores; nam omnes homogeneæ partes, vt caro, os, B neruus, minutissimis poris refertæ sunt, & instar spongiæ sanguinem à venis exugunt, ita vt pori sanguine impleantur; fit autẽ ibi tertia & vltima concoctio, qua sanguis à calore naturali alteratur, densatur, & in substantiam similem conuertitur, vt in carnem, os, & alias homogeneas partes; quare ibi fit tertiò alteratio, & generatio, & interitus, alteratio quidẽ & interitus sanguinis, generatio autẽ carnis, & aliarum partium; ob id solet sanguis appellari vltimum alimentum, est enim per multas memoratas mutationes ita præparatũ, vt iam potestatem proximam habeat vt in rei substantiam cõuertatur: quod autem de sanguine dico, illud in animalibus sanguine carentibus, & in plantis de quolibet alio humore, qui sanguini proportione respondeat, intelligatur: in hac autem postrema mutatione, qua vltimũ alimentum vertitur in substantiã, constituta est nutritionis natura, est enim nutritio reparatio substantiæ, quæ continuè resoluitur à calore naturali, per substantiæ similis aggenerationem: facta autem nutritione adhuc humidũ, quod in carne, & in alijs partibus est, consumitur à continua actione caloris naturalis, & ex ea consumptione oriuntur iterum pori, deinde iterum sanguine replentur, qui iterum in substantiam conuertitur, & nutrit, & hoc ad finem vsque vitæ incessanter perseuerat; animata enim nutriuntur donec viuunt, vt Aristotel. dixit in 1. lib. de Ortu & interitu, & in 2. de Anima, & quando nutriri ampliùs nequeunt, necessariò moriuntur: sed in prima ætate non solùm nutritio fit, sed simul etiam accretio singulorum membrorũ, & corporis totius; calor enim naturalis est vehemens, & validus, & plus conuertit in substantiam, quàm consumptum fuerit, vnde viuens redditur maius, quia plus materiæ per nutritionem adipiscitur, quàm per actionem caloris naturalis amiserit: propterea ita coniuncta est cum accretione nutritio, vt accretionis naturam declaraturis necessarium omnino sit etiã de nutritione loqui, & quid nutritio sit, & quomodo fiat, cum diligentia considerare: ob id in hac nostra contemplatione nos non minùs nutritionis, quàm accretionis naturã, & causas peruestigabimus. Hæc sunt, quæ tanquam manifesta ab omnibus conceduntur, nunc ad reliqua, quæ in controuersia sunt posita, progrediendum est: & quum tres conditiones veræ accretionis ab Aristot. propositæ

Essentia motus est forma fluens.

Nutritio quid.

positæ sint, in iisq; omnibus magna insit dif- A ficultas, de singulis ordinatim disserendum.

Quomodo ex materia extrinsecus accedente id, quod augetur, maiorem quantitatem, & maiorem locum acquirat, duæ aliorum contrariæ opiniones. Cap. III.

PRimo loco difficultas oritur de adeptio- B ne maioris quantitatis ex alimento extrinsecus assumpto. nam per illa, quæ hactenus dicta sunt, non apparet quomodo corpora augeantur: quia licèt omnes pori sint noua carne repleti, & nouo esse, & reliquis homogeneis partibus, non tamen totum viuens est factum maius; potest enim fortasse caro dici maior, quia plus carnis ibi est, quàm priùs, sed non occupat maiorem locum, imò eundem, quem priùs occupabat, proinde non C acquirit maiores dimensiones; sicuti vas, quando est aqua impletum non est factum maius, quàm erat prius, quàm aqua impleretur; sic etiam spongia si impleatur aqua, non fit maior, neque locum mutat: attamen Aristoteles in contex. 25. lib. 1. de Generat. apertè dixit, id, quod augetur, locum mutare, eò quod maiorem quātitatem acquirit, proinde necesse est, vt trāseat ad maiorem locū: oportet igitur post nutritionem fieri aliquā aliam D mutationem, qua totū reddatur maius. Hac in re duæ opiniones existunt. Vna communior est, & eam plurimi sequuntur, qui dicunt per membri extensionem fieri adeptionem maioris quātitatis, tum in ipso membro, tum in toto viuente corpore: veluti si spongia manu cōstricta postea dimittatur, dimissa enim extenditur, & maiorem occupat locum: sic igitur caro, quando omnes eius pori sunt repleti, alia noua carne ex sanguine genita, extenditur, & rarefit, & maiorem locum occu- E pat, ita os, & neruus, & aliæ omnes similares partes: ad extensionem autem partium omnium similarium crescit membrum, proinde totum viuentis corpus maius redditur: hanc sententiam significare visus est Aristoteles in prædicto contextu 25. quando dixit, illa quæ augentur, mutare locum, sicut ea, quæ extenduntur. Altera sententia fuit nonnullorum, qui occārunt hanc extensionem accretioni F necessariam esse, & dixerunt partium, & totius corporis incrementum fieri potiùs per pulsum, quàm per extensionem; vna enim pars aliam pellit, ac trudit, & illa aliam, quemadmodum in vnguibus fieri videmus. Ad hoc probandum, & extensionem reprobandam, tali argumēto vsi sunt: contrariorum contrariæ sunt conditiones, accretio, atque imminutio sunt contrarij motus, ergo debent contrariis modis fieri; itaque si accretio fieret per extensionem, oporteret imminutionem fieri

Prior sententia.

Posterior sententia.

1. argument.

per contractionē, nam extensioni contractio opponitur; attamen nemo dixit imminutionem fieri per contractionem, quia hoc nullo pacto dicendū est, ergo neque accretio fit per extensionem. Præterea nullum connatum, & vniforme à seipso moueri potest, vt ait Aristoteles in cōtex. 30. lib. 8. Phys. at caro est corpus vniforme, & homogeneum; ergo non potest à seipsa moueri; non potest ergo extendi, quia si extenderetur, à seipsa extenderetur, & ita à se moueretur, quod ibi Aristoteles negat.

2. argument.

Opinio vera, & eius comprobatio. Cap. IV.

ARbitror ego veram esse priorem opinionem, quam complures sequuntur, & extensionem accretioni penitùs necessariam esse, pulsum verò nequaquam, imò nullo modo fieri posse: nam vngues ita crescunt per pulsum, dum vna pars aliam pellit, sed non dicuntur reuera augeri, quoniam ad vnā tantùm partem mouentur; illa verò, quæ augentur, ad omnes simul partes; præterea alimētum, seu excrementū illud, quod per vngues expellitur, non penetrat omnes vnguis partes, sed vni tantùm parti apponitur, proinde est mera appositio terrei excrementi, quod per vnguem emittitur, pulsione facta vnius partis ab alia, quare illa non potest vocari accretio: at in vera viuentis accretione certum est partes alimenti penetrare omnes corporis partes, & augere totum corpus secundùm omnes simul differentias positionis; non igitur per talem pulsum, qualis in vnguibus fit, hoc enim dicere, est dicere vnam partem & pellere alteram, & ab eadem pelli, quod ne excogitabile quidem est, quia se mutuò impedirent ne vlla pulsio fieret, siquidem fit pulsio, quando in vna tantùm parte fit additio materiæ pellentis, quæ propinquam partem pellat, & illa aliam, sed non eandem, à qua ipsa pellitur, quò fit, vt in pulsu omnes partes ad eandem positionis differentiam tendant, sicuti videmus in vnguibus; sed non ita fit in eo, quod verè augetur, hoc etenim mouetur ad omnes simul differentias positionis. Præterea si per pulsum accretio fieret, oporteret cicatricem in manu pueri factam tempore procedente pelli ad digitum, quod tamen nō contingit: videmus enim cicatricē manere semper in eadē parte, cui fuit vulnus illatum, & eum locum nunquam mutare. Per talem igitur pulsionem accretio non fit, nisi pulsionis nomine idem intelligatur, quod extensio; reuera enim alium modum imaginari non possumus, quo totum membrum augeatur, & cū maioris quantitatis adeptione maiorem locum occupet, nisi vt spongia priùs manu coarctata, postea dimissa extenditur, & rarefit. ideò non est ignorandum, in viuente crescere poros propter duas simul causas generari, propter consumptionem hu-

Posterioris sententia confutatio.

Pori ob duas causas fiunt.

midi à calore naturali factam, & propter extensionem, in adultis verò ex sola humidi cõsumptione poros exorti, quia nulla ampliùs in eis extensio fit: at in crescentibus etiamsi nulla humidi consumptio fieret, necesse esset ex sola extensione poros generari.

Solutio argumentorum, quæ contra extensionem adducta sunt.

Cap. V.

Ad primum. AD argumenta autem aduersus extensionem adducta facile est respondere. Prius quidem argumentũ potest cõtra aduersarios ita retorqueri: si accretio per pulsionem fieret, oporteret imminutionem fieri per attractionem, quoniàm pulsioni contraria est attractio, & cõtrariorum contrariæ sint conditiones: sed soluitur, quia non omnes contrariorum conditiones debent esse contrariæ, sed aliquæ; & hinc fit, vt locus argumentandi à contrario sit locus Topicus, qui probabilitatem aliquam habet, at nõ necessitatem: dicimus igitur accretionem, ac imminutionem esse motus contrarios, ideoque oportere vt ea ratione, qua opponuntur, contrarias etiam conditiones habeant; accretio igitur est motus à minore quantitate ad maiorem ex *Imminutio quid sit.* materia extrinsecus accedẽte, imminutio verò est motus à maiore quantitate ad minorem ex materiæ subtractione; hæ namq; sunt accretionis, ac imminutionis conditiones contrariæ ab Aristotele positæ, quas negare non possumus: at his positis, sequitur necessariò eas nõ posse opponi etiam in modo, sicut illi imaginantur, nempe vt accretio fiat per extensionem, imminutio verò per contractionem; hac enim contrarietate constituta tolleretur altera illa opposita ratione materiæ accedentis, & recedentis, quam Aristoteles posuit, quia dicere contractionem est supponere eandem materiam seruatam, quæ priùs extensa fuit; hæ igitur duæ contrarietates, vna per materiam additã, & ablatam, altera per extensionem, & contractionem, eiusmodi sunt, vt vna alteram non patiatur, quare vna constituta, non potest altera poni; quia si contrahitur materia, ergo non est sublata, sed eadem remanet in eo, quod imminuitur, quod tamen Aristoteles negat: quòd si materia in imminutione est sublata, vt asserere debem⁹, cuiusnam volumus fingere contractionem? certè si per subtractionem materiæ quantitas imminuitur, nulla opus est contractione: imminutio namque respectu accretionis locum habet priuationis, quatenus in accretione apponitur materia, in imminutione autem demitur: quare id, quod imminuitur, priuatur sua materia, seu parte materiæ: extensio autem est materiæ extensio, nec potest in viuente considerari sine materia. *Ad secundũ.* Ad alterum argumentum dicimus, eos malè accipere verba

A Aristotelis in illo contextu 30. lib. 8. Physicorum: nam Aristoteles ibi non dicit homogeneum & vniforme a se moueri non posse, sed dicit continuum non posse ita a se moueri, vt vna pars alteram moueat, & sumit continuum propriè, & eius partes secundùm quãtitatem considerat; quare locus ille ad id, de quo nũc loquimur, non pertinet; non enim dicimus vnam carnis partem extendi ab alia parte carnis, tanquam à mouente, hoc enim Aristote- *Declaratio contex. 30 libri 8 Physic.*
B les ibi negat; sed dicimus totam carnem extendi ab anima, proinde agens extendens esse animam, non aliam carnis partem: quòd si omissa eius loci consideratione ita argumẽtari velint, corpus homogeneum extendi à se non potest, quia sic à seipso moueretur; dicendum est corpus homogeneum nõ posse mouere seipsum, dum sumitur homogeneum inanimatum, siue sit elementum, siue mistum; quum enim hoc nõ diuidatur in partem mo-
C uentem, & partem motam, non potest à seipso moueri, vt ibi Aristoteles considerat; at secus est de homogeneo animato, quod est actu pars corporis heterogenei, & organici; hoc enim præter formam mistionis habet animam informantem, à qua tãquam à mouente fit motus ille extensionis: homogeneum verò inanimatum habet solam formam elementi, vel solam formam mistionis, ideò non potest se mouere eo modo, quo animalia à se moueri
D dicuntur; nam omne anima præditum potest moueri à seipso, id est, ab anima; quare etiam caro, si habet animam, ab illa tanquam mouente extendi potest per calorem naturalem, tanquam per instrumentum, seu agens proximum.

Solutio quæstionis, cur in adultis cesset accretio. Cap. VI.

E HAec, quæ de extensione diximus, maximè confirmantur ex eorum consideratione, quæ in viuentibus contingere cernuntur, propterea quòd facile est confirmationem adducere, dum asserimus accretionem per extensionem fieri; videmus enim viuentia non semper augeri, sed ad aliquod vsq; tempus, vt homo augetur ad ætatem vsq; adolescentiæ, postea verò augeri desinit; quod idem in cæteris animalibus, & in plantis omnibus contingere manifestũ est: attamen vi-
F deretur etiam in iuuentute accretionem fieri debere, nam in iuuene calor naturalis validissimus est; potest igitur & multum alimentum in substantiam cõuertere, & facere extensionem membrorum, siquidem certum est hæc fieri ab anima per calorem naturalem, manente autem eadem causa, debet idem manere effectus; quoniam igitur manet eadem anima, & calor naturalis est vehemens, deberet etiam iuuenis augeri non minùs, quàm puer: est igitur cognoscẽda causa, cur in adultis accretio cesset. Possemus ad hanc quæstio-

Causa finalis.

nem respondere, adducendo causam finalem accretionis: natura enim viuentibus accretionem dedit, vt possent ad debitam sibi quantitatem peruenire, & naturales exercere operationes; etenim viuentia omnia nascuntur admodũ paruula, nec possunt in initio sui ortus habere quãtitatem sibi conuenientẽ, propterea quòd omnia plantarum, & animalium semina necesse est multò minora esse ipso animali, vel planta generante, ideò tam animal, quàm plãta in principio suæ generationis habet necessariò paruam quantitatem, & multò minorem quantitate totius viuentis perfecta: in animalibus verò, quæ vtero gerũt, manifestum est fœminam non posse fœtũ sibi æqualem gestare vtero, sed longè minorem: quoniã igitur cum ea parua quantitate non possunt viuentia omnes naturales operationes exercere, potissimè verò illam præcipuam, quæ est aliud sibi simile generare; ideò necessaria fuit viuentibus accretio, per quã ad conuenientẽ C cuiq; quantitatem peruenire possent, & idonea reddi ad aliud simile generãdum: hæc est accretionis causa finalis, ex qua sumi potest ratio cur viuentia, quando conuenientem sibi quantitatem sunt assequuta, non ampliùs augeantur; natura enim nihil frustra facit, sed omnia quæ agit, propter finem agit: quoniã igitur accretionẽ viuentibus dedit propter assequutionem perfectæ quãtitatis necesse est, vt hac acquisita cesset accretio, quia non est D ampliùs necessaria, acquisito fine. Sed in hac causa finali non videtur animus acquiescere, nisi alia quoq; huius affectus causa reddatur, quoniam natura aliquem sibi finem proponẽs, dirigit etiam certa aliqua media ad illius finis assequutionẽ; ideo si puero accretionem dat, & eam iuueni negat, necesse est iuueni media quoq; negata esse, per quę possit augeri; sin minùs, augeretur etiam iuuenis, quia augendi officium est animæ vegetantis, quæ E sine cognitione agit, quocirca semper agit, nisi impediatur: quamobrem si natura vult in iuuentute accretionem non fieri, necesse est, vt huic agenti impotentiam, vel impedimentum aliquod afferat, ne augere ampliùs possit: hoc aũt impedimentũ non potest esse ratione ipsius agentis, quia ipsa animæ vis nunquam debilitatur, vt asserit Aristoteles in con tex. 65. lib. de Anima, dum ait [*si senex acciperet oculum iuuenis, videret sicut iuuenis*] anima e- F nim nunquam labefactatur, sed id, quod in senio debilitatur, est corpus, quo vt instrumento anima vtitur: non potest etiam impedimẽtũ oriri ex impotentia secundarij agentis, qui est calor naturalis: hic enim in iuuene validissimus est, nec minùs aptus ad augendũ, quàm in puero. Restat vt impedimentũ sit in subiecto recipiente, ita vt quãdo corpus augeri ampliùs non potest, tũc desinat accretio, quoniã agens non agit, nisi in subiectũ aptum ad recipiendum: ratio aũt, cur corpus iuuenis non

A possit ampliùs augeri, est, quia præcipua pars, quæ augeri dicitur, & ad cuius incrementum crescit totum viuentis corpus secundùm omnes dimensiones, sunt ipsa ossa: quum igitur omne viuẽs in principio suæ generationis sit valde humidum, & molle, & domabile, ossa quoq; tenera sunt, & ad extensionẽ idonea, ætate aũt procedente necesse est, vt per actionẽ caloris naturalis omnes corporis partes magis semper exiccentur, & indurescant; ex cõtinua

Ratio cur post adolescentiam cesset accretio, sumitur ab ossibus.

B enim humidi resolutione à calore omnes partes duriores & solidiores redduntur, quod ipsa experientia docet; humidiorem enim & molliorẽ esse experimur vituli carnem, quàm bouis, & bouis iuuenis, quàm bouis senis, & ossa quoq; duriora in boue, quàm in vitulo: quoniã itaq; accretio per extensionem fit, necesse est vt tunc cesset, quando ossa ad tantam duritiem peruenerunt, vt extendi ampliùs nequeant; peruenire aũt ad tantam duritiẽ ne- C cesse est, propter continuam actionem caloris naturalis, quemadmodũ diximus: posset quidem etiam in iuuene extendi caro, sed non fit accretio totius corporis, nisi ossa extendãtur: huius autẽ signum habemus manifestissimũ, quia sępe contingit, vt cessante accretione incipiãt iuuenes fieri carnosiores, & impinguari; calor enim naturalis in illa ætate validus, ac vehemens est, & multũ nutrimentũ in substantiam conuertit, ideò multum carnis ge- D nerat, non tamen dicitur augeri caro, neq; ex carnis incremento membrum, vel corpus totum, propterea quòd ossa non extenduntur: totum igitur nutrimentũ abundãs in carnem & in pinguedinem conuertitur, nec potest illa impinguatio vocari accretio, quia non secũdùm omnes dimensiones incrementum fit, non enim secundùm longitudinem, secũdùm quam absque ossium extensione accretio fieri nullo pacto potest; pueros autem rarò impin- E guari videmus, quia totum nutrimentum in totius corporis accretione consumitur; sed cessante accretione incipiunt impinguari, nisi à nimio coitu, ad quem adolescentes, ac iuuenes procliues maximè sunt, impinguatio impediatur; abundans enim nutrimentum, si totum per coitum excernatur, in pinguedinem conuerti non potest: hinc fit, vt animalia castrata pinguia fiant, & vt frequentiùs in virili ætate pingues fieri homines videamus, F quàm in adolescentia, & in iuuentute; nam in virili ætate liberiorem habent vsum rationis, & incipiunt abstinere à coitu; adolescentes verò immoderato vt plurimum vtuntur coitu, quia concupiscentia potiùs ducuntur, quàm ratione. Ex his igitur colligimus, duas simul ob causas cessare in viuentibus accretionem, ob materiæ necessitatem, & propter finem, sicut in 2. Poster. Analytic. in multis contingere Aristoteles dixit, vt tum propter materiæ necessitatem, tum propter finem fiant; finis enim & scopus naturæ est assequutio de-

Cur animalia castrata pinguescant.

Duæ causæ cessationis accretionis materiæ necessitas & finis.

bitæ quantitatis, & huius gratia viuentibus accretionem dedit, ideò acquisito fine cessat accretio, quia non est ampliùs necessaria: sed quia maxima est consonantia in rebus naturæ, ideò materiæ quoq; necessitatem natura adiecit, & statuit materiam tunc ineptam esse ad accretionem recipiendam, quando viuentia non egent amplius accretione ad naturalia munera obeunda, & ad omnes edendas naturales operationes.

In quanam mutatione sit accretionis essentia constituta, opiniones aliquorum, & earum confutatio.

Cap. VII.

HActenus declaratum à nobis est, quot fieri mutationes oporteat, vt ex alimẽto extrinsecus accedente viuentia corpora augeantur: sequitur vt consideremus in quanã mutatione sit accretionis essentia constituta, an in omnib' simul sumptis mutationibus prædictis, an in aliqua earum tantummodò. Non defuêre qui dixerint accretionẽ esse omnium dictarum mutationum congeriem: quam sententiam reprobat Marsilius in 1. lib. de Generatione, quæst. 10. idq; non iniuria, quoniam Aristoteles censuit accretionem esse speciem quandã motus ab alijs speciebus distinctam; quò fit, vt neque vlla ex alijs speciebus, neque earum congeries possit esse accretio, sed eius natura constituenda sit in aliqua particulari mutatione, quæ non sit alia vlla species motus, sed sit sòlùm accretio. Præterea illæ omnes mutationes, quas diximus, non modò accretionis naturam non cõstituunt, sed neque illi necessariæ sunt: duæ namque illæ priores concoctiones non sunt necessariæ, nisi in animalibus; nimirum vt per eas præparetur alimentum ad postremã concoctionem, quæ in membris fit, recipiendam; primùm enim oportet cibum cõuerti in chylum, deinde chylum in sanguinem, vt tandem sanguis in substantiam conuertatur, & ita viuens augeatur: in plantis verò non fit nisi postrema hæc tertia cõcoctio, qua alimentũ vertitur in substantiam, & huic proportione respondet conuersio, quæ in animali fit, sanguinis in substantiam; alimentum enim plantarũ nulla præparatione indiget, quia plãtæ ipsum à terra extrahunt iam præparatum, & aptum vt in substantiam cõuertatur, veluti si animalia sanguinem extrinsecus traherent iam extrà genitum, ita vt nõ fieret in eis alia coctio, quàm postrema illa, qua sanguis in substantiam mutatur, assimilatio appellata, propterea quòd vltimum alimentum, quod dissimile erat, redditur simile, dum vertitur in substãtiam viuentis corporis: absque hac igitur assimilatione accretio fieri nunquam potest; fieri tamen potest sine alijs præcedentibus mutationibus, vt in plantis manifestum est, quare

Aliquorum opinio.

Confutatio.

In plantis vna tãtum concoctio fit.

A illæ omnes absq; dubio ipsi accretionis naturæ extraneæ sunt. Duæ mutationes remanẽt, in quibus dici possit esse accretionis naturam constitutam, & in ijs tota huiusce rei difficultas posita est; vna est hæc modò dicta assimilatio, quæ est vltimi alimenti in substantiam conuersio; altera verò est postrema illa extensio, qua diximus totum viuentis corpus maiorem acquirere quantitatem, proinde & maiorem locum: quum igitur in harum vtralibet B accretionis natura constitui posse videatur; duæ contrariæ sententiæ ortæ sunt, & vtraque sectatores habuit. Marsilius in sua quæstione prædicta priorem partem accipit; asserit enim nil aliud esse accretionem, quàm generationem partis substantiæ maioris parte consumpta; & in hoc distinguit accretionem à nutritione, quòd nutritio solam substantiam respicit vt restaurandam, accretio verò quantitatẽ; subiecto tamen idem sunt, vt Aristoteles dixit C in 1. lib. de Generatione; quoniam eadem mutatio est, & nutritio, & accretio; nutritio quidẽ quatenus est generatio substãtiæ ad ipsum viuens restaurandum, accretio autem quatenus generatur pars substantię maior parte cõsumpta: idcò inquit accretionem formaliter generationem esse, distinguit tamẽ in hoc accretionẽ à generatione, quòd generatio propriè dicitur, quãdo aliquid per se existens generatur, accretio verò, quando alteri aggene-D ratur: quò fit, vt accretio sit potiùs aggeneratio, quàm generatio appellanda, quia est generatio partis, quatenus est pars. Quando igitur generatur pars maior parte consumpta, eã inquit Marsilius formaliter accretionem esse; & hanc sententiam probat duobus argumentis. Primò sic: omnis conuersio nutrimenti in maiores partes partibus consumptis in viuente corpore accretio est, at illa aggeneratio ex vltimo alimento facta est conuersio in par-E tes consumptis partibus maiores, ergo illa generatio est ipsamet accretio. Secundò ita argumentatur: illa mutatio, qua existente seclusis alijs omnibus accretio existit, & qua nõ existente non existit, est ipsamet accretio; atqui generatio partium maiorũ est huiusmodi, ea namque existente augetur viuens, non existente autem, non augetur; ergo illa aggeneratio est accretio ipsa. Hæc sentẽtia magnis F difficultatibus vrgetur. Primùm enim censuit Aristoteles in accretione non solùm partes, sed etiam totum acquirere maiorem quantitatem, vt videre est in contex. 38. primi libri de Ortu & interitu, imò vera accretio præcipuè totum respicit, non partes: at in illa aggeneratione maioris partis membrum non fit maius, nisi extendatur, proinde nec totum viuens fit maius: nam poris sanguine repletis, & sanguine in carnem, & alias partes homogeneas conuerso, singulis quidem partibus carnis, & ossis est facta additio, sed nisi fiat totius membri extensio, nondum crescit membrum, neque

Opinio Marsilij.

1. argum. Marsilij.

2. argument.

Opinionis confutatio.

neq. totum virens: ergo illa aggeneratio non est formaliter accretio, quoniam ea posita, & alijs omnibus seclusis, non fit accretio. Confirmatur: quia in vera accretione totum mutat locum, vt dixit Aristoteles in contextu vigesimoquinto libri primi de Generatione: at per solam aggenerationem maioris partis totum non mutat locum, nisi fiat extensio; ergo illa aggeneratio non est formaliter accretio. Patet etiam cuilibet diligenter consideranti, nullam esse differentiam inter accretionem & nutritionem, nisi membri extensio assimilationem consequatur, quia etiam in nutritione fit additio substantiæ quæ sine extensione membri; & ad accretionem totius nihil refert substantiam illam adiectam maiorem esse parte consumpta, nisi sequatur extensio; sine hac enim totum corpus non fit maius, vt videmus manifestissimè in iuuenibus & in viris, qui carnosiores fiunt; generatur enim in eis plus carnis, quàm fuerit consumptum, nec tamen augeri dicuntur, quia nulla fit extensio membrorum. Præterea Aristoteles in 5. lib. Physicæ auscultationis per hoc motũ à generatione distinguit, quòd motus in tempore fit, generatio autem subitò, & sub motu accretionẽ posuit tanquam veram speciem propriè sumpti motus, & à generatione distinctã; quare censet accretionem in tempore fieri, & esse verũ motũ. At secundùm opinionem Marsilij accretio fieret subitò, quum ipse dicat accretionem esse formaliter generationẽ: quare Marsilius Aristoteli aduersatur in multis: primò dum inquit, accretionem esse formaliter generationẽ, quum Aristoteles dicat manifestè eas distinguere; deinde dum ait accretionem subitò fieri, quã Aristoteles in tempore fieri asserit; tum demũ quòd ponit subiectum accretionis ens potestate, quòd formã vltimi alimenti amittens sumit formã rei nutriendæ, vt carnis, & ossis, Aristoteles autem putauit omnes motus habere subiectũ ens actu, ad differentiã generationis, cuius subiectum est ens potestate: patet igitur sententiam Marsilij defendi non posse, & ab Aristotele alienam esse.

Aliorum opiniones, & earum confutatio. Cap. IIX.

HAec, quæ aduersus Marsilium adduximus, aliqui considerantes in aliam sententiam inciderunt, quòd accretio non sit formaliter illa aggeneratio, quæ assimilatio dicitur, sed sit illa extensio, quæ assimilationem consequitur: hanc opinionem tuetur Ioannes Gandauensis in quæstione sua decima libri quarti Physicorum, & in quæstione septima libri octaui: & hæc videtur multò probabilior priore illa opinione, quia secundum hanc accretio est verus motus, cum successione, & in tempore factus; extensio enim fit in tempore, & est transitus ad solam maiorem quantitatem, nulla facta mutatione in sub-

Ioan Gandauensis.

A stantia, ideò in ea manifestè apparet accretionis, & aliarum mutationum discrimen. Præterea secundùm hanc sententiam seruatur in accretione id, quod Aristoteles dixit in contextu 25. primi libri de Generatione: id enim quod per extensionem augetur, mutat locũ, & ita mutat, vt toto manente in eodem loco partes de loco ad locum moueantur, hæc enim in extensione apertissimè conspiciuntur: at in conuersione vltimi alimenti in substan- B tiam nequaquam; partes enim locum non mutant, nec totum manens in eodem loco maiorem aurpiscitur. Visus est etiam Aristoteles in memorato contextu 25 hanc sententiam profiteri; dixit enim, illa, quæ augentur, mutare locum eo modo, quo illa, quæ extenduntur; putauit igitur, ea quæ augentur, extendi, quare videtur naturam accretionis in illa extensione cõstituisse. Verùm hęc quoque opinio difficultatibus non caret, vt patet C legentibus priorem librum Petri Pomponatij de accretione, & nutritione, vbi tum prædictam Marsilij sententiam confutat, tum hãc Ioannis Gandauensis: aduersus quam in capite eius libri nono multifariam argumentatur. Primo sic: extensio est motus ad raritatem, est enim rarefactio quædam; raritas autem est qualitas, non quantitas, vt ait Auerroes in commentario 84. libri 4. Physicorum, & in 25. libri 7. accretio autem est motus ad D quantitatem, non ad qualitatem; ergo non est formaliter extensio. Præterea si natura accretionis in extensione consisteret, reprehendendus esset Aristoteles, qui in primo libro de Ortu & interitu declarare volens accuratè quid sit accretio, & quomodo fiat, nunquam extensionem nominauit, sed solùm considerauit accretionem esse mutationem ad maiorem substantiam: quare videtur ad priorem potiùs opinionem fuisse inclinatus. Præterea E extensio fit etiam nulla adueniente materia, accretio autem fit necessariò ex materia extrinsecus accedente, vt Aristoteles docuit, dicens hanc materiam esse in principio contrariam, in fine autem fieri similem; ergo accretio non est extensio: quòd autem fieri possit extensio absque vlla accedente materia, patet in spongia. Argumentatur etiam ex eo, quod Aristoteles dixit in contextu 41. primi libri de Generatione, accretionem, & nutri- F tionem esse idem subiecto; si accretio esset extensio, non esset idem subiecto cum nutritione, propterea quòd extensio est tempore posterior nutritione, quare non potest esse idem subiecto cum illa. Tandem considerat id, quod Aristoteles dicit in contextu 25. eiusdem libri: declarans enim quomodo illa, quæ augentur, locum mutent, vtitur similitudine, & inquit, sicuti quæ extenduntur: igitur significat accretionem non esse formaliter ipsammet extensionem, quia non debet aliquid declarari per seipsum, neque comparari cum

Pompon contra Gandauensem.

1. argument.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

5. argum.

seipso: extensio igitur non constituit ipsam accretionis naturam apud Aristotelem, sed est quoddam ab ea diuersum, & extraneum. Ipse igitur Pomponatius volens vitare absurda, quæ vtramque dictam opinionem consequuntur, inquit accretionem neq; esse generationem maioris partis, neque esse extensionem, sed esse adeptionem maioris quantitatis, quæ fieri non potest absq; aduentu quantitatis externæ, & quam sequitur necessariò maioris loci occupatio. Sed hæc dicens mihi videtur ad propositam quæstionem nihil dicere: omnia enim, quæ dicit, vera sunt, & omnibus manifesta, quia omnes concedunt accretionem esse acquisitionem maioris quãtitatis, & fieri ex materia quanta adueniente, & cum loci mutatione: hoc igitur non est id, qđ in præsentia quæritur, sed quæstio nostra est, in quonam consistat hæc maioris quantitatis acquisitio; quum enim ad accretionem faciendam plures cõcurrere mutationes videamus, quærimus in quanam ex illis ipsa accretionis natura consistat, ita vt illa dicatur esse mutatio ad maiorem quantitatem: quum autem omnes mutationes, quæ in accretione locum habent, iam singillatim considerauerimus, videtur vitari nõ posse, quin dicamus accretionem vel in assimilatione consistere, vel in extensione, vel in ambabus simul, & hoc debuit ipse Pomponatius considerare.

Pomponatij opinio.

Confutatio.

Vera sententia, & eius declaratio.
Cap. IX.

EGo in hac difficultate dicendũ puto, accretionem non in sola extensione consistere, neq; in sola vltimi alimenti conuersione in maiores substantiæ partes, sed essentialiter continere vtramque, est enim accretio mutatio ad maiorem quantitatẽ per motum extensionis ex alimento in substantiam conuerso tanquam ex materia: vtramq; conditionem posuit manifestè Aristoteles in primo de Ortu & interitu, dixit enim accretionem fieri ex materia extrinsecus accedente; qua re non in sola extensione naturam accretionis consistere existimauit, siquidem in hac nulla nouæ materiæ accessio includitur, sed etiam in conuersione alimenti in substantiã, ita vt hæc quoq; in ipsa accretione cõprehendatur. Extensionem quoq; satis clarè expressit in co[illegible] ex. 35. eius libri, quando dixit, illa, quæ aug[illegible]tur, non mutare, sicut illa. quæ extenduntur: censuit igitur in accretione fieri talem extensionẽ, qualem in spongia, & alijs eiusmodi fieri videmus, vel saltem motum aliquem similem, quem propter similitudinem non possumus nisi extensionem appellare: & quum maioris loci adeptio sit coniuncta cum adeptione maioris quãtitatis, & eam insequatur, necesse est, vt quemadmodũ per motum extensionis maior locus acquiritur, vt ait ibi Aristoteles, ita per eundem maior

A quantitas acquiratur: itaque si accretionis natura consistit in adeptione maioris quantitatis, manifestũ est eam secundùm Aristotelem consistere in extensione. Hæc sunt Auerrois sententia in cõment. 38. eiusdem libri, ibi apertè asserit accretionem fieri per extensionẽ membrorum, & in illa extensione foramina generari, quemadmodum antea considerauimus. Sic etiam facilè declaramus id, quod Aristoteles dixit, accretionem esse idem subiecto cum nutritione, hoc est, cõtinere in se nutritionem, & ab ea differre ratione; nam si solam extensionem accretionẽ esse dicamus, id tueri nullo modo possumus; at si præcedentem mutationem in substantiam ei adiungamus, dictum Aristotelis clarum redditur; nam in illa mutatione nutritio & accretio sunt idẽ subiecto: quatenus enim mutatur sanguis in carnem, eatenus est nutritio, quæ solam substantiam respicit, quum sit substantiæ reparatio; quatenus verò mutatur in carnem maiorem, eatenus est accretio, quæ non substantiã respicit, sed quãtitatem, licet substantiæ mutationem necessariò contineat, vt Aristoteles significauit in contex. 41. eiusdẽ libri, quando dixit, alimẽtum nutrire quatenus est potestate caro, augere autem quatenus est potestate caro quanta: possumus enim ita argumentari; sicuti se habet caro quanta ad carnem, ita accretio ad nutritionem: at in carne quanta comprehenditur caro, igitur & in accretione nutritio; ea tamẽ mutatio est alia ratione nutritio, alia verò accretio, & fit vtraque eodem tempore, imò eodem temporis momẽto, sed differunt ratione, sicuti dictum est: si verò extensionem, quæ illam mutationem insequitur, consideremus, maior oritur earum differentia; nam in nutritione, quatenus est nutritio, nulla extẽsio fit, in accretione autem necessarium est, vt membra extendantur; ideò ratione extensionis accretio non est simul tẽpore cum nutritione, sed est posterior, idque omnino necessarium est: quia si nutritio est substantialis mutatio, non in tempore fit, sed in temporis momento, accretio autem quum sit motus, ex necessitate successionem habet, & in tempore fit; id autem, quod in tempore fit, non potest simul esse cũ eo, quod fit subitò; est autem ita necessaria extensio ad cõstituendam accretionis naturam, vt, si fiat sola in substantiam conuersio, imò & in substantiam maiorem, nec vlla sequatur extensio, nõ fit accretio, sed nutritio solùm, vt patet in adultis, quando carnosiores fiunt: illud ergo, quod dicitur, accretionem simul esse cum nutritione, & hac ratione esse idem subiecto, nõ est verum de tota accretione, sed de solo eius initio, quod ex necessitate est mutatio vltimi alimenti in maiorem substãtiam; hanc autem postea insequitur extensio, quæ est tempore posterior nutritione, in illo autem initio continet accretio nutritionem, licet ab ea differat

Quomodo accretio sit idẽ subiecto cum nutritione.

rat ratione, quia non ea ratione dicitur accretio, quatenus nutritionem continet, sed quatenus respicit quantitatem, quæ per sequentem maioris substantiæ extensionem acquiritur. Si quis aũt obijciat, ergo accretio non est vnus motus, neganda est cõsequentia, quia

Dubium solutio.

conuersio in substantiam est substãtialis mutatio, nempe generatio carnis ossis, & similiũ; quare non est motus, sed mutatio subita, quæ est principium sequentis extensionis, quæ est verus motus in tempore factus sicuti punctũ est principium lineæ. quemadmodũ igitur vna dicitur linea, licet duobus punctis terminata, atq; conclusa, & ea puncta in ipsa lineæ definitione accipiuntur; ita vna accretio, & vnus motus dicitur, licèt terminum à quo, habeat subitam mutationem in substantiam, terminum autem ad quem, ipsam maiorẽ quantitatem in fine extensionis acquisitam, qui vterq; terminus in ipsa accretionis essentia cõprehenditur, sicuti duo puncta terminãtia in definitione rectæ lineæ: propterea vera sunt in accretione hæc ambo dicta, accretio est acquisitio substantiæ cum quantitate maiore, & accretio est acquisitio maioris quantitatis tantùm: dum enim totam accretionem consideramus, ea vtrumq; terminũ continet, proinde etiam nutritionem tanquã terminum à quo, nõ vt extraneũ: proinde est adeptio substantiæ cum quantitate maiore; at si motum à fine nominare velimus, & à termino ad quẽ, accretio est acquisitio quantitatis tãtùm. Seruamus autẽ hoc modo optimè naturam motus, & successionem, imò & continuitatem in ipsa accretione: nam si accretio esset sola conuersio alimenti in substantiam, nulla ratione esset motus, neq; vllam successionem haberet, quoniam illa conuersio in momento temporis fit; transitus autem ad maiorem quantitatem, qui per extensionẽ fit, est verus motus, & continuus.

Accretio est motus continuus.

Non est autem ignorandũ, motum accretionis in viuentibus posse duobus modis considerari; potest enim accipi pro toto cuiusq; viuentis incremẽto ab initio sui ortus ad initium vsque ætatis consistentiæ, quod quidem constat ex multis nutritionib9, & pluribus extensionibus distinctis; secundo modo potest accipi pro vna tantùm particulari nutritione cum vna extensione eam insequente: primo modo accretio non est vnus cõtinuus motus, quoniam adeptio totius debitæ quantitatis, quæ fit in homine per totum tempus viginti annorũ, non est ita continuata, vt in qualibet particula illius temporis fiat extensio, & acquisitio particulæ quantitatis illius; sed de toto eo tempore fiunt plures interruptæ & distinctæ extensiones, inter quas positum est tempus medium, quo nulla fit extensio; postquam enim facta est in puero aliqua extensio, desinit puer extendi per tempus aliquod, donec iterum impleantur sanguine sua [illegible], deinde iterum sanguis ille mutatur

Accretio in viuentibus potest dupliciter considerari.

A in carnem, postea verò fit alia membrorum extensio: at secundo modo accepta accretione pro vna tantùm particulari extensione, ea est verus motus, vnus, & continuus: & hæc Auerrois sententia est in commentario 6. libri 3. Physicorum, & in 23. lib. 8. vbi dicit motum accretionis non esse vnum continuum motũ, sed esse compositum ex pluribus motibus, & pluribus quietibus: non est enim admittenda aliquorum interpretatio, qui videntes Auerroem negare motum accretionis esse vnũ continuum, dicunt ipsum accipere continuũ pro perpetuo, & significare accretionem non esse perpetuam, sed aliquando desinere, nempe in initio ætatis consistentis: etenim sensus hic est ab Auerroẽ alienus, qui seipsum declarans inquit non esse continuum, quia constat ex pluribus motibus, & pluribus quietibus; igitur non quia non sit perpetuus, sed quia est interruptus, negat totam vnius viuentis accretionem ad ætatem vsque consistentem esse vnum continuum motũ: quamuis enim modo quodã dici possit vnus ratione vnius subiecti, quod augeri dicitur, & ratione scopi naturæ, quæ vnum sibi finem proponit, acquisitionem tantæ quantitatis; reuera tamen non est vnus continuus, quia natura non potest vno conatu, & vno tantùm motu eam totam quantitatem assequi, ideò saltem acquirit partem post partem: quare totius quantitatis acquisitio non est vnus continuus motus, sed singula pars per verum motũ acquiritur, qui est vnus continuus; scilicet vna particularis extensio: hoc modo saluamus cõtinuitatem, & naturam motus in accretione, quæ aliter saluari non potest; in motu autem locali est vera continuitas etiam secũdùm totum, nam si in sublimi loco ponatur lapis, ad centrum vsque descendet vno continuo motu absque vlla interruptione.

Auerroes.

Praua aliquorum interpretatio.

De duplici quantitatis incremento, & duplici raritate. Cap. X.

Caeterum vt res magis intelligatur, & omnes difficultates tollantur, notanda sunt quædã: primùm de quantitate, in qua videtur accretionis natura cõsistere, hanc enim Aristot. ab alijs motib9 per hoc distinxit, quod est motus ad quantitatem. Quantitas, vt alibi fusè demonstrauimus, materiæ naturam insequitur, & est illi coæua, & ab ea inseparabilis; termini autẽ omnes quantitatis præscribũtur à forma, ideò sicuti quãtitas materiam insequitur, ita termini quãtitatis corporũ naturaliũ insequuntur formam, & à forma ipsi cõposito tribuuntur: hinc fit vt neq; materia possit esse vnquã sine quantitate, neq; quantitas sine materia; ideoq; non possit alicui rei addi noua quãtitas sine additione nouæ materiæ. Incrementũ autem quãtitatis fieri potest duobus modis, vt ex Auerroe colligimus in cõmen. 84 lib. 4. Physicorum, vbi de hac re

In libro 2. de prima materia.

Incremẽtum quãtitatis fieri potest duobus modis.

doctissimè loquitur; vno modo fit maior quãtitas per additionem nouæ quantitatis, proinde & nouę materiæ, sicuti quum aquæ portionem alteri portioni adiungimus, sic enim maior aquæ quantitas redditur: altero modo per solam mutationem factam in forma, & absque vllius materiæ additione fieri maior quantitas dicitur, vt quando aqua calefacta mutatur in aërem, maior enim fit aëris quantitas, quàm fuerit quantitas aquæ; non est tamen adiecta aliqua noua materia, neq; aliqua noua quantitas, quum enim eadem seruetur materiæ portio, quantitas quoq; eadem seruatur; sed mutantur termini, nam propter formam aëris illa quantitas ad ampliores terminos extensa est, diciturq; ea ratione facta maior, quatenus eadem quantitas per rarefactionem subiecti extensa est ad maiorē locum occupandum, ita vt terminorum potiùs, quàm ipsius quãtitatis sit facta mutatio propter mutationem formæ, quam termini insequuntur. Duobus igitur modis fit transitus de minore quantitate in maiorem: aut enim manente eadem materia fit mutatio in terminis quantitatis propter mutationē formæ, sicuti quando aqua mutatur in aërem; aut sine mutatione formæ res fit maior per accessionem nouæ materiæ, vt quum aquę aqua apponitur, dum enim nulla fit mutatio formæ, fieri nullo modo potest vt magnitudo augeatur, nisi per nouæ externæ materiæ accessionem: hic modus locum habet in accretione, de qua in præsentia loquimur; forma enim rei augendæ debet eadem seruari, vt mox ostendemus, sic enim idem numero remanere dicitur id, quod augetur; ideò per accessionem externæ materiæ nouam quantitatem afferētis fit viuentis corporis incrementum. Colligere ex his possumus quoddam alterationis & accretionis discrimen, & discriminis rationē: alteratio namque non eget aliqua materia, ex qua fiat, sed solum habet subiectum, in quo fit, & quod alterari dicitur; accretio autem non modò habet subiectum, in quo fit, & quod dicitur augeri, sed eget etiam materia externa, ex qua fiat: huius autem ratio est; quoniam alteratio est motus ad qualitatem, quæ insequitur naturam formæ, non naturam materiæ; accretio verò est motus ad quantitatem, quæ materię, non formæ, naturam insequitur; ideò si noua qualitas inducenda sit, non opus est aliquam externam materiam accedere, se[d] [ips]a ipsa materia subiecta est apta ad omnem qualitatem recipiendã, quia omnis forma, & omnis qualitas de potestate materiæ educi potest: sed quando a[bs]que mutatione formæ, & eadem manente [fo]rma debet q[uant]itas m[aior] reddi, id fieri nullo modo pot[est] [ni]si per additionē nouæ materiæ, quantitas [e]nim ingenerabilis, & incorru[ptibi]lis est, & semper necessariò in materia in[est]; ide[o] si manere debent eadem substantia, & seruari eadem forma, nō

Nota alterationis, & accretionis discrimen.

A potest fieri maior quantitas, nisi per accessionem nouæ materię, cum qua etiã noua quantitas adueniat. Secūdo loco aliud quiddã notandum est non parui momenti: quoniã enim dictū est accretionem fieri per extensionem, quæ est rarefactio quædã, sciendum est duplicem esse raritatem, & duplicem densitatem: quã distinctionē ignorans Zimara in illa contradictione, quam notauit in Auerroē in comment. 84. lib. 4. Physic. in errorem manifestissimū lapsus est. Auerroes enim varijs in locis de raritate loquens varia, & inter se pugnantia pronunciare visus est: nam in illo comment. 84. inquit rarum & densum esse contraria in quantitate; tamen in comment. seq. 85. ait raritatem & densitatem non esse de essentia quãtitatis. In 7. aūt Physic. cōment. 15. inquit raritatem & dēsitatem esse qualitates. Sed in 1. Metaphys. cōment. 15. easdem locauit in Categoria situs, quæ videtur etiam Aristotelis sententia fuisse, in lib. Categoriarū, cap. de Qualitate. At in cōment 77 libri 8. Physic. dixit rarefactionem & densationem esse motus locales. Magna igitur est horum locorum discrepantia, quum Auerroes modò ad raritatem modò dicat esse quantitatem, modò ad qualitatē, modò ad situm, modò ad vbi. Soluens Zimara dicit raritatem, & densitatem esse reuera in sola Categoria qualitatis: quando autem Aristoteles, & Auerroes eas locare videntur in Categoria situs, inquit eos loqui iuxta aliorū opinionem, non secundum mentem propriam: quòd verò rarefactio dicatur motus ad quantitatem, vel ad vbi, inquit esse verum per quandam consequutionem; at nō formaliter; raritatem enim insequitur maior quantitas, proinde & maioris loci occupatio: rarefactio igitur est primariò, & essentialiter alteratio, & motus ad qualitatem, per consequutionem verò & secundariò est etiam ad quantitatē maiorem, & ad ampliorem locum; quare nulla est repugnatia in Auerrois dictis, quū omnia vera sint secūdùm varias considerationes. Ego aūt nihil veri à Zimara dictum esse arbitror, nisi illud vnum, quod de quantitate dixit: omnis enim rarefactio est transitus ad maiorem quantitatem, seu potius ad maiores terminos quantitatis, non tamē primariò, sed secundariò, & per quandam comitantiam, seu consequutionem; per se autem, & primò non est ad quantitatem, sed ad aliquod aliud, quod maior quantitas consequitur. In reliquis autem puto deceptum esse Zimaram, quia non animaduertit duplicem esse raritatem, & duplicem densitatem, quarum vna est propriè in Categoria qualitatis, quia consistit in tenuitate substantiæ, non in distantia partium inter se, & est de numero secundarum qualitatum consequens calorem & frigus, vt ait Aristot. in lib. 2. de Partib. anim. c. 1. & Auerroes in 7. Physic. comment. 15. & in 2. de Generat. 15. & ibidem Ioan. Grammaticus incon-

Raritas duplex.

Apparēs contradictio in dictis Auerroes.

Solutio Zimara.

Impugnatio solutionis.

in contex.17. talis autem raritas, & talis densi- A tas, sunt illæ, quibus diffident elementa inter se; aërem enim dicimus rarum, & aquam densam, non quòd partes aëris distent inuicem, & habeant interpositas vacuitates, tenent enim nihil est vacui in aëre, neq; aliud inter eius partes est interpositum corpus; sed quòd aër tenuem habet substantiam, aqua verò crassam: patet autem prouenire hanc substantiæ densitatem à frigore, & raritatem à calore, & hanc non esse aliam, quàm illam, quæ consistit in B tenuitate substantiæ; ideò Auerroes in comment.22.lib.1.de Cœlo; de hac raritate loquens inquit motum ad raritatē esse alterationem, non quòd motus possit esse primariò ad raritatem, sed quia primariò est ad calorē, quem consequitur raritas, ac tenuitas substantiæ; hanc autem consequitur etiam magnitudinis incrementum: quod considerans Auerroes in illo comment.84 lib.4.Physic.dixit raritatem & densitatem esse cōtraria in quantitate, qua- C tenus raritatem consequitur maior quantitas, densitatem autem minor; hoc enim dicēs respexit id, quod secundarium est, non id, quod primarium, vt rectè dixit Zimara: ideò in sequente comment.85. hoc declarans Auerroes ait densitatem & raritatem non esse essentialiter in Categoria quantitatis. Altera est raritas, quam non videtur animaduertisse Zimara, quæ non consistit in tenuitate substantiæ, sed in distantia partium inter se; quemadmo- D dum spongiam raram esse dicimus, quia partes habet inuicem distantes per spatium vacuum interpositum, non quidē vere vacuum, quod omni corpore careat, sed quod alio tenui, & insensili corpore plenum est; in spongia enim vacuas vocamus partes illas, in quibus aër est inclusus: hæc raritas est absque dubio in Categoria situs; nam distantia, vel propinquitas partium interse, nil aliud est, quàm situs; de hac igitur loquutus est Auerroes in E cōment.15.lib.1.Metaphys.& Aristotel.in lib. Categor.in cap.de Qualitate: quū enim hæc acceptio omnibus hominibus magis in promptu, atq; euidentior sit, hanc solam Aristoteles ibi respexit, quia in eo libro statuit ea tantùm in mediū adducere, quæ notiora, & communi hominum opinioni magis cōsentanea essent; ideò negauit raritatem esse qualitatē, quod alteram illam acceptionem vulgaribus incognitā esse animaduertit: ob id Auerroes F quoq; ibi asserit raritatem esse in Categoria situs: & ibi Leui in suis Annot. in Auerroem expressè notat duo esse genera rari, & densi, vnum, quod est in Categoria qualitatis; alterū, quod est in Categoria situs: & hoc idem sumitur ex Ioanne Grammatico in contex.8. lib.2. de Ortu & interitu. In hoc igitur deceptus est Zimara, quod dixit Aristotelem & Auerroem, quando raritatem in genere situs collocarunt, sacta aliorum sententiam esse loquutos; quum potius ex mente propria, & secundùm veritatem hoc dixerint, dum alteram hāc veritatem respexerunt. In eo etiam, quod de motu locali dixit, lapsus est Zimara: quando enim spongia manu constricta postea dimittitur, & relaxatur, rarefieri dicitur, non ita tamen, vt motus ille fieri primò dicatur ad raritatem; siquidem ad situm non est motus, neq; ad vllam aliam Categoriam præter quantitatem, qualitatem, & vbi, secundariò tamen ad alias quoque fieri potest motus, & per mediam aliquam ex tribus prædictis: igitur necesse est vt motus ille spongiæ fit primo ad locum, mouentur enim partes ad diuersa vbi, quæ postea consequitur varius illarū partium situs inter se: non est igitur verū id, quod Zimara dixit, rarefactionem esse motum localem secundariò, & per consequutionem; est quidem verum de priore illa rarefactione, quæ primariò est motus ad qualitatē, sed de hac posteriore falsum est: quum enim negari non possit, eam esse motū quendam, ad nullam speciem motus reduci potest, nisi ad localem; est igitur motus ille primariò ad locum, secundariò verò ad situm. Talem esse certum est illam raritatem, ad quam tendere videtur id, quod augetur: dum enim extenditur, foramina exoriuntur, quæ sunt veluti partes, in quibus non est caro, vel os, sed aër, vel vapor aliquis similis; patet enim per illam extensionem non acquiri priorem raritatem, quæ est substantiæ tenuitas, & qualitas, siquidem substantia viuentis non fit tenuior, quàm priùs erat; sed acquiritur raritas per illum motū altero modo accepta, qualis est raritas spongiæ, ita tamen vt motus ille dicatur secundariò ad situm, primariò autem ad quantitatem; nam primarius terminus & scopus, quem sibi natura proponit in illo motu, est assequutio maioris quantitatis, hanc autem consequitur mutatio situs partium: nam mutato sanguine in carnem, in foraminibus caro densa est, quia foraminibus caret, postea verò extenditur, & fit rara, dum iterum in ea oriuntur foramina, licèt hæc raritas non sit scopus naturæ, quemadmodum diximus: imò, si benè considerémus, dicere non possumus in accretione viuentis maiorem acquiri raritatem, sed eadem est densitas, & raritas in principio, & in fine accretionis; in principio enim caro dum habet foramina, potest dici rara, postea verò repletis foraminibus sanguine, & eo in carnem conuerso dici potest modo quodam densior facta, dum foraminibus caret; deinde verò extenditur, & rursus foramina oriuntur, & caro ad pristinam raritatem reuertitur; quare nulla tunc acquiritur maior raritas, sed sola quantitas per accessionem nouæ materiæ maior est facta: neutera enim nulla est qualitas, & nullus alius terminus, quem per illam extensionem dicere possimus esse acquisitum, nisi sola maior quantitas, & hæc sola est naturæ scopus in eo motu; eam postea secundariò consequitur maioris loci acquisitio, sed hæc non fuit sco-

Ad quam raritatē accretio tendat.

Alia extensio in accretione fit, alia in spongia.

pus naturæ. Ex his colligimus discrimẽ quod dam in viuentis,& in spongiæ extensione: nam extensio viuentis primariò ad quantitatẽ tendit, non ad vbi; at extensio spongiæ est motus primariò ad vbi, non ad quantitatem: nam maior quantitas duobus modis acquiritur, vno modo per additionem materiæ, altero modo per ampliationem terminorum; in spongia extenta acquiritur maior quantitas secundo modo, sed non primo; in conuersione autem sanguinis in carnem fit maior quantitas primo modo, at non secundo, nisi sequatur extensio: quod si vtraq; simul accipiatur, tum conuersio in substantiam, tum extensio consequens, fit maior quantitas vtroque modo simul, & hæc est accretionis natura: quare eius extensio non est omnino similis extensioni spongiæ, licèt per vtramque eadem raritas acquiratur.

Maior quantitas acquiritur duobus modis.

Aduersantium argumentorum solutio. Cap. XI.

Veritate ita declarata, sequitur vt omnia priùs adducta argumenta expẽdamus, & quantum roboris habeant, consideremus. Primo loco soluenda sunt argumenta Marsilij, quibus probare nitebatur, accretionem esse formaliter generationem, id est, conuersionem in maiores partes. Primum erat: omnis mutatio alimenti in partes cõsumptir maiores est accretio, at vltima illa ex alimento generatio est huiusmodi, ergo illa est accretio. Huius argumenti neganda est maior; quia petit illud idem, quod probandum erat, & idem est sensus maioris, ac conclusionis. Alterum argumentum erat: illud, quo existente est accretio, & quo non existente non est, accretio ipsa est; at conuersio illa ultimi alimenti in partes maiores est huiusmodi; ergo est accretio. Ad hoc dicimus negandam esse minorem: nam ablata quidem tali conuersione aufertur accretio, quoniam absque illa fieri non potest; non tamen illa conuersione posita ponitur accretio, nisi etiam sequens extensio ponatur, sicut antea demonstrauimus. Argumẽta verò, quæ aduersus Marsilium adducta sunt, valida omnia sunt, non quidem vt excludatur hæc in maiorẽ substantiam mutatio, sed vt ostendatur non in ea sola consistere accretionis naturam, sed etiam in extensione sequẽte, vt ea considerantibus manifestum est. Argumenta verò Ioan. Gandauensis ad probandum accretionem in extensione consistere valida quidem sunt, non tamen ad excludẽdam priorem illam mutationem in maiores partes; quia sine hac seruari quidem possunt aliquæ accretionis conditiones ab Aristotele positæ, non tamen omnes, quia non illa, qua dicitur accretio dem fieri ex materia extrinsecus aduenientes; siquidem extensio, dum sola consideratur, nullam materiæ accessionem complectitur, quum sine hac ex-

Ad primum Marsilij.

Ad secundũ.

Ad argumenta cõtra Marsiliũ adducta

Ad argum. Gandauẽsis.

A tendi res possit. Argumenta verò Pomponatij ad ostendendum non in extensione accretionem consistere, facilè soluuntur. Primum erat: extensio est motus ad raritatem, raritas est qualitas, ergo est motus ad qualitatem. Huius argumenti notare possumus & maiorem,& minorem: nam raritas, quæ per extensionem acquiritur, non est qualitas, sed positio, vt antea dictum est, ideò maior est falsa; est etiam falsa minor, quia extẽsio non est primariò ad hanc raritatem, sed ad maiores B terminos quantitatis, ad illam autem raritatem secundariò, quare per hoc non stat, quin extensio sit motus in Categoria quãtitatis. Præterea vt ei condonemus raritatem esse qualitatem, non ob id fit, vt extensio sit alteratio; siquidem non ad omnem qualitatem transitus est alteratio, sed ad solas primas quatuor qualitates, quæ sunt in tertia specie illius Categoriæ; ideò neq; motus ad raritatem illam, C quæ est qualitas, hoc est, partium tenuitas, est ea ratione alteratio, quòd fit ad raritatem, sed quia est primariò ad calorẽ, quem consequitur raritas. Secundum Pomponatij argumentum erat; si accretio esset extensio, reprehendendus Aristoteles esset, qui de accretione agens, nunquam nominauit extensionem. Ad hoc dicimus Aristotel. in ea tractatione versatum esse solùm in explicandis obscurioribus accretionis conditionibus, has enim declarare D operæpretium erat; extensionem verò declarare non oportuit, quia satis manifesta est, & comprehenditur in sensu formali huius vocis, accretio; quia non possumus alio modo imaginari totum fieri maius, quàm per extensionem membrorum, id enim per pulsionem fieri nullo modo posse iam demonstrauimus; quare nullus relinquitur modus, quo res crescat, nisi hic vnus per extensionem. Aristoteles itaque hoc tanquam notum constituens in E reliquis declarandis versatus est, imò neq; penitus omisit extensionis nominationem, nam in context. 25. libr. 1. de Ortu & interitu dixit, illa, quæ augentur, mutare locum, sicut illa, quæ extenduntur; ita enim significauit accretionem fieri per extensionem: quærendum autem ex aduersarijs est, vbinam Aristot. in eo tractatu declaret modum, quo totum id, quod augetur, transeat ad maiorem locum; nam absque dubio nullibi hoc declarauit, sed de F sola assimilatione loquutus est; attamen certum est, non per hanc solam fieri transitum ad maiorem locum: omnino igitur reprehendendus est Aristoteles, qui neque de pulsione, neque de extensione, neque de aliquo alio modo, quo maior locus acquiratur, loquutus est; aliquem tamen esse modum oportet præter conuersionem alimenti dissimilis in simile: & quamuis Aristoteles dixerit alimentum augere quatenus est potẽtia caro quanta, modum tamen non expressit, quo totius viuentis quantitas maior reddatur. nos igitur dicimus mo-

Ad primum Pomponatij.

Non ad omnẽ qualitatem transitus est alteratio.

Ad secundũ.

dum

dum hunc satis tactum fuisse in contextu 25. quando dixit, illa, quæ augentur, mouere locum, sicut illa, quæ extenduntur, sic enim significauit hoc fieri per extẽsionem membrorum, & de hoc tanquam de re manifesta nil amplius dicere oportuit. *Ad tertium.* Tertium argumentum erat: extensio fit etiam nulla adueniente materia, accretio autem omnis fit ex materia adueniente, igitur accretio non est extensio. Huius facilis est solutio, est enim paralogismus ex maiore particulari in secunda figura; nam dari aliquam extensionem concedimus, quæ nullam materiæ accretionem præsupponat, sub tali tamen extensione accretio non comprehenditur, quum necessariò consequatur nouæ materiæ aggenerationem: quod si maiorem vniuersalem sumat, omnis extensio fit absque vlla adueniente materia, neganda est maior, quia falsa est. *Ad quartũ.* Ad quartũ argumentum, quod erat; si accretio esset extensio, non esset idem subiecto cum nutritione; neganda est consequentia: ad probationem autem dicimus, nil aliud hoc argumento ostẽdi, quàm accretionem non esse idem penitus cum nutritione, quod quidem nos concedimus, quoniam secundùm Aristotelem non debent esse idem essentialiter, sed idem subiecto, & differentes ratione: conuenientia autem, & discrepantia in hoc consistit, quòd accretio complectitur & conuersionem in substantiam, & extensionem, qua maior quantitas acquiritur, & ratione conuersionis in substantiam dicitur idem re cum nutritione, non tamẽ idem ratione, quoniam illa conuersio est alia ratione nutritio, alia verò accretio; sed ratione sequentis extensionis differt etiam re à nutritione, quia est tẽpore posterior: at quoniam accretio neque est sola in substantiam mutatio, neq; sola extensio, ideò dum totam accretionem consideramus, dicimus eam esse idem subiecto cum nutritione, quoniam nutritionem continet, & sine illa fieri non potest; ratione autem differt, quia illa mutatio est nutritio quatenus est generatio carnis, & est accretio quatenus est generatio maioris carnis cum extensione sequente: & hoc significare voluit Aristoteles, quando dixit eas esse idem re, differre autem ratione. *Ad quintũ.* Postremum argumentum erat: Aristoteles declarauit accretionem ex similitudine eorum, quæ extenduntur, ergo potauit eam esse quid diuersum ab extensione; quia nihil comparatur cum seipso, neque declaratur per semetipsum. Ad hoc dicimus, varias esse extensiones, & diuersos earum modos, proinde non esse absurdũ, si vnam per aliam declaremus, quod ibi Aristoteles facit: sumit enim eam extensionem, quæ sub sensum cadit, & quam omnes vident, cuiusmodi est spongiæ extensio, & per eam declarat, quomodo illa, quæ augentur, locum mutent; significans ea quoque per extensionem augeri, quæ non est sensilis, sed mente

Nutritio partim est idem re cum accretione, partim non est idem re.

comprehenditur, à quolibet modum considerante, quo fit accretio: quamobrem ex eo loco sumitur potiùs argumentum pro nostra opinione, quia si id, quod augetur, locum mutat eo modo, quo id, quod extenditur, cui dubium accretionem extẽsionem quandam esse? sic igitur per extensionem sensilem, quæ sine adueniente materia fit, declarat Aristoteles extensionem intellectilem, quæ fit ex accessione materiæ: imò nec dicendum est, vnam extensionem ibi per aliam declarari, sed mutationem loci eorum, quæ augentur, per sensilem aliquorum extensionem: quare non declarat idem per semetipsum, sed potiùs indicat illa, quæ augentur, ideò locum mutare, quia extenduntur, sicuti illa, quæ extendi cernuntur, locum mutant: quare illius loci consideratio nostræ sententiæ suffragatur.

Quomodo ad accretionem se habeant aliæ mutationes, quæ in ea fiunt. Cap. XII.

TRes ab Aristot. veræ accretionis conditiones constitutas esse iam diximus; vna fuit accretionem ex materia extrinsecus accedente fieri; altera, idem numero ab initio ad finẽ vsq; accretionis seruari id, quod augetur; tertia demum, non modò totum, sed etiam partes omnes aliquod suscipere magnitudinis incrementum. Ad harum primam declarãdam ea, quæ hactenus dicta à nobis sunt, pertinuerunt: quomodo enim ex accedente materia corpus viuens augeatur, satis ex ijs, quæ diximus, potest esse manifestum. Sequitur vt ea, quæ ad duas reliquas conditiones attinent, consideremus, & difficultates, quæ in ijs magnæ oriuntur, expendamus, ac soluere nitamur; vt his omnibus declaratis tandẽ perfectam tum accretionis, tum nutritionis definitionem colligamus: sunt autem hæ duæ conditiones ita inter se connexæ, vt coniunctim declarandæ esse videantur; vnam enim & eandem esse rationem ostendemus, qua & idem numero manet id, quod propriè augeri dicitur, & omnibus eius particulis aliqua fit additio quantitatis; ideo priùs difficultates, quæ in vtraque conditione existunt, seorsum proponemus; deinde vna, & eadem contemplatione omnes soluere, & veritatem patefacere aggrediemur. Quod ad alteram attinet, quæ est, idem numero id, quod augetur, manere, scire oportet hanc non esse propriam accretionis conditionem, sed ei cum omnib. alijs motibus cõmunem, qua omnes à substantiali mutatione distinguuntur; quando enim aliquod in solis accidentibus mutatum manente substantia, idem numero subiectũ sensile manet, cui motus ille attribuitur: sed Aristot. hãc exprimere coactus est, tum ad multas excludendas impropriè dictas accretiones, quæ cum substantiæ mutatione coniunctæ sunt, ita

vt non eadem numero substantia in ijs manere dicatur, vt quando mutata aqua in aërem moles crescit; tum etiam ad separandas alias mutationes, quæ ad veram accretionem faciendam concurrunt, iam enim diximus accretionem non fieri sine alteratione, & generatione, & interitus multiplici interuentu; sed harum omnium, & accretionis non idem est subiectum, cui attribuuntur; idq́; summopere annotandum est ad accretionem ab alijs seiungendam: sæpe enim contingit, vt quæ ea dem esse mutatio videtur, multæ sint, dum ad diuersa subiecta referuntur, vt si ferrū aliquod quiescens alteio ferro moto confricemus, is respectu moti est motus localis, respectu autem quiescentis non est motus localis, sed alteratio solùm, quia motu illo calefit; qui igitur vnus esse motus videtur, duo sunt ita distincti, vt in vno alter minimè includatur: sic in viuente quando mutatur chylus in sanguinem, ea est generatio, & interitus, non tamen ipsius viuentis, sed generatio sanguinis, & interitus chyli: sic postea quādo vertitur sanguis in carnem, illa mutatio dum diuersis subiectis attribuitur, alia, & alia esse cognoscitur; nam respectu sanguinis non est nutritio, neque accretio, sed interitus, quia neque nutriri, neque augeri mutatione illa sanguis dicitur, sed interire; respectu autem carnis genitæ secūdùm se consideratæ non est nisi generatio; at respectu totius viuentis neque alteratio est, neque generatio, neque interitus, sed nutritio, & accretio: totum enim viuens neque alterari, neque generari, neq; interire illa mutatione dicitur, sed nutriri, & augeri; proinde totū idem numero seruatur, non sic sanguis, neq; caro, quibus non accretio, sed generatio, & interitus attribuuntur. Accretio igitur & cum alteratione, & cum generatione, & cum interitu coniuncta est; non tamen eidem subiecto hæ omnes mutationes ascribuntur, sed diuersis: sola nutritio tantam cum accretione affinitatem, & coniunctionem habet, vt eidem subiecto attribuatur; nam idem viuens eadem mutatione & nutriri, & augeri dicitur, licèt varijs rationibus, sicut antea declarauimus: ideo etiam id, quod nutriri dicitur, idem numero manet, non sic illud, quod in nutritione generatur, vel interit. Ita igitur separata ab alijs dictis mutationibus accretione per diuersa subiecta denominationis, manifestum est in ea idem numero seruari id, quod augetur. Hoc tum ab ipso Aristot. expressè acceptum, & absque vlla probatione cōstitutum est, tum ab omnibus hominibus cōcessum, tanquam per se manifestissimum; eandem numero plantam, & idem numero animal per volueṙsam vitam seruari omnes homines existimare videtur.

Accretionis, & aliarū mutationū, quæ cum illa coniuncta sunt, non idem est subiectum.

Quomodo idem numero maneat id, quod augetur, duæ contrariæ opiniones, & difficultates, quibus vrgentur.

Cap. XIII.

Ceterùm vt res ipsa manifesta per se esse videtur, ita obscurissima est ratio, & modus, quo id fit intelligendum. Duæ hac de re contrariæ opiniones existunt, quarū alteram sequi necessarium omnino est; vtraq; tamen cum maximis difficultatibus est coniuncta, & vtraq; sectatores habuit, atq; habet. Vna est quam in lib. 1. de Generat. Marsilius tuetur, & Scotus in 4. Sentent. distinct. 44. quæst. 1. & alij complures, qui dicunt non manere per totam vitā idem numero viuens, nisi secundùm quandā æquiualentiam, propterea quòd in viuēte non remanet per totam vitam eadem materia, neq; eadem forma numero: de materia quidem certum est; ea nanq; continuè fluit, & alia noua quotidie ex alimentis aggeneratur: quare in homine sene nō est eadem numero caro, quæ fuit in eodem puero; eadem tamen est secundùm æquiualentiam, quia non tota simul est renouata, sed pars post partem: hoc modo etiam integritates elementorum eædē manere dicuntur tanquam indiuidua æterna, quia seruantur eadem secūdùm æquiualētiam solùm; in partibus enim fit continua mutatio, non in toto simul elemēto: sic etiam nauis dicitur eadem numero longū tempus seruari, licèt tandem omnes partes in ea sint renouatæ; hodie namq; mutatur temo, alio die malus, alio hæc tabula, alio illa, adeo vt post aliquod tempus sint omnes partes mutatæ, & nulla earū, quæ initio factæ sunt, remanserit, eandē enim numero nauim dicimus remansisse per æquiualentiam: at si omnes simul partes eodem tempore renouarētur, non eadem nauis esse diceretur, sed esset alterius numero diuersæ generatio: quòd autē de materia dicitur, idē videtur esse necessariò dicendum de omni forma, quæ de potestate materiæ sit educta; forma enim materialis non est à sua materia separabilis, & ad materiæ extēsionem extēsa est; quare ita est pars formæ in parte materiæ, vt tota forma in tota materia; fluentibus igitur partibus materiæ, necesse est vt simul partes formæ fluant, & aliæ nouæ partes cum noua materia generentur, hoc est, de illius potestate educantur. Quoniam igitur viuens est viuens, & augetur per illā animæ partem, quam altricem vocamus, hæc, quum sit forma materialis, fluit cum materia secundùm partes, & aliæ eius partes quotidiè generātur; fluēte enim carne secūdùm particulas, fluunt etiam particulæ huius animæ cum particulis carnis, & quando fit mutatio alimēti in nouā carnem, generatur in illa particula carnis alia noua animæ particula, quæ de illius materiæ potestate educitur. Sic igitur neq; eadem numero materia, neq; eadē numero forma remanet ab ortu viuentis ad finem vsq; vitæ ipsius, sed remanet vtraq; per æquiualentiam, quia vtraque secundùm partes continuè renouatur. Altera est opinio huic cōtraria, quam Albertus,

Opinio Scoti, & Marsilij.

Opinio Thomæ, & Alberti, & Pomponatij.

bertus, & Thomas, & alij multi sequuti sunt, A inter quos Petrus Pomponatius in libro suo de accretione eam efficaciter tueri contendit: quamuis enim hi non parum dissideant in modo dicendi, vt in dicto Pomponatij libro videre est, in hoc tamen omnes consentiunt; quòd sola materia secundùm partes fluat, & renouetur, anima verò vegetans non fluat, sed per totam vitam maneat penitus eadem numero tam secundùm se totam, quàm secundùm partes, & adueniente noua materia B extendatur ad eam informandam, & animandam, fluente verò aliqua parte materiæ non fluat cum illa, sed ad alias remanentes materiæ partes retrahatur. Hanc opinionem sequentes facile ostendunt, quomodo viuens idem numero per totam vitam seruetur: quum enim à forma, quæ anima est, constituatur, necesse est manente eadem forma, quæ nec secundùm se totam, nec secundùm partes mutata sit, vt idem iudicium maneat. Vtraque C

Difficultates cōtra sententiam Thomæ.

hæc opinio magnis difficultatibus vrgetur: nam si hanc posteriorem sequamur, & dicamus animam transire ab vna parte materiæ ad aliam nuper genitam, asserimus formam materialem migrare de subiecto in subiectum, quod videtur, vt Buccaferreus ait, totam euertere Aristot. philosophiam; etenim Aristotel. censuit formam materialem de potestate materiæ educi, non in materiam induci, quum priùs extra illam extiterit, vt secundùm hanc D opinionem asseritur.

Difficultates cōtra sententiam Scoti.

Ex altera verò parte, si cum alijs dicamus animam vnà cum materia fluere, & in partibus materiæ ex alimento genitis nouas animæ particulas generari, ita vt non eadem penitus anima per totam vitam seruetur, communi hominum existimatione aduersari videmur; omnes enim eandem numero plantam, idemque numero animal ab ortu ad mortem vsque seruari arbitrantur: cui opinioni attestatur etiam conseruatio specie- E rum in memoria, nam multa bruta animalia ad mortem vsque retinent multarum rerum species in memoria impressas; canes enim inuenti sunt, qui quum multos annos à domino suo absentes fuerint, eum postea visum statim agnouerunt: quod non videtur posse contingere, nisi eadem numero anima absque aliquo suarum partium fluxu seruata sit, nec solùm per æquiualentiam eadem; facit enim æquiualentia, vt animal eandem rem addiscere F similiter aptum sit, sed non vt eandem actu retineat: quod quidem ostenditur similitudine accepta à naui secundùm partes renouata, qua ipsi quoque vtebantur; nam si quis in naui characteres aliquos imprimat, & post tempus aliquod mutentur vna post aliam trabes, & tabulæ omnes illius nauis, manebit quidem nauis eadem per æquiualentiam; sed characteres non seruabuntur. Vtranque igitur opinionem maximis, & vix solubilibus difficultatibus vrgeri manifestum.

Quomodo omnibus partib. eius, quod augetur, fiat additio magnitudinis, plures aliorum sententiæ. Cap. XIV.

DE reliqua etiam conditione altercatio magna est, quomodo quælibet eius, quod augetur, pars fiat maior: quum enim id, quod augetur, corporeum sit, proinde in infinitas partes diuiduum, & alimentum itidem corpus sit, non videtur fieri posse, vt omnibus prorsus corporis augendi partibus fiat accessio magnitudinis ex alimento adueniente, quin corpus à corpore penetretur, quod philosophi omnes impossibile penitus esse existimarunt: ideo Arist. vt hoc absurdum euitaret, dixit conditionē hanc de forma, non de materia intelligendum esse; ita vt quando dicitur, quamlibet partem rei crescentis maiorem fieri, id verum sit secundùm formam tantummodò, non secundùm materiam: quod Aristot. dictum magnas interpretum controuersias excitauit, quum dubium maximè sit quid Aristot. intellexerit per partes secundùm formam, & per partes secundùm materiam, & varię huius dicti interpretationes à multis excogitatę sint; vt videre est in memorato Pomponatij lib. de Accretione, & in quæst. Marsilij 12. lib. 1. de Ortu & interitu. Aliqui nomine *1. Opinio.* formæ animam intellexerunt, & nomine materiæ corpus, quæ est maximè propria, & euidentissima harum vocum significatio: & accretionem dixère attribui animæ, quoniam anima non fluit, sed eadem manet tam secundùm se totam, quàm secundùm partes ab ortu ad mortem vsq; ipsius viuentis, & omnes eius partes fiunt maiores sine vlla corporum penetratione, quia anima est incorporea; materiæ verò accretionem non attribui secundùm omnes eius partes, quia hæ sunt in continuo fluxu, neq; eædem per totam vitam manent, neque possunt omnes maiores fieri per additionem materiæ, quin corpus à corpore penetretur, quod quidem fieri nullo modo potest. Sed alij, qui non modò materiam, sed *2. Opinio.* etiam animam secundùm partes fluere existimarunt, ad aliam horum verborum interpretationem confugere coacti sunt: neque eandem omnes attulerunt, sed in varias sententias diuisi sunt. Aliqui enim dixerunt partes secundùm materiam intelligi partes homogeneas, quę sunt materia heterogenearum, partes autem secundùm formam esse partes heterogeneas; hæ namque certam figuram postulant, & ipsius animæ proxima instrumenta sunt, quocirca his præcipuè attribuitur accretio, & homogeneis propter ipsas. Alij verò dixerunt *3. Opinio.* duplex in viuente corpore esse humidū; vnum radicale, quod ab ortus initio trahitur; alterū cibale, quod ex alimento generatur: & radicale nunquam resolui, quoniam eius consumptionem mors necessariò insequitur; cibale

verò esse illud, quod ad humidi radicalis defensionem adijcitur, & hoc solum fluere continuè, & renouari: partes igitur habentes humidum radicale putarunt ab Aristot. appellari partes secundùm formam, quoniam anima in eis præcipuè residet; partes autem habentes humidum cibale vocari partes secundùm materiam, sunt enim veluti materia ad tutelam humidi radicalis adiecta, & in eis anima propriè non residet, & hæ continuè resoluuntur, & restaurantur: quoniam igitur accretio attribuitur illi, quod permanet, non illi, quod fluit, ideò Aristot. dixit accretionem fieri secũdùm partes formales, non secundùm partes materiales. Alij per formam intellexerunt totum animatum corpus, per materiam verò partes ipsius, quum Arist. in context. 31. secundi Physic. dixerit totum notare formam, partes verò materiam: quoniã igitur totum manet semper idem per æquiualentiam, partes verò sunt in continuo fluxu; & accretio attribuitur illi, quod permanet, non illi, quod fluit; ideo Aristot. dicens accretionem fieri secundùm formam, significare voluit eam esse attribuendã toti, quod permanet, non partibus, quoniam illæ omnes fluunt, nempe tam corporis, quàm animæ partes, quum anima à materia separari non possit: sic igitur hi dixerunt, Aristot. non intellexisse materiam ab anima distinctã, sed partes totius compositi animati prout distinguuntur à toto: ad hanc sententiam accessisse videtur Scotus in prædicta distinct. 44. quarti Sentent. quæst. 1. & hanc sequutus est Flaminius Nobilius in suis Commentar. in lib. 1. de Generat. Marsilius autem dicit duplices esse viuentis corporis partes, alias porosas, alias nõ porosas, id est, plenas; & porosas vocari ab Arist. partes formales, non porosas verò vocari materiales, propterea quòd partes porosæ sensiles sunt, & sensilitas conuenit formę, partes autem non porosæ insensiles sunt propter paruitatem, ideò attribuuntur materiæ, & dicuntur materiales: quum igitur partes porosæ augeantur recipiendo alimentum intus, quæ est propriè dicta accretio; non porosæ verò augeantur per solam appositionem alimenti, non per receptionem intus, quia fieri nõ potest penetratio corporum; hic autem sit improprius accretionis modus; idcirco Aristot. dixit accretionem fieri secundùm partes formales, quæ sunt partes porosæ, non secundùm partes materiales, quæ sunt partes plenæ. Alij quoque alia dixerunt, in quibus omnibus recensendis conterendum esse tempus non videtur, quemadmodum neq; in singulis modò numerantur sententijs refutandis; satis enim sit cognouisse quid alij dixerint, vt intelligatur, in quonam sit constituta huiusce rei difficultas: nunc veritatis declarationem aggrediamur, ea enim cognita facile, ac breue negotium erit cognoscere alterum errores.

4. Opinio.

Quinta opinio Marsilij.

Vera sententia, & eius comprobatio, & contrariæ refutatio.

Cap. XV.

Arbitror ego veram esse illorum sententiam, qui dicunt animam vegetantem (de hac enim sola in præsentia loquimur) in omni viuente vnam penitus, & eandẽ numero ab ortu ad finem vsque vitæ illæ. sam, & incorruptam tam secundùm se totam, quàm secundùm partes seruari, proinde eum corporis particulis fluentibus partes animæ non fluere; nihil enim meo quidẽ iudicio vanius, & ab animę natura alienior est, quàm dicere particulas animæ cum particulis materię continuè fluere, & alias nouas animæ particulas de potestate materiæ ad actũ educi: ad hoc ostendendum nullum adduci potest efficacius argumentum, quàm quod ex natura animæ sumitur: illud in primis certum est, Arist. in 2. lib. de Anima docuisse animã esse formã corporis, non quidẽ cuiuslibet, sed organici, hoc est, in varias instrumentales partes distincti, proinde heterogenei; & per hoc tanquã per conditionem essentialẽ definiuisse animam, atq; eam ab inanimatorum formis distinxisse: hæ nanq;, quum nullam instrumentorum distinctionem requirant, formæ sunt corporũ homogeneorum; anima verò, quum varijs facultatibus prædita sit, varia etiam instrumẽta corporea postulauit, quibus ad varias edendas operationes vteretur. Quum igitur anima sit heterogenei corporis forma, necessarium fuit, vt ordine quodam omnes illius partes perficeret, & in vna præcipua resideret, in qua ortum habens, postea ab ea cũ alijs partibus communicaretur, quemadmodum Arist. declarat in calce libelli de cõmuni animalium motu, & in tertio de Partibus Animalium, cap 4. 5. & 7. qua de re quum abundè iam loquuti simus in libro, quem de partitione animæ scripsimus, nunc eam sententiam breuiter referemus, & tanquam ibi declaratam, & confirmatam constituemus. Docet in dictis locis Aristot. animam in vno præcipuo mẽbro residere, quod in sanguineis animalibus inquit esse cor, in alijs verò, & in plantis aliud quiddam eodem munere fungens, & cordi proportione respondens; ideo quod nos nunc de corde dicemus, id de quolibet alio simili in alijs viuentibus membro intelligendum erit. A' corde igitur inquit Aristot. pendere animalis vnitatẽ: quia animal est vnum propter animam vnam, & anima est vna propter vnũ principium, in quo primùm oritur, & in quo præcipuè residet, & à quo ad alias omnes adnatas partes diffunditur; statim enim genito corde producitur in eo anima per eductionem de potestate illius materiæ ad actũ, dein adnascentibus cordi alijs membris ordinatim, anima ab illo principio ad alia membra animanda protenditur: vtitur autem ad hoc declarandum Aristot. exemplo regis,

Approbatio opinionis Thomæ.

Anima natura.

Vnitas animalis à corde.

regis, qui in sola vrbe regia resideret, sed potentiam suam ad omnes regni partes gubernandas extendit; ita vt si ad eius imperium accedat aliquod aliud nouum oppidum, ad illud quoq; regis potentia extẽdatur, quemadmodum in prædicto libro nostro fusiùs declarauimus. Cognouit ergo Aristot. viuentis corporis tantam partium varietatem habẽtia seruari vnitatem non posse absq; hoc ordine, & illarum partium colligantia, quæ consistit in earum omnium pendẽtia ab vna præcipua, in qua fuit primus animæ ortus; idq; manifestũ est sumpta a regno similitudine. nõ esset enim regnum vnum, nisi vnum regem haberet, qui in aliquo præcipuo loco residens vires suas ad cunctas alias partes extenderet. Ex his colligimus, duplicem esse animæ productionem in corpore secundùm Arist. licèt vnam propriè dictam, alteram verò satis impropriè: vna est, quæ fit in corde in initio generationis, eaque est verè productio animæ, & generatio per eductionem formæ de potestate materiæ ad actum; neq; in vno viuẽte fit, nisi semel, quemadmodum vna tantùm est generatio cordis, nec potest sæpius iterari: altera verò est, quando adnatis cordi cæteris membris innascitur in eis anima, non tamen amplius per eductionem de materia, sed per deriuationem à corde, & per influxum ab illo principio ad alia omnia, quæ adnascũtur, membra: quod autem in initio generationis euenit, illud idẽ postea in aggeneratione, quæ in nutritione per totã vitam fit, cõcedere debemus, scilicet animam à corde ad aggeneratas particulas deriuari, nã eadem vtrobiq; ratio viget: sic verò non propriè dicimus animam, seu partẽ animæ in aggeneratis partibus generari, nulla enim animæ pars producitur, quæ priùs non fuerit, sed potiùs noua materię particula, quæ priùs non erat, animæ iam præexistenti subgeneratur. Hanc ego sententiam sequendam puto, tanquam Aristot. & rationi magis cõsentaneam, quum alteram contrariam plura sequãtur absurda, eaq; penitus insolubilia. Primum quidem, si de noua particula carnis noua animæ particula educeretur, anima esset primò actus corporis homogenei; quare non esset essentialis conditio animæ illa, quam Aristot. in eius definitione accepit, animam esse actũ corporis heterogenei, sed etiam de similari corpore anima educeretur, & anima quidẽ tota: aliàs namq; ostendimus essentiam animæ esse totam, & integram in qualibet corporis parte; quum enim animæ essentia diuidua non sit, necesse est vt vbicunque esse dicitur, ibi sit integra. Præterea sequeretur nullum esse in viuente præcipuum membrũ, sed omnes corporis partes esse æquè præcipuas; siquidem præcipua pars nõ alia ratione indicatur, quàm ex primo animæ ortu in illa, & ex præcipua eius sede, à qua ad alias partes anima deriuatur, atq; diffunditur; quocirca si vbicunque anima

Productio animæ duplex est.

Primum argumentum.

Secũdum argumentum.

A oritur, vbiq; est membrum præcipuum; falsa igitur erit Arist. sententia de primatu cordis, quia sic omnis aliarum partium à corde pendentia tollitur; ab eo idem enim res pendet secundùm conseruari, à quo pendet secundùm esse; quare si in partibus corporis anima secundùm esse non pẽdet à corde, sed in singula parte est primũ educta de materia, neq; secũdùm conseruari pendebit à corde. Quapropter sequeretur etiam oportere quodlibet mẽbrum B ab animali separatum viuere aliquandiu: nam si membrum non habet animam à corde influentem, sed in ipso primùm exortam, nulla esse potest ratio cur separatũ membrum à toto non debeat aliquandiu animam retinere, quum substãtialis interitus non fiat sine præuia alteratione, quæ non potest esse subita, sed in tempore fit necessario: imò non solùm membrum, sed etiam quęlibet carnis particula separata deberet ob eandem rationem ali- C quandiu viuere, hoc tamen omnium consensione falsum est, & experientię, ac sensui repugnat. Præterea sequeretur etiam non vnã esse animam in vno viuente, sed plurimas; in singula enim aggenerata carnis particula inesset anima propria, & seorsum ab alijs educta de illa materia: idq; cõfirmatur per memoratum Aristot. dictum in 3. libr. de Partibus animalium, animal est vnum propter animam vnã, & anima est vna propter vnum principium, D quod est cor, in quo exoritur, & in quo residet; nam secundùm illorum sententiam non vnum est principium generationis animæ, quum ęque in singula parte anima generetur, proinde non vna est anima, neque vnum animal: sed præter Aristotelis testimonium id omnino confiteri nos ratio cogit: nam in tanta partium varietate non potest totius vnitas seruari, nisi per colligantiam; nulla autem esse earum colligantia potest, nisi per naturalem E ordinem, & aliarũ pendentiam ab vna: quemadmodum ergo Aristot. dicit vnum esse animal propter vnum principium generationis animæ, ita si plura sint talia principia, plura quoq; animalia in quolibet animali erunt, & plura quotidie generabuntur. Hæc & alia eiusmodi absurda manifestissima euitamus, si cum Arist. dicamus eductionem animæ vegetantis de potestate materiæ ad actũ semel tantùm fieri, & in solo corde, seu alio membro, F quod cordi proportione respondeat, in initio generationis cuiusque viuentis, deinde ab eo diffundi animam ad alias adnatas partes, & per totam vitam ad particulas materię ex alimento aggeneratas, nec posse in alia parte præter membrum præcipuum animam de potestate materiæ educi. Propterea optimè illos sentire arbitror, qui dicunt animam non ita esse materialẽ, atq; diuiduam, vt non sit etiam immaterialis, & indiuidua; est enim mediæ naturæ inter formas penitus à materia abiũctas, & formas materiæ prorsus immersas, quæ sunt for-

Tertium argumentum.

Quartum argumentum.

mæ inanimatorum; formæ nanque à materia abiunctæ omnino indiuiduæ sunt, & nullam habent quantitatem, quia nullam habent materiam: formæ verò inanimatorum sunt necessariò adiunctæ quantitati materiæ, in qua extenduntur, & determinatæ etiam quantitati, & determinatæ materiæ, sine qua existere nequeunt: forma enim, quæ est in hac aquæ particula, ita est alligata huic portioni materiæ, & huic determinatæ quantitati, vt non possit extendi ad informādam aliquam aliam materiæ portionem additam; sed si aliqua materiæ portio adijciatur, quæ debeat aquæ formam recipere, oportet de potestate illius alterius materiæ aliam aquæ formam educi: anima verò medio modo sese habet; nam est quidem necessariò materiæ, & quantitati addicta, quia sine materia, & sine quantitate esse nullatenus potest; non est tamen ita addicta determinatæ materiæ, ac determinatæ quantitati, vt non possit materiam quantam mutare, & aliam, cui inhæreat, sibi adscribere, non ita tamen, vt possit materiam, in qua est, derelinquere secundùm totum, & ad aliam transire, quia si tota simul materia destruatur, perditur anima necessariò; sed secundùm partes, & per successionem, manente scilicet eadem materia per æquiualentiam, vt antè declarauimus exēplo nauis, cuius partes diuersis temporibus renouentur, non eodem tempore omnes; hanc enim cōseruationem eiusdem rei per æquiualentiam in ipsa quidem materia & in partibus corporis concedimus, at non in anima, cuius partes fluentibus materiæ partibus minimè fluunt; est enim anima forma nobilioris conditionis, & magis eleuata, ac libera à nexu materiæ, quàm formæ inanimatorum, quæ nullum in materiam imperium habent, sed in ea prorsus immersæ sunt: anima enim, quatenus sine materia esse non potest, materialis est, & semper extensa, & semper quanta, ac diuidua; sed quatenus fluentibus materiæ partibus ipsa non fluit, sed in remanentibus integra manet, & ad alias renouatas materiæ partes extenditur, redolet naturam formæ immaterialis, & indiuiduæ.

Quintum argumentum, & declaratio text. 41. lib. 1. de Generat. Hæc fuit absque dubio sententia Aristotelis in context. 41. lib. 1. de Generatione, quando dixit, formam, secundùm quam fit nutritio, & accretio, esse formam quandam immaterialem, in materia tamen existentem: quam eius loci interpretationem a Latinis adductam omnino sequi debemus, reiecta altera Ioannis Grāmatici, etsi nunc à multis recepta, in qua ego aliàs, dum eum locum publicè declararem, multa notaui absurda tū in Philosophia, tum in Grammatica ex verborum Aristotelis Græcorum consideratione; nam rei veritas hæc est: quum Arist. priùs formam eius, quod augetur, nominasset, voluit aliquid dicere de hac forma, secundùm quam nutritio & accretio fieri dicitur; sed quia forma hæc est anima

A vegetans, quam in eo libro considerare minimè conueniens erat; ideo etiam ab animę nominatione abstinere volens satis habuit eam propria conditione circunscribere, & significare, dicendo eam esse formam immaterialē, materiæ tamen inhærētem, hæc enim non est nisi anima: hoc significant verba illa Græca, τῦτ δὲ τὸ εἶδος, quum enim in præcedentibus formam rei, quæ augetur, nominasset, idcirco postea his verbis subiunxit, hæc autem forma

B sine materia, nec significare potuit aliam formam, quàm illā, quam iam nomine formę appellauerat; at secundùm Ioannis Grāmatici opinionem oporteret formam in his verbis esse prædicatum, vt sensus esset, hæc autem est forma sine materia; hoc tamen dicere non possumus, quia articulus ostendit formam ibi esse subiectum, non prædicatum: præterea dictio illa, τῦτ, est neutri generis, quare non potest ad alimentum referri, quod à Græcis fœminino

C nomine τροφὴ appellatur: sed magis est ea sententia absurda, quàm vt in præsentia confutari mereatur, nam & secundùm eam maximè impropria, & incongrua est Aristot. loquutio, & in multiplicem errorē, ac repugnantiam incideret Aristot. si id, quod ei Ioannes attribuit, significare voluisset. Non possum hìc me continere quin dicam id, quod mihi eum locum consideranti venit in mētem, quod non credo Arist. cogitasse, quanquam illud cogita- *Nota de anima humana immortalitate.*

D re maximè debuit; sumitur enim ex eo loco, & ex Aristotel. confessione argumentum aliquod, vel saltem coniectura de animæ humanę immortalitate: quum enim de anima vegetante, quæ ignobilissima omnium animarum est, loquens ibi Aristot. fateatur eam esse modo aliquo immaterialem, & eleuatam, & liberam à nexu materiæ, quia potest saltem à partib. suæ materiæ separari, credendum est animam sensibilem multò eleuatiorem esse, sed

E maximè omnium animam rationalem; proinde ita esse liberam à nexu materiæ, vt possit etiam à tota sua materia separari, si aliæ partes animæ sunt à partibus saltem suæ materiæ separabiles; eo enim negato non haberet anima rationalis maiorē eleuationem, quàm anima vegetans, quod non videtur cōsentaneum esse rationi. Sed vt ad id, de quo sermo erat, reuertamur, sumitur etiam nostræ sententiæ confirmatio ex ijs, quæ dicuntur ab Aristot. in *Sextum argumentum.*

F context. 36. eiusdem libri; ibi namque vtrem aqua fluente plenum comparans cū corpore, quod augetur, vtri similem esse dicit formam eius, quod augetur, aquæ verò fluenti similem esse materiam; siquidem materia semper fluit, quemadmodum aqua illa per vtrem, manente tamen vtre sine aliquo fluxu, sicuti etiam forma eius, quod augetur, non fluit. Similiter in context. 42. de imminutione loquens dixit materiam, & quantitatem minui, formam autem manere; putauit igitur nullam formę partem cum fluente materia fluere, sed totā animam *Septimum argumentum.*

mam remanere, & ad reliquam materiam restringi: nam si substantiam quoq; formæ in particulis materię fluentib. corrumpi, & fluere cum materia existimasset, non potuisset vllum materiæ & formæ discrimen statuere ratione fluxus, vel permanentię, quoniam idem prorsus de vtraque dicendum fuisset.

Dubia contra veram sententiam, & eorum solutio. Cap. XVI.

VErum sentētia hæc ita magnis difficultatib. vrgeri videtur, vt multi eas solui nullo modo posse arbitrantes, hac reiecta, alteram, quam nos modò cōfutauimus, sequi maluerint: has igitur soluere nitēdum est, vt si nobis non ita eas diluere datum erit, vt omnes conquiescant, id saltem præstemus, vt ij, qui mediocri ingenio præditi sunt, & ritè philosophari volunt, dum eam cum contraria opinione cōtulerint, hanc cum minoribus difficultatib. coniunctā esse cognoscant,

1. Dubium.

& fateantur. Duo potissimū dubia sunt, quæ maximè infirmare nostram hanc sententiam videntur. Vnū est quòd per eam ponitur forma migrare de subiecto in subiectum, quòd & de accidentib. & de formis omnibus materialibus impossibile prorsus esse omnes existimant; quòd aūt hoc sequatur, patet: nam si illa eadem numero anima, quę est in carne vetere, transit ad informādam carnem nuper ex alimento aggeneratam; & illa eadē, quæ erat in particulis materiæ cōsumptis, nō fluxit cū illis, sed remanens contrahitur, & restringitur ad alias materię partes remanentes, absq; dubio eadē numero anima migrat de subiecto in subiectū.

2. Dubium.

Alterum dubiū est, quoniā Arist. in lib. 1. de anima docuit animam non esse per se mobilem, sed solum per accidens ad motū corporis, nam in libro 6. Phys. auscultationis ostēderat sola corpora esse per se mobilia: at secundùm hanc sententiam anima per se moueretur, nō ad motum corporis; quādo enim ad aggeneratam carnem extenditur anima, & quando à parte carnis cōsumpta ad remanentem carnis partem retrahitur, non potest hūc transitū facere, nisi loco moueatur; itaq; mouetur loco p se, quia nulla corporis pars tunc loco mouetur, sed sola particula animæ locū mutat, quod est moueri per se.

Solutio primi.

Hæ sunt validissimæ obiectiones, vt multis videtur, quæ sententiam hanc prorsus euertere, & impossibilē reddere videntur: ad quæ quid dici possit, proponitur nobis in pręsentia considerandum.

Nota quæ migratio sit impossibilis.

Ego quidè arbitror priorem dubitationem non tanti esse momenti quanti eam esse plures arbitrantur, quū ex ipsamet resolutio sumi videatur: migratio enim quæ à philosophis impossibilis esse existimatur, est illa solùm qua accidēs, vel ipsa forma totum suum subiectum derelinquat, & eadē numero ad aliud transeat; sed dummodo forma totum suum subiectum non deserat, sed in eo maneat, potest absque vlla absurditate ab vna eius parte ad aliā informādam transire: neq; hæc dicēda est migratio, sed quędā nomine carens transitio, quæ in nulla forma vel accidēte materiali est admittenda, nisi in sola anima, ob eius naturam aliquātum eleuatam, & mediam, sicut antea declarauimus: in alijs igitur omnib. formis, & accidētibus naturalib. nullam siue secundùm totū subiectum, siue secundùm partem fieri posse migrationem concedimus; at in anima est possibilis, imò & necessarius trāsitus, ac diffusio ab vna corporis parte ad aliā: & huius discriminis ratio ex eo, quod aliàs declarauimus, satis clara desumitur; nam cæteræ præter animam formæ naturales sunt formæ corporū similariū, in quib. eadem est natura, & cōditio totius, & partis cuiuslibet, proinde in ea forma participāda nullus est in partib. ordo naturæ; sola anima est forma corporis organici, & dissimilaris, & ei⁹ corporis partes, quarū magna est varietas, informat, ac perficit certo quodam, ac necessario ordine, vnā quidem, primò, ac præcipuè, deinde alias p illam, & per deriuationē ab illa; quamobrē necesse est vt ab vna præcipua viuentis parte ad alias partes anima diffundat. & hoc quemadmodū in prima totius viuētis generatione fieri certū est, ita in quotidiana nutritione est concedendū; eaq; migratio, si modò migratio vocanda est, nō est impossibilis in anima, sed necessaria, & ipsi naturæ animæ maximè consona. Mutatis igitur per successionē partibus viuentis, toto tamen corpore eodē per æquiualentiā seruato, potest anima à membro præcipuo, in quo est radicata, ad aggeneratas partes protēdi, & ita semp informare, atq; viuificare totū corpus, q per totam vitam idem per æquiualentiā seruari dicitur: quocirca ea non est animæ migratio vocanda, quū semper in eodem corpore seruetur, neq; de illo toto ad aliud totum transeat. Hoc videtur concessisse inter aduersarios Scot. in prędicta quæst. 1. distinct. 44. quarti Sent. vbi aduersus sententiam nostram ita argumentatur: quando anima, quæ est in materia vetere, transit ad nouā materiam informandam, deseritne materiam veterem, & ad nouam transit, an informat simul vtranque? si primum, ergo migrat de materia in materiam; si secundū, ergo eadem forma perficit simul duo perfectibilia, quorum vtrunq; separatim acceptum illi est adæquatum: concedit igitur Scotus, si secundū ponatur, nō esse migrationem, sed ex eo aliud absurdum deducit: ad quod tamē nos facilè respondemus. dicimus enim posse duobus modis intelligi animā corpori adęquari, vno mo

Scoti concessio.

do secundùm quantitatẽ, altero modo secundùm proportionem; si secundùm quãtitatem intelligat, vt intelligere videtur, anima nulli corpori adęquari potest, quia non adęquatur nisi quantum quanto, anima verò per se quanta non est, proinde vana est quæstio de animæ adæquatione cum corpore; eadem enim anima vegetans ita est adæquabilis corpori formicæ, vt corpori elephantis, vel alicuius magnæ arboris, quãtitatem enim non habet, nisi quam recipit à materia, & ita apta est extendi in magna, & in parua materia, quẽadmodum etiam dicimus eandem animam ita adęquari corpori gigãtis, vt corpori Pigmęi: argumentum igitur Scoti vanum est, quoniam anima & paruæ, & magnæ materiæ adæquabilis est, & quando caro facta est maior, non sunt ibi duo perfectibilia ab anima, sed vnum, quod prius erat minus, postea est factum maius, imò totum viuentis corpus est vnicum perfectibile: secundùm proportionem autem rectiùs dicimus animam corpori adæquari, seu potius corpus ipsi animæ; quum enim anima pluribus facultatibus prędita sit, tunc corpus dicitur esse illi adæquatum perfectibile, quãdo omnibus instrumentis præditum sit, quæ ad exercendas illas omnes facultates requiruntur: ideò si quis homo sine manibus, vel sine oculis nascatur, anima non habet integrum, & sibi adæquatũ perfectibile, quia non potest in illo corpore suas omnes facultates exercere: si igitur hoc modo Scotus intelligat adæquatum perfectibile, vanum similiter eius argumentũ est, quia nulla corporis pars est animæ adæquatum perfectibile, nec membrum vllum, imò nec totum viuentis corpus, quando est mutilatum, sed solùm quando omnibus instrumentis præditum, quæ facultatibus omnibus animæ respondeant. Hoc igitur modo tolli facilè puto priorem difficultatem, & in hac solutione ego quidem penitus acquiesco. Maioris momenti esse videtur altera obiectio de Animæ motu, ab vna enim corporis parte ad aliam trãsire eadem anima non posse videtur, nisi loco moueatur. Ego quidem non absurdum fore respõsionem puto, si cum Ioãne Bacconio in distinct. 18. lib. 3. Sentent. diceremus, animam ad informandas aggeneratas partes transire non per motum, sed modo quodam alio nobis occulto, & abscondito; fateamur enim velimus nolimus, necesse est plurima fieri in natura, quorum rationem & modum nõ intelligimus: quemadmodum igitur fatui hominis esset negare illam, quam videt, pluuiam de sublimi loco descendere, quòd modum generationis eius ignoret; ita ingenui, ac verè philosophici animi est humani ingenii infirmitatem, & nostram ignorantiam confiteri, qua frequentissimè fit vt rerum manifestissimarum causas, & modum generationis intelligentia non assequamur: dicere igitur possumus animam ad aggeneratam partem informandam effundi absq; motu; quis autem & qualis ille transitus sit, nos ignorare; hoc enim asserentes vel nõ erramus, vel multò minus erramus, quàm qui transitum illum, licet per se manifestissimũ, inficiari audent, propterea quòd modũ, & rationem eius non intelligunt. Sed si quid hac de re dici potest, illud est, quod Pomponatius dicit in lib. suo de Accretione, cap. 15. eaq; mihi videtur tuta, firmaq; responsio, animam vegetantem partim materialem, partim immaterialem esse, vt Arist. dixit in contex. 41. primi de Ortu & interitu; quem locum Pomponatius optimè intellexit: materialem quidem, quatenus de materia educta est, & est necessariò addicta materiæ quantæ, sine qua existere non potest; immaterialem verò, quatenus transit secundùm partes eiusdem corporis ad informandam aliam materiam similem, de qua nõ est educta, propterea quòd nõ est ita addicta statutę materię, vt ad aliã transire non possit eo scil. modo, quem in prioris dubitationis solutione declarauimus: quum igitur protẽdatur eo modo anima à parte materiæ ad partẽ, hoc præstat, quatenus immaterialis, & indiuidua est, non quatenus materialis, atq; diuidua, id autem, quod immateriale, & indiuiduum est, vt locum non occupat, ita nec loco moueri dici potest: ideo transitus ille non est vocandus localis motus, neq; omnino motus, quia nõ mouetur nisi id, quod corporeum est; sed est accessio subita rei immaterialis. Ob id ne hac in re decipiamur, notandum est aliud esse mutationem alimenti vltimi in substantiã, vt in carnem, vel in os, aliud esse extensionem, seu fluxum animæ ad eam: mutatio quidem alimenti in substantiã est verus motus, est enim alteratio in tẽpore facta, quam insequitur etiã substantiæ mutatio, de qua postea loquemur; sed extensio animæ ad illam aggeneratam partem subita, ac momentanea est, neq; est vocãda motus: itaq; sola materia verè mouetur, sicuti sola verè locũ occupat; anima verò vt in loco non est, ita nec verè moueri dicitur, sed absq; motu ad aggeneratam partẽ subitò extẽdi, sicuti rei immateriali & indiuisibili conuenit vt extendatur ad aliã. Quod verò Arist. dicit, animam nõ esse per se mobilem, intelligendum est de anima tota, & quidem respexisse Aristotel. manifestum est, quum illi quoq; philosophi, quorum ibi sententiam improbat, hoc solum intellexerint: non potest enim anima tota sine corporis motu mutare locũ, & de toto subiecto in totum aliud subiectum trãsire, quemadmodum antea de migratione dicebamus, neque tota se ipsam m-

ipsam mouere, vt illi philosophi dicere visi sunt: sed manente anima in eodē toto viuente extensionem eius ad omnes aggeneratas partes animandas Arist. non negauit, neque motum animæ appellat, sed soli materiæ, & corpori motum attribueret; dicendum enim potiùs est, nouam materiā mutari ad recipiendam animam, quàm moueri animā ad illam informandā: cuilibet enim aggeneratæ parti iam adest anima, quę in toto corpore existens æquè apta est & paruam, & magnam materiam informare. Hæc ad propositas obiectiones dicenda esse puto, & profiteor mihi per illa ita esse satisfactum, vt de hac re non dubitem; quum enim reio ipsam ita sese habere constanter existimem, de modo, quo id fiat, contentus esse volo eo, quod in re difficillima, & sensum maximè latente assequi, & complecti humana ratio potest: quisquis autem in his non acquiescat, is debet vel confiteri se concessa rei veritate modum ignorare; vel hunc ipse inuenire, & in medium proferre; vel tandem si à nobis dissentiens contrariam sententiam sequatur, ad illa, quæ nos aduersus eam attulimus, respondere.

Quomodo in accretione duæ posteriores conditiones seruentur, Cap. XVII.

Sententia hæc nostra eo argumento maximè confirmatur, quòd eam sequentes facilè seruamus duas illas accretionis reliquas conditiones; quòd idem numero maneat id, quod augetur; & quòd omnibus partibus fiat accessio magnitudinis, idq; verum sit ratione formæ, non ratione materiæ: prior enim conditio omni dubio caret, quia manente prorsus eadem forma per totam vitam absque aliquo suarum partium fluxu totum viuens idem manere dicitur, quia vnitas indiuidui à forma prouenit, & constituitur. At secundùm illos, qui dicunt partes animæ cum partibus materiæ fluere, non video quomodo seruari hæc conditio possit, tandem enim tota animæ substantia erit mutata, quare non idem viuens seruatur: quod verò dicunt eandem manere per æquiualentiam, vanum est, siquidem materia quoque sic per æquiualentiam eadem seruatur, quare nullum est in hoc materiæ, & formæ discrimen: hoc tamen Aristotel. aduersatur, qui dixit materiam esse in continuo fluxu instar aquæ per vtrem fluentis, formam verò manere instar ipsius vtris; deinde etiam dixit quantitatem imminui, sed formam manere; significans concedi posse quantitatem formæ fluere, at non ipsam formæ substantiam: solam autem formę quantitatem fluere est nihil formæ fluere, quum sit quanta per accidens, & nil aliud significat, quàm animam desinere per illam partem extendi, & esse quātam per illam. Reliqua etiam conditio, licèt maiore declaratione indigeat, facilè tamen secundùm hanc nostram opinionem intelligitur; contrà verò, hac negata, nullum idoneum sensum recipit, vt coniectare quisque potest ex eorum dissensione, qui putantes animam quoq; secūdùm partes fluere, varias, quas antea retulimus huius tertiæ conditionis interpretationes, easq; omnes absurdissimas, vt mox ostēdemus, commenti sunt. Hæc igitur antequam declaremus, tollenda est propter illa, quæ mox dicentur, quædam ambiguitas, quæ fortassis aliquem trahere in errorem posset: quum enim sæpe nobis contigerit in hac nostra disputatione vt extēsionem nominaremus, animaduertendum est duas esse, easque inter se valde discrepantes, quarū antea meminimus, extensiones, ne vnā cum altera confundamus; vna est extensio animæ subita ad partes substantiæ aggeneratas, altera verò est totius corporis extensio ad maiorem quantitatem; & in hac posteriore diximus esse accretionis naturam constitutam, non in altera priore, quæ est solius animæ extensio, & potiùs vocanda esset defluxio, seu deriuatio virtutis animæ ad omnes corporis partes viuificandas: & hæc etiam in viris, & in senibus fit, licèt non amplius augeantur; dum enim per aduenientem materiam nutritur senex, extenditur anima ad illam aggeneratam materiam, nec tamen illa est accretio. Quum igitur accretio consistat in ea, quæ est totius corporis extensio facta ab anima per additionem nouæ materiæ, & Arist. dicat talem accretionem fieri secundùm omnes partes formæ, non secundùm omnes partes materiæ; vt hoc plenè declaremus, tria nobis considetanda proponūtur, ad quæ singula accretionem referamus, materia, forma & compositum. quū enim in accretione quodlibet horum maius fiat, videndū est, quomodo tum materia, tum forma, tum compositum, tam secundùm se tota, quàm secundùm partes augeantur, & cuinam ex his tribus tanquam præcipuo, & æquato subiecto accretio attribuenda sit.

Postrema accretionis conditio quomodo intelligatur.

Duæ extensiones.

De duplici viuentiū materia, & de nutritione quomodo fiat, & quid sit. Cap. XIIX.

Vt à materia ordiamur, certū est, ipsam accessione nouæ materię maiorem fieri: & quia materiæ nomine non primā omniū materiā, & remotam intelligimus, sed propinquā & propriā, hęc duplex est, & vtraq; augeri dicitur; nā & heterogeneæ partes, quæ membra vocantur, sunt viuentis materia propinqua, vt in animali caput, & pes, & manus, & in arbore truncus, & rami; & homogeneæ sunt materia heterogenearum, ex carne enim

Partes viuentis duplices & vtrinsque accretio cum prius primæ.

& osse, & nervo, & alijs similaribus constant animalium partes dissimilares: his vtrisque partibus Arist. accretionem attribuit, & vtrisque primò, alia tamen, & alia primitate; primùm enim augentur similares primitate originis, sed primùm dissimilares primitate scopi, & intentionis naturę, quum dissimilarium gratia similares sint à natura constitutæ: quoniam igitur dissimilares non augentur, nisi quatenus similares, è quibus constant, augentur, nos accretionem in similarib. tãtùm considerabimus, & has tanquam materiam viuentis, cui accretio attribuitur, accipiemus: & quia ad huius materiæ reparationem nutritio pertinet, & absque nutritione fieri accretio non potest, de nutritione quomodo fiat, & quid sit, breuiter dicemus, deinde ad declarandam huius materiæ accretionem progrediemur. Homogeneas viuentis partes continuè consumi à calore naturali, & in continuo fluxu esse iam diximus; ad huius igitur materiæ reparationem sumunt viuentia alimentum, vt pro particulis consumptis in homogenearum partium substantiam conuertatur: hæc igitur alimenti in substãtiam similaris partis cõuersio nutritio dicitur, quæ nihil aliud est, quàm generatio partiũ materiæ similarium loco partiũ, quæ effluxerunt, propterea nutritio non est mutationis species ab alijs mutationibus distincta, reducitur enim ad mutationem substantialem, quæ dicitur generatio & interitus, vt significauit Arist. in 1. lib. de Generat. partic. 41. dicens, nutritionẽ respicere substantiam, & in hoc distingui ab accretione, quę respicit quantitatem: si igitur substantiam respicit, generatio quædam est, quia nulla mutatio ad substantiam tendit, nisi generatio: & est reuera generatio, si absq; animæ consideratione ipsam per se homogeneã partem cõsideremus, vt carnem, & os, tanquã cõpositum constans ex materia prima, & sua forma mistionis, interit enim forma sanguinis & generatur forma mistionis; quare est vera generatio carnis ita sumptæ: at si animã complectamur, differt modo aliquo à generatione nutritio; generatio enim est mutatio ad formæ acquisitionem tẽdens, nutritio verò est mutatio tendens ad acquisitionem materiæ sub præexistente forma: anima namque nutritioni præexistit, & noua materiæ portio per nutritionem generatur pro sustentatione animæ; ideò terminus ad quem nutritionis, est acquisitio materiæ respectu animę, sed exclusa per cõsiderationem anima, terminus ad quem, est forma mistionis: sic igitur nutritio partim est generatio, partim differt aliquantum à generatione, scil. dum adhibetur consideratio animæ, quia non est mutatio ad formam, sed ad materiam, nisi forte dicamus etiam ratione animę esse generationẽ quandã, quia est mutatio tendens ad receptionem animæ, à qua incipit materia informari in fine nutritionis, quum priùs ab ea non informaretur; est igitur generatio aliqua per aduentum formæ substantialis, quæ est anima, non est tamen vera generatio, quoniam anima de illius materiæ potestate nõ educitur, sed quũ priùs in alijs partibus esset, postea ad eam partem adiectã extenditur, & ita est noua informatio eius materię ab anima, non tamen noua illius formæ eductio de potestate materiæ: si quis verò obijciat; non potest materia ab aliqua forma informari, nisi ea forma de potestate ipsius materiæ educta sit: ad hoc dicendum est, satis esse si forma illa sit educta de potẽtia vel illius, vel alterius materiæ, quod quidem de anima concedendũ esse iam diximus, neq; in generatione partium materiæ absurdũ dicendum est, sed absurdum esset in generatione totius; nõ potest enim anima migrare à tota sua materia ad aliam totã, sicuti suprà declarauimus in solutione argumenti de migratione. Patet igitur, nutritionẽ esse aliquo modo generationem, quatenus aliquo modo est via ad formam; & aliquo etiam modo differre à generatione, quatenus est via non ad formam, sed ad materiã debentem sustinere pręexistentem formam, neque ad materiam totam, sed ad partes materiæ: est igitur modus quidam generationis improprius, qui licèt omnino generatio non sit, ad generationem tamen reducitur, quia ad substantiæ productionem tendit, vtcunque id sit; etenim etiam materia est substantia, præsertim materia secunda, & formata, de qua nunc loquimur: videtur autem hoc significasse Arist. in contex. 39. libri 1. de Ortu & interitu, quando dixit, nutritionem esse potiùs aggenerationem, quàm generationem; generatio enim verè esset, si caro per se existens, & separata generaretur; sed aggeneratio est, quando generatur adiuncta alteri carni, & vt pars totius; generatio autem vt partem est generari vt materiam sub forma præexistente, quia partes materiam significãt: quoniam igitur tũc respicimus totum, quod non generari, sed nutriri dicitur; ideò nutritio non est omnino generatio, quia respectu totius viuentis, non est generatio. Quid igitur sit nutritio, dictum est.

Nutritio quid.

Quomodo materia, & eius partes in accretione maiores fiant.

Cap. XIX.

Quoniam igitur nutritio est acquisitio partium materiæ loco partiũ consumptarum; si maiores consumptis acquirantur, idq; in omnibus homogeneis partib. præsertim verò in ossibus fiat, tunc pręter nu-

nutritio

tritionem fit etiam accretio: quare negari nō A potest materiam quoq; vincentis maiorem fieri, & per nouæ materiæ additionem augeri, vt carnem per carnis aggenerationem, & os per aggenerationem particularum ossis, idq; fieri per receptionem alimenti intus: iam enim diximus, partes omnes homogeneas plurimis esse refertas minutissimis foraminibus, per quę intrò pertransit alimentum: est igitur considerandum, quomodo & tota materia, & eius partes augeantur, vt intelligamus id, qđ B Arist. dixit, & totum, & omnes partes aliquod recipere magnitudinis incrementum, idque verum esse ratione formæ, non ratione materiæ. Vt à materiæ consideratione ordiamur, sciendum est, duo partium genera esse in qua libet similari parte, quam in præsentia tanquā in materiam nobis considerandam proposui mus; aliæ namq; dicuntur partes maiores, aliæ verò minimæ: maiores vocantur illæ, quæ intus habent foramina, per quæ sunt actu di- C uisæ in minores; foramen enim, quod in carne est, separat quodammodo vnam carnis particulam ab alia; de his maioribus partibus idem dicendum est, quod de accretione totius, de qua mox loquemur: minimas autem carnis partes voco illas, quæ nullum amplius intra se foramen continent; neque has appello minimas, quia non dentur aliæ minores, quemadmodum disputari solet, an detur minima caro, qua non detur alia minor: sed concedo diuiduas esse in alias minores, proinde D hac ratione non esse minimas; sed ea tantùm ratione voco minimas, quia singula est indiuisa, nec habet actu porum, per quem diuidatur, ita vt minimæ dicantur ratione actus, sed non ratione potestatis; possunt enim diuidi in minores, sed non sunt actu diuisæ per poros: quòd autem dentur actu hę partes minimæ ex necessitate, considerantibus manifestum est; quum enim finitus sit foraminum numerus, necesse est dari duo foramina ita E propinqua, vt nullum habeāt aliud foramen interpositum, sed solam materiæ particulam, vt carnis, foramine prorsus carentem, eamq; nunc appello partem minimam. Si quis igitur quærat, an pars hæc minima augeatur, dicendum est eam augeri quidem, non tamen per receptionem alimenti intus; quum enim in se nullum foramen habeat, nihil intra se recipit, quia non potest in eam ingredi alimentum, nisi fiat corporum penetratio, sed F per solam nouæ carnis appositionem maior fit: proinde non habet propriè dictam accretionem, sed eam, quæ fit per appositionem extrinsecus; differt tamen ab illa aliarum rerum accretione impropria, quę per appositionem fit, vt quando per frumenti appositionem crescit aceruus, & cera per appositionem ceræ: nam si caro à nulla alia forma informaretur quàm à forma mistionis, vtiq; carnis ad carnem appositio, & illa, quæ est ceræ ad ceram, nullum discrimē haberent; sed differentia est penes animam: etenim in particula minima carnis inest anima, quę appositum alimentum in nouam carnem conuertit, & ad eam postea informandam extenditur; at in cera priore nulla inest vis mutandi aliquid in ceram, neq; forma aliqua, quæ ad appositam nouam ceram extendatur, ideò non est accretio, sed mera appositio: hæc autem minimæ partis accretio, licèt secundùm seipsam non omnino sit vera accretio, est tamen vera accretio, quatenus illa particula consideratur vt pars totius, quod intus recipiendo in se alimentum verè augeri dicitur. Tota verò materia magis propriè dicitur augeri, quia nō per solam appositionem maior fit, sed per receptionem alimenti intus, sanguis enim per foramina ingrediens intima corporis penetrat, quod significauit Arist. in contex. 39. libri prædicti, quando dixit alimentum cum re nutrienda commisceri, hoc est, per poros ad minimas vsq; materiæ particulas penetrare; non enim veram illam mistionem intellexit, de qua loquitur in calce eiusdem libri, nam in vera elementorum mistione intereunt formæ elementorum, quatenus migrant in formam vnam quintam distinctam ab eis; in accretione verò sanguis per foramina ingrediens cum carne commiscetur, deinde in carnem mutatur; quare non est vera mistio, quum sanguis intereat, caro autem maneat: sed non ob id similis est mistioni aquæ cum vino: & harum differentiā tetigit Arist. in eo contex. 39. quoniam in mistione aquæ cum vino penetrant quidem partes aquę ad minimas vsq; vini particulas, sed non conuertuntur in vinum, licèt ita vulgaribus hominibus videatur, seruatur enim aqua cum vino commista, quia vinum non habet vim mutandi aquam in vinum; at in carne vetere inest vis conuertendi commistum sanguinē in aliam nouā carnem: hoc igitur modo tota materia augetur per receptionem alimenti intus: & eodē modo augentur etiā partes maiores, sicut paulò antè dicebamus, quoniā hę quoq; intus recipiunt alimentum per poros ingrediēs: sed partes minimæ, quū non habeant in se aliud foramen, augentur solùm per appositionē alimenti extrinsecus, non per receptionem intus. Hæc quū ita sese habeant, facile est sententiam Arist. interpretari, quando dicit accretionem fieri secundùm omnes partes formæ, non secundùm omnes partes materiæ: de forma quidē posterius dicemus, nunc de materia facile est dictum Aristotelis declarare per ea, quæ modò diximus: materia namq; est per se quanta, & per

Partes materia alia sunt maiores, alia minimæ.

Quomodo minima materia pars augeatur.

Quomodo tota materia, & maiores partes augeantur.

Cur non secundùm omnes partes materiæ accretio fieri dicatur.

ſe in infinitum diuidua, proindeq; partes habet infinitas, non quidem actu, ſed poteſtate; igitur particula illa, quam modò minimam vocabamus, reuera non eſt minima, quoniam eſt adhuc diuidua in alias, licèt non ſit actu diuiſa per aliquod foramen, quũ nullum habere ſtatuatur: Hanc igitur partem minimam appellemus A. & quia diuidua eſt poteſtate in partes, has vocemus B. & C. quando igitur ipſi A. apponitur alimentum, id toti minimæ apponi dicitur totum ſimul, ſed non ſeparatim pars eius apponitur ipſi B. & alia pars ipſi C. ſed totum ſimul toti A. quoniam igitur dicendo omnes partes materiæ, complectimur partes illas infinitas, in quas diuidua eſt poteſtate, ideò hoc reſpiciens Ariſt. dixit non omnibus materiæ partibus fieri additionem magnitudinis, nõ quòd negauerit materiam augeri, reuera enim & tota materia, & partes eius augentur per nouæ materię acceſſionem, non tamen partes omnes; quia partibus omnibus infinitis, in quas diuidi poſſunt partes minimæ, non eſt facta peculiaris additio nutrimenti, ſed ſolùm toti minimæ: & huius ſententiæ nulla eſt alia ratio, niſi quòd impoſſibilis eſt penetratio corporum, vt ipſe Ariſtoteles ſignificauit, argumentans in contex. 32. & ſoluens in 35. eiuſdem libri; nam particulas alimenti infinitas, in quas diuiduum eſt tranſire ad infinitas illas particulas, in quas corpus nutriendum diuidi poteſt, ne imaginari quidem poſſumus ſine corporum penetratione, quam omnes Philoſophi impoſſibilem eſſe exiſtimârunt. Aliam quoq; rationem multi adducunt, cur non omnibus materiæ partibus fiat additio magnitudinis, eamq; ſumũt ex Ariſtotele in context. 36. eiuſdem libri, vbi vtrem inquit ſimilem eſſe formę, aquam verò influentem, & effluentem ſimilem eſſe materiæ, quæ eſt in continuo fluxu, neque ſemper eadem ſeruatur; hinc igitur hanc rationem ſumunt: partes materiæ non ſemper eædem manent, quia fluunt continuè, non igitur omnibus additio fieri poteſt magnitudinis, quoniam non manenti nihil addi poteſt. Sciendum tamen eſt, hanc non eſſe neceſſariam, & adæquatam rationem, cur non omnibus materiæ partibus additio fiat, ſed ſumendam eſſe potiùs vt confirmationem quandam ad veræ rationis corroborationem adductam; vt in illo exemplo intelligeremus, non omnibus aquæ partibus additionem nouæ aquæ fieri, quoniam ille fluxus eſt continuus, & partes non remanent in illo, quod augetur, nõ omnino ita ſe res habet, credendum enim eſt interpolatas eſſe materiæ fluxiones, quia non fit reſolutio partis materiæ ſine præuia alteratione; quare datur tempus aliquod medium, in quo nihil reſoluitur, & nulla pars A materiæ fluit; eo igitur medio tempore fluxus non impediret quin omnibus materiæ partibus additio fieret; quia tunc nullus eſt fluxus, ſed impoſſibilitas penetrationis corporum prohibet omni tempore ne id fiat: quod igitur dixit Ariſtoteles de materiæ fluxu, dictum eſt potiùs ad intelligentiam illius exempli, nempe aquæ per vtrem fluentis, quàm vt omnino ipſi accretioni accommodaretur tanquam vera ratio cur non omni- B bus materiæ partibus fiat additio magnitudinis; ſed vera ratio ea vna eſt, quia fieri nullo modo poteſt penetratio corporum.

Quòd non omnes partes materiæ extendantur, & quomodo alimenti quantitas quantitati rei nutritæ adiungatur. Cap. XX.

C Quod hactenus de accretione nouæ materiæ ad veterem materiam oſtendimus, id etiam de ipſius materiæ extenſione oſtendere poſſumus: quemadmodum enim non omnibus materiæ partibus fit nouæ materiæ additio, ita neq; omnes materiæ partes extendũtur: etenim dictũ eſt antea, neceſſariũ eſſe in extenſione, vt foramina oriantur, quæ partem materiæ ab illa parte ſeparant: oportet igitur aliquam inter duo foramina particulam eſſe, quæ integra maneat D abſque vlla diſiunctione, eamq; vocabamus partem minimam: hæc itaque non extenditur, quia ſi extenderetur, diuideretur ipſa quoque in alias per foramina, quæ in ipſa fierent, quare non eſſet minima, vt eſſe ſtatuitur: partes igitur maiores extenduntur, & rareſiunt; ſed neceſſe eſt dari partes minimas, quæ non rareſiant, neque extendantur, omnes enim extendi neque poſſibile, neque imaginabile eſt, eſſet enim omnes euaneſcere, & nihilari, & continuũ eſſe actu diuiſum in partes in- E finitas, quæ ne imaginari quidem poſſumus. Ex his igitur manifeſtum eſt, veram eſſe Ariſtotelis ſententiam, quando inquit non omnes materiæ partes augeri; nam tota materia maior fit, & partes materiæ maiores fiunt, non tamen omnes; idque oſtendimus tum ratione additionis nouæ materiæ ad materiam veterem, tum etiam ratione extenſionis; quia neque omnibus partibus additio fit, neque F additione facta omnes extenduntur. Sed alia ad materiam pertinens quæſtio hic oritur; quum enim & accedens materia, & illa cui accedit, quanta, & corporea ſit, quæritur an vna alteri incorporetur, & quomodo id fiat, hoc eſt, an noua materia amittat ſuam priſtinam quantitatem, ſola manente quantitate veteris materiæ, an è contrario, maneat quantitas noua, & pereat quantitas veteris, an maneat

An alimenti quantitas cũ quantitate alendi corporis incorporetur.

manceat vtraq; an demum vtraq; pereat, & noua quantitas generetur vtramque materiam complectens, quæ fuit Pomponatij opinio: negauit enim quantitatem interminatam coæternam materiæ, quam Auerroes posuit, ideò putauit vtriusque materiæ, tum nouæ, tum veteris quantitatem interire, & nouam totius aggregati quantitatem generari.

Pomponatij opinio.

Opinio vera.

Ego verò dimissa disputatione de quantitate coæterna materiæ, quæ ab hac nostra disputatione aliena est, dicam breuiter, constituta huius rei veritate aliàs à me demonstrata, quid ad propositam quæstionem dicendum esse putem: statuens enim quantitatem materiæ ingenitam, & incorruptibilem esse, & secundùm Aristotelem primæ materiæ coæternam, dico vtriusque materiæ quantitatem seruari, quemadmodum vtraque materiæ portio seruatur: sicut enim ex duabus materiebus vna materia fit, ita ex duabus quantitatibus fit vna quantitas, & soli duarum quantitatum termini mutai ... quando enim ex sanguine noua caro generatur, illa propriam habet quantitatem, id est, proprios quantitatis terminos; ex illa igitur nouæ carnis quantitate, & quantitate carnis veteris fit vna quantitas, & neutra perit, sed solùm noui termini generantur; quemadmodum si duas lineas per extremitates in directū coniungamus, vna linea ex duabus fiet, & neutra illarum erit corrupta, sed duo tantùm puncta eas terminantia corrupta erunt, vtraque autem linea manebit, quia manebit vna linea maior ex duabus minoribus constans: hoc idem dicendum puto de quantitate eius, quod nutritur, & augetur; nam vtraq; quantitas manet, quæ enim priùs erant duæ quantitates distinctæ, postea manent vt partes vnius maioris quantitatis: nec propterea dicimus ita vnam materiam alteri incorporari, & vnam quantitatem fieri, vt vna alteram penetret, nulla enim fit corporum penetratio: fieret quidem, si particula nouæ materiæ ita particulā veteris penetraret, vt nō ꝑ foramina ingrederetur, sed ꝑ partē plenam; sed positis foraminib. crebris, atq; minutis, ꝑ quæ ingrediantur particulę nouę materiæ, nō fit corporum penetratio, sicuti neq; quando aqua vino commiscet, diuidunt enim se mutuò in partes minimas, & minima vnius non penetrat minimam alterius, sed illi cedit, & ei solùm apposita est. Quomodo ergo materia, & eius partes maiores fiant, dictum est.

Quomodo forma, & omnes eius partes fieri maiores dicantur. Cap. XXI.

Sequitur vt formā quoq; viuentis, quæ anima vegetans est, consideremus, & ostendamus quomodo omnes partes formę in accretione maiores fiant, sicut Arist. dixit. Cer- A tum est formam secūdùm se incorporeā esse, & omni c... ē quantitate, quantam aūt fieri ꝑ accidē., quatenus per materiā quāiam extenditur, proinde non propria quantitate esse quantā, sed aliena: hinc ergo fit, vt omnes corporis partes penetrare absq; vlla absurditate possit; nam est quidem impossibilis penetratio duorū inuicem, quando vtrumq; est per se corporeū, sed incorporei cum corporeo non est impossibilis, vt in accidentib. considerare B possumus: nā lactis albedo non est per se quāta, sed per accidens, & ex lactis quantitate, per quam extensa est; ideò penetrat omnes lactis partes; neq; vlla earum est, quę non sit alba; nō ita tamē penetrat, vt ꝑ foramina ingrediatur, sed ꝑ partes plenas: quod quidem, si per se corporea albedo esset, fieri nullo modo posset: sic calor ignis penetrat omnes ignis partes, ita vt earū quęlibet, quantulacunq; sumatur, calida sit, neq; aliquis est, qui hoc inficietur. Sic igi- C tur anima, quū non sit per se corporea, potest omnes corporis partes penetrare, ita vt nulla sit pars, quæ non sit animata: hoc significauit Arist. in contex. 4. lib. 2. de Anima, quando dixit animam esse non posse corporeū aliquid, quia si esset corpus, nō posset omnes corporis partes penetrare, quū penetratio corporū sit penitùs impossibilis; quare non omnes corporis partes essent animatæ, adiaceret enim particula animæ particulæ corporis, quæ in se animam nō haberet. D Hoc igitur fundamento, quod clarissimū est, constituto, veritas dicti Arist. facilè declaratur: animā enim maiorē fieri ex materiæ incremēto negare non possumus, quia si sit quanta ex corporis quantitate, fit igitur magna in magno corpore, & parua in paruo: hoc enim dicere necessarium est, si quælibet magni corporis pars est animata: quoniā igitur viuentis tum materia, tū forma fit maior, non tamen ex additione & materiæ, & formę, E sed solius materię; quū enim sola materia fluat, sola etiā materia additur, & additur vtriq;, tum materiæ, tum formæ; materia enim per nouę materię additionem maior fit, & forma quoq; fit maior, quia per maiorem materiam extenditur: hinc fit necessariò, vt omnes partes formæ crescant, & nulla sit, quæ in accretione nō fiat maior: quemadmodū enim anima facta est quanta per materiā, ita & partes ꝑ materiam adepta est, & facta diuidua; extenF duntur ergo omnes partes animæ ad maiorē materiā, nec vlla considerari potest eius particula, quæ non extendatur: omnib. igitur animæ partib. fit additio materiæ, & magnitudinis: quia quum sit facta quanta, & infinitum diuidua secundùm suam quantitatem, quantamcunque eius particulam consideremus, illi est facta propriæ magnitudinis additio, eaque proprium recepit incrementum: hoc

Quomodo omnibus partibus formæ fiat additio.

Additio fit solius materiæ, non formæ: fit tamen vtrique, & materiæ, & formæ.

enim non esse absurdum, sed potiùs necessarium, sumitur ex fundamento iacto; quando enim aliquid per se quantum cum altero per se quanto commiscetur, non potest omnibus alterius partibus fieri alterius additio sine corporum penetratione, quæ in philosophia admitti non potest; at si alterum tantùm sit per se quantum, alterum verò per se quantum non sit, potest omnibus alterius partibus additio alterius fieri absque vlla absurditate, neque illa dicenda est penetratio corporum, quum alterum non sit corpus: quod quidem ita ostendere possumus: quando duo inter se cõiuncta sunt, vt A. & B. nullum potest esse discrimen in coniunctionis modo ex eo quòd dicatur coniungi A. cum B vel B. cum A. nam vtrouis modo dicamus, eadem est eorũ coniunctio, & idem coniunctionis modus; quemadmodũ idem prorsus fit, cõmiscendo phialam aquæ cum phiala vini, ac commiscendo phiala vini cum phiala aquæ; eadem igitur fit & animæ cum corpore, & corporis cũ anima coniunctio, & idem est cõiunctionis modus: atqui anima ita adiungitur corpori, vt omnes illius partes penetret, & nulla sit corporis particula, quæ animam non habeat; non solùm enim illæ, quas diximus, minimæ partes animam habent, sed & illarũ particulæ, & particularum particulæ, & demum omnes, quæ in ea considerari possunt: sic igitur etiã quando materia adiungi animę dicitur, necesse est idem fieri, & cuilibet parti animæ aliquã materiæ particulam adiungi, quantamcunq; partem sumamus; non ita tamen, vt re disiunctas partes esse statuamus, hoc enim fieri non potest cum animæ conseruatione in eis, sed vt in toto existentes, sic enim Aristoteles intellexit. Quomodo igitur non omnibus materiæ partibus, sed omnibus partibus formæ fiat additio magnitudinis, manifestum est.

Confutatio opinionum aliorum in intelligendis partibus materiæ, & partib. formæ. Cap. XXII.

Veritate ita declarata de partibus materiæ, & de partibus formæ, ita vt pateat quomodo sit intelligendum id, quod Aristoteles dixit, omnibus partibus formę fieri magnitudinis additionem, partibus autem materiæ non omnibus, sequitur vt aliorum sententias in eius dicti interpretatione falsas omnes esse demonstremus. Illi primùm decepti sunt, qui partes heterogeneas dixerunt vocari ab Aristotele formales, homogeneas verò materiales: hoc enim verbis Aristotelis aptari nullo modo potest, qui non dixit additionem fieri magis partib. formalibus, quàm materialibus; sed apertè dixit tam materiam, quàm formam augeri, & tam partibus mate-

Confutatio prima opinionis.

A riæ, quàm partibus formæ additionem fieri magnitudinis, cum hoc tamen discrimine, quòd partibus formæ omnibus, partibus autem materiæ non omnibus: vel igitur hi partes heterogeneas dicunt appellari partes formæ, homogeneas verò materiæ; vel heterogeneas dicunt vocari formales, & partes harum dici partes formę, & ita homogeneas materiales, & harum partes vocari partes materiæ; quorum neutrum est verbis Arist. consen-
B taneum: nõ primum, quia sicuti augentur omnes heterogeneæ, ita & omnes homogeneę, immò his primùm fit additio materiæ, non heterogeneis, nisi ratione homogenearum, è quibus constant; falsum igitur esset Arist. dictum, quia significaret non omnibus homogeneis additionem fieri. Sed neq; secundum, quia partes heterogenearum sunt homogeneæ ipsæ, quamobrem dicere omnes heterogenearum partes fieri maiores, est dicere om-
C nes homogeneas; quod tamen secũdùm ipsos Arist. negat, dum dicit non omnes homogeneas, quas materię partes vocat, maiores fieri: huius igitur sententiæ falsitas manifestissima est, quoniam Aristoteles non dicit accretionẽ magis formæ attribui, quàm materiæ, sed dicit omnes partes formæ fieri maiores, partes verò materiæ fieri quidem maiores, non tamen omnes, cui sententiæ interpretatio illorum accommodari minimè potest, vt consi-
D derantibus verba Aristotelis in contex. 35. & 36. primi libri de Ortu & interitu manifestum est. Alia quoque aliorum interpretatio, qui humidum radicale ab humido cibali distinxerunt, reiicienda est, quia admissa etiam hac humidi distinctione dictum Aristotelis falsum esset: humidum enim radicale, quod ipsi immutabile esse statuunt, absque dubio corporeum est; igitur si huius partes omnes fiunt maiores per alimenti corporei accessio-
E nem ad omnes, fit corporum penetratio, quã in eodem loco in contextu 32. & 35. Aristoteles impossibilem esse dixit, vt eam euitaret, ad partes formę confugit, per formam igitur nõ possumus ibi aliquod corporeum intelligere, quoniam alimenti corporei ad omnes penitus alterius corporei partes accessio est absque dubio corporum penetratio. Sed hi decepti sunt in afferenda ratione, cur non omnibus materiæ partibus fieri additamentum
F possit; eam enim vnam respexerunt, quia materia fluit, non alteram, quæ à corporum penetratione sumitur, licèt hæc potior sit, illa verò debilior, sicut antea diximus; ideò satis se vitare omnem difficultatem existimarunt, si materiam aliquam non fluentem adinuenirent. Sed ipsa quoque per se humidi distinctio, quam ponunt, non parum dubia est: qua de re, tanquam scitu dignissima, & ad id, de quo agimus,

Confutatio tertia.

quo agimus, plurimum conferente, postea seorsum differemus, & eorum in hoc quoque errorem patefaciemus. Non minùs absurda, & ab Arist. aliena est alia interpretatio, quam complures sequuti sunt, qui nomine formæ totum ipsum viuens intellexerunt, nomine antem materiæ partes; quia totum significat formam, partes verò materiam, & totum manet semper idem, partes verò mutantur, & fluunt: etenim si Aristoteles solùm dixisset, attribuendam esse accretionem nō materię, sed formæ, fortasse admitti eorum opinio posset, attamē non dixit hoc Aristoteles, sed distinxit partes formæ à partibus materiæ, & illis omnibus additamentum fieri dixit, his verò non omnibus: quare si secundùm illos partes materiam significant, quomodo seiunxit Aristoteles partes formæ tanquam significantes formam à partibus materiæ tanquam significantibus materiam? & cur totam materiam non vocat formam, sed vocat materiam, si secundùm eos totum significat formam? certè si nomine formæ totum vt à partib. distinguitur, intellexisset, & nomine materiæ partes vt distinguuntur à toto, neque dicere potuisset partes formæ, neque totam materiam, quia partes formæ secundùm hos significant materiam, tota verò materia quatenus est tota significat formam. Præterea secundùm hanc interpretationem destruitur illa accretionis cōditio, quam vult ibi tueri, & à difficultate vindicare Aristotel. quòd in vera accretione non modò totum, sed omnes etiam partes maiores fiant: quum enim huic obstare videretur impossibilitas penetrationis corporum, ipse ad tollendam hanc difficultatem dixit hoc esse verum de partibus formæ, non de partibus materiæ: isti verò sententiam Aristotelis, & illam accretionis conditionem euertentes dicunt solùm totum augeri, nō partes. Demum opinio Marsilij dicētis partes formæ esse partes porosas, partes verò materiæ esse partes plenas, absurdissima est; quia partes porosæ nil aliud sunt, quàm ipsa foraminum spatia & vacuitates, proinde partes corporis appellandæ non sunt, quia non sunt partes viuentis, quum enim substantiam in se non cōtineant, sed aërem, vel vaporem aliquem extraneum; vanum ergo est dicere illis additamētum fieri in accretione viuētis, quod augeri dicitur, quum eius partes non sint, proinde nec materiæ, nec formæ locum teneant; nam si debeat totum viuens propriè augeri, oportet eas, quæ verè eius partes sunt, maiores fieri. Sed & hanc, & alias omnes interpretationes refutant satis manifestè ipsamet Aristotelis verba in contex. 35. prædicto: inquit enim accretionem competere partibus dissimilaribus propter similares, è quibus illæ constant,

Confutatio quarta.

Confutatio quinta.

A & quæ primùm augeri dicuntur; facitq; eam partium distinctionem, vt dimissis dissimilaribus solas consideret similares, in quibus illam, quæ de corporum penetratione oriebatur, difficultatem tollat; & ob id statim subiungit similares singulas ex materia & forma constare, ac demum concludens dicit omnibus partibus formæ fieri additionem, at non omnibus partibus materiæ: nomine igitur formæ ibi neq; dissimilares partes significat, B quum eas iam reiecisset; neq; humidum radicale, quum huius nullam mētionem fecisset; neque totum ad differentiam partium; quum partes solas ibi consideret, & quomodo augeantur doceat ad prædictam tollendam difficultatem; & quum formam ibi sumat vt partem compositi, non vt cōpositum totum, inquit enim carnem ex materia & forma constare, & statim subiungit, omnibus partibus formæ additamentum fieri, sed non omnib. par- C tibus materiæ: nec demum significat partes porosas, quum hæ non sint viuentis partes, ipse verò illam tātummodò formam, & illam materiam intelligere possit, è quibus constare carnem, & quamlibet aliam homogeneam partem proximè dixerat. Igitur non aliam formam intelligit, quàm animam, neq; aliam materiam, quàm corpus illi subiectum: ex his enim duabus constat caro animata, cuius ibi Aristoteles accretionem considerat, quum in D partibus similaribus, quibus primò competit, eam considerādam, & ab ea remouendam illam difficultatem suscepisset, quæ de corporum penetratione oriebatur; hæc enim solui nullo modo potest, nisi confugiendo ad aliquod per se incorporeum, quod omnes corporei partes penetrare sine absurditate possit.

Vera.

An aliqua sit materia pars in viuente, quæ non fluat, sed eadem per totam vitam seruetur. Cap. XXIII.

E Caeterum ad plenam eorum intelligentiam, quæ de materia ac de forma eius, quod nutritur, & augetur, dicta sunt, considerandum diligentiùs est id, quod paulò ante tetigimus, an aliqua in viuente sit materiæ pars, quæ non fluat, neq; à calore naturali absumatur, sed eadem ab ortu ad finem vsque vitæ immutata seruetur; an potiùs ita omnes materiæ partes fluant, vt post tempus F aliquod nulla earum, quę ab ortu ductę sunt, in viuente remaneat, quod euenit aquæ per vtrem fluenti; quo exemplo Aristoteles ad declarandam & formæ, & materiæ accretionem vsus est. Iam diximus aliquos existimasse, duplex esse humidum in viuente; vnum radicale, quod durante vita nunquam consumitur, quia eius consumptio mors est; alterum verò cibale, quod ex alimentis ad illius

Aliquorum opinio de duplici humido, scilicet alimentali & radicali.

defensionem quotidie aggeneratur, & hoc continuè fluit, & renouatur, neq; idem permanet: sententiam hanc attribuit Auerroes Alexandro in Comment.38. primi lib. de Ortu & interitu, & eandem sequutur videtur Ioannea Grammaticus, qui in eodem lib. dixit necessarium dari aliquam materiæ partem, quæ non fluat, sed per totam vitam eadem permaneat; vsusq; est tali argumento. si tota materia flueret, & tota renouaretur, sequeretur posse indiuiduum seruari æternum, quia viuens haberet semper materiam nouam, atq; virentē: quare semper esset in iuuētute, & nunquā senesceret: quū enim anima per senium non debilitetur, si dicamus materiam quoq; totam posse renouari, nihil erit quod detrimentum aliquod patiatur; nullum igitur decrementū in viuente fiet, nulla senectus; cuius contrariū in omnibus viuentib. experientia docet. Adest etiam argumentum, quod Auerroes in prędicto loco Alexandro attribuit: si tota materia flueret, & tota renouaretur, sequeretur posse formam materialem separari à tota sua materia, quia si à tota sua materia potest hoc modo derelinqui per partem post partem, ita vt tandem maneat sine vlla parte suæ materiæ, potest etiam à tota simul materia separari, eadem enim vtrobiq; ratio viget. Aliud quoque mirabile, & vix credibile attribuit Alexandro Auerroes in eodem loco, qđ hac in re Arist. reprehenderit, ac deseruerit: quū enim Arist. dixerit accretionem esse adscribēdam formę, non materiæ, hac ductus ratione, quia est attribuenda non illi, quod fluit, sed illi quod permanet, forma autem permanet, materia verò fluit continuè, ita vt nulla eius pars eadem maneat; Alexander, vt ait Auerroes, dixit Arist. hoc de materia protulisse sine vlla probatione, tāquam sequutum id, quod apparet, quum in ea animus acquiescere videatur; falsum tamen esse hoc Arist. dictum, propterea quòd datur etiā aliqua materiæ pars non fluens, cui ob eandem rationem non minùs, quā formæ est accretio attribuenda. Sed vbinam apud Alexandrum hoc Auert. viderit, ego quidem nescio: nam si Alexandrum legamus in 1. lib. Natural. quæst. cap. 5. & in postrema parte lib. sui de Mistione, vbi de hac re loquitur, nihil tale comperiemus; sequitur enim in omnibus Arist. & inquit, materiā continuè fluere secundùm partes, formam verò nō fluere, sed eandem manere, & per formam intelligit animam, vt nos intelligendam esse diximus, quā dicit ad maiorem materiam extendi, & ad minorem retrahi. de humido autem radicali, qđ non fluat, ne verbum quidem ibi apud Alexandrum legimus, sed potiùs videtur in omnibus Auerroi consentire; nam Auerroes quoq; in memorato loco asserit materiā fluere, formam verò non fluere, sed eandem seruari; defensionem autem Arist. in eo putat esse constitutā, vt dicamus omnes prorsus materiæ partes fluere, & ob id non esse ipsi materiæ attribuendam accretionem; sed in eo, quod nos antea declarauimus, ꝙ Arist. nō negauit materiam, & materiæ partes augeri, & illis quoque additionem magnitudinis fieri, sed negauit omnib. partibus materiæ additamentū fieri; proinde illam accretionis conditionem quòd omnes partes augeantur, de partib. formæ veram esse, non de partibus materiæ: neq; per formam aliud ibi intelligit Auerroes, quā animam, sicut etiā Alexander, quicquid multi dicant, qui in aliū sensum verba Auerr. trahentes inquiunt, Auerr. nomine formæ intellexisse totum, vt distinguitur à partibus, & putasse partes quoque animæ vnà cum materiæ partib. fluere; hoc enim etiam Pomponatius Auerroi adscribit in lib. suo de accretione, & nutritione. Sed nō est, cur in verbis Auerrois interpretandis immoremur: quanquam enim ea per se obscurissima, ac difficillima intellectu sint, tamen quisquis ea cum diligentia legat, atque perpendat, deprehendere poterit eam, quam illi putārunt, Auerrois sententiam non fuisse; sed Auerroem existimasse Arist. nomine formę animam vegetantem significasse, & hanc nullo modo fluere, sed materiam solam fluere, sicuti nos quoq; diximus. Sed mittamus hæc, & quicquid Auerroes & Alexander senserint, ipsam secūdùm se, quam expendendā proposuimus, de duplici humido sententiam, cuiuscunq; ea fuisse dicatur, consideremus. Hanc ego approbare nullo modo possum: nō enim video, quomodo detur aliquod humidum, quod à calore pati, & resolui nequeat, quū omne aliud humidum sit patibile à calore; quodnā igitur est huius priuilegiū, vt sit impatibile? præterea si id verum esset, quomodo tam parua materia, quæ ab ortus initio trahitur, diffundi postea per tantā molem potest, quantam esse videmus animalis perfecti & plantæ: certè embryum est valde paruum comparatione perfecti animalis, & parum humidi in se habet; quomodo igitur potest ea parua materia inconsumpta seruari ad ætatem vsque perfectam, & cum tot tantisq; membris communicari? videmus etiam ex paruo admodum semine magnā arborem nasci; oporteret igitur in illo semine, seu in primo germine pullulante, quod valde pusillum est, totum humidum contineri, quod inconsumptum seruetur ad extremum vsque incrementum, & per omnes magnæ arboris partes distribuatur, quod quidem incredibile est. Hanc igitur de duplici humido sententiam reijciendam prorsus esse existimo. Quid ergo dicendum? totáne materia secundùm

partes

Marginalia (left): Alexander. — Argumentum Ioan. Grammatici. — Argumentum Alexandri. — Auerroes.
Marginalia (right): Opinionem de duplici humido confutatio. — Vera sententia.
Section letters: A B C D E F

partes ita fluit, vt in senio nulla eius pars remaneat, quæ priùs in infante fuerit? hoc quoque mihi non probatur, sed puto aliquam esse materiæ partem, quæ à calore naturali consumitur, & aliquam esse, quæ non consumitur: sed hanc differentiam non ex eo sumi, qđ alia sit radicalis, alia verò cibalis, & aduentitia; sed sumi ex eo, quòd alia pars est humida, alia verò sicca & terrestris; humidum enim à calore naturali consumitur, est enim propriũ ipsius pabulum, pars verò terrestria remanet, quemadmodum etiam in ijs, quæ comburuntur, inspicimus; toto namque humido consumpto ab igni, remanet cinis, quæ est pars terrestris, quam ob eius maximam resistentiā non potest ignis absumere: viuentia autem omnia in sui ortus initio humidissima sunt, procedente autem ætate fiunt semper sicciosa, quia calor consumit humidum radicale: & quamuis adueniat humidum cibale reparans ipsum, atque restaurans, tamen aduenit cum eo etiam pars aliqua terrestris, quæ postea remanet cum terrestri parte ducta ob ortu, & semper ætate procedente magis à calore naturali cōdensatur, & indurescit: ꝑpterea Arist. in libel. de Iuuentute & senectute dixit, nil aliud esse senectutē, quàm exiccationem, quoniam humidum semper imminuitur, siecum verò crescit: ideò nisi morbi naturalem vitæ cursum interrumpetēs, necesse esset nos peruenire ad mortem naturalem, quæ ob totius humidi resolutionem fit: quando enim corpora nostra per longam ætatem ad tantā duritiem, & siccitatem redacta sunt, vt sint inepta ad operationes, & ad pabulum calori naturali præbendum, & animam conseruandā, fit ex necessitate mors. Dicimus igitur humidum radicale, seu naturale consumi à calore viuentis neque illud solùm, quod ab ortu trahitur, esse vocandum naturale, sed etiam illud omne, quod per totam vitam ex alimentis aggeneratur; humidum enim cibale conuertitur in substantiam, & in humidum radicale, & naturale; quum enim mutetur in simile naturali & cum eo cōmisceatur, ipsum quoque fit naturale; & vocarut radicale ad differentiam humidi excrementitij, quod non est idoneum pabulum calori naturali. Sed præterea hoc radicale, & naturale humidum fit semper impurius propter reactionem ciborũ in facultatem naturalem, quoniam agens naturale in agendo repatitur; quare per continuam actionem in cibos corpora nostra reddunrur impuriora, & imbecilliora. Non est igitur ponenda aliqua humiditas fixa, & irresolubilis, hoc enim nihil inanius pronunciari potest: quia omne humidum est resolubile à calore, illud quoq;, quod ab ortu trahitur, consumitur enim & eget aliquo reparante, &

Viuentiū corpora fiūt sēper sicciora.

Senectus est exsiccatio.

Omne humidum est resolubile à calore.

A nouum humidum subministrante; id autem, quod non consumitur, est pars terrestris, tam quæ ab ortu trahitur, quàm quæ ex cibis continuè adiungitur. Possumus autem ad huiusce rei declarationem vti similitudine satis opportuna: in ellychnio lucernæ videmus ignē nutriri donec attrahitur humidū olei, à quo proprium ellychnij humidū reparatur, quod quidem sine olei suppeditatione citò ab igni consumeretur, sed propter continuam ignis B actionem peruenit ellychniū tandem ad tantam siccitatem, vt nequeat ampliùs ignem cōseruare: idq; ideò fit, quia ignis plus indurat, & exiccat, quàm ab oleo humectetur, & reparetur, & ipsius quoq; olei consumpti pars terrestris remanet cum terrestri parte ellychnij, quoniam ab igni non comburitur, sed remanet etiam extincto igni: sic in viuentium corporibus euenit; in senio enim plus exiccationis, & terrestris naturæ receperunt, quàm à C cibali humido fuerit reparatum: pars igitur, quæ inconsumpta manet, non est alia, quàm pars terrestris, quam resoluere calor non potest: testimonio sunt ossa, quæ etiam post mortem animalis diutissimè durant, quoniam eorum tēperatura magno excessu terrestris est: terra enim maximā vim resistendi habet. Hæc sententia Ioannis Grammatici fuit, qui in interpretatione context. 35. primi libri de Ortu & interitu, ostendere volens formam non flue D te, sed eandē numero manere, hoc argumento vsus est, quòd neque materia tota fluit, sed aliqua est materiæ pars in sene, quæ eadem fuit in puero; & hanc inquit esse partem solidiorem, ac densiorem, nempe terrestrem, quæ à calore non soluitur: & ad hoc confirmandum adhibuit satis validum signum, nam cicatrices in adolescentia receptæ remanēt eædem in senio, quod non esset, nisi aliqua materiæ pars eadem numero in sene remaneret, E quæ in adolescente fuit: quod quidem argumentum satis habet efficacitatis, nam proprium sicci est figuram, ac terminos retinere. Sed alterum Ioannis argumentum, cuius suprà meminimus, reuera ad huius comprobationem parum roboris habet: quando enim inquit, si nulla materiæ pars in sene seruata est, quæ in infante fuerit, ergo indiuiduum esset immortale: posset aduersarius hanc consequentiam negare, quia etiamsi to- F tam materiam fluere per partem post partem diceremus, non ob id fieret vt materia in sene semper virens renouaretur, & ipse semper in flore iuuentutis seruaretur: etenim etiamsi tota renouari statuatur, fit tamen semper impurior, propter reactionem ciborum, & caloris debilitationem; calor enim naturalis semper debilior fit, ob illam continuam reactionem, & ob materiæ maiorem impu-

Ioan. Grammaticus.

Solutio argumenti Ioann. Grammatici.

sitatem; quare necesse est, vt tandem deficiat: ex hac igitur continua caloris debilitatione fit, vt non ita perfectè immutare cibos, & in similem substătiam vertere calor possit: quare etiamsi omnes materiæ partes per successionem renouarentur, necesse tamen esset animal senescere, & tandem mori. Similiter nec argumentum ab Auerroe Alexandro attributum in Commentario 38. prędicto aliquid habet efficacitatis, nempe quum dicebat, si tota materia per successionem renouaretur, posset anima à tota sua materia separari: nam hæc illatio nullam vim habet, quia fallacia cõmittitur à diuisis ad coniunctum: ideò dicere aduersarius posset animam sine qualibet parte suæ materiæ separatim sumpta posse remanere, sed nõ sine omnib. simul eodem tempore subtractis: talem enim esse naturam animę diximus, vt determinet sibi certam materiam secundùm totum, quæ semper vna & eadem seruetur per æquiualentiam, sed non vt sibi determinet certas eius materiæ partes, quò fit vt mutari possint partes materiæ vna post aliam diuersis temporibus, sed nõ tota simul materia eodem tempore sub anima renouari. Patet igitur, rationem, cur in sene aliqua materiæ pars eadem seruetur, quæ in infante fuit, non esse ab ipsa anima sumendam; quia etiamsi omnes materiæ partes per successionem vna post aliam renouarentur, posset anima seruari, dummodo materia tota eadem seruaretur per æquiualentiam: sed rationem sumendam esse à sola materiæ natura, eadem enim materiæ pars ideò seruatur, quia densa, ac terrestris est, quam consumere calor naturalis non potest.

Solutio argumenti Alexandri.

Quomodo & qua ratione compositum augeatur. Cap. XXIIII.

HActenus accretionem & cum materia, & cum forma cõparauimus, & quomodo vtriq; & earum partibus competat considerauimus: restat vt eam ad ipsum quoque compositum referamus, nempe ad totũ viuens, quod ex corpore vt materia, & anima vegetante vt forma constare statuitur. Primum quidem certum est, compositum esse proprium subiectum, cui primò est accretio attribuenda; siquidem, vt Aristoteles docuit in contex. 64. primi libri de Anima, omnes operationes animæ sunt toti viuenti attribuendæ vt subiecto, non soli animæ, neque soli corpori; quamuis igitur propter magnum animæ & corporis discrimen, & propter eleuationem à materia, potuerit & in materia, & in anima seorsum accretio considerari: tamen propriè loquendo, neque materia augetur, neque forma, sed compositum ex vtrisque constans est id, quod augetur vt quod, materia verò, & forma, vel ipsarum altera vt quo, non vt quod, est enim id, quo totum viuens aptum est augeri, & augetur: ideò dubium non leue oritur, an forma, an materia sit in viuente formalis ratio accretionis, hoc est, an viuens augeatur ratione materiæ, an potiùs ratione formæ, & quatenus est animatum; nam pro vtraque est ratio. Videtur primum ratio formalis, cur corpus viuens augeatur, petenda esse à materia, non ab anima; quia tota accretionis natura in quantitate consistit, quum eius finis sit adeptio perfectę quantitatis, quantitas autem est propria materiæ conditio, itaq; augentur corpora, quatenus sunt quanta, & ita ratio formalis sumitur à quantitate, proinde à materia: quòd si rationẽ formalem ab anima sumeremus, dicentes corpora augeri quatenus sunt animata, eam ad substantiam potiùs, quàm ad quantitatem referremus; sic autem tota accretionis natura tolleretur, quæ non ad substantiã, sed ad quantitatem dirigenda est. Ex altera verò parte si corpora dicantur augeri quatenus quanta sunt, sequitur omni quanto accretionem competere: consequens est manifestè falsum, quia solis viuentib. propriè dicta accretio competit: consequentia autem facilè probatur, quia valida semper est illatio à quatenus ipsum ad de omni; quoniam igitur corporibus inanimatis accretio, de qua nunc loquimur, non competit, sed solis, atq; omnibus animatis; ergo quatenus sunt animata, non quatenus quanta: res igitur difficultate non caret; & eam augent verba Auer. in Cõment. 38. prædicto, vbi inquit quantum augeri quatenus habet formam, quod est dicere animã esse rationem formalem accretionis in corpore viuente, sed postea etiam dicit formam augeri, non prout est forma, sed prout est quanta, & extensa, quare videtur etiam dicere rationẽ formalem esse quantitatẽ. Philop quoque ibidem in digressione contex. 35. ostendit accretionem corporibus cõpetere ratione formæ; addit tamen, non prout est forma, sed prout est forma quanta. Dignum ergo est consideratione, quomodo hoc sese habeat, & quid hac in re sentiendum sit. Ante omnia statuendum est, quidnam sit id, quod quęrimus, vt hac in re omnem ambiguitatem tollamus: diximus aliàs in libro de Natura, duplex esse principium motus; vnum actiuum, à quo motus producitur; alterum passiuum, quod facit in subiecto aptitudinem, ac propensionem ad talem motũm recipiendum; nunc igitur non quærimus actiuũ accretionis principium, nam illud animam esse certum est, à qua & coquitur alimentum, & in substantiam vertitur, & membra ad maiorem quãtitatem extenduntur; sed id, quod quærimus, est principium

Accretio propriè est compositi, nõ formæ, neq; materiæ.

An augeatur viuens ratione materiæ, an ratione formæ.

Quòd ratio accretionis sumatur à materia, & à quantitate.

Quid ratio accretionis sumatur ab anima.

Anima ... accretionis principium & actiuum & passiuum.

A principium accretionis passiuum, illud scil. à quo viuens corpus aptum, atq; propensum redditur ad accretionis motum recipiendũ; ideò hoc rectiùs vocaretur augmentabilitatis, quã augmentationis ratio formalis, nosq; ipsum ita in præsentia appellare liceat; nam augmentabilitas significat potẽtiam, & aptitudinem patiendi motum accretionis. Si igitur verum est id, quod in memorato libro docuimus, formam esse principium motus, & actiuum, & passiuum, diuersis modis acceptã, B necesse est, vt dicamus animam vegetantem, quæ est principium accretionis actiuum, esse etiam passiuum eiusdem motus principium, & rationem formalem, qua corpus animatũ augmentabile est, est enim augmẽtabile, quia est animatum, proindè omne animatum augetur, quia hoc ei competit, quatenus est animatum, non quidem vt per totam vitam augeatur, sed per statutum quoddam à natura tempus, quemadmodum antea declarauimus. C

Solutio argumenti de quantitate.

Quum igitur hæc rei veritas sit, nitendum est difficultatem tollere, quę ex quantitatis consideratione oriebatur: quoniam enim augeri nil aliud est, quàm maiorem quantitatem fieri: non potest augeri, nisi id, quod quantum esse statuatur, ideoq; augmẽtabilitas quantitatem potiùs, & materiam, quàm formam cõsequi videbatur. Sciendum igitur est, animam vegetantem, de qua loquimur, & formam omnem materialem duas habere essentiales con- D ditiones, quæ pugnare inter se videntur, nec tamen pugnant; vna est, quòd secundùm se non est quanta, sed incorporea, & indiuisibilis; altera est, quòd necessariò requirit statutã materiam quantam, per quam extendatur, & fiat diuidua: neq; hoc extraneum, & accidens esse ipsi formæ dicendum est, quum Aristoteles in Proœmio primi lib. de Anima dixerit, hanc essentialem omnis formę materialis cõditionem, proinde in cuiusq; formæ definitione propriam materiam sumendam esse, secus vanam, & dialecticam esse definitionem, neque eius formæ essentiam exprimere: non E pugnant autem hæc inter se, quasi dicamus esse essentialem conditionem formæ, vt sit & diuidua, & indiuidua; quemadmodum enim non implicamus cõtradictionem, quando dicimus materiam postulare formam, & necessariò esse formatam, essentialiter tamen esse penitùs informem, quia sic nil aliud denotamus, quàm materiam debere esse formatam, F non habere tamen formam in sua natura, sed extrinsecus eam recipere: ita etiam formam materialem dicimus debere ex necessitate quantam & extensam esse, quantitatem tamẽ & extensionem non ex propria sua natura habere, sed ex materia in q[...]tur; ideò essentialis est conditio omnis formæ materialis

Omnis forma materialis duas habet qualitates.

vt sit in tali materia, vt in dicto loco Arist. asserit. Ratio autem horum omnium est, quia nec materia, nec forma est ens per se completum, & in specie collocatum, sed vtraque dirigitur ad constitutionem compositi; ideò neutra omnes habet necessarias conditiones ad speciẽ constituendam, sed aliquas singula habet ex se, aliquas ab altera recipit: materia ex se habet quantitatem, & naturę corporeæ inchoamentum, non terminos, & actum, sed hæc recipit à forma; cõtrà verò forma est terminus, & complementum, sed eget materia recipiente & sustentante, & quum debeat esse quanta & diuidua, eiusmodi autem à seipsa non sit, requirit necessariò materiã quantam, per quã extendatur, ita vt per eam quanta, ac diuidua fiat: itaq; non dicimus conditionem esse formæ necessariam vt sit & quanta, & non quanta, & simul diuidua, & non diuidua; sed dicimus necessarium esse, vt quãta ac diuidua sit, siquidem compositum, quod ab ea est cõstituendum, debet esse quãtum, atq; diuiduum; sed quũ ipsa ex se non sit huiusmodi, fieri quãtam, ac diuiduam à materia, per quam extenditur, & ita ad cõpositum constituendum tũ materiam, tum formam ita cõcurrere, vt propriam vtraq; operam contribuat: hoc quum ita sit, nõ est mirum, si formę pro diuersis suis conditionibus diuersa etiam attribuantur; alia namq; illi competunt ratione propriæ naturæ, alia verò ratione illarum conditionum, quas recipit à materia, est enim principium motus actiuũ quatenus est forma, non quatenus est extensa, & diuidua per materiam; sed est principium motus passiuum quatenus est quanta, & extensa per materiam; non potest enim esse ratio recipiendi incrementum, nisi sit quanta: ꝓpterea dicebat Auerroes in Comment. 28. tertij lib. de Cœlo, forma elementi mouet vt est forma, & mouetur quatenus est in materia; hoc est, forma elementi est ratio formalis cur elementum sit tali motu mobile, quatenus est in materia, in qua sit quanta, & constituit corpus tali motu mobile: quod autem dicit Auerroes de forma elementi respectu motus localis, idem dicendum est de anima vegetante respectu motus accretionis. Sed id, quod hac in re difficultatem faciebat, erat quod accretionis natura in quãtitate cõsistit, quare ratio augmentabilitatis videtur à quantitate potiùs esse sumenda, quàm à forma: quod etiam significasse videntur Auerroes, & Ioannes Grammaticus; dicentes viuens augeri quatenus habet formam, formam verò augeri quatenus est forma quanta. Sed re bene intellecta omne dubium tolletur, & Auerrois, & Ioannis Grammatici sententia vera esse cognoscetur: dicimus enim particulã illam, [...] quando hi dicunt formam

quatenus est forma quanta, non denotare rationem formalem, sed conditionem materialem ipsi formæ necessariam, & sine qua non: sola enim forma est ratio cur corpora sint augmentabilia, non quidem omnis forma, sed hæc, de qua loquimur, scilicet anima vegetās quatenus est anima vegetās; hæc tamen id nō præstat, nisi per materiam quātam extensa sit: quod autē diximus de ea dictione, quatenus, confirmatur Aristot. testimonio in contex. 20. lib. 2. Physic. vbi sumit, quatenus non pro ratione formali, sed pro conditione materiali, quemadmodum alio in loco declarauimus. Auerroes igitur, & Ioannes Grāmaticus, quādo dicunt formam augeri quatenus est forma quanta, per hoc denotant & materiale, & formale augmentabilitatis: quantū enim est conditio materialis, anima verò est ratio formalis: quod sic ostēdo: illud est materiale, quod quum per se sit amplum, & indeterminatum, restringitur, & determinatur ab alio, illud verò est formale quod restringit, ac determinat: at hic quantū determinat, & anima determinat; igitur anima est formale augmentabilitatis, quātum verò materiale: maior clara est, minor ita probatur: quantum quatenus est quantum, non alia ratione est augmentabile, quàm quia omni quanto ratione quantitatis fieri additamentum potest, hoc autem non soli animato competit, sed omni prorsus quanto, etiam lineæ, ac superficiei, quare illa augmētabilitas, quæ ex sola quanti natura sumitur, nimis ampla est, atque indeterminata, neque est propria solius viuentis; nos autem eam non ita amplam hic consideramus, sed determinatam, & ad certum modum, qui viuentium proprius est, contractam atq; restrictam, nimirum per tres illas conditiones; vt ex accessione materiæ fiat, & idem numero maneat id, quod augetur; & non solùm totum, sed etiam omnes partes secundùm omnes dimensiones incrementum recipiant; talem autem accretionem quisquis dicat quanto competere quatenus quantum est, fatuus est, quia sic diceret eam omni quanto competere: fatendum igitur est, hanc propriè sumptæ accretionis determinationem non à quanto fieri, sed ab anima, proinde talem accretionē competere quanto quatenus est animatum: & ita illius augmentabilitatis, quæ dicit aptitudinem recipiendi accretionem iis conditionibus prædictam, rationem formalem non esse quantitatem, sed animam vegetantem; quantitatem verò esse conditionem necessariam, & sine qua non, quoniam anima hoc nō præstat, nisi ratione materiæ quantæ: & hoc Auerroes, & Ioannes Grammaticus significare voluerunt, quādo dixerunt formam augeri quatenus est forma quanta. Ad argumentum autem,

A tem, quod antea ab accretionis natura sumebatur, facile est respondere: dicimus enim, naturam accretionis à quantitate pendere tanquam à termino, ad quem dirigitur, siquidē ad quantitatem est, non ad substantiam; sic autem, & cuiuslibet motus natura similiter à termino iudicatur: sed aliud est terminus, ad quem tendit, & in quo definit motus, aliud est formalis ratio subiecti mobilis, quæ est receptiuum talis motus; nam motus elementi

B ad suum locum sumit nominationem à termino, & vocatur motus localis: at ratio formalis, qua elementum est tali motu mobile, non est locus, sed grauitas, vel leuitas, seu ipsa elementi forma; quatenus enim est forma in materia, eatenus est principium passiuum motus elementi naturalis. Sic igitur quantitas est terminus, ad quem accretio tendit, & in quo huius motus natura consistit: at ratio augmentabilitatis in iis, quę propriè augentur,

C non est quantitas, sed anima vegetans. Considerādum præterea est, terminū veræ accretionis, ad quem, non esse quantitatem absolutè, sed perfectam quantitatem, vt ex Aristotele colligimus in tertio libro Physicæ auscultationis contex. 5. perfectio autem respicit formam, & à forma tribuitur; quare etiam rationem termini ratio augmentabilitatis est attribuenda formæ, quum quantitas secundùm se nec perfecta nec imperfecta dici possit: forma

D enim, non quantitas, determinat propensionem ad perfectam quantitatem.

Collectio omnium causarum accretionis, & nutritionis, & perfectæ ambarum definitionis constitutio.

Cap. XXV.

Ex iis omnib. quæ hactenus diximus, colligendæ breuiter sunt omnes accretionis & nutritionis causæ, vt ex iis omnib.

E perfectam vtriusque definitionem constituentes in hac tandem definamus, finemq; huic difficillimæ disputationi imponamus. Habet accretio omnia quatuor genera causarum, & in singulo genere plures, quod eam cognitu difficiliorem facit: has igitur omnes breuiter enumeremus. Forma accretionis est ipsamet eius natura, quæ significatur per genus proprijs eius differentijs, & conditionibus coarctatum: genus quidem est motus, differentiæ

F verò videntur esse tres illæ conditiones ab Aristotele positæ, & iam à nobis declaratæ: sciendum tamen est primam conditionem quæ fuit, vt ex adueniente materia accretio fiat, ad materiam potiùs, de qua mox loquemur, quàm ad formam, pertinere: secundam verò, quæ erat, vnum numero manere id, quod augetur non e[illegible]onis propriam, sed communem omni motui, prout motus à substan-

In lib. de tribus præcog. cap. 12.

Anima est ratio formalis augmentabilitatis, quantitas vero est conditio materialis.

Ad argumentum.

Forma.

tiali mutatione distinguitur; illud enim, quod secundùm sola accidentia mutatur, manente substantia, dicitur idem numero esse post motū, quod ante motum erat: Arist. autem has conditiones non ideò adduxit, quòd omnes accretionis proprias esse voluerit, sed vt alias impropriè dictas accretiones à vera accretione secerneret, quod quidem per has tres conditiones satis commodè præstitit, vnam igitur sumpsit à materia: alteram à natura motus vniversè sumpti, prout à generatione distinguitur; sed tertiam à propria accretionis natura, quæ est, non modò totum, sed omnes etiam partes secundùm omnes dimensiones incrementum suscipere; per hanc enim significatur illa membrorum extensio, in qua diximus esse accretionis naturam constitutā: quocirca hæc est maximè propria accretionis differentia, quum secunda omni motui communis fuerit, proinde in definitione accretionis exprimenda non sit, sed satis nominatione motus significetur, prima verò sit accretioni communis cum nutritione: est igitur forma, & essentia accretionis hæc, motus extensionis ad maiorem quantitatem & totius, & partium omnium secundùm omnes simul dimensiones. Materia duplex est, vna ex qua, altera in qua: materiam ex qua, significauit Aristoteles per primam conditionem, eaque est alimentum, quod in principio est contrarium, in fine autem est factum simile, & in substantiam maiorem conuersum: materia verò, in qua, subiectum est, quod augeri dicitur, sed hoc ab Aristotele in primo libro de Ortu & interitu expressum non fuit, id enim est corpus animatum quatenus est animatū; iam enim diximus animam esse rationem formalem, qua proprium subiectum accretionis susceptiuum constituitur, in eo autem libro animam, & animarum considerare conueniens non erat; sed hoc postea declarauit in secundo libro de Anima: vtraque autem hæc materia præter conditiones accretionis formales in eius definitione tanquam differētia ponitur, quod fit in accidētium omnium definitionibus. Causa quoque efficiens duplex est, vna primaria, quæ est anima vegetans; altera instrumentalis, & secundaria, quæ est calor naturalis. Finis itidem duplex; vnus propinquus, alter verò remotus, ac magis præcipuus: propinquus est assequutio debitæ quantitatis; remotus verò, vt viuens possit exercere omnes operationes vitæ, sed illam præcipuè, quæ est aliud simile generare. Ex his omnibus causis possumus hanc veræ accretionis perfectam, & omnib. numeris absolutam definitionem constituere: Accretio est motus viuentis corporis, quo totum, & omnes partes secundùm omnes simul dimensiones extenduntur ad maiorem quantitatem, factus ab anima per calorem naturalem, ex alimento extrinsecus assumpto, & in maiores consumptis partibus partes substantiæ conuerso, vt ipsum viuens debitam sibi magnitudinem assequatur ad exercendas omnes operationes vitæ. Nutritio verò & subiecto, & materia, ex qua, & effectrice causa tam primaria, quàm secundaria, ab accretione non differt, ideo Aristoteles dixit eas esse idem subiecto; ex fine autem distinguuntur, proinde etiam ex forma, & propria natura: nutritio enim formaliter non est motus, sed mutatio subita, & ad generationem potiùs reducitur, quàm ad motum, vt significauit Aristoteles, dicēs eam tendere ad acquisitionem substantiæ, nō accidentis; quanquam non est perfecta generatio, quia generatio est via ad acquisitionem formæ, at nutritio est via ad acquisitionē partium materiæ, vt optimè declarat Albertus in suo libro de homine, & Petrus Pomponatius in capite decimooctauo prioris libri sui de Accretione & nutritione: ideò videtur potiùs vocanda aggeneratio, quàm absolutè generatio, sicut antea declarauimus; quia non est generatio respectu viuentis, respectu cuius vocatur nutritio, sed solùm respectu partium materiæ: hæc igitur est propria eius natura, & forma. Finis autem duplex est, vnus propinquus, alter remotus, & præcipuus: finis propinquus est, vt materiæ partes restaurentur loco partium à naturali calore cōsumptarum, quæ est restauratio ad alterum principaliorem finem dirigitur, nempe ad conseruationem animæ, ac durationem vitæ vsque ad tempus cuiq; viuenti à natura præscriptū. Ex his igitur talem nutritionis perfectam definitionem colligimus. Nutritio est aggeneratio partium materiæ in corpore viuente, ex alimento extrinsecus admoto, facta ab anima per calorem naturalem, vt materia, quæ effluxit, restauretur, & ipsum viuens seruari possit ad illud vsque tempus, quod est ipsi à natura præscriptum.

Marginalia (left): Materia. — Efficiens. — Finis.
Marginalia (right): Accretionis definitio. — Nutritionis materia, & efficiens. — Forma. — Finis. — Nutritionis definitio.
Margin letters: A, B, C, D, E, F

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, Liber

DE SENSV AGENTE.

Propositio, ac partitio dicendorum.

Cap. I.



AGens Aristoteles de mente humana in 3. lib. de Anima, eam sensui in eo similem esse dixit, quòd vt sensus sentiendo patitur ab obiecto sensili, ita & mens intelligēdo patitur ab obiecto intelligibili, proindevt se habet sensus ad sensilia, ita se habet intellectus ad intelligibilia: ob id quum postea præter hūc intellectum patientem dixerit esse ad intellectionem necessarium alterum intellectum agentem, iure multi dubitârunt, an præter sensum patientem detur alius sensus agens, qui sit illi necessarius ad sentiendum. Rem hanc ego consideratione dignam esse arbitratus, aliquid de ea scribere constitui, eò præsertim, quòd occasionem nobis datura est naturam sensus, quæ cognitu dignissima est, declarandi; etenim de actione sensus loqui non possumus, quin de passione quoque loquamur; quisquis autem intelligat quomodo sensus agat, & quomodo patiatur, is iam ipsius naturam perfectè cognoscit. Quoniam autem res hæc à Latinis tum antiquioribus, tum recentioribus maximè agitata, ac diffusissimè disputata est, vt tædiosam legentibus fore hanc nostram disputationem oporteat, si omnia, quæ ab alijs de hac re dicuntur, in medium adducere, & perpendere statuamus; ideò strictiùs agere decreuimus, & eorum, quæ ab alijs dicuntur, pauca recensere, quæ præcipua esse, & ad veritatem intelligendam conferre videbuntur, reliqua verò, vt quæ apud eos legi possunt, missa facere: ita vt omnes intelligant, me non controuertandi, sed veritatis quantum per me fieri possit, declarandæ gratiâ hæc scribenda suscepisse. Ante omnia non est ignorandum, quæstionem hanc à Latinis propositam, & tractatam esse tanquam simplicem, sed postea alij complures animaduerterunt eam habere dupli-
A cem sensum, & in duas esse diuidendam, vt reuera est: primùm enim comparari potest obiectum sensile cum sensu, qui ab illo patitur, & quæri an obiectum sensile egeat alio externo simul agente, seu ipsum adiuuante ad speciem in organū sensus imprimendam, an solum obiectum agat, & speciem imprimat: deinde verò facta speciei impressione quæri potest quodnam sit agens, à quo producitur operatio quam vt à sensu pro facultate, seu
B pro anima ipsa accepto distinguamus, liceat nobis sensionem appellare; enim aliud sit imprimere speciem, aliud sensionem, quæ cognitio quędam est, producere, nec dicendum sit obiectum reale esse productiuum cognitionis in sensu, aliud aliquod esse necesse est, quod impressa specie promat operationem. Igitur nos quoque nostram hanc disputationem in duas partes diuidemus: in vna considerabimus, an solum obiectum speciem imprimat in organum, an præter ipsum requiratur aliquod aliud agens; deinde verò inqui-
C remus, impressa specie, à quonam agente promatur operatio, & sensio producatur.

Argumenta ad probandum, quòd præter obiectum detur aliud agens, à quo species sensilis producatur.

Cap. II.

QVod ad priorem quæstionem attinet, videtur esse necessarium præter obiectum sensile, aliquod agens, à quo spe- *Primum argumentum.*
D cies sensilis & in medio, & in organo sensus producatur: nam obiectū sensile est qualitas materialis, eius verò species est accidens spiritale; at spiritale nobilius est materiali; ergo si obiectum solum sine alio agente speciem produceret, ignobilius produceret effectum nobiliorē, & ageret supra proprias vires: quoniam igitur agens debet esse nobilius patiente, obiectum autem materiale nō est nobilius specie sua, quę spiritalis est, sed ignobilius; nō
E potest solum obiectum producere speciē, sed necesse est præter ipsum esse aliud agens nobilius, à quo species producatur. Confirmatur argumento sumpto ab intellectu. Aristoteles enim exist[...]it phantasma solum non esse aptum ad [...]m intelligibilem *Secu*

lectu producendam, quia species intelligibilis phantasmate nobilior est, ideoque praeter phantasma esse necessarium intellectum agentem, & phātasmate, & specie nobiliorem, proinde potētem in intellectu producere speciem intelligibilem; possumus igitur sic argumentari: vt se habet obiectum intelligibile ad intellectum, ita obiectum sensile ad sensum, vt ait Aristot. in contex. 3. lib. 3. de Anima, at qui intelligibile ad speciem in intellectu producendam non sufficit sine ope alterius intellectus, qui vocatur agens; ergo neq; obiectum sensile ad producēdam speciem sensilem sufficiens est absq; alio sensu agente; vt igitur datur intellectus agens praeter intellectum patientem, ita praeter tum sensum patientem datur sensus agēs. Praeterea idem comprobatur testimonio Auerrois, qui in Comment. 60. lib. 2. de Anima hisinet, quae modò adduximus, argumentia vtens ostendit esse necessariam praeter obiectum sensile aliquam facultatem actiuam, à qua species spiritalis producatur, quā ab obiecto materiali produci nō posse videatur: tollit etiam ibidem responsionē, ad quam confugere aliquis poterat dicendo, rationem & causam spiritalitatis speciei non esse ipsum obiectum materiale, sed materiam recipientem, nempe medium, & organum, in quibus recipitur species, ita vt ex horum recipientium natura fiat, vt forma, quae recipitur, spiritalis fit. Sed refellit hoc Auerroes dicens esse magis consonum rationi, vt natura effectus attribuatur agenti, quàm patienti: agens enim agit per formam, & patiens patitur per materiam; quare spiritalitas speciei videtur potiùs obiecto agenti attribuenda, quàm subiecto recipienti; nullius igitur roboris responsio est, & argumentum viget: quare concludit Auerroes, esse necessarium praeter sensum patientem ponere facultatem agentem, sicut necessarium fuit ponere intellectum agentē praeter intellectum patientem: subiungit autem, Aristotelem hoc dixisse de intellectu, sed tacuisse de sensu, quoniam occultum est in sensu, manifestum autem in intellectu.

Tertium.

Suessani, & Buccaferrei opinio, & eius confutatio. Cap. III.

Haec multos coēgerūt praeter obiectum sensile ponere aliud externum agens, à quo species & in medio, & in organo sensus producatur. Suessanus enim refert, causam spiritalitatis harum specierum in Deum, tanquam in causam primā & remotam, qnę p medium obiectum materiale, tanquam per instrumentum, producat speciem sensilē; inquit enim qualitatē sensilem materialē posse duobus modis cōsiderari, vno modo secundū se, altero modo vt instrumētum Dei: & secundūm se sumpta non producere nisi aliam similem materialē, vt quum calor calorē efficit; vt autē est instrumentum Dei, producere effectū

Suessani opinio.

A spiritalem, scilicet per virtutem primi agentis spiritalis, non per facultatē, [illegible] naturam propriam: itaq; concedere videtur Suessanus colorem spiritalem, qui est in medio, esse nobiliorē colore materiali, à quo producitur: ideò ad tollendam difficultatem illam quomodo effectus nobilior ab agente ignobiliore produci possit, ad Deū confugit, qui obiecto materiali tanquam instrumento vtatur ad producēdam speciem spiritalem: ad propositam

B igitur quaestionem respōdet dari aliud agens praeter obiectum sensile, sed non dari sensum agentem; illud enim Deus est, quem appellare sensum non licet. Haec Suessani sententia recipienda non est; quoniam Deus est rerum omnium, quae generantur, causa vniuersalis, nec aliter secundùm Aristotelem, quam vt mouens Coelum; ipsum autem Coelum in haec inferiora non agit, nisi per motum, & per lumen; ostendere igitur Suessanus debuit,

Confutatio.

C quomodo Coelum seu per motum, seu per lumen agit in obiecta omnium sensuum, & ad species spiritales producendas ijs tanquam instrumentis vtatur; sic enim probabilius dici posset Deum tanquam primam causam, à qua Coelum mouetur, vti obiecto materiali tanquam instrumēto ad speciei spiritalis productionem, id tamen neq; dicere, neque imaginari aliquis potest: sed Deus per coelestia corpora motu & lumine agentia res omnes

D inferiores producit, & singulis proprias naturas tribuit, per quas edunt operationes proprias, & singulis conuenientes, quicquid ergo agunt qualitates sensiles, id secūdùm proprias naturas agunt, neque illa operatio est Deo attribuenda, nisi vt causae vniuersali à qua pendet obiectum sensile secundùm suum esse, à quo omnes eius operationes prouenīūt; ideò rectè Thomas dixit in quaestionibus disputatis de potentia Dei, quaest. 5. artic. 1. agētia na-

E turalia nō esse causas formarum, quarum natura consistit in facto esse, sed solùm esse causas productionis ipsarum, fieri enim prouenit ab agente particulari; proinde subtracto agēte particulari res desinit fieri, at non desinit esse, si eius natura consistit non in fieri, sed in facto esse, propterea quòd eius esse pendet à Deo, non ab agente particulari, quo circa subtracto Deo omnia ad nihilum redigerentur; rectè igitur Thomas pendentiā à Deo tribuit

Agens naturale non est causa formae, sed productionis formae.

F illis, quorum natura cōsistit in facto esse; quia cuiuslibet rei esse est per quādam Dei participationem, sicut etiam Arist. dixit in part. 100. lib. 1. de Coelo, illis verò, quae consistunt in fieri, tribuit pendentiam ab agente particulari, quod non est causa rei vt sit, sed solùm vt fiat. Quoniam igitur hę, de quibus loquimur, sensilium species naturam habent constitutam in fieri nō in facto esse, nam in perspicuo species coloris non est fixa tanquam iam facta, sed fit continuè, rectiùs dicuntur ab obiecto reali pendere, q[illegible] à Deo: quod etiam signo

Species sensiles habēt esse in fieri, nō in facto esse.

manifestissimo deprehendimus; subtracto enim subiecto materiali cuiuscunque momento, & euanescit species, & imago eius tum in medio, tum in organo: quare probãdum maximè videtur illud Thomæ dictũ, & per ipsum ratio erroris Suessani declaratur. Non probo tamen aliud eiusdem Thomæ dictum in eodem loco, artic. 8. nisi sano modo intelligatur: ibi enim dicit duas esse naturalium corporum actiones; vnam secundùm propriam eorum naturam, quatenus corpora sunt; alteram verò, prout participant cõditione aliqua superiorum agentium, & substantiarũ à materia separatarũ, cuiusmodi est productio specierum spiritaliũ in sensu, & in intellectu; hoc autem Thomæ dictũ duos potest habere sensus; vnũ, vt intelligat ipsa obiecta sensilia non secundùm propriam naturam producere speciem spiritalem, sed per virtutem eis infusam à substantijs spiritalibus, ita vt illa operatio sit ipsis obiectis potiùs supra naturam, quàm secundùm naturam; qui sensus ad Suessani sententiam accedere videtur, proinde reprobandus est. Alter verò est, vt intelligat res habere inter se aliquam similitudinem secũdùm aliquas conditiones, non ita tamen, vt quicquid in aliqua cõditione alteri nobiliori simile est, id habere illam dicatur ab illo nobiliore, sed sit huiusmodi secundùm propriam naturam: qui sensus admittendus est; & hunc significare videtur comparatio, quam ibidem Thomas facit, quando dicit in quibusdam animalibus brutis inspici similitudinem quandam illius prudentiæ, quæ hominis propria est; nam si intelligeret illam brutorum prudentiam non eis competere secundùm propriam naturam, sed vt ab humana natura cum illis cõmunicatam, & illis quodammodo infusam, ita vt superprediatur naturam illorũ animalium, vana prorsus, & reijcienda sententia esset; quoniam illa prudentiæ similitudo insequitur propriã illorum brutorum naturam, neque homo potest illius prudentiæ causa, vel origo appellari: hoc igitur, quod ibi Thomas dicit, ea tantùm ratione verum est, quatenus res omnes inuicem comparatæ habent in aliquo similitudinem inter se, ita vt species spiritalis obiectorum sensilium dicatur modo quodam similis substantijs spiritalibus, non tamen ab illis producatur, sed à propria sensilium obiectorum natura, quæ apta per se est ad talem speciem, & imaginẽ in medio & in sensu producendam. Adde quòd illa cum substantijs spiritalibus similitudo parua admodum est, & prorsus æquiuoca, nil enim, quod eiusdem naturæ sit, potest diuinis substantijs, & his materialibus idem competere: quare alia prorsus spiritalitas est in substantijs à materia abiunctis per essentiam, alia in his speciebus sensilibus, quæ licèt non à materia, in qua recipiuntur, sed à producente pendeant, tamen subsistere absq; materia recipiente nõ possunt,

Alia est spiritualitas sensibilium spiritalium, & alia substantiarum immaterialium.

A Vnde etiam manifestiùs colligimus Suessani errorem: quum enim non eadem sit hæc specierum spiritalitas, quæ Dei, & substantiarum à materia abiunctarũ, sed penitus æquiuocè dicta, vanum est ob hanc solius nominis similitudinem referre illam potiùs in Deum, vel in substantias separatas, quàm in ipsorum obiectorum propriam naturam, à qua producuntur. Notare etiam in eius sententia repugnantiam aliquam possumus: nam si obiecti materialis naturam dicat esse à Deo productam

Contradictio in sententia Suessani.

B talem, quæ spec em suã spiritalem in medio, & in organo sensus efficere posset, & hac tantùm ratione causam eius esse Deum; sic concedit id, quod est verissimum, speciem à propria obiecti natura produci, sicuti res omnes seruata earũ pendentia à Deo proprias edunt operationes singulis naturaliter cõuenientes; hoc tamen ipse negat, dum dicit obiectũ non secundùm naturam suam producere speciem,

C sed quatenus est instrumentũ Dei: si verò dicat productionem talium specierum ab obiectis fieri nõ per proprias ipsorum naturas, sed per diuinam virtutem, sic asserit Deum esse earum causam immediatã, quod tamen ipsemet expressè negat vt absurdissimum: in hoc igitur pugnantia dicit, quia primùm apertè notat Deum non esse harum specierum causam effectricem immediatam, sed remotam, deinde id declarans, & eius rationem referens

D in spiritalitatem Dei, tanquam in causam spiritalitatis harum specierum, illud idem, quod negauerat, affirmat; quum enim obiecti realis natura non sit spiritalis, necesse est vt illa specierũ spiritalitas immediatè proueniat à spiritalitate Dei: vtrumlibet igitur dicat, sibimet aduersatur. Non admodum diuersa ab hac sententia fuit opinio Buccaferrei, qui similiter dixit præter obiectum sensile esse necessarium aliquod externum agens ad producen-

Buccaferrei opinio.

E dam speciem spiritalem, non esse tamen sensum agentem; sed neque esse Deum, quæ fuit Suessani sententia, sed esse cœlestes intelligentias, seu Cœlum per virtutem intelligentiarũ: aduersus quam sententiam illa eadem dicenda sunt, quę contra Suessanum diximus: quòd si ad lumen Buccaferreus confugiat, quod à Cœlo productum causa est visionis, hoc nihil est; ad solum enim visum hoc pertinet, non ad alios sensus: præterea non solùm cœleste

Confutatio.

F lumẽ causa est visionis, sed lumẽ etiam ignis, & aliorum lucidorum; quare per hoc non ostenditur, quomodo Cœlum sit causa productionis omnium specierũ sensilium. Facit autem Buccaferreus ibidẽ aduersus se obiectionem de intellectu agente: quemadmodum enim ad productionẽ specierum sensiliũ non requiritur sensus agens, sed sufficit obiectum sensile cum virtute cœlesti, ita etiam intellectio fieri poterit ex actione phantasmatũ per virtutem cœlestem; quare non opus erit intellectu agente. Dubium autem hoc non solùm Bucca-

Dubium Buccaferrei.

Buccaferreo, ac Suessano officit, sed & alijs omnibus, etiam illis, qui dicunt à solo obiecto sensili speciem spiritalem produci absque vlla prorsus ope alicuius externi agentis: nam etiã adversus hos dubitari potest, cur intellectus indigeat externo agente præter obiectũ, sensus verò non indigeat. Respondet ad hoc dubium Buccaferreus, competere intellectui propter suã dignitatẽ vt habeat in seipso non modò passiuũ, sed etiam actiuum suæ operationis principium; sensum verò propter suã imperfectionem externo agente indigere præter obiectũ sensile: quod idem etiam à Suessano dicitur in eadem sua disputatione de sensu agente. Sed isti hac sua responsione declarant se non intelligere quid sit apud Aristotel. intellectus agens, & quodnam sit eius officiũ in nostra intellectione: quem eorum, & multorum errorem alio in loco opportuniùs declarabimus, simulq; huius discriminis rationem afferemus, cur obiectum, à quo mouetur intellectus, & illud, à quo mouetur sensus, non similiter egeant auxilio externi agentis; hoc enim explicari perfectè non potest, nisi declaratis rum officijs, tum conditionibus intellectus agentis, de quo alibi differemus.

Refutio Buccaferrei. *Impugnatio.* *In lib. de intellectu agente.*

Recentiorum opinio, & eius confutatio. Cap. IV.

Nonnulli recentiores cõsiderantes huiusce rei difficultatem in hoc esse constitutã, quomodo obiecta sensilia, quũ sint qualitates materiales, possint speciem producere spiritalem: neque eam aliter soluere valentes, non modò concedunt nullum obiectum sensile posse suapte natura spiritaliter agere, sed etiam dicunt non esse necessariam speciem spiritalem, nisi in solo visu: ideo hanc sensuum distinctionem faciunt: visio fieri non potest, nisi per receptionem speciei spiritalis; ideo quum eam producere color materialis non possit, eget agente externo adiuuante, quod est lumen; quare spiritaliter agit non ex sua natura, sed ope luminis: in alijs verò quatuor sensibus non est necessaria ad sensionem species spiritalis, ideo eorum omnium obiecta materialiter tantùm agunt, neque egent auxilio alicuius externi agentis: ideò ipsi sententiam Auerrois refellunt, qui in Commentar. 97 & 101. lib. 2. de anima apertè dicit omnia sensilia spiritaliter agere; ipsi verò dicunt solum obiectum visus agere spiritaliter, idq; non per naturam suam, sed beneficio luminis, cætera verò omnia materialiter solùm: idque in ijs omnibus singillatim ostendunt: nam in tactu manifestum est tactiles qualitates non facere sensionem, nisi per corporum materialem contactum, quare ex necessitate agunt materialiter; corpus enim calidum nõ potest esse contiguum corpori frigido, quin materialiter calefaciat; ideo corpus illud frigidum, si vi sentiendi præditum sit, illico sentit, & cognoscit calorẽ per illam ipsam actionem materialem, qua realem calorem recipit à calido agente: sic etiam gustabile non sentitur, nisi in contactu linguæ ponatur; ideò per illum contactum agit materialiter, & afficit linguam sapore materiali, non specie aliqua spiritali. Sonus quoque est realis motus partium aëris, vt eo argumento ostenditur, quòd flante vento vehementi feruntur ad aures nostras soni, quos non flante vento non sentiremus; & è contrario si ventus sit aduersus, repellit à nobis sonos, & prohibet ne ad aures nostras deferantur, proinde facit ne audiantur: sic etiam odores feruntur à ventis ab vna aëris parte ad aliam; quò fit, vt modò magis, modò minùs, modò etiam nequaquam sentiantur: quod quidem non contingeret, si odores essent species spiritales; nam species colorum, quum sint spiritales, non pelluntur à ventis; quare si odores quoq; essent spiritales, nullam à ventis agitationem paterentur; sunt igitur qualitates reales, imò sunt vapores corporei à corporibus odorabilibus exhalati, & ad olfactum nostrum delati; quod patet in suffumigijs, quia nisi eis apponatur ignis, qui vapores ex illis educat, non mouent olfactũ.

Sensuum distinctio secundum illos. *Horum argumentatio.*

Sed quoniam hæc sententia videbatur aduersari Aristoteli, qui apertè dixit sensile positum supra sensum nullam facere sensionem, cuius ipsi contrarium asserunt: respondent, non ob id sententiam illam Aristot. labefactari, quoniam Arist. ibi nomine obiecti sensilis non intellexit vapores eductos, sed corpus illud, è quo educuntur; quia si vapores ad organum sensus deferantur, sensionem faciunt, at si corpus ipsum, à quo vapores exhalantur, ponatur in contactu organi, nulla fit sensio. Hæc sententia mihi probari nunquam potuit, quia & rationi, & Arist. aduersatur; quòd rationi aduersetur, facilè intelligemus, si cognouerimus, quomodo fiat actio materialis; hoc igitur declaremus in tactilibus qualitatibus, quæ maximè omnium materiales esse, & materialiter agere videntur, id enim in alijs omnibus intelligendum erit. Calorem agere materialiter nil aliud est, quàm calefacere; calefacere autẽ nil aliud est, quàm in patiente generare alium numero calorem, & ipsum educere de potestate ad actum; non enim credendũ est ignem agentem in lignum tribuere illi suummet calorem eundẽ numero, sed alium similem generare per eductionẽ de potestate ad actum; hoc certè in philosophia ita clarũ est, vt à nullo negari debeat; hoc igitur constituto sic argumentemur: si calor in sensum tactus agit solùm materialiter; ergo alium numero calorẽ in organo tactus producit, non semetipsum eundem numero, siquidem non potest accidens materiale migrare de subiecto in subiectum; ergo sensus tactus non sentit illud calidum, quod tanquam obiectum agit in ipsum, sed alium numero distinctum: quod quidem

Obiectio illorum contra se. *Solutio.* *Opinionis confutatio.* *Quid sit agere materialiter.* *Quòd omnia sensilia in sensum agant spiritaliter.*

defensionem quotidie aggeneratur, & hoc continuè fluit, & renouatur, neq; idem permanet: sententiam hanc attribuit Auerroes *Alexander.* Alexandro in Comment.38. primi lib. de Ortu & interitu, & eandem sequutus videtur Ioannes Grammaticus, qui in eodem lib. dixit necessarium dari aliquam materiæ partem, quæ non fluat, sed per totam vitam eadem permaneat; vsusq; est tali argumento. *Argumentum Ioan. Grammatici.* si tota materia flueret, & tota renouaretur, sequeretur posse indiuiduum seruari æternum, quia viuens haberet semper materiam nouam, atq; virentē: quare semper esset in iuuentute, & nunquā senesceret: quū enim anima per senium non debilitetur, si dicamus materiam quoq; totam posse renouari, nihil erit quod detrimentum aliquod pariatur; nullum igitur decrementū in viuente fiet, nulla senectus; cuius contrariū in omnibus viuentib. experientia docet. *Argumentum Alexandri.* Adest etiam argumentum, quod Auerroes in prędicto loco Alexandro attribuit: si tota materia flueret, & tota renouaretur, sequeretur posse formam materialem separari à tota sua materia, quia si à tota sua materia potest hoc modo derelinqui per partem post partem, ita vt tandem maneat sine vlla parte suæ materiæ, potest etiam à tota simul materia separari, eadem enim vtrobiq; ratio viget. Aliud quoque mirabile, & vix credibile attribuit Alexandro Auerroes in eodem loco, qđ hac in re Arist. reprehenderit, ac deseruerit: quū enim Arist. dixerit accretionem esse adscribēdam formę, non materiæ, hac ductus ratione, quia est attribuenda non illi, quod fluit, sed illi quod permanet, forma autem permanet, materia verò fluit continuè, ita vt nulla eius pars eadem maneat; Alexander, vt ait Auerroes, dixit Arist. hoc de materia protulisse sine vlla probatione, tāquam sequutum id, quod apparet, quum in ea animus acquiescere videatur; falsum tamen esse hoc Arist. dictum, propterea quòd datur etiā aliqua materiæ pars non fluens, cui ob eandem rationem non minùs, quā formæ est accretio attribuenda. Sed vbinam apud Alexandrum hoc Auerr. viderit, ego quidem nescio: nam si Alexandrum legamus in 1. lib. Natural. quæst. cap. 5. & in postrema parte lib. sui de Mistione, vbi de hac re loquitur, nihil tale comperiemus; sequitur enim in omnibus Arist. & inquit, materiā continuè fluere secundùm partes, formam verò nō fluere, sed eandem manere, & per formam intelligit animam, vt nos intelligendam esse diximus, quā dicit ad maiorem materiam extendi, & ad minorem retrahi. de humido autem radicali, qđ non fluat, ne verbum quidem ibi apud Alexandrum legimus, sed potius videtur in omnibus Auerroi consentire; *Auerroes.* nam Auerroes quoq; in memorato loco asserit materiā fluere, formam

A verò non fluere, sed eandem seruari; defensionem autem Arist. in eo putat esse consistentē, vt dicamus omnes prorsus materiæ partes fluere, & ob id non esse ipsi materiæ attribuendam accretionem; sed in eo, quod nos antea declarauimus, φ Arist. nō negauit materiam, & materiæ partes augeri, & illis quoque additionem magnitudinis fieri, sed negauit omnib. partibus materiæ additamentū fieri; proinde illam accretionis conditionem

B quòd omnes partes augeantur, de partib. formæ veram esse, non de partibus materiæ: neq; per formam aliud ibi intelligit Auerroes, quā animam, sicut etiā Alexander, quicquid multi dicant, qui in aliū sensum verba Auerr. trahentes inquiunt, Auerr. nomine formæ intellexisse totum, vt distinguitur à partibus, & putasse partes quoque animæ vnà cum materiæ partib. fluere; hoc enim etiam Pomponarius Auerroi adscribit in lib. suo de accretione, &

C nutritione. Sed nō est, cur in verbis Auerrois interpretandis immoremur: quanquam enim ea per se obscurissima, ac difficillima intellectu sunt, tamen quisquis ea cum diligentia legat, atque perpendat, deprehendere poterit eam, quam illi putârunt, Auerrois sententiam non fuisse; sed Auerroem existimasse Arist. nomine formę animam vegetantem significasse, & hanc nullo modo fluere, sed materiam solam fluere, sicuti nos quoq; diximus. Sed mit-

D tamus hæc, & quicquid Auerroes & Alexander senserint, ipsam secūdùm se, quam expendendā proposuimus, de duplici humido sententiam, cuiuscunq; ea fuisse dicatur, confidetemus. *Opinionis de duplici humido confutatio.* Hanc ego approbare nullo modo possum: nō enim video, quomodo detur aliquod humidum, quod à calore pati, & resolui nequeat, quū omne aliud humidum sit patibile à calore; quodnā igitur est huius priuilegiū, vt sit impatibile? præterea si id verum esset,

E quomodo tam parua materia, quæ ab ortus initio trahitur, diffundi postea per tantā molem potest, quantam esse videmus animalis perfecti & plantæ: certè embryum est valde paruum comparatione perfecti animalis, & parum humidi in se habet; quomodo igitur potest ea parua materia inconsumpta seruari ad ætatem vsque perfectam, & cum tot tantisq; membris communicari? videmus etiam ex paruo admodum semine magnā arborem

F nasci; oporteret igitur in illo semine, seu in primo germine pullulante, quod valde pusillum est, totum humidum contineri, quod inconsumptum seruetur ad extremum vsque incrementum, & per omnes magnæ arboris partes distribuatur, quod quidem incredibile est. Hanc igitur de duplici humido sententiam reiiciendam prorsus esse existimo. *Vera sententia.* Quid ergo dicendum? totáne materia secundùm partes

partes ita fluit, vt in senio nulla eius pars remaneat, quæ priùs in infante luerit? hoc quoque mihi non probatur, sed puto aliquam esse materiæ partem, quæ à calore naturali consumitur, & aliquam esse, quæ non consumitur: sed banc differentiam non ex eo sumi, qđ alia sit radicalis, alia verò cibalis, & aduentitia: sed sumi ex eo, quòd alia pars est humida, alia verò sicca & terrestris; humidum enim à calore naturali consumitur, est enim propriũ ipsius pabulum, pars verò terrestris remanet, quemadmodum etiam in ijs, quæ comburuntur, inspicimus; toto namque humido consumpto ab igni, remanet cinis, quæ est pars terrestris, quam ob eius maximam resistentiã non potest ignis absumere: viuentia autem omnia in sui ortus initio humidissima sunt, procedente autem ætate fiunt semper sicciora, quia calor consumit humidum radicale: & quamuis aduenat humidum cibale reparans ipsum, atque restaurans, tamen aduenit cum eo etiam pars aliqua terrestris, quæ postea remanet cum terrestri parte ducta ob ortu, & semper ætate procedente magis à calore naturali cõdensatur, & indurescit: ꝓpterea Arist. in libel. de Iuuentute & senectute dixit, nil aliud esse senectutẽ, quàm exiccationem, quoniam humidum semper imminuitur, siccum verò crescit: ideò nisi morbi naturalem vitæ cursum interrumperẽt, necesse esset nos peruenire ad mortem naturalem, quæ ob totius humidi resolutionem fit: quando enim corpora nostra per longam ætatem ad tantã duritiem, & siccitatem redacta sunt, vt sint inepta ad operationes, & ad pabulum calori naturali præbendum, & animam conseruandã, fit ex necessitate mors. Dicimus igitur humidum radicale, seu naturale consumi à calore viuentis neque illud solùm, quod ab ortu trahitur, esse vocandum naturale, sed etiam illud omne, quod per totam vitam ex alimentis aggeneratur; humidum enim cibale conuertitur in substantiam, & in humidum radicale, & naturale: quum enim miscetur in simile naturali & cum eo cõmisceatur, ipsum quoque fit naturale; & vocatur radicale ad differentiam humidi excrementitij, quod non est idoneum pabulum calori naturali. Sed præterea hoc radicale, & naturale humidum fit semper impurius propter reactionem ciborũ in facultatem naturalem, quoniam agens naturale in agendo repatitur; quare per continuam actionem in cibos corpora nostra redduntur impuriora, & imbecilliora. Non est igitur ponenda aliqua humiditas fixa, & irresolubilis, hoc enim nihil inanius pronuntiari potest: quia omne humidum est resolubile à calore, illud quoq;, quod ab ortu trahitur, consumitur enim & eget aliquo reparante, &

Viuentiũ corpora fiũt semper sicciora.

Senectus est exsiccatio.

Omne humidum est resolubile à calore.

A nouum humidum subministrante; id autem, quod non consumitur, est pars terrestris, tam quæ ab ortu trahitur, quàm quæ ex cibis continuè adiungitur. Possumus autem ad huius rei declarationem vti similitudine satis opportuna: in ellychnio lucernæ videmus ignẽ nutriri donec attrahitur humidũ olei, à quo proprium ellychnij humidũ reparatur, quod quidem sine olei suppeditatione citò ab igni consumeretur, sed propter continuam ignis

B actionem peruenit ellychniũ tandem ad tantam siccitatem, vt nequeat ampliùs ignem cõseruare: idq; ideò fit, quia ignis plus indurat, & exiccat, quàm ab oleo humectetur, & reparetur, & ipsius quoq; olei consumpti pars terrestris remanet cum terrestri parte ellychnij, quoniam ab igni non comburitur, sed remanet etiam extincto igni: sic in viuentium corporibus euenit; in senio enim plus exiccationis, & terrestris naturæ receperunt, quàm à

C cibali humido fuerit reparatum: pars igitur, quæ inconsumpta manet, non est alia, quàm pars terrestris, quam resoluere calor non potest: testimonio sunt ossa, quæ etiam post mortem animalis diutissimè durant, quoniam eorum tẽperatura magno excessu terrestris est; terra enim maximã vim resistendi habet. Hæc sententia Ioannis Grammatici fuit, qui in interpretatione context. 35. primi libri de Ortu & interitu, ostendere volens formam non flue-

D re, sed eandẽ numero manere, hoc argumento vsus est, quòd neque materia tota fluit, sed aliqua est materiæ pars in sene, quæ eadem fuit in puero; & hanc inquit esse partem solidiorem, ac densiorem, nempe terrestrem, quæ à calore non soluitur: & ad hoc confirmandum adhibuit satis validum signum, nam cicatrices in adolescentia receptæ remanẽt eædem in senio, quod non esset, nisi aliqua materiæ pars eadem numero in sene remaneret,

E quæ in adolescente fuit: quod quidem argumentum satis habet efficacitatis, nam proprium sicci est figuram, ac terminos retinere. Sed alterum Ioannis argumentum, cuius suprà meminimus, reuera ad huius comprobationem parum roboris habet: quando enim inquit, si nulla materiæ pars in sene seruata est, quæ in infante fuerit, ergo indiuiduum esset immortale: posset aduersarius hanc consequentiam negare, quia etiamsi to-

F tam materiam fluere per partem post partem diceremus, non ob id fieret vt materia in sene semper virens renouaretur, & ipse semper in flore iuuentutis seruaretur: etenim etiamsi tota renouari statuatur, fit tamen semper impurior, propter reactionem ciborum, & caloris debilitationem: calor enim naturalis semper debilior fit, ob illam continuam reactionem, & ob materiæ maiorem impu-

Ioan. Grammatici.

Solutio argumenti Ioann. Grammatici.

ritatem; quare necesse est, vt tandem deficiat: A ex hac igitur continua caloris debilitatione fit, vt non ita perfectè immutare cibos, & in similem substātiam vertere calor possit: quare etiamsi omnes materiæ partes per successionem renouarentur, necesse tamen esset animal senescere, & tandem mori. Similiter nec argumentum ab Auerroe Alexandro attributum in Commentario 38. prędicto aliquid habet efficacitatis, nempe quum dicebat, si tota B materia per successionem renouaretur, posset anima à tota sua materia separari: nam hæc illatio nullam vim habet, quia fallacia cōmittitur à diuisis ad coniunctum: ideò dicere aduersarius posset animam sine qualibet parte suæ materiæ separatim sumpta posse remanere, sed nō sine omnib. simul eodem tempore subtractis: talem enim esse naturam animę diximus, vt determinet sibi certam materiam secundùm totum, quæ semper vna & eadem C seruetur per æquiualentiam, sed non vt sibi determinet certas eius materiæ partes, quò fit vt mutari possint partes materiæ vna post aliam diuersis temporibus, sed nō tota simul materia eodem tempore sub anima renouari. Patet igitur, rationem, cur in sene aliqua materiæ pars eadem seruetur, quæ in infante fuit, non esse ab ipsa anima sumendam; quia etiamsi omnes materiæ partes per successionem vna post aliam renouarentur, posset ani- D ma seruari, dummodo materia tota eadem seruaretur per æquiualentiam: sed rationem sumendam esse à sola materiæ natura, eadem enim materiæ pars ideò seruatur, quia densa, ac terrestris est, quam consumere calor naturalis non potest.

Solutio argumenti Alexandri.

Quomodo & qua ratione compositum augeatur. Cap. XXIIII.

HActenus accretionem & cum materia, E & cum forma cōparauimus, & quomodo vtriq; & earum partibus competat considerauimus: restat vt eam ad ipsum quoque compositum referamus, nempe ad totū viuens, quod ex corpore vt materia, & anima vegetante vt forma constare statuitur. Primum quidem certum est, compositum esse proprium subiectum, cui primò est accretio attribuenda; siquidem, vt Aristoteles docuit F in contex. 64. primi libri de Anima, omnes operationes animæ sunt toti viuenti attribuendæ vt subiecto, non soli animæ, neque soli corpori: quamuis igitur propter magnum animæ & corporis discrimen, & propter eleuationem à materia, potuerit & in materia, & in anima seorsùm accretio considerari: tamen propriè loquendo, neque materia augetur, neque forma, sed compositum ex vtrisque constans est id, quod augetur vt

Accretio propriè est compositi, nō formæ, neq; materiæ.

quod, materia verò, & forma, vel ipsarum altera vt quo, non vt quod, est enim id, quo totum viuens aptum est augeri, & augetur: ideò dubium non leue oritur, an forma, an materia sit in viuente formalis ratio accretionis, hoc est, an viuens augeatur ratione materiæ, an potiùs ratione formæ, & quatenus est animatum; nam pro vtraque est ratio. Videtur primum ratio formalis, cur corpus viuens augeatur, petenda esse à materia, non ab anima; quia tota accretionis natura in quantitate consistit, quum eius finis sit adeptio perfectę quantitatis, quantitas autem est propria materiæ conditio, itaq; augentur corpora, quatenus sunt quanta, & ita ratio formalis sumitur à quantitate, proinde à materia: quòd si rationē formalem ab anima sumeremus, dicentes corpora augeri quatenus sunt animata, eam ad substantiam potiùs, quàm ad quantitatem referremus; sic autem tota accretionis natura tolleretur, quæ non ad substantiā, sed ad quantitatem dirigenda est. Ex altera verò parte si corpora dicantur augeri quatenus quanta sunt, sequitur omni quanto accretionem competere: consequens est manifestè falsum, quia solis viuentib. propriè dicta accretio competit: consequentia autem facilè probatur, quia valida semper est illatio à qua tenus ipsum ad de omni: quoniam igitur corporibus inanimatis accretio, de qua nunc loquimur, non competit, sed solis, atq; omnibus animatis; ergo quatenus sunt animata, non quatenus quanta: res igitur difficultate non caret; & eam augent verba Auer. in Cōment. 38. prædicto, vbi inquit quantum augeri quatenus habet formam, quod est dicere animā esse rationem formalem accretionis in corpore viuente, sed postea etiam dicit formam augeri, non prout est forma, sed prout est quanta, & extensa, quare videtur etiam dicere rationē formalem esse quantitatē. Philop quoque ibidem in digressione context. 35. ostendit accretionem corporibus cōpetere ratione formæ; addit tamen, non prout est forma, sed prout est forma quanta. Dignum ergo est consideratione, quomodo hoc sese habeat, & quid hac in re sentiendum sit. Ante omnia statuendum est, quidnam sit id, quod quęrimus, vt hac in re omnem ambiguitatem tollamus: diximus aliàs in libro de Natura, duplex esse principium motus; vnum actiuum, à quo motus producitur; alterum passiuum, quod facit in subiecto aptitudinem, ac propensionem ad talem motum recipiendum; nunc igitur non quærimus actiuū accretionis principium, nam illud animam esse certum est, à qua & coquitur alimentum, & in substantiam vertitur, & membra ad maiorem quātitatem extenduntur: sed id, quod quærimus, est principium

An augeatur viuens ratione materiæ, an ratione formæ.

Quòd ratio accretionis sumatur à materia, & à quantitate.

Quòd ratio accretionis sumatur ab anima.

Anima est accretionis principium & actiuū & passiuum.

principium accretionis passiuum, illud scil. à quo viuens corpus aptum, atq; propensum redditur ad accretionis motum recipiendū; ideò hoc rectiùs vocaretur augmentabilitatis, quā augmentationis ratio formalis, nosq; ipsum ita in præsentia appellare liceat; nam augmentabilitas significat potētiam, & aptitudinem patiendi motum accretionis. Si igitur verum est id, quod in memorato libro docuimus, formam esse principium motus, & actiuum, & passiuum, diuersis modis acceptā, necesse est, vt dicamus animam vegetantem, quæ est principium accretionis actiuum, esse etiam passiuum eiusdem motus principium, & rationem formalem, qua corpus animatū augmentabile est, est enim augmētabile, quia est animatum, proinde omne animatum augetur, quia hoc ei competit, quatenus est animatum, non quidem vt per totam vitam augeatur, sed per statutum quoddam à natura tempus, quemadmodum antea declarauimus.

Solutio argumenti de quantitate.

Quum igitur hæc rei veritas sit, nitendum est difficultatem tollere, quę ex quantitatis consideratione oriebatur: quoniam enim augeri nil aliud est, quàm maiorem quantitatem fieri: non potest augeri, nisi id, quod quantum esse statuatur, ideoq; augmētabilitas quantitatem potiùs, & materiam, quàm formam cōsequi videbatur. Sciendum igitur est, animam vegetantem, de qua loquimur, & formam omnem materialem duas habere essentiales conditiones, quæ pugnare inter se videntur, nec tamen pugnant; vna est, quòd secundùm se non est quanta, sed incorporea, & indiuisibilis; altera est, quòd necessariò requirit statutā materiam quantam, per quam extendatur, & fiat diuidua: neq; hoc extraneum, & accidens esse ipsi formæ dicendum est, quum Aristoteles in Procemio primi lib. de Anima dixerit, hanc essentialem omnis formę materialis cōditionem, proinde in cuiusq; formæ definitione propriam materiam sumendam esse, secus vanam, & dialecticam esse definitionem, neque eius formæ essentiam exprimere: non pugnant autem hæc inter se, quasi dicamus esse essentialem conditionem formæ, vt sit & diuidua, & indiuidua; quemadmodum enim non implicamus cōtradictionem, quando dicimus materiam postulare formam, & necessariò esse formatam, essentialiter tamen esse penitùs informem, quia sic nil aliud denotamus, quàm materiam debere esse formatam, non habere tamen formam in sua natura, sed extrinsecus eam recipere: ita etiam formam materialem dicimus debere ex necessitate quantam & extensam esse, quantitatem tamē & extensionem non ex propria sua natura habere, sed ex materia in q[illegible] cur; ideò essentialis est conditio omnis formæ materialis,

Omnis formæ materialis duas habet qualitates.

A vt sit in tali materia, vt in dicto loco Arist. asserit. Ratio autem horum omnium est, quia nec materia, nec forma est ens per se completum, & in specie collocatum, sed vtraque dirigitur ad constitutionem compositi; ideò neutra omnes habet necessarias conditiones ad speciē constituendam, sed aliquas singula habet ex se, aliquas ab altera recipit: materia ex se habet quantitatem, & naturę corporeæ inchoamentum, non terminos, & actum, sed hæc re-

B cipit à forma; cōtrà verò forma est terminus, & complementum, sed eget materia recipiente & sustentante, & quum debeat esse quanta & diuidua, eiusmodi autem à seipsa non sit, requirit necessariò materiā quantam, per quā extendatur, ita vt per eam quanta, ac diuidua fiat: itaq; non dicimus conditionem esse formæ necessariam vt sit & quanta, & non quanta, & simul diuidua, & non diuidua; sed dicimus necessarium esse, vt quāta ac diuidua sit,

C siquidem compositum, quod ab ea est cōstituendum, debet esse quātum, atq; diuiduum; sed quū ipsa ex se non sit huiusmodi, fieri quātam, ac diuiduam à materia, per quam extenditur, & ita ad cōpositum constituendum tū materiam, tum formam ita cōcurrere, vt propriam vtraq; operam contribuat: hoc quum ita sit, nō est mirum, si formę pro diuersis suis conditionibus diuersa etiam attribuantur; alia namq; illi competunt ratione propriæ na-

D turæ, alia verò ratione illarum conditionum, quas recipit à materia, est enim principium motus actiuū quatenus est forma, non quatenus est extensa, & diuidua per materiam; sed est principium motus passiuum quatenus est quanta, & extensa per materiam; non potest enim esse ratio recipiendi incrementum, nisi sit quanta: ꝓpterea dicebat Auerroes in Comment. 28. tertij lib. de Cœlo, forma elementi mouet vt est forma, & mouetur quatenus est

E in materia; hoc est, forma elementi est ratio formalis cur elementum sit tali motu mobile, quatenus est in materia, in qua fit quanta, & constituit corpus tali motu mobile: quod autem dicit Auerroes de forma elementi respectu motus localis, idem dicendum est de anima vegetante respectu motus accretionis. Sed id, quod hac in re difficultatem faciebat, erat quod accretionis natura in quātitate cōsistit, quare ratio augmentabilitatis videtur à

F quantitate potiùs esse sumenda, quàm à forma: quod etiam significasse videntur Auerroes, & Ioannes Grammaticus; dicentes viuens augeri quatenus habet formam, formam verò augeri quatenus est forma quanta. Sed re bene intellecta omne dubium tolletur, & Auerrois, & Ioannis Grammatici sententia vera esse cognoscetur; dicimus enim particulā illam [illegible], quando hi dicunt formam

quatenus est forma quanta, non denotate rationem formalem, sed conditionem materialem ipsi formæ necessariam, & sine qua non; sola enim forma est ratio cur corpora sint augmentabilia, non quidem omnis forma, sed hæc, de qua loquimur, scilicet anima vegetās quatenus est anima vegetās; hæc tamen id nō præstat, nisi per materiam quātam extensa sit: quod autē diximus de ea dictione, quatenus, confirmatur Arist. testimonio in contex. 20. lib. 2. Physic vbi sumit, quatenus non pro ratione formali, sed pro conditione materiali; quemadmodum alio in loco declarauimus. Auerroes igitur, & Ioannes Grāmaticus, quādo dicunt formam augeri quatenus est forma quanta, per hoc denotant & materiale, & formale augmentabilitatis: quantū enim est conditio materialis, anima verò est ratio formalis: quod sic ostēdo: illud est materiale, quod quum per se sit amplum, & indeterminatum, restringitur, & determinatur ab alio, illud verò est formale quod restringit, ac determinat; at hîc quantū determinaī, & anima determinat; igitur anima est formale augmentabilitatis, quātum verò materiale: maior ita est, minor ita probatur: quantum quatenus est quantum, non alia ratione est augmentabile, quàm quia omni quanto ratione quantitatis fieri additamētum potest, hoc autem non soli animato competit, sed omni prorsus quanto, etiam lineæ, ac superficiei; quare illa augmētābilitas, quæ ex sola quanti natura sumitur, nimis ampla est, atque indeterminata, neque est propria solius viuentis; nos autem eam non ita amplam hic consideramus, sed determinatam, & ad certum modum, qui viuentium proprius est, contractam atq; restrictam, nimirum per tres illas conditiones; vt ex accessione materię fiat, & idem numero maneat id, quod augetur; & non solùm totum, sed etiam omnes partes secundùm omnes dimensiones incrementum recipiant; talem autem accretionem quisquis dicat quanto competere quatenus quantum est, fatuus est, quia sic diceret eam omni quanto competere: fatendum igitur est, hanc propriè sumptæ accretionis determinationem non à quanto fieri, sed ab anima, proinde talem accretionē competere quanto quatenus est animatum: & ita illius augmentabilitatis, quæ dicit aptitudinem recipiendi accretionem ijs conditionibus præditam, rationem formalem non esse quantitatem, sed animam vegetantem; quantitatem verò esse conditionem necessariam, & sine qua non, quoniam anima hæc nō præstat, nisi in sicca materia quantæ: & hoc Auerroes, & Ioannes Grammaticus significare voluerunt, quādo dixerunt formam augeri quatenus est forma quanta. Ad argumentum autem,

In lib. de tribus præcog. cap. 12.

Anima est ratio formalis augmentabilitatis, quantitas verò est conditio materialis.

Ad argumentum.

A tem, quod antea ab accretionis natura sumebatur, facile est respondere: dicimus enim, naturam accretionis à quantitate pendere tanquam à termino, ad quem dirigitur, siquidē ad quantitatem est, non ad substantiam; sic autem, & cuiuslibet motus natura similiter à termino iudicatur: sed aliud est terminus, ad quem tendit, & in quo desinit motus, aliud est formalis ratio subiecti mobilis, qua est receptiuum talis motus; nam motus elementi
B ad suum locum sumit nominationem à termino, & vocatur motus localis; at ratio formalis, qua elementum est tali motu mobile, non est locus, sed grauitas, vel leuitas, seu ipsa elementi forma; quatenus enim est forma in materia, eatenus est principium passiuum motus elementi naturalis. Sic igitur quantitas est terminus, ad quem accretio tendit, & in quo huius motus natura consistit: at ratio augmentabilitatis in ijs, quę propriè augentur,
C non est quantitas, sed anima vegetans. Considerādum præterea est, terminū veræ accretionis, ad quem, non esse quantitatem absolutè, sed perfectam quantitatem, vt ex Aristotele colligimus in tertio libro Physicæ auscultationis contex. 5. perfectio autem respicit formam, & à forma tribuitur; quare etiam rationetermini ratio augmentabilitatis est attribuenda formæ, quum quantitas secundùm se nec perfecta nec imperfecta dici possit; forma
D enim, non quantitas, determinat propensionem ad perfectam quantitatem.

Collectio omnium causarum accretionis, & nutritionis, & perfecta ambarum definitionis constitutio.

Cap. XXV.

Ex ijs omnib. quæ hactenus diximus, colligendæ breuiter sunt omnes accretionis & nutritionis causæ, vt ex ijs omnib.
E perfectam vtriusque definitionem constituentes in hac tandem definamus, finemq; huic difficillimæ disputationi imponamus. Habet accretio omnia quatuor genera causarum, & in singulo genere plures, quod eam cognitu difficiliorem facit: has igitur omnes breuiter enumeremus. Forma accretionis est ipsamet eius natura, quæ significatur per genus proprijs eius differentijs, & conditionibus coarctatum; genus quidem est motus, differentiæ
F verò videntur esse tres illæ conditiones ab Aristotele positæ, & iam à nobis declaratæ: sciendum tamen est primam conditionem quæ fuit, vt ex adueniente materia accretio fiat, ad materiam potiùs, de qua mox loquemur, quàm ad formam, pertinere; secundam verò, quæ erat, vnum numero manere id, quod augetur non [illegible]onis propriam, sed communem omnium motui, prout motus a substan-

Forma ac-

tiali mutatione distinguitur; illud enim, quod secundùm sola accidentia mutatur, manente substantia, dicitur idem numero esse post motũ, quod ante motum erat; Arist. autem has conditiones non ideò adduxit, quòd omnes accretionis proprias esse voluerit, sed vt alias impropriè dictas accretiones à vera accretione secerneret, quod quidem per has tres conditiones satis commodè præstitit, vnam igitur sumpsit à materia; alteram à natura motus vniuersè sumpti, prout à generatione distinguitur; sed tertiam à propria accretionis natura, quæ est, non modò totum, sed omnes etiam partes secundùm omnes dimensiones incrementum suscipere; per hanc enim significatur illa membrorum extensio, in qua diximus esse accretionis naturam constitutã; quocirca hæc est maximè propria accretionis differentia, quum secunda omni motui communis fuerit, proinde in definitione accretionis exprimenda non sit, sed satis nominatione motus significetur, prima verò sit accretioni communis cum nutritione: est igitur forma, & essentia accretionis hæc, motus extensionis ad maiorem quantitatem & totius, & partium omnium secundùm omnes simul dimensiones.

Materia. Materia duplex est, vna ex qua, altera in qua: materiam ex qua, significauit Aristoteles per primam conditionem, eaque est alimentum, quod in principio est contrarium, in fine autem est factum simile, & in substantiam maiorem conuersum: materia verò, in qua, subiectum est. quod augeri dicitur, sed hoc ab Aristotele in primo libro de Ortu & interitu expressum non fuit, id enim est corpus animatum quatenus est animatũ; iam enim diximus animam esse rationem formalem, qua proprium subiectum accretionis susceptiuum constituitur, in eo autem libro animam, & animatum considerare conueniens non erat; sed hoc postea declarauit in secundo libro de Anima: vtraque autem hæc materia præter conditiones accretionis formales in eius definitione tanquam differẽtia ponitur, quod fit in accidẽtium omnium definitionibus.

Efficiens. Causa quoque efficiens duplex est; vna primaria, quæ est anima vegetans; altera instrumentalis, & secundaria, quæ est calor naturalis. Finis itidem duplex; vnus propinquus; alter verò remotus, ac magis præcipuus: propinquus est assequutio debitæ quantitatis; remotus verò, vt viuens possit exercere omnes operationes vitæ, sed illam præcipuè, quæ est aliud simile generare. Ex his omnibus causis possumus hanc veræ accretionis perfectam, & omnib. numeris absolutam definitionem constituere:

Accretionis definitio. Accretio est motus viuentis corporis, quo totum, & omnes partes secundùm omnes simul dimensiones extenduntur ad maiorem quantitatem, factus ab anima per calorem naturalem, ex alimento extrinsecus assumpto, & in maiores consumptis partibus partes substantiæ conuerso, vt ipsum viuens debitam sibi magnitudinem assequatur ad exercendas omnes operationes vitæ.

Nutritionis materia, & efficiens. Nutritio verò & subiecto, & materia, ex qua, & effectrice causa tam primaria, quàm secundaria, ab accretione non differt, ideò Aristoteles dixit eas esse idem subiecto; ex fine autem distinguuntur, proinde etiam ex forma, & propria natura:

Forma. nutritio enim formaliter non est motus, sed mutatio subita, & ad generationem potiùs reducitur, quàm ad motum, vt significauit Aristoteles, dicẽs eam tendere ad acquisitionem substantiæ, nõ accidentis; quanquam non est perfecta generatio, quia generatio est via ad acquisitionem formæ, at nutritio est via ad acquisitionẽ partium materiæ, vt optimè declarat Albertus in suo libro de homine, & Petrus Pomponatius in capite decimooctauo prioris libri sui de Accretione & nutritione: ideò videtur potiùs vocanda aggeneratio, quàm absolutè generatio, sicut antea declarauimus; quia non est generatio respectu viuentis, respectu cuius vocatur nutritio, sed solùm respectu partium materiæ: hæc igitur est propria eius natura, & forma.

Finis. Finis autem duplex est, vnus propinquus, alter remotus, & præcipuus: finis propinquus est, vt materiæ partes restaurentur loco partium à naturali calore cõsumptarum; quæ est restauratio ad alterum principaliorem finem dirigitur, nempe ad conseruationem animæ, ac durationem vitæ vsque ad tempus cuiq; viuenti à natura præscriptũ. Ex his igitur talem nutritionis perfectam definitionem colligimus.

Nutritionis definitio. Nutritio est aggeneratio partium materiæ in corpore viuente, ex alimento extrinsecus admoto, facta ab anima per calorem naturalem, vt materia, quæ effluxit, restauretur, & ipsum viuens seruari possit ad illud vsque tempus, quod est ipsi à natura præscriptum.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber

DE SENSV AGENTE.

Propositio, ac partitio dicendorum.

Cap. I.



Agens Aristoteles de mente humana in 3. lib. de Anima, eam sensui in eo similem esse dixit, quòd vt sensus sentiendo patitur ab obiecto sensili, ita & mens intelligẽdo patitur ab obiecto intelligibili, proinde vt se habet sensus ad sensilia, ita se habet intellectus ad intelligibilia: ob id quum postea præter hũc intellectum patientem dixerit esse ad intellectionem necessarium alterum intellectum agentem, iure multi dubitârunt, an præter sensum patientem detur alius sensus agens, qui sit illi necessarius ad sentiendum. Rem hanc ego consideratione dignam esse arbitratus, aliquid de eà scribere constitui, eò præsertim, quòd occasionem nobis datura est naturam sensus, quæ cognitu dignissima est, declarandi; etenim de actione sensus loqui non possumus, quin de passione quoque loquamur; quisquis autem intelligat quomodo sensus agat, & quomodo patiatur, is iam ipsius uarniam perfectè cognoscit. Quoniam autem res hæc à Latinis tum antiquioribus, tum recentioribus maximè agitata, ac diffusissimè disputata est, vt tædiosam legentibus fore hanc nostram disputationem oporteat, si omnia, quæ ab alijs de hac re dicuntur, in medium adducere, & perpendere statuamus; ideò strictiùs agere decreuimus, & eorum, quæ ab alijs dicuntur, pauca recensere, quæ præcipua esse, & ad veritatem intelligendam conferre videbuntur, reliqua verò, vt quæ apud eos legi possunt, missa facere: ita vt omnes intelligant, me non controuersandi, sed veritatis quantum per me fieri possit, declarandæ gratiâ hæc scribenda suscepisse. Ante omnia non est ignorandum, quæstionem hanc à Latinis propositam, & tractatam esse tanquam simplicem, sed postea alij complures animaduerterunt eam habere dupli-

A cem sensum, & in duas esse diuidendam, vt re uera est: primùm enim comparari potest obiectum sensile cum sensu, qui ab illo patitur, & quæri an obiectum sensile egeat alio externo simul agente, seu ipsum adiuuante ad speciem in organũ sensus imprimendam, an solum obiectum agat, & speciem imprimat: deinde verò facta speciei impressione quæri potest quodnam sit agens, à quo producitur operatio quam vt à sensu pro facultate, seu
B pro anima ipsa accepto distinguamus, liceat nobis sensionem appellare; enim aliud sit imprimere speciem, aliud sensionem, quæ cognitio quędam est, producere, nec dicendum sit obiectum reale esse productiuum cognitionis in sensu, aliud aliquod esse necesse est, quod impressa specie promat operationem. Igitur nos quoque nostram hanc disputationem in duas partes diuidemus: in vna considerabimus, an solum obiectum speciem imprimat in organum, an præter ipsum requiratur aliquod aliud agens; deinde verò inqui-
C remus, impressa specie, à quonam agente promatur operatio, & sensio producatur.

Argumenta ad probandum, quòd præter obiectum detur aliud agens, à quo species sensilis producatur.

Cap. II.

Qvod ad priorem quæstionem attinet, videtur esse necessarium præter obiectum sensile, aliquod agens, à quo spe- *Primum argumentum.*
D cies sensilis & in medio, & in organo sensus producatur: nam obiectũ sensile est qualitas materialis, eius verò species est accidens spiritale; at spiritale nobilius est materiali: ergo si obiectum solum sine alio agente speciem [illegible] nobiliorẽ, & ageret supra proprias vires: quoniam igitur agens debet esse nobilius patiente, obiectum autem materiale nõ est nobilius specie sua, quę spiritalis est, sed ignobilius; nõ
E potest solum obiectum producere speciẽ, sed necesse est præter ipsum esse aliud agens nobilius, à quo species producatur. Confirmatur argumento sumpto ab intellectu: Aristoteles enim exi[illegible]t phantasma solum non esse aptum ad [illegible]m intelligibilem *Secundum*

lectu producendam, quia species intelligibilis phantasmate nobilior est, ideoque præter phantasma esse necessarium intellectum agentem, & phātasmate, & specie nobiliorem, proinde potētem in intellectu producere speciem intelligibilem; possumus igitur sic argumentari: vt se habet obiectum intelligibile ad intellectum, ita obiectum sensile ad sensum, vt ait Aristot. in contex. 3. lib. 3. de Anima, atqui intelligibile ad speciem in intellectu producendam non sufficit sine ope alterius intellectus, qui vocatur agens; ergo neq; obiectum sensile ad producēdam speciem sensilem sufficiens est absq; alio sensu agente; vt igitur datur intellectus agens præter intellectum patientem, ita prælertim sensum patiētem datur sensus agēs. Præterea idem comprobatur testimonio Auerrois, qui in Comment. 60. lib. 2. de Anima hisimet, quæ modo adduximus, argumentis vtens ostendit esse necessariam præter obiectum sensile aliquam facultatem actiuam, à qua species spiritalis producatur, quū ab obiecto materiali produci nō posse videatur: tollit etiam ibidem responsionē, ad quam confugere aliquis poterat dicendo, rationem & causam spiritalitatis speciei non esse ipsum obiectum materiale, sed materiam recipientem, nempe medium, & organum, in quibus recipitur species, ita vt ex horum recipientium natura fiat, vt forma, quæ recipitur, spiritalis sit. Sed refellit hoc Auerroes dicens esse magis consonum rationi, vt natura effectus attribuatur agenti, quàm patienti: agens enim agit per formam, & patiens patitur per materiam; quare spiritalitas speciei videtur potiùs obiecto agenti attribuenda, quàm subiecto recipienti; nullius igitur roboris responsio est, & argumentum viget: quare concludit Auerroes, esse necessarium præter sensum patientem ponere facultatem agentem, sicuti necessarium fuit ponere intellectum agentē præter intellectum patientem: subiungit autem, Aristotelem hoc dixisse de intellectu, sed tacuisse de sensu, quoniam occultum est in sensu, manifestum autem in intellectu.

Tertium.

Suessani, & Buccaferrei opinio, & eius confutatio. Cap. III.

Haec multos coēgerūt præter obiectum sensile ponere aliud externum agens, à quo species & in medio, & in organo sensus producatur. Suessanus enim refert causam spiritalitatis harum specierum in Deum, tanquam in causam primā & remotam, quę p̄ medium obiectum materiale, tanquam per instrumentum, producat speciem sensilē; inquit enim qualitatē sensilem materialē posse duobus modis cōsiderari, vno modo secundū se, altero modo vt instrumētum Dei: & secundū se sumptā non producere nisi aliam similem materialē, vt quum calor calorē efficit; vt autē est instrumentum Dei, producere effectū spiritalem, scilicet per virtutem primi agentis spiritalis, non per facultatē, seu naturam propriam: itaq; concedere videtur Suessanus colorem spiritalem, qui est in medio, esse nobiliorē colore materiali, à quo producitur: ideò ad tollendam difficultatem illam quomodo effectus nobilior ab agente ignobiliore produci possit, ad Deū confugit, qui obiecto materiali tanquam instrumento vtatur ad producēdam speciem spiritalem: ad propositam igitur quæstionem respōdet dari aliud agens præter obiectum sensile, sed non dari sensum agentem; illud enim Deus est, quem appellare sensum non licet. Hæc Suessani sententia recipienda non est; quoniam Deus est rerum omnium, quæ generantur, causa vniuersalis, nec aliter secundùm Aristotelem, quam vt mouens Cœlum; ipsum autem Cœlum in hæc inferiora non agit, nisi per motum, & per lumen; ostendere igitur Suessanus debuit, quomodo Cœlum seu per motum, seu per lumen agit in obiecta omnium sensuum, & ad species spiritales producendas ijs tanquam instrumentis vtatur; sic enim probabilius dici posset Deum tanquam primam causam, à qua Cœlum mouetur, vti obiecto materiali tanquam instrumēto ad speciei spiritalis productionem, id tamen neq; dicere, neque imaginari aliquis potest: sed Deus per cœlestia corpora motu & lumine agentia res omnes inferiores producit, & singulis proprias naturas tribuit, per quas edunt operationes proprias, & singulis conuenientes, quicquid ergo agunt qualitates sensiles, id secūdùm proprias naturas agunt, neque illa operatio est Deo attribuenda, nisi vt causæ vniuersali à qua pendet obiectum sensile secundùm suum esse, à quo omnes eius operationes prouenitūt; ideò recte Thomas dixit in quæstionibus disputatis de potentia Dei, quæst. 5. artic. 1. agētia naturalia nō esse causas formarum, quarum natura consistit in facto esse, sed solùm esse causas productionis ipsarum; fieri enim prouenit ab agente particulari; proinde subtracto agēte particulari res desinit fieri, at non desinit esse, si eius natura consistit non in fieri, sed in facto esse, propterea quòd eius esse pendet à Deo, non ab agente particulari, quocirca subtracto Deo omnia ad nihilum redigerentur; rectè igitur Thomas pendentiā à Deo tribuit illis, quorum natura cōsistit in facto esse; quia cuiuslibet rei esse est per quādam Dei participationem, sicut etiam Arist. dixit in par. 100. lib. 1. de Cœlo, illis verò, quæ consistunt in fieri, tribuit pendentiam ab agente particulari, quod non est causa rei vt sit, sed solùm vt fiat. Quoniam igitur hę, de quibus loquimur, sensilium species naturam habent consistentem in fieri nō in facto esse, nam in perspicuo species coloris non est fixa tanquam iam facta, sed fit continuè, rectius dicuntur ab obiecto reali pendere, quàm à Deo: quod etiam signo

Suessani opinio.

Confutatio.

Agens naturale non est causa formæ, sed productionis formæ.

Species sensiles habēt esse in fieri, nō in facto esse.

manifestissimo deprehendimus; subtracto enim subiecto materiali deficit eodē momento, & euanescit species, & imago eius tum in medio, tum in organo: quare probādum maximè videtur illud Thomę dictū, & per ipsum ratio erroris Suessani declaratur. Non probo tamen aliud eiusdem Thomæ dictum in eodem loco, artic. 8. nisi sano modo intelligatur: ibi enim dicit duas esse naturalium corporum actiones; vnam secundùm propriam eorum naturam, quatenus corpora sunt; alteram verò, prout participant cōditione aliqua superiorum agentium, & substantiarū à materia separatarū, cuiusmodi est productio specierum spiritaliū in sensu, & in intellectu; hoc autem Thomæ dictū duos potest habere sensus; vnū, vt intelligat ipsa obiecta sensilia non secundùm propriam naturam producere speciem spiritalem, sed per virtutem eis infusam à substantijs spiritalibus, ita vt illa operatio sit ipsis obiectis potiùs supra naturam, quàm secundùm naturam; qui sensus ad Suessani sententiam accedere videtur, proinde reprobandus est. Alter verò est, vt intelligat res habere inter se aliquam similitudinem secūdùm aliquas conditiones, non ita tamen, vt quicquid in aliqua cōditione alteri nobiliori simile est, id habere illam dicatur ab illo nobiliore, sed sit huiusmodi secundùm propriam naturam: qui sensus admittendus est; & hunc significare videtur comparatio, quam ibidem Thomas facit, quando dicit in quibusdam animalibus brutis inspici similitudinem quandam illius prudentiæ, quæ hominis propria est; nam si intelligeret illam brutorum prudentiam non eis competere secundùm propriam naturam, sed vt ab humana natura cum illis cōmunicatam, & illis quodammodo infusam, ita vt supergrediatur naturam illorū animalium, vana prorsus, & reijcienda sententia esset; quoniam illa prudentiæ similitudo insequitur propriā illorum brutorum naturam, neque homo potest illius prudentiæ causa, vel origo appellari: hoc igitur, quod ibi Thomas dicit, ea tantùm ratione verum est, quatenus res omnes inuicem comparatæ habent in aliquo similitudinem inter se, ita vt species spiritalis obiectorum sensilium dicatur modo quodam similis substantijs spiritalibus, non tamen ab illis producatur, sed à propria sensilium obiectorum natura, quæ apta per se est ad talem speciem, & imaginē in medio & in sensu producendam. Adde quòd illa cum substantijs spiritalibus similitudo parua admodum est, & prorsus æquiuoca, nil enim, quod eiusdem naturæ sit, potest diuinis substantijs, & his materialibus idem competere: quare alia prorsus spiritalitas est in substantijs à materia abiunctis per essentiam, alia in his speciebus sensilibus, quæ licèt non à materia, in qua recipiuntur, sed à producente pendeant, tamen existere absq; materia recipiente nō possunt,

Alia est specierum sensibilium spiritalitas, & alia substātiarum immaterialium.

A Vnde etiam manifestiùs colligimus Suessani errorem. quum enim non eadem sit harū specierum spiritalitas, quæ Dei, & substantiarum à materia abiunctarū, sed penitus æquiuocè dicta, vanum est ob hanc solius nominis similitudinem referre illam potiùs in Deum, vel in substantias separatas, quàm in ipsorum obiectorum propriam naturam, à qua producuntur. Notare etiam in eius sententia repugnantiam aliquam possumus: nam si obiecti ma-
B terialis naturam dicat esse à Deo productam talem, quæ speciem suā spiritalem in medio, & in organo sensus efficere posset, & hac tantùm ratione causam eius esse Deum; sic concedit id, quod est verissimum, speciem à propria obiecti natura produci, sicuti res omnes seruata earū pendentia à Deo proprias edunt operationes singulis naturaliter cōuenientes; hoc tamen ipse negat, dum dicit obiectū non secundùm naturam suam producere speciem,
C sed quatenus est instrumentū Dei: si verò dicat productionem talium specierum ab obiectis fieri nō per proprias ipsorum naturas, sed per diuinam virtutem, sic asserit Deum esse earum causam immediatā, quod tamen ipsemet expressè negat vt absurdissimum: in hoc igitur pugnantia dicit, quia primùm apertè notat Deum non esse harum specierum causam effectricem immediatam, sed remotam; deinde id declarans, & eius rationem referens
D in spiritalitatem Dei, tanquam in causam spiritalitatis harum specierum, illud idem, quod negauerat, affirmat; quum enim obiecti realis natura non sit spiritalis, necesse est vt illa specierū spiritalitas immediatè proueniat à spiritalitate Dei: vtrumlibet igitur dicat, sibimet aduersatur. Non admodum diuersa ab hac sententia fuit opinio Buccaferrei, qui similiter dixit præter obiectum sensile esse necessarium aliquod externum agens ad producen-
E dam speciem spiritalem, non esse tamen sensum agentem; sed neque esse Deum, quæ fuit Suessani sententia, sed esse cœlestes intelligētias, seu Cœlum per virtutem intelligentiarū: aduersus quam sententiam illa eadem dicenda sunt, quę contra Suessanum diximus: quòd si ad lumen Buccaferreus confugiat, quod à Cœlo productum causa est visionis, hoc nihil est; ad solum enim visum hoc pertinet, non ad alios sensus: præterea non solùm cœleste
F lumē causa est visionis, sed lumē etiam ignis, & aliorum lucidorum; quare per hoc non ostenditur, quomodo Cœlum sit causa productionis omnium specierū sensilium. Facit autem Buccaferreus ibidē aduersus se obiectionem de intellectu agente: quemadmodum enim ad productionē specierum sensiliū non requiritur sensus agens, sed sufficit obiectum sensile cum virtute cœlesti, ita etiam intellectio fieri poterit ex actione phantasmatū per virtutem cœlestem; quare non opus erit intellectu agente. Dubium autem hoc non solùm

Contradictio in sententia Suessani.

Buccaferrei opinio.

Confutatio.

Dubium Buccaferreo.

Bucca-

Boccaferreo, ac Suessano officit, sed & alijs omnibus, etiam illis, qui dicunt à solo obiecto sensili speciem spiritalem produci absque vlla prorsus ope alicuius externi agentis: nam etiã aduersus hos dubitari potest, cur intellectus indigeat externo agente præter obiectũ, sensus verò non indigeat. Respondet ad hoc dubium Boccaferreus, competere intellectui ꝓpter suã dignitatẽ vt habeat in seipso non modò passiuũ, sed etiam actiuum suæ operationis principium; sensum verò propter suã imperfectionem externo agente indigere præter obiectũ sensile: quod idem etiam à Suessano dicitur in eadem sua disputatione de sensu agente. Sed isti hac sua responsione declarant se non intelligere quid sit apud Aristotel. intellectus agens, & quodnam sit eius officiũ in nostra intellectione: quem eorum, & multorum errorem alio in loco opportuniùs declarabimus, simulq; huius discriminia rationem afferemus, cur obiectum, à quo mouetur intellectus, & illud, à quo mouetur sensus, non similiter egeant auxilio externi agentis; hoc enim explicari perfectè non potest, nisi declaratis rum officijs, tum conditionibus intellectus agentis, de quo alibi differemus.

Solutio Boccaferrei.

Impugnatio.

In lib. de intellectu agente.

Recentiorum opinio, & eius confutatio. Cap. IV.

NOnnulli recentiores cõsiderantes huiusce rei difficultatem in hoc esse constitutã, quomodo obiecta sensilia, quũ sint qualitates materiales, possint speciem ꝓducere spiritalem: neque eam aliter soluere valentes, non modò concedunt nullum obiectum sensile posse suapte natura spiritaliter agere, sed etiam dicunt non esse necessariam speciem spiritalem, nisi in solo visu: ideo hanc sensuum distinctionem faciunt: visio fieri non potest, nisi per receptionem speciei spiritalis; ideo quum eam producere color materialis non possit, eget agente externo adiuuante, quod est lumen: quare spiritaliter agit non ex sua natura, sed ope luminis: in alijs verò quatuor sensibus non est necessaria ad sensionem species spiritalis, ideo eorum omnium obiecta materialiter tantùm agunt, neque egent auxilio alicuius externi agentis: ideò isti sententiam Auerrois refellunt, qui in Commentar. 97 & 101. lib. 2. de anima apertè dicit omnia sensilia spiritaliter agere; ipsi verò dicunt solum obiectum visus agere spiritaliter, idq; non per naturam suam, sed beneficio luminis, cætera verò omnia materialiter solùm: idque in ijs omnibus singillatim ostendunt: nam in tactu manifestum est tactilea qualitates non facere sensionem, nisi per corporum materialem contactum, quare ex necessitate agunt materialiter; corpus enim calidum nõ potest esse contiguum corpori frigido, quin materialiter calefaciat; ideo corpus illud frigidum, si vi sentiendi præditum sit, illico sentit, & cognoscit calorẽ per illam ipsam actionem materialem, qua realem calorem recipit à calido agente: sic etiam gustabile non sentitur, nisi in contactu linguæ ponatur; ideò per illum contactum agit materialiter, & afficit linguam sapore materiali, non specie aliqua spiritali. Sonus quoque est realis motus partium aëris, vt eo argumento ostenditur, quòd flante vento vehementi feruntur ad aures nostras soni, quos non flante vento non sentiremus; & è contrario si ventus sit aduersus, repellit à nobis sonos, & prohibet ne ad aures nostras deferantur, proinde facit ne audiantur: sic etiam odores feruntur à ventis ab vna aëris parte ad aliam; quò fit, vt modò magis, modò minùs, modò etiam nequaquam sentiantur: quod quidem non contingeret, si odores essent species spiritales; nam species colorum, quum sint spiritales, non pelluntur à ventis; quare si odores quoq; essent spiritales, nullam à ventis agitationem paterentur; sunt igitur qualitates reales, imò sunt vapores corporei à corporibus odorabilibus exhalati, & ad olfactum nostrum delati; quod patet in suffumigijs, quia nisi eis apponatur ignis, qui vapores ex illis educat, non mouent olfactũ.

Sensuum distinctio secundum illos.

Motiua argumentatio.

Sed quoniam hæc sententia videbatur aduersari Aristoteli, qui apertè dixit sensile positum supra sensum nullam facere sensionem, cuius ipsi contrarium afferunt: tespondent, non ob id sententiam illam Aristot. labefactari, quoniam Arist. ibi nomine obiecti sensilis non intellexit vapores eductos, sed corpus illud, è quo educuntur; quia si vapores ad organum leosus deferantur, sensionem faciunt, at si corpus ipsum, à quo vapores exhalantur, ponatur in contactu organi, nulla fit sensio. Hæc sententia mihi probari nunquam potuit, quia & ratione, & Arist. aduersatur: quòd ratione aduersetur, facilè intelligemus, si cognouerimus, quomodo fiat actio materialis; hoc igitur declaremus in tactilibus qualitatibus, quæ maximè omnium materiales esse, & materialiter agere videntur, id enim in alijs omnibus intelligendum erit. Calorem agere materialiter nil aliud est, quàm calefacere; calefacere autẽ nil aliud est, quàm in patiente generare alium numero calorem, & ipsum educere de potestate ad actum; non enim credendũ est ignem agentem in lignum tribuere illi suummet calorem eundẽ numero, sed alium similem generatione per eductionẽ de potestate ad actum; hoc certè in philosophia ita clarũ est, vt a nullo negari debeat; hoc igitur constituto sic argumentemur: si calor in sensum tactus agit solùm materialiter; ergo alium numero calorẽ in organo tactus producit, non semetipsum eundem numero, siquidem non potest accidens materiale migrare de subiecto in subiectum; ergo sensus tactus non sentit illud calidum, quod tanquam obiectum agit in ipsum, sed alium numero distinctum: quod quidem

Obiectio illorum contra se.

Solutio.

Opinionis confutatio.

Quid sit agere materialiter.

Quòd omnia sensibilia in sensum agãt spiritaliter.

omnino falsum est; quia sensus quilibet sentire se dicitur illud idem numero obiectũ, à quo patitur, non aliud simile; consequentia autem manifesta est, quia sensus illud idem iudicat, & sentit, quod recipit; ergo si recipit aliũ numero calorem, alium numero iudicat. Imò secundùm eam sententiam sequeretur non iudicari, aut sentiri vnquã illũmet caloris gradum, qui reuera in obiecto est: quod ita declaro: si ferrum frigidum cõijciatur in ignem, & inde paulò pòst extrahatur, certe aut nihil, aut parum caloris ab igni recepit, quia restitit per frigus proprium: sic igitur etiã manus hominis, quæ in hyeme sit valdè frigida, tangens ignem non sentiet calorẽ ignis, sed multò minorem calore ignis, quia parum caloris materialis eo breui tempore recipiet, quum ipsa frigore suo resistat: hoc tamen falsum esse experiẽtia declarat; nam manus illa parum quidem caloris materialis in illo paruo tempore recipit, sed tamen sentit, & iudicat maximum C ignis calorem, & eò maiorẽ indicat, quò maior est excessus, atq; distãtia caloris ignis à frigore proprio, si verum est id, quod Aristot. dixit, tactum sentire & iudicare tactilium qualitatũ excessus; patet igitur alium esse calorem materialem, qui tunc imprimitur ab obiecto, alium esse calorem spiritalẽ, qui simuliter imprimitur ab eodẽ, & cognoscitur subitò, quũ hic cognoscatur maximus, ille verò debilis recipiatur: & huius discriminis ratio est; quia D actio, seu alteratio materialis, quum sit verus motus, & alteratio corruptiua, non fit subitò, sed in tẽpore, propter resistẽtiam, vt diximus, contrariæ qualitatis; at sensio eiusdem qualitatis fit subitò, & sine aliqua mora, quia est alteratio perfectiua, sicut Arist. dixit, proinde fit per actionẽ spiritalem, & per impressionẽ speciei spiritalis, cui nihil est contrariũ, quod illi resistat, & ab ea pellatur. Præterea sumitur argumentũ validum à sensili cõmuni, quantitas E enim est sensile cõmune, & sentitur per se, & imprimit speciem suam in organo (hoc enim est p se sentiri) vel igitur materialiter agit, vel spiritaliter: si materialiter, ergo est actiua, & sta quantitas similem quantitatem producit, quod est manifestè falsum, & ab omnibus negatũ; agit ergo spiritaliter; quare integra manet difficultas, quam illi soluere nequiuẽr, quomodo, quũ sit accidens materiale, possit speciẽ spiritalem producere sine ope externi F agentis; non enim dici potest illud esse lumẽ, quia, vt quantitas tactu sentiatur, non requiritur lumen. Similiter à multis sensilibus proprijs, quæ materialiter actiua non sunt, argumentari possumus; nam durũ, & molle, sunt sensilia per se sensu tactus, ergo si materialiter agere dicantur, durum imprimit in carne duritiem realem, quod tamen verũ non est; caro enim nullam realem duritiem recipit, neque durum est aptum indurare, coguntur igitur confiteri durum agere spiritaliter: hoc igitur

A si in his manifestum est, non est negandum in alijs, nam sapores quoq; non sunt actiui materialiter, ideo eorũ actio in linguam non potest esse nisi spiritalis; quare hoc idem dicendũ est etiam de quatuor primis qualitatibus, quæ sunt actiuæ materialiter, quũ enim eadẽ esse debeat ratio sensionis in omnibus, in ijs præsertim, quæ eodem sensu sentiuntur necesse est vt hæ quoq; præter actionem materialem producant etiam speciem spiritalem. B Hæc fuit Aristot. sententia in contex. 121. lib. 2. de Anima, dicentis sensum esse susceptiuum formarũ sine materia. hoc enim fieri alio modo non potest, nisi recipiendo spiritualiter, quia forma materialis non potest separari à materia, neq; accidens materiale a subiecto; quare sensus formã materialẽ, quæ est in obiecto sensili, recipere eandem numero absq; eius materia nullo modo potest, at spiritaliter potest, quia recipit eius imaginem, quæ illam repræsentat, proinde dicitur illam eandẽ recipere per repræsentationem: ideo locum illum optimè declarans Auerroes inquit, si sensus reciperet formas sensiles cum materia, sequeretur sensilia habere idem esse in anima, atq; extra animã, vti obiq; enim haberent esse materiale, quod tamen falsum est, quia (inquit) in anima sunt intentionaliter, extra animam verò materialiter. Hoc idem significauit Arist. in context. 37. lib. 3. de Anima, quũ dixit, animam esse quodãmodo res omnes: quia res omnes vel sensiles sunt, vel intellectiles, anima verò per sensum est quodãmodo res omnes sensiles, per intellectũ verò est res omnes intellectiles: sensus autem fit res omnes sensiles, dum eas spiritaliter apprehendit, certum enim est ipsum non fieri ipsamet sensilia materialiter accepta, quemadmodũ neque intellectus fit ipsamet intellectilia realia, sed recipit illa spiritaliter, hoc est, species à quibus illa repræsentantur, & ita fieri omnia dicitur. Hanc sententiam tuetur efficaciter Auerroes in Comment. 97. & 101. lib. 2. de Anima, vbi de odore ita argumentatur: si odor esset vapor corporeus, nõ posset in loco remotissimo sentiri, vt sentiuntur à vulturibus cadauerũ remotissimorum odores; etenim fieri non potest, vt tanta vaporis quantitas ab illis corporibus exhaletur, quæ ad omnes partes totum aërem impleat per decem, & viginti, & plura millia passuum: quare non est quidem negandum id, quod illi dicunt, vaporem aliquem à corporibus odorabilibus exhalari, sed neq; negari potest odores agere spiritaliter, vt omnia quæ considerauimus, argumenta demonstrant. Illud quoq; de Arist. sentẽtia magnam fidem facit, quòd ipse dixit sensile positum supra sensum non facere sensionẽ: quia nulla esse huius dicti alia ratio potest, nisi hæc vna, quòd inter obiectum materiale, & organum necesse est speciem spiritalẽ intercedere in medio; hoc enim negato, nullam afferre rationem

Argument. Auerrois de spiritalitate odoris.

Confutatio solutionis obiectionum.

tionē aduersarij possunt, cur sensili supra sensum posito non fiat sensio: quod enim illi de vapore à corporibus exhalato dicunt, vanum est; quia vaporis consideratio ad solum olfactiua sensum pertinet, quū ipsi aliquid omnibus sensibus commune ad interpretanda Aristot. verba adducere debuissent, nam in alijs non per vapores exhalatos sensionem fieri certum est; sed arbitrarium quoq; est hoc ipsorū dictum, & omnino carens ratione: quū enim odor habeat idem esse in tenui corpore vaporis exhalati, quod habet in illo, à quo exhalatur, in vtroque enim habet esse materiale; necesse est vt eadem sit vtriusq; ratio ad organū sensus, & vt non minùs illud corpus, à quo vapor exit, quàm vapor ipse, mutare sensum olfactus per suum realem odorem aptus sit.

Vera opinio & eius declaratio.

Cap. V.

His reiectis opinionibus, ego accipiendam puto Alberti sententiam, quam & alij plures sequuti sunt: inquit Albertus qualitates sensiles talem habere naturam, vt multiplicent in medio speciem suam spiritalem, proinde vanum esse quærere aliud externum agens, quum ad speciem producendam ipsæ suapte natura sufficiāt: huiusce autem rei rationem reddens Albertus dicit, omnem formam esse multiplicatiuam sui ipsius vel realiter, vel spiritaliter: quatuor enim primæ qualitates vtroq; modo agunt; vt calor tū calorem realem in alia materia producit, tum etiam speciem spiritalem in medio, & in organo sensus tactus: reliquæ verò omnes sensiles qualitates, & accidentia omnia sensilia per se, quum vim non habeant agendi realiter, saltem agunt spiritaliter; vt quantitas, licèt non sit actiua actione reali; hoc est, productiua alterius similis quantitatis, spiritali tamen actiua est; quum enim sit de numero sensiliū per se, speciem suam producit, quod nō est aliam quantitatem producere, sed sui ipsius imaginem, quæ ipsammet repræsentat: sic dicendū est de omnibus sensilibus per se tum proprijs tum communibus. Duplicem hanc actionem distinguens Albertus dicit aliud esse producere formam in materia, aliud esse producere formam tantùm: etenim producere formam in materia est materialiter agere, & producere alteram similem formam materialem; forma enim materialis à materia, in qua recipitur, pendet in esse, & in conseruari, non ab agente, nisi solùm in fieri; & tali actione non sunt actiua alia accidētia, quàm solæ quatuor primæ qualitates, quæ ob id actiuæ appellari solent: producere autem formam tantùm, nō formā in materia, est spiritalem speciem producere; quia licèt species sit in aliqua subiecta materia, ab ea tamen non pendet in esse, & in conseruari, sed ab agente, à quo producitur. Quemadmodum igitur vana esset quæ-

Omnis forma est sui multiplicatiua.

Aliud est producere formam in materia, aliud est producere formam tantùm.

A stio cur calor alium calorem materialem producat, quum nulla huius productionis sit alia ratio, quàm ipsamet caloris natura, quæ apta est ad alium calorem in alio generandum; ita etiam vanum est quærere cur sensiles qualitates in medio, & in organo speciem suam producant; etenim suapte natura sunt aptæ ad speciem suam multiplicandam: quum enim multò maius sit agere realiter, & producere aliud simile materiale, quod est maioris entitatis, B quàm producere speciem suam spiritalem, quæ minoris est entitatis; siquidem videmus qualitates, quæ materialiter agunt, agere etiam spiritaliter, multas autem agere spiritaliter, quæ realiter agere nequeunt; si non miramur, quomodo aliquæ realiter agant, cur mirandum est aliquas agere spiritaliter? num autem omnes penitus formæ tam substantiales, quàm accidentales eiusmodi sint, vt spiritaliter agant, & seipsas multiplicent; quòd videtur C asserere Albertus, & alij, qui eius sententiam sequuntur; alienum est à præsenti consideratione: satis enim nobis est, si eiusmodi esse dicantur illa omnia accidentia, quæ per se sensilia sunt; siquidem nil aliud est sentiri per se, quàm speciem suam in sensu producere: de reliquis verò accidentibus, ac de formis substantialibus, quæ non per se sentiūtur, hoc est, non per speciem propriam, sed per alienam, certum est nullam ab his speciem sensilē pro- D duci; quum enim nihil sit frustra in natura, nulla est ponenda species sensilis, quæ nullo sensu sentiatur: quæri solùm de his posset, an speciem intelligibilem in intellectu producant, quum omnia entia sint intelligibilia; quanuis enim non per propriam speciē moueant sensum, mouent tamen vt inuoluta speciei alienæ, quia visus non solùm videt colorem, sed rem totā coloratam; licèt solùm per speciem coloris, & aliorum, quæ per se sensilia sunt; id- E eo species hæc ad phantasiam delata mouet intellectum, & imprimit in eo species intelligibiles etiam earum rerum, quæ nullam speciem sensilem produxerunt in sensu; nam intellectus agentis lumine collustratis rerum sensilium phantasmatibus apparent intellectui nostro etiam illa, quæ non per propriam speciem, sed commista, & inuoluta speciei rei per se sensilis mouerunt sensum: sed de hoc disputare ad nos in præsentia non attinet; F quum enim de eo tantùm sit nobis proposita disputatio, an sensiles qualitates ad producendam speciem spiritalem egeāt aliquo externo agente, satis est si has solas considerando dicamus cum Alberto eas nullum aliud externum agens postulare, sed suapte natura speciem producere, quia sunt multiplicatiuæ sui, & actiuæ spiritaliter. Dubitari tamen de coloribus potest, qui egent lumine ad speciem in medio, & in organo producendam; quare non sunt per se motiui, proinde nec productiui speciei, sed egent agente externo.

Maius est agere realiter quàm spiritaliter.

Dubium de colore.

Responsio Alberti. Ad hoc respondet Albertus, lumē non requiri ad colorem, sed ad medium solum illuminandum, proinde colorem esse suapte natura aptum ad producēdam speciem suam in perspicuo, lumen verò non esse necessarium ad auxiliandum colori agenti, sed ad præparandū perspicuum recipiens, color enim vt agat, non indiget alio; sed quia agens non agit, nisi patiens sit aptum ad recipiendum, requiritur lumen propter medium recipiens, nō propter colorem agentem. *Refutatio.* Sed hæc Alberti respōsio difficultate non caret: nam Aristotel. in context.18. lib.3. de Anima loquens de intellectu agente inquit, eius officium esse facere ex potentia intelligibilibus actu intelligibilia, quēadmodum lumen de coloribus potestate facit actu colores; non potest autē Aristot. considerare colores secundùm se prout colores sunt, quia etiam in tenebris sunt colores, sed solùm prout sunt visibiles, & motiui perspicui; asserit ergo colores fieri actu motiuos à lumine, quum per se non sint motiui, nisi potestate; igitur ad colores, vt agant in perspicuum, inquit Aristot. esse necessrium lumen: sumitur etiam ex eodem loco visum & intellectū non differre in requirendo externum agēs ad speciem ab obiecto producēdam, proinde ita obiectum visus indigere externo agēte, vt obiectum intellectus ad speciei productionem eget intellectu agente; ideo non parua est inter philosophos disceptatio de eo quod Albertus tāquam notum assumit, an lumen requiratur ad colorem solum, an ad solum medium, an ad vtrunq; illuminandum: qua de re non est quòd in præsentia disputemus, ideo eam integram ad librum de visu remittimus, vbi eam diligenter considerabimus, atque explicare nitemur. *Responsio melior.* Ad propositum aūt dubium sat est si in præsentia dicamus, concessa luminis actione ad speciem sensilem producendā, non ob id dari sensum agentem in productione speciei, sicuti datur intellectus agens in productione speciei intelligibilis; magnum igitur est sensus & intellectus discrimen: datur enim intellectus agens distinctus ab intellectu patiente; at non datur sensus agens à sensu patiente distinctus, siquidem lumen non est sensus, imò agit vt obiectum sensile, non vt sensus: & quamuis intellectus quoq; agens agat potiùs vt obiectum intelligibile, quàm vt intellectus, sicut alio in loco declarabimus; is tamen non potest esse nisi alter intellectus, quia non potest eo munere fungi, nisi sit per se intelligibilis, omne autem per se intelligibile est etiam intellectus: at lumē est quidem per se sensile, & in visione fungitur officio obiecti sensilis; inde tamen non infertur, quòd sit alter sensus, qui dicatur agens; neque quòd præter obiectum visus detur aliud agēs, siquidem lumen in visione non alia ratione interuenit, quàm vt obiectum; sed hoc in libro de visu diligentiùs declarabitur. Est etiam hac in re summa annotatione dignum, accidens spiritale productum in medio tum idem numero dici posse cum accidente materiali, à quo producitur, tum diuersum ab illo: color enim in perspicuo, si secundùm se consideretur, differt numero à colore materiali, & fortasse etiam specie, quum sit spiritalis, ille verò materialis; sed quatenus imago illius est, & illum repræsentat, est idem numero cum illo, ita vt oculus colorem spiritalem recipiens dicatur videre illummet realem colorem, qui per illam speciem repræsentatur: sic conceptus lapidis in mente partim est idem cum lapide reali, partim non idem; nam si formaliter, & secundùm suam naturam consideretur, differt ab eo & numero, & specie, & genere, nam lapis realis est in categoria substantiæ, at conceptus lapidis est qualitas in animo: quatenus aūt est imago, quę ipsum repræsentat, est idem cū illo, & intellectus per illū conceptū dicitur intelligere lapidem realē, qui ab illo conceptu repræsentatur: quare omne dubium hac in re tollitur, si Latinorum more loquentes hac distinctione vtamur, formaliter, & repræsentatiuè; idem enim est per repræsentationē, at non idem formaliter. Hinc colligimus differre inter se formam spiritalem, & formam realem, prout ad formam producentem referuntur; nam forma realis producta ab alia reali simili, vt calor à calore, non est eis repræsentatiua, sed penitus differt numero ab illa: ob id antea contra recentiores argumentando dicebamus; quòd si tangibile in sensum ageret materialiter solùm, tactus non diceretur sentire illud ipsum obiectū tangibile, à quo pati dicitur, idq; insolubile cōtra eos argumētum fuit, forma verò spiritalis differt modo aliquo à forma reali producente, sed modo etiam aliquo est idem, quod illa, quatenus eandemmet numero repræsentat. *Accidēs spiritale & idē numero est cum accidente reali, & non idem.*

Contrariorum omnium argumentorum solutio. Cap. VI.

Veritate declarata, superest vt omnia, quæ priùs tacta sunt, dubia, & argumenta, quæ illi officere videbantur, soluamus. *Ad primum.* Primo loco soluendum est id, quod huius disputationis occasio fuisse videtur: obiectum est qualitas materialis, ergo speciem spiritalem producere non potest, quia spiritale est nobilius, ac perfectius materiali, nihil autē agit supra suarum virium gradū. Ad hoc ego puto negandum esse consequentiam, & ad probationem negādum esse speciem esse obiecto nobiliorem, in hoc enim constitisse putomultorum errorem, qui omne spiritale omni materiali nobilius esse existimarūt, quod tamen non est vniuersè verum; in substantijs quidem verum est, quia substantiæ spiritales materialibus nobiliores sunt, & materiales non sunt causæ spiritalium, imò potiùs spiritales sunt causæ materialium, ideo nulla in ijs *Obiectum est nobilius specie à se producta.*

oritur difficultas: at in accidentibus spiritale ad materiale refertur, vt effectus ad causam producentem, & est minoris entitatis, quam illud, ideò & imperfectius, deficit enim ab integritate perfectionis illius, & à natura eius specifica; lux enim Solis nobilior est lumine ab ea producto in aëre, quod est imago lucis, & accidens spiritale: sic species coloris, quæ recipitur in perspicuo, ignobilior est colore ipso reali, & minoris entitatis; quamobrem color realis eam producens non agit supra vires sed B infra vires, quia producit quoddam deterius & ignobilius se, quod vel eiusdem esse naturæ dicendum est, cum defectu tamen, & casu ab illius naturæ perfectione, & ita ab illo productum tanquam ab agente vniuoco, vel, si dicere velimus esse diuersæ naturæ, vt etiam dicere possumus, producitur à calore reali, tanquã ab agente æquiuoco, agens autem æquiuocũ solet suo effectu esse nobilius; reuera enim potest modo aliquo vniuocum, modo etiam aliquo æquiuocum agens appellari, & vtroq; C modo est nobilius specie spiritali ab eo producta. Alterum fuit adductum argumentum à simili: vt se habet obiectum intelligibile ad intellectum, ita obiectum sensile ad sensum; at phantasma, quod est obiectum intellectus, non potest mouere intellectum sine ope intellectus agentis; ergo neq; obiectum sensile potest mouere sensum sine ope alicuius externi agentis. Ad hoc neganda est similitudo: D id enim quod dicunt, vt se habet intelligibile ad intellectũ, ita sensibile ad sensum, verũ quidem est, at non secundùm omnia, ideo non licet inferre easdem prorsus conditiones requiri ad sensile vt moueat sensum, & ad intelligibile vt moueat intellectum; intelligibile quidem requirit auxilium agẽtis, qui alter intellectus est, at sensile non eget externo agẽte tanquã altero sensu, qui dicatur agens: ideo si de obiecto visus concedamus quod egeat lu- E mine, non tamen eget illo tanquam sensu agente, sed tanquam perfectione constitutrice obiecti, sicuti alio in loco declarabimus: aliorũ verò sensuũ obiecta omni prorsus dubio carent, etenim nullo alio egent, sed per se sola species spiritales producunt. Ratio aũt discriminis sensus, & intellectus est in hoc posita, quia obiectum, à quo mouetur intellectus, est phantasma singulare, & sensile, quod vt moueat intellectum, trãsferri o- F portet de gradu inferiore in gradũ excellentiorem, de gradu sensili ad gradũ intellectilẽ; ideo quum non sit aptum ad id proprijs viribus præstandũ, eget aliquo per se intelligibili, à quo reddatur actu intelligibile; at obiectũ sensus non eget vlla traductione de gradu in gradum, sed, iam per se est sensile, & vt tale est motiuum sensus; in obiecto autem visus requiritur lumen, non ad ipsum traducendũ de gradu in gradũ, quum debeat seruare gradũ sensilem, neq; ad altiorẽ sit euehendũ: sed

Ad secundũ.

In lib. de visu.

Nota differẽtiam inter obiectum sensus & obiectum intellectus.

ob aliam rationem, quæ in libro de visu considerabitur. Ad verba aũt Auerrois dicendum puto cũ alijs multis, Auerroem ibi nõ asseuerantem, sed sub dubio loqui; id enim dicit tanquã difficultatẽ tangens, & difficultatis causam, & eam insolutã dimittit: quòd si putasset esse reuera necessariũ in sensu aliquod agens, vt in intellectu, certè alio saltẽ in loco id declarasset, & quodnam sit docuisset; de hoc tamen nullo alio in loco aliquid amplius dixit; quare eius ipse opinionis non fuit. Ad argumẽta verò recentiorũ probantiũ obiecta quatuor sensuũ materialiter tãtùm agere, non est difficile respondere: quod enim de tangibilibus, ac de gustabilib⁹ dicũt, ea non agere, nisi carnẽ, & linguam tangãt, id nihil est; quia secundùm Aristot. neq; caro est instrumentum tactus, neq; lingua gustatus, sed vtraq; est mediũ deferens obiectũ ad organum, quod intimius est; quare nihil nobis officit iste contactus, quũ certũ sit etiam calorẽ tangere necessariò medium perspicuũ, si debeat in ipsum, & in organum agere: cõcedimus etiam quatuor primas tactiles qualitates materialiter agere in carnẽ, & imprimere reales similes qualitates, quis enim hoc inficietur? at non ob id fit vt spiritaliter non agant, dicimus enim eas & materialiter, & spiritaliter agere; nõ enim facerent sensionẽ, si materialiter tantùm, nõ spiritaliter agerent, nam hoc esse necessariũ iam demonstrauimus: idem etiã de saporibus dicimus, nil nobis officere quòd materialiter agãt, & imprimant in lingua saporẽ realẽ, hoc enim etsi dubiũ est, nos tamen in præsentia condonamus, quia per hoc nõ stat, quin agant etiam spiritaliter, & ita faciant sensionem. Illud verò, quod de sonis, ac de odoribus dicunt, aliqua cõsideratione dignũ est: nam si concedamus, sonum esse realem motum, & odorẽ esse vaporem corporeum, dicendum erit, esse necessarium concedere etiã spiritales, per quos sensio fiat, seu in medio, seu saltẽ organo sensus receptos, neq; videtur negari posse odoratũ fieri etiam sine alicuius vaporis exhalatione, multa enim faciunt odorẽ per longũ aëris spatium, quæ tãtam vaporis copiam emittere nullo modo possent. Sed dicere etiam possumus, imò debemus, species has spiritales, quæ à sensilibus producuntur, non ea ratione dici spiritales, quòd non sint res aliquæ, sic enim essent nihil, sed res quædam sunt, licèt tenuis entitatis, & imagines, quibus aliæ res repræsentantur; ideò gradus habent, & aliquæ magis, aliquæ minùs ad materialem naturam accedunt, proinde magis, vel minùs pendent à materia, in qua recipiuntur: ideo concedere possumus aliquas esse, quæ ad motum aëris modo aliquo commoueantur, & alias magis, alias minùs: sonus igitur, qui ad aures defertur, videtur tum spiritale quoddã, tum materiale esse, non est enim talis motus aëris, qualis fit flantibus ventis, vel quando ab aliquo

Ad tertium.

Ad argumẽta recentiorum

De tactili, & de sapore.

De sono, & odore.

Dantur gradus accidentium spiritalium, & aliqua magis, aliqua minus ad naturam materialem accedunt.

pellitur aër, non fluit enim aër in sono, sed solùm tremere videtur non mutato loco, atq; is tremor est imago repræsentatiua illius motus, qui est verè fluxus aëris, & ex corporum mutuo ictu primùm factus est: ille nanq; est verè realis motus, ille verò, qui ad aures defertur, videtur aliquãtum ad spiritalem naturam accedere, quia sine aëris fluxu partes ipsius ordinatim tremunt, dum vna alteri suum tremorem communicat: sed ordo temporis aliquid denotat materialis naturæ, quia non eodem tempore, quo fit, ad aures peruenit, sed aliquanto posterius, idque necessarium est (vt ait Aristot.) quia medium est quantum, atque diuiduum: signum autẽ spiritalitatis in sono est, quòd non penitus ad aëris agitationẽ mouetur, nam feruntur soni ad aures etiam cõtra venti fluxum, & sentiũtur, licèt debiliùs: credendum aũt est speciem adhuc spiritaliorem fieri in aëre illo congenito, qui auribus inclusus organum auditus esse existimatur. Idem de odore dicendũ est: mediũ enim quoddam est inter perfectè materiale, & perfectè spiritale, quod nullo modo pendet à materia; pendet enim modo aliquo à subiecta materia, quia modo aliquo sequitur subiectri aëris motum. Igitur non idem est spiritalitatis gradus in omnibus speciebus sensilibus, sed in aliqua maior, in aliqua verò minor; maximè quidem spiritalis est species coloris, quum à nullo aëris motu, & ne à vehementissimo quidem vento moueri possit; reliquæ verò aliorũ sensilium species videntur esse mediæ inter materiale, & spiritale, aliquid enim habent materialis naturæ, sed eum defectu quodam, & casu à natura specifica, à qua producuntur, propter quem defectum, atq; (vt ita dicam) entitatis imminutionem spiritales dicuntur, atq; etiam quia sunt imagines repræsentantes obiectum perfectè materiale: hoc autẽ non absque ratione fit; nam si potest accidens materiale producere accidens tũ spiritale, tum perfectè materiale, potest etiam producere medium inter vtrunq;, & tum maiorẽ, tum minorem facere spiritalitatem; quia si potest extrema producere, rationi consonũ est vt possit etiam media. De spiritalium igitur specierum productione, quæ propositæ quæstionis prior pars fuit, hæc dicta sint.

Medium datur inter materiale & spiritale.

De sentiendi actu, à quonam agente producatur, variæ aliorum sententiæ.

Cap. VII.

Sequitur altera huius nostrę disputationis pars, à quonam agẽte producatur sensio: quum enim aliud sit speciem producere, aliud sit facere sensionem, quia in aëre est species coloris ab obiecto producta, non tamen ibi est sensio; ideo postquam considerauimus, à quonam agente species producatur, considerandum etiam est, à quonam producatur sensio: quoniam enim operatio quædam est, aliquod esse agẽs oportet à quo producatur; idque necesse est esse duorũ alterũ, aut sensum ipsum, si sensum habere vim actiuam fateamur, aut obiectum, si negemus sensum agere, aut etiam simul vtrunq;: ideo variæ hac de re sententiæ ortæ sunt, quas multi diffusissimè examinant, vt Io. Gandauensis in lib. 2. de Anima, & Genua, & alij recentiores complures; ideo quum totam hãc disputationem omnes legere in aliorũ scriptis possint, ego strictim, & paucis verbis quid alij sentiant referam, vt ex eorũ disputatione intelligatur in quonam huiusce rei difficultas constituta sit; deinde in veritatis declaratione diligẽtiùs immorabor. Prima est Thomæ opinio qui in lib. 2. de Anima, context. 149. & alijs in locis omnino negauit esse in sensu aliquã vim actiuam, & dixit sensum sola vi passiua esse præditũ, vt videtur vbiq; asserere Aristot. qui semper dicit sentire esse pati, & operationem sensus consistere in patiendo, & nunquã tribuit sensui vim actiuam; vnde colligitur agens producens sensionem esse solũ obiectum per speciem mediam ab eo productam. Vtitur autem Thomas argumẽto tali: ratio, quæ mouit Arist. ad ponẽdum intellectum agentem præter obiectum intelligibile, fuit, quoniam agens debet esse actu, at obiectum intellectus, quod est phãtasma, non est actu intelligibile, ideo indiguit intellectu agente, à quo transferretur de gradu in gradum, de intelligibili potestate ad intelligibile actu; nam si phantasma esset per se intelligibile actu, non posuisset Aristot. intellectũ agentem; atqui obiectum sensile, quod extra animã est, est per se actu sensile, ergo superuacaneus est sensus agens; quum solũ obiectũ sufficiat ad mouendum sensum, & producendam sensionem. Præterea idem agens, quod pro aliqua forma dispositiones in patiens inducit, dicitur etiam illam formam producere; at obiectum producit speciem in organo tanquã dispositionem necessariam pro sensione, quam necessariò cõsequitur sensio; ergo etiam sensionem producit: vel formetur idem argumẽtum sic: agens dans formam, dat omnia consequentia formam, vt habemus in context 32. octaui Physic. & in 22. & 25. lib. 4. de Cœlo; at obiectum sensile producit in organo speciem, quam ex necessitate consequitur sensio; ergo etiam sensionem producit. Ioannes autem Gandauensis contrariam opinionem sequutus est, & dixit sensionem non ab obiecto produci, sed à solo sensu; ob id in singulo sensu duas re distinctas facultates posuit, vnam agentem, & alteram patientem, ita vt detur visus patiens, & alter visus agens in eodem animali, & ille recipiat solùm, hic verò solùm agat & sensionem producat, sic etiam in alijs sensibus; quare secundùm ipsum quinque sunt sensus actiui, & alij quinq; passiui, & sicuti agens producens speciem in sensu est

Opinio Thomæ.

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

Opinio Ioan. Gandauens.

obiectum, ita recepta specie id, quod sensionem producit, est sensus agens. Tertiam sententiam defendisse videtur Scotus in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 7. quòd sensio à duobus simul agentibus producatur, nempe à potentia actiua sensus tanquam ab agente primario, & ab obiecto tanquam secundario, & minùs præcipuo, ita vt neutrum sine altero sit totale agens sensionem producens, sed vtrunq; simul, & vtrunque propriam operam præstet in producenda sensione; hoc autem quomodo intelligat, atque declaret Scotus, & quibus argumentis tum hanc sententiam probet, tum plures alias reprobet, in prædicta eius prolixa quæstione legi potest; nolo enim prolixam illam disputationem in medium adducere, sed satis habui sententiam Scoti breuiter tetigisse.

Opinio Scoti.

Omnium dictarum Opinionum confutatio. Cap. IIX.

Sed hæ omnes sententiæ magnis difficultatibus vrgentur. Primùm quidem aduersus opinionem Thomæ est argumentum Ioannis Gandauensis efficacissimum, quod apud eum legere possumus longo sermone expositum; nititur enim quatuor fundamentis, vt ibi videre est: sed eius argumenti vis breuiter collecta in hoc consistit, quòd sequeretur, obiectum externum, vel saltem speciem, quæ ipsum repræsentat, esse nobiliorem sensu; cuius consequentis falsitas satis manifesta est, quia sensus est forma substantialis cognoscens, & valde nobilis, obiectum verò & eius species est accidens ignobile, quod non est dicendum esse nobilius sensu: consequentia verò sic probatur: illud est perfectius altero, cuius perfectissima operatio est nobilior perfectissima operatione alterius, nam operatio indicat essentiam; atqui perfectissima operatio sensus apud Thomam est pati, & recipere sensionem, ipse nanq; nullam in eo concedit vim actiuam. perfectissima verò operatio obiecti, seu speciei est agere, & producere sensionem, nobilius autem est agere, quàm pati; igitur obiectum erit nobilius sensu: nititur tamen Thomas hoc argumentum soluere in libro 2. de Anima loco prædicto, & inquit nil aliud per hoc ostendi, nisi obiectum esse sensu nobilius secundùm quid; nam quatenus obiectum est actu tale, sensus verò est talis potestate, eatenus obiectum nobilius est, quoniam actus est potestate nobilior; per hoc tamē non stat, quin substantia sensus, quæ anima est, sit absolutè nobilior obiecto, siquidem frequenter contingit vt aliquid sit absolutè nobilius aliquo, si tamen ignobilius secundùm aliquam conditionem. Sed reuera argumentū per hoc non soluitur; quia in argumento sumitur non solùm operatio aliqua, qualiscunq; ea sit, sed operatio perfectissima, & maximè præcipua; quoniam igitur præcipua operatio sensus est sentire, & ad hanc à natura dirigitur sensus, & eam edit patiendo, obiectū verò ad eam concurrit vt agens, & hæc est perfectissima operatio obiecti prout sensile est, & ipsius sensus quatenus est sensus, præcipua verò operatio declarat essentiam; ideo sequitur necessariò obiectum esse nobilius anima: quare argumentum Gandauensis validissimum est. Sed ipsa quoq; Gandauensis sententia difficultatem patitur: quum enim ponat sensum agentem, & sensum patientem re distinctos, quærendum est, an ambo cognoscant, an solus patiens; nam si ambo, ergo alter superuacaneus est: & præterea si ambo sentiunt, ergo ambo patiuntur, quia secundùm Aristot. sentire est pati; quare etiam sensus agens patitur, ergo ab alio agente, & sic res in infinitum ibit: si verò sensus agens non cognoscit, sequitur aliud absurdum, facultatem non cognoscentem esse nobiliorem cognoscente, agens enim est nobilius patiente, quare sensus agens, qui non cognoscit, erit nobilior sensu patiente, qui cognoscit. Vidit Gandauensis argumētum hoc, & ipsum solui putauit, dicendo sensum quidem agentem non cognoscere, sed vtrunque esse secundùm quid nobiliorem altero varijs rationibus; nam sensus agens est nobilior patiente quatenus agens, sensus autem patiens est nobilior agēte quatenus cognoscens. Sed hæc euasio inanis est: nam, vt antea aduersus Thomam dicebamus, ex perfectissima operatione infertur maior perfectio absolutè, nec solùm secundùm quid; perfectissima autem operatio sensus est cognoscere, & ea competit patienti, non agenti; ergo patiens est absolutè nobilior; quum autem talis sit, nō potest à natura dirigi ad patiendum ab aliquo agente ignobiliore. Illud præterea aduersus sententiam Gandauensis considerandum est, ipsum non seruare, vt seruare se putat, proportionem, seu similitudinem sensus cum intellectu, vt sicuti præter intellectum patientem datur intellectus agens re distinctus ab illo, ita detur sensus agens re distinctus à sensu patiente; etenim alio in loco demonstrabimus officium intellectus agentis non esse sensionem producere in intellectu patiente, sed solùm speciem producere: itaque si similitudo seruanda sit, oportet sensum agentem requiri ad productionem speciei, non ad sensionē; vel præter intellectum agentem, qui speciem producit, dari alterum intellectum agentem, q sit causa effectrix intellectionis: quæ omnia vana sunt. Scoti quoq; opinio admittēda non est, quia nullo modo afferēdum est, obiectum esse causam sensionis effectricem, neq; vt primariam, neq; vt secundariam, sic neq; speciē; propterea quòd sensio est formaliter cognitio, obiectum verò nullam potest vim habere efficiendi cognitionem, licèt possit aliquid sensui subministrare necessarium ad sensionē; efficit enim speciem, siue qua sensio non fie-

Confutatio opinionis Thomæ.

Responsio Thomæ.

Responsionis impugnatio.

Confutatio opinionis Gandauens.

Responsio Gandauens.

Responsionis impugnatio.

Confutatio opinionis Scoti.

ret, sed ipsius sensionis nullo modo est causa effectrix: ipsa verò species in sensione non habet locum agentis, sed solùm formæ genitæ, & effectus producti, neq; potest agere in organum, in quo tanquam forma in subiecto recipitur, forma enim in subiectum suum non agit. De ipso quoque sensu dubium est, quomodo idem possit esse actiu⁹, & passiuus, quũ nihil agat in se ipsum: quòd si dicatur distinctus esse agens à patiente, incidimus in opinionem Gandauensis modò refutatam, & in aliud præterea absurdum, quod eam insequitur, quod Aristot. in tractatione de sensib. mancus ac diminutus esset, quum de sensu agente distincto à patiente nihil vnquã dixerit, sed vnicum, qui patiendo operatur, considerauerit.

De actione sensus, vera sententia.

Cap. IX.

AD hanc difficultatem soluendam duo à nobis declaranda sunt; vnum, a quonam agêre sensio producatur; alterum verò, quisnã sit huius actionis modus; hoc enim ignorato nil possumus intelligere, quia multis dubijs perturbemur necesse est. Quod ad alterum attinet, sequendam esse arbitror Græcorum sententiã, quam passim apud eos legimus in libris de Anima, & apud Alexandrum in 1. suo de anima libro in capite de intellectu practico, & speculatiuo, & quam plures recentiores sequuti sunt; quòd eadem sit facultas sensibilis, quæ & agat, & patiatur varijs rationibus: quum enim eadẽ anima duobus muneribus fungatur; tum informet organum, quod sine ipso non esset organum, nisi æquiuocè; tum organo à se informato vtatur ad operandum: ratione prioris muneris patitur, proprium enim organi officium est speciem recipere, & pati, ideo anima sensibilis quatenus dat esse organo, cõstituit proprium receptiuum speciei sensilis, & ad hanc receptionem refertur anima vt ratio recipiendi: facta autem receptione anima vtitur organo dum speciem in eo receptam iudicat: itaque recipere est organi animati, iudicare autem est solius animæ; & ratione iudicij anima dicitur agere, quia nil aliud est iudicare, quàm sensionem producere: simile huic est id, quod Auerroes de motu elemẽtorum dicit in Commentar. 28. libro 3. de Cœlo, forma elementi vt est forma mouet, mouetur autem vt est in materia; nam quatenus materiam informans, & constituens tale elementum, dicitur principium passiuum motus elementi naturalis, ipsa verò secundùm se forma est principium actiuum eiusdem motus. Hæc est Arist. sententia in context. 127. lib. 2. de Anima, vbi dicit odorare nõ esse solùm pati, quia hoc dato sequeretur aërem odorare dum odores recipit, sed esse sentire: quasi dicat, odorare est aliud quiddã præter pati, est enim sentire, hoc autem est iudicare, quod est agere: Sic etiam

Græcorum sententia.

Idem sensus agit, & patitur varijs rationibus.

Iudicare est sensionem producere.

A in contextu 37. eiusdem libri apertè dicit animam esse causam effectricem sensionis: quare non est verum id, quod à Thoma pro comperto assumitur, Arist. nunquam dixisse sentire esse agere, sed solum pati. Hoc idem significauit Aristot. in context. 140. eiusdem libri dicens, actio visus dicitur visio, sed actio coloris nomine caret; sic enim denotauit aliud esse impressionem coloris spiritalis in organo, quę fit à colore materiali agente, aliud esse sensio-
B nem ipsam, quæ dicitur visio; si nanq; visio nil aliud esset, quàm impressio speciei, actio coloris esset visio, quod ibi Aristot. negat: hoc idem ex verbis Aristot. colligimus in contex. 16. noni Metaphysic. vbi actionem immanentem distinguens a transeunte dicit visionẽ esse actionem immanentem, quia est in ipso agente: per hoc enim differt actio immanens à transeunte, quòd immanens est in ipso agente, transiens verò est in aliquo alio separato ab
C agente, vt ædificatio est in externa materia, non in ædificante: sic igitur visio est actio immanens, quia recipitur in ipsomet agente, nẽpe in anima, seu in corpore animato quatenus est animatum: quòd si nullum aliud agens haberet visio, nisi materialẽ colorem, esset absq; dubio actio transiens, quod ibi Aristot. negat; putat igitur causam visionis effectricem esse animam ipsam. Hoc idem comprobatur argumento satis manifesto sumpto ab experien-
D tia: nam sæpe contingit vt rem coloratam ob oculos positam non videamus, quia licèt fiat impressio speciei in oculo (nullo enim existẽte impedimẽto id negari non potest) attamen anima alijs rebus intenta, speciem illam non iudicat: non sola igitur speciei receptio est visio, sed etiam iudicatio; nam si sola receptio esset visio, id quod diximus, euenire non deberet; ergo præter receptionem speciei requiritur etiam animæ actio, qua species iudice-
E tur, proinde neque obiectum, neque eius species est causa effectrix visionis.

De modo, quo sensus in sentiendo agit.

Cap. X.

QVoniam igitur præter actionem obiecti, qua producitur species, necesse est aliam esse ipsius animæ actionem, qua eadem species iudicetur, neq; propterea duplex est sensus, vnus patiens, alter verò agens,
F sed vnus & idem, qui varijs rationibus & patitur, & agit; restat vt modum, quo hæc actio fit, consideremus: nam dicere sensum iudicando agere, modum autem huius actionis non declarare, est ferè nihil dicere, quum in eo animus non acquiescat, quia dubium manet, quomodo idem possit agere simul, & pati ratione eiusdem operationis, quoniam præsente obiecto statim, & momento temporis sensio fit. Hoc igitur est à nobis in præsentia considerandum, quum ab alijs satis declaratũ esse non videatur, quum solum dicant sensum

agere iudicando, ſed huius actionis modum non declarauerunt. *Modus à Simplicio poſitus.* Non eſt approbandus modus à Simplicio poſitus, quem apud eum legimus in context. 60. lib. 2. de Anima, vbi dicit animam ſenſibilem habere ſenſilia cõſubſtantialia, quemadmodum anima intellectiua habet intelligibilia conſubſtantialia; hæc enim *Confutatio.* negantur penitus ab Ariſt. qui putauit & intellectionem, & ſenſionem fieri per ſolam receptionẽ ſpeciei ab obiecto externo; neq; aliã ſpeciem ſeu ſenſilem, ſeu intellectilẽ conceſſit præter illam, quæ ab obiecto materiali imprimitur. Præterea neq; ſic declaratur quomodo ſenſus agat; inquit enim Simplicius colorem agentẽ in oculum nõ imprimere ſpeciem, ſed excitare animam ad videndũ colorem ſibi eſſentialiter inſitum, & ita excitatam animã iudicare: at per hoc non tollitur dubium, quomodo aliquid agere poſſit in ſeipſum; nam in illa excitatione patitur potiùs anima, quàm agit, in iudicando autẽ nec agere videtur, nec pati, quoniam ſenſilia illa conſubſtantialia ab ipſa animæ ſubſtãtia non diſtinguuntur; quomodo igitur idem ſecundùm idem poteſt in *Opinio vera.* eodẽ actu & pati & agere? Ego puto modum hunc poſſe declarari per illa, quę de intellectu dicuntur ab Ariſt. in cõtext. 8. lib. 3. de Anima, & in 37. eiuſdem de intellectu, ac de ſenſu; inquit enim intellectum intelligendo fieri rem intellectam, & ſenſum ſentiendo fieri ipſum ſenſile, ita vt viſus in videndo fiat color, non quidem materialis, ſed ſpiritalis: quemadmodum enim intellectus dum ſpeciem receptam iudicat, fit res illa, quam recipit; ita dum oculus colorem recipit, & anima ipſum iudicat, dicitur anima fieri color ille, nõ enim cognoſcit, niſi fiat res ipſa cognita: ob id aër, & alia perſpicua recipiunt quidẽ colores ſpiritales, ſed eos non ſentiunt, quia non iudicant; non iudicant autem, quia non habent hanc vim vt fiant illud, quod recipiunt, hoc enim nõ competit formæ immerſæ penitus in materia, cuiuſmodi eſt forma rei inanimatæ; ſed ſoli animæ, quæ eſt aliquantum elata ſupra materiã, & materiæ imperat per cognitionem; magis quidem eleuatus eſt intellectus, quàm ſenſus, quum in operando non vtatur aliquo organo recipiente, ſed ipſe ſine organo tum recipiat, tum fiat illud quod recepit; eſt tamen modo aliquo ſupra materiam eleuatus etiam ſenſus, vim enim cognoſcendi habet, & quamuis ſpeciem non ipſe recipiat, ſed organum animatum, vt oculus, tamen non organum iudicat, ſed anima ipſa, & in iudicando fit res illa, quam iudicat: hoc igitur iudicare, & fieri rem ipſam iudicatam, eſt proprium animæ opus, & anima eſt eius cauſa effectrix, non tamẽ per veram actionem, qua mutatur patiens ab agente, ſed per ſolam emanationẽ; & per hoc ſoluitur omnis difficultas, quæ aliter ſolui nõ poteſt, nam omne verè agens eget patiente, in quod agat, neq; poteſt idem pati, ac recipere

A aliquid à ſemetipſo: propterea illi, qui hæc duo agentia non diſtinguunt, oſtendere non poſſunt, quomodo idem ſenſus patiatur, & agat; nos verò dicentes ſenſum per ſolam emanationem efficere ſenſionem, omne dubium tollimus: agens enim per emanationem non agit in aliud, ſed neceſſariò in ſeipſum, emanat enim ab illo operatio, & in ipſomet remanet, ideo talis agentis actio nunquã eſt tranſiens, ſed ſemper immanens; veri autem agentis actio eſt ſemper tranſiens, quoniam tali actione nihil poteſt agere in ſeipſum, ſed ſolũ in aliud extra ſe, & in hoc diſtinguitur actio immanens à tranſeunte. *Actio per emanationem ſemper eſt immanens.* B Recepta igitur in oculo coloris ſpecie, cuius effectrix cauſa eſt color materialis externus, emanat ab ipſa natura animæ vt in ſua ſubſtantia imbibat illam ſpeciem, & fiat ſpiritaliter color ille, quem ſentire dicitur: hoc modo anima eſt ſenſionis cauſa effectrix per emanationem, & hæc operatio C emanat ab anima, recipitur autẽ tum in ipſamet anima, tum in toto oculo animato; quatenus enim anima eſt, quæ iudicat, & fit ſpiritaliter res cognita, catenus in anima ſenſio fieri dicitur; ſed quatenus ſpecies in oculo animato recepta eſt, & anima quoque ipſa non extra oculum eſt, ſed in oculo, imò eſt ipſa oculi forma, & eſſentia, qua oculus eſt oculus, eatenus in oculo fieri ſenſio dicitur, & ipſi attribuitur; ita vt oculus dicatur ſentiens vt D quod, anima verò non vt quod, ſed vt quo. Similis autem huic actioni animæ eſt illa, qua *In 1. lib. de motu grauium & leuium.* aliàs diximus elementũ moueri à ſeipſo, nam ea quoque eſt actio per emanationem, proinde non tranſiens, ſed immanens eſt, vt eo in loco cum diligentia declarauimus. *Cur aliquando ea, quæ præſentia ſunt, non videmus.* Per hæc autem, quæ modò diximus, ratio facilè affertur, cur aliquando non videmus ea, quæ ob oculos habemus; tunc enim anima intenta eſt conſiderationi alterius rei, & eſt facta res illa, E non poteſt autẽ ſimul fieri duæ res, ideo dum vnam ſpeciem recipit, ac iudicat, non poteſt fieri alia res; tunc igitur recipitur in oculo ſpecies coloris, at non iudicatur, propterea quòd anima cuius eſt iudicium, tũc eſt facta alia res, nec poteſt fieri color hic receptus, niſi deſinat eſſe res illa alia. *Tria inſtantia in ſenſione.* Ex his omnibus colligimus tria hæc in ſenſione notanda eſſe, quæ Latini tria inſtantia appellarunt, ordinata, atque diſtincta, ſi non tempore, ſaltem natura: F primùm enim ab actione obiecti materialis fit in organo receptio ſpeciei, vt coloris in oculo; ſecundò anima iudicium profert, & ita agere dicitur; tertiò recipitur iudicium in toto compoſito, nempe organo animato, & ita anima tanquam eius pars dicitur pati: primum quidem inſtans poteſt etiam tempore præcedere reliqua, vt diximus de illo, qui res præſentes non animaduertit, poteſt etiam non præcedere tempore, ſed ſolùm natura; at ſecundum non poteſt præcedere tertium tempore, ſed natura tantùm præcedit, quia viſio

est simul iudicatio, seu actio animæ, & receptio oculi animati, quemadmodũ simul tempore forma elemẽti est mouens quatenus est forma, & mota quatenus est in materia, ita vt agere sit solius animæ, pati autem non solius, sed organi animati: ideò Aristot. quando effectricem causam sensionis considerat, eam refert in solam animam, non in compositum animatum, vt in context. 37. lib. 2. de Anima; quando autẽ considerat subiectum recipiens sensionem, & cui sensio attribuitur, id negat B esse animam, sed dicit esse ipsum cõpositum animatũ, & hac etiam ratione inquit sensum pati, quia considerat organum animatũ, quod reuera patitur: de sensu autem loquens semper dixit ipsum patiendo operari, quia sentire non est solùm iudicare, sed complectitur omnia illa tria momenta, quorum primum & vltimum passiones sunt organi animati, & primum est passio facta ex actione obiecti externi; ideo tria illa in vnum colligendo, & tanquã C vnam operationem considerando, ea respectu sensus vocata est passio, cuius actiuum principium est obiectum externum, ideo respectu totius operationis sensus dicitur patiens, obiectum verò dicitur agens; per hoc tamen non stat quin inter duo illa extrema momenta tertium mediũ intercipiatur, in quo sensus agere dicitur, quemadmodum declarauimus.

Quòd argumẽta aduersus alios adducta prædictæ sententiæ non officiant. Cap. XI.

HAEc nostra sententia ex eo maximè comprobatur, quòd eam sequentes illa A omnia absurda euitamus, quæ aduersus alios adduximus: nam secundùm opinionem Thomæ agens esset ignobilius patiente, quod iuxta sententiam nostram non sequitur, quum sensionis productionem totam animæ, nullam sensui attribuamus. Argumentum quoque allatum contra Gandauensem nobis non officit: nos enim non duos distinctos sensus ponimus, sed vnum, qui & agat, & patiatur diuersis rationibus, & ita cognoscat: sed causa B erroris Gandauensis fuit, quia non cognouit agens per emanationem; ideò, quum ostendere non potuerit quomodo idem sensus patiatur, & agat, duos re distinctos sensus introduxit. Facimus etiam in hoc similem sensum intellectui, quòd vt sensus suapte natura sensionem producit, ita intellectus noster producit intellectionem, non intellectus agens: qua in re decepti sunt multi, sicut alio in loco demonstrabimus. *In lib. de intellectu agente.* Tandem nobis non obsunt illa, C quæ aduersus Scotum dicta sunt: nos enim in productione sensionis nullam ubiecto actionem attribuimus, sed totam animæ sentienti: deinde ita ponimus eundem sensum agere & pati, vt in nullam difficultatem incidamus, siquidem actiuum esse dicimus non actione vera, sed per solam emanationem; talem autem actionem si negemus, nulla dabitur actio immanens, quoniam vera actione nihil potest agere in seipsum. Non facimus etiam Aristot. D mancum in tractatione de sensu, quia vnicum sensum ponimus, quem ipse dixit operari patiendo, sed non omnino negauit eum agere, quemadmodum antea demonstrauimus.


IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Libri Duo

DE VISV.

LIBER PRIMVS.

Propositio ac partitio dicendorum. CAP. I.



SENSVVM omnium nobilissimum esse visum, satis inter omnes constare videtur, nam & ad scientias capessendas vtilissimus omnium est, & menti etiam quam simillimus: quod *Visus intellectui similis.* tum ex eius operatione colligi, tũ ex hoc dignosci facilè potest, quòd dicere non solemus mentem audire, vel olfacere, vel gustare, neq; illi aures, aut nares, aut linguam per translaE tionem vnquam attribuimus; dicimus tamen oculos mentis, & per actionis similitudinem inspicere, ac videre mentem dicere consueuimus. Instrumentum quoque huic sensui pulcherrimum, & artificiosissimè fabricatum natura tribuit, ipsumq; in suprema corporis parte, vnde totius corporis saluti præesse, ac prospicere meliùs posset, collocauit. Fuit præterea hic sensus etiam magna summorum philosophorum dissensione, & controuersia nobi- F litatus, scilicet Aristot. Platonis, & Galeni, qui de huius actione contrarias penitus sentẽtias protulerunt. De hac igitur animæ facultate

quæ digna præ cæteris omni studio, ac diligẽtia esse videtur, in præsentia dicendum. eiusq; naturam, & actionis modum diligentissimè perscrutãdum nobis proposuimus; vt ea, quæ ab Arist. de hac tum in libris de Anima, tum in paruis naturalibus dicũtur, declarare omnibus viribus nostris contendamus. Totam autem hãc nostram disputationem in duas partes diuidemus: in quarum altera Arist. de visu opinionem ita claram reddere conabimus, vt quantum fieri possit optimè intelligatur: in altera verò sententiam Platonis, quam Galenus enixè tutatus est, considerabimus, & cum Arist. sententia conferemus; & veritate opinionis Arist. demõstrata, eam a Galeni obiectionibus vindicare nitemur. In ipsa autem Arist. sententia declaranda hunc ordinem seruabimus: quum enim ipse existimauerit visionem fieri per actionem obiecti in organum visus per medium perspicuum, de his omnibus singillatim agemus, & eas, quæ in singulis oriuntur, difficultates soluemus; vt tandẽ quomodo ex eorum trium concursu secundùm Arist. visio fiat intelligamus. Primùm igitur de obiecto, qui color est, iuxta Arist. præceptionem dicendum est, vt eius naturam, & generationem intelligentes, meliùs cognoscere possimus, cur, & quomodo à colore medium, & organum sensus afficiatur.

De coloris natura, & generatione.
Cap. II.

Duæ coloris definitiones.

DVas coloris definitiones Arist. tradidisse videtur; vnam in context. 67. lib. 2. de Anima, color est motiuus perspicui, quod sit actu; alteram in libro de sensu & sensilibus, cap. 3. color est extremitas pspicui terminati; in libello autem Aristotel. adscripto de coloribus nulla coloris definitio traditur, vt non iniuria suspicari possumus, librum illum ab Aristot. scriptum non fuisse, licèt aliqua etiam notatu digna in eo legantur. De priore tamen definitione, quæ tradi in secundo de Anima dicitur, ego semper dubitaui an sit definitio appellanda, quum verba illa non ad modum definitionis prolata esse videantur, inquit enim Arist. [*omnis autem color*] attamen in definitionibus afferendis dictio distributiua non conuenienter ponitur, sed potiùs articulus: nam dictione distributiua significatur natura vt distributa per particularia supposita; articulo autem significatur vt collecta; & ad vnitatem redacta; at in definitione essentiam rei vt vnam significare, & exprimere volumus, non vt distributam: præterea visibilitas est accidens posterius ipsa coloris natura, quod significauit Arist. in 10. contex. 3. Physic. dicens colorem, & visibile esse idem subiecto, sed differre ratione; etenim nomen coloris notat naturam quandam absolutam, cui hæc aptitudo, & hic ad visum respectus superuenit, vt dicatur visibilis ... ibi Simplicius, ac

Prior definitio non est vera definitio.

A Themistius admonent visibilitatem esse accidens coloris; intelligendum autem est accidens non quidem separabile, aut commune, sed proprium, & colori per se competens iuxta secundum modum dicẽdi per se: quoniam igitur esse motiuum visus cõpetit colori non quatenus absolutè est color, sed quatenus visibilis, ideo per hoc ipsa coloris natura non exprimitur; proinde videtur potiùs Arist. his verbis illam vt coloris proprietatem proponere, quàm vt coloris definitionem adducere: attamen quia statim subiungit [*& hæc est ipsius natura*] innuere videtur posse per hanc proprietatem definiri colorem, non quidem absolutè vt color est, sed vt visum respicit, & visibilis dicitur; ideò si ea est vocanda definitio, non est talis definitio per quam absolutè sumpta coloris natura declaretur, sed est descriptio quædam tradita per posteriora, & pro occasione sufficiens; quum enim non alia ratione ibi de colore agatur, quàm ad declarandam ex sua operatione facultatem animæ visiuam, satis fuit declarare nomen coloris prout visum respicit, & quatenus visibilis est; non est autem alia ratione visibilis, nisi vt est motiuus perspicui, quod actu perspicuum fit, hoc est illuminatum; lumen enim est actus, & perfectio perspicui, vt eodem in loco Aristoteles docet. At in libro de sensu & sensilibus volens Aristoteles exactiorem nobis notitiam visionis tradere, intimiùs naturã coloris scrutatus est, & ipsum etiam absolutè sumptum considerauit, ac definiuit; quoniam eius cognitio non parum confert ad intelligendum cur color visibilis sit, & quomodo fiat visio.

Visibilitas inest per se colori in secundo modo dicẽdi per se.

Declaratio secundæ definitionis coloris.

Ad illius igitur definitionis intelligentiàm dicendum est breuiter de generatione coloris: & quum duplex esse dicatur color, vnus, qui solet appellari realis, alter verò, qui vocatur apparens, & spiritalis; vtriusque generatio est seorsum consideranda, quemadmodum Aristot. quoq; in eodem libro separatim vtriusq; coloris generationem declarauit. Quod ad reales colores attinet, sunt qui dicant, ipsos, & alias omnes qualitates, quæ secundæ appellantur, generari ex primis, nempe ex calido, & frigido, & humido, & sicco; quod nos de coloribus non omnino verum esse arbitramur: nam certum est cœlestia corpora esse colorata, siquidem lux ipsorum color est, & visum mouet quatenus color; & hoc testatur Aristot. tum in illo 3. cap. libri de sensu & sensilibus, tum in 1. cap. libelli de coloribus; primæ tamẽ qualitates nullum in cœlesti corpore locum habent: vnde colligi posse videtur, quòd etsi colorata inferioris mundi constãt ex quatuor elementis, quæ sunt calida, frigida, humida, & sicca, non tamen primò ex his qualitatib. colores proueniunt, id est non quatenus elemẽta sunt calida, & frigida, & humida, & sicca, sed potiùs alia ratione, quæ eadem in his, & in cœlestibus locum habe... saltem secundùm

Color duplex, realis, & apparens.

De colorum realium generatione.

quandam similitudinem, & analogiam, quum igitur & cœlestia, & inferiora corpora perspicuitate sint prędita, ego puto his omnibus colorem competere ratione perspicuitatis: quoniam enim perspicuum illud est, quod propter partium tenuitatem transparet, nec visum terminat, vnde etiam interminatum appellatur, necesse est vt si perspicuum incrassetur, & condensetur, ita vt desinat transparere, & visum terminet, nec sinat vlterius per intimam eius substantiam porrigi, tunc amissa perspicuitate colorem loco eius recipiat in superficie, quo moueat ac terminet visum: tale igitur perspicuum ab Aristot. vocatur terminatum, idque necesse est vt sit coloratum, nam sua superficie visum terminare est esse coloratum, quia terminare visum non potest, nisi per colorem aliquem: color itaq; oritur ex sola condensatione perspicui; quum enim ex condensatione desinit esse perspicuum, fit coloratum, & per suam superficiem mouet visum, etenim in sola superficie retinet perspicuitaté, quam prius habebat in tota sua substantia: & quum solum perspicuum sit receptiuũ coloris, prius in tota substantia sua colores aliorum recipiebat, dum interminatum erat; postea verò factum terminatum habet solùm in superficie perspicuitatem, & colorem proprium loco perspicuitatis interminatæ, quàm prius habebat in tota substantia. Condensatio autem, ac terminatio perspicui fieri videtur duobus modis.

Condensatio perspicui fit duob. modis.

Vnus est quãdo sine alicuius alterius corporis admissione ipsum solũ perspicuum corpus in se constipatur; neq; in aliam naturam mutatur, præterquàm quòd fit densum, & desinit esse peruium, & incipit terminare visum: qui modus locum habet in cœlestibus corporibus, ex vna enim & eadem corporis natura constant cœlestia omnia, nec differunt, nisi per maiorem, vel minorem raritatem, seu densitatem; & quò densiora sunt, eò magis colorata sunt, hoc est, magis lucida; nullus enim alius est cœlestium color, quàm albedo splendens, quæ dicitur lux, & quò densiora sunt, eò magis alba ac lucentia sunt: ideo pars Cœli rara perspicua est, atque transparens, astra verò sunt partes Cœli densiores, quia non trãsparentes, sed lucidæ, & coloratæ sunt, minimè autem omnium astrorum densa Luna est, quia minimum habet proprij luminis.

Materia Cœli tota est eiusdem naturæ.

Alter modus in solis inferioribus corporibus locum habet, & est condensatio perspicui non per solam eius constipationem, sed per admistionem opaci; sic enim fit coloratum, quia desinit esse peruium, sed alia magis, alia minùs, prout plus, vel minus opaci habent in sua mistione, vel etiam ratione modi mistionis, vnde etiam prouenit varietas specierum coloris; quatuor enim elementorum tria sunt perspicua, ignis, aer, & aqua, vna autem terra opaca, ideo ex admistione terræ desinunt corpora esse perspicua, & fiunt colorata in

A superficie varijs coloribus; opponitur enim perspicuitati opacitas, & hæ varias faciunt mistiones, proinde & varias colorum generationes. Quum autem tria elementa perspicua sint, est tamen inter ea discrimen: aqua enim quia parum recedit à natura terræ, minùs est perspicua, quàm alia duo, & habet aliquid opacitatis; aër verò magis perspicuus est; sed maximè omnium ignis, ille scilicet elementaris, qui tenuissimus, & inuisibilis est:

B cum his igitur admista terra per suam opacitatem impedimento est perspicuitati; admiscetur autem duobus modis, vel enim per solam compositionem sine vera mistione, vel cum vera mistione, quæ est mutatio naturarum elementorum in naturam misti: priore quidem modo si elementa perspicua condensentur, fiunt alba, vel parum ab albedine recedunt, aqua enim condensata alba fit; sic etiam aër, vt inquit auctor libelli de coloribus in cal-

C ce capitis tertij; non condensantur autem aqua, & aër, nisi eis aliquid densæ materiæ admisceatur, neque enim aqua congelaretur, nisi esset commista cum terra: ignis verò propter maiorem tenuitatem ac perspicuitatem non modò fit albus, si condensetur, sed etiam lucidus, & splendens; non condensatur autem nisi ob alicuius terrestris materiæ admistionem, sic enim fit visibilis, qui per se perspicuus, & inuisibilis est; flãma enim est ignis

D commistus fumo terrestri, & in eo constipatus, sed propter illius fumi raritatem alba est flamma, maximè verò in parte superiore ellychnij ardentis, vbi magis est conuersus fumus in ignem, & à circunstante aëre frigido condensatus; in parte autem inferiore, quæ propè ipsum ellychnium est, fumus est magis integer, nec dum bene in ignem mutatus, ideo ibi magis turbida est flãma, & minùs alba, & rarior: in carbone autem, & in ferro igni-

Flamma quid sit.

E to inest ignis commistus materiæ crassissimæ absq; vera mistione, ideo propter materiæ crassitiem est minùs albus, ac minùs lucens; habet tamen necessariò aliquid lucis, quia seruatur ibi integra natura ignis, quem ex illa condẽsatione splendentem fieri necesse est. Quando autẽ fit vera elementorum mistio, in qua non seruantur elementorum naturæ, sed mutantur in naturam misti, ignis non ampliùs splendet, quia desinit esse ignis, quare mistum adipisci-

F tur colorem non splendentem: contingit tamen in aliquibus, vt licèt veram habeant mistionem, tamen aliquid lucis retineant ex igni commisto, cuiusmodi sunt oculi quorundam animalium, & noctilucæ & alia, quorum mentionem facit Arist. in contex. 72. lib. 2. de Anima, quæ, quum noctu luceant, videntur in tenebris; in talibus enim parum est opaci terrestris, & plurimum aquæ, cui cõmistus ignis, licèt desierit esse ignis, aliquid tamen sui splendoris reliquit, quoniam aqua non tantũ impedimentum affert [illegible] ati ignis, quantum

affert

affert terra, quę sine vlla perspicuitate est opacissima; non potest tamen in talib. multum lucis, sed parũ, quod offuscatur à maiori lumine diei, ideo interdiu non videntur. Ex his colligimus, eiusdem esse naturæ lucem, & albedinem, & perspicuitatẽ, quum perspicuum interminatum, si condensetur, fiat album, idq; vel splendens, vt ignis, vel non splendens, vt aer, & aqua; propterea necesse est etiam tenebram, & nigredinẽ esse eiusdem naturæ, ita vt id, quod in interminato vocatur tenebra, in terminato dicatur nigrum, siquidem albedini nigredo opponitur, & lumini tenebra; vt igitũ lumen, & albedo sunt eiusdem naturæ, ita oportet tenebrã quoq;, & nigrum esse eiusdem naturæ: & hoc clarè apud Arist. legimus in capite 3. lib. de sensu & sensilibus: quemadmodum igitur tenebra est priuatio luminis, ita dici potest nigrum esse priuationem quandam albedinis, ita vt sicuti videri dicuntur tenebrę, quando nihil videtur, ita etiam nigrum videri tunc dicatur, quando nullus color videtur: & hoc apud Aristot. apertè legimus in 3. lib. Meteorol. in tractat. de Iride, vbi inquit [*nigrum est veluti negatio, ideo enim apparet nigrum, quia deficit visus*] eiusdem igitur rationis esse videtur visio nigri in corpore terminato, & visio tenebrarum in corpore interminato, licèt magis videri dicatur nigrum, quàm tenebrę; quia id, quod est terminatum, est per se terminatiuum visus, & per se visibile; interminatum verò non est per se visibile, quia non est terminatiuum visus. Illud quoq; mihi videtur posse colligi ex ijs, quæ dicta sunt, vt albedo est proprius color trium elemẽtorum perspicuorum, siquidem perspicuitas per condensationẽ migrat in albedinem, ita nigredinem esse propriũ colorem terræ, cuius propria est opacitas, quæ opponitur perspicuitati: idcircò non assentior authori libelli de coloribus, qui dicit omnia elementa esse naturaliter alba; quum enim ille met fateatur album & nigrum esse colores simplices, credendũ est vtrunq; esse proprium simplicium corporum, & ad hoc probandum possumus ita argumẽtari: id, quod alicui competit per participationem, debet alicui competere per essentiam; at colores extremi, album, & nigrum, & medij omnes ex his cõstantes competunt mistis corporibus per participationem elemẽtorum, ergo necesse est vt colores simplices cõpetant elementis essentialiter, & per se, quum per elementa competant mistis, & quum ex elementorum cõmistione oriantur in mistis omnes colores medij; est igitur naturale terræ nigrum, sicut etiam opacũ, quum sit alijs naturale album, & perspicuum: confirmatur hoc ex opinione Parmenidis à Græcis interpretib. declarata in primo Physicæ auscultationis, cõtext. 41 dicunt enim Parmenidem statuisse rerum principia ignẽ & terram, quæ alijs nominibus calidũ, & frigidum appellauit, & alijs etiam nominibus lucem, &

Lux, albedo, & perspicuũ sunt eiusdem naturæ.

Tenebra, & nigredo sunt eiusdem naturæ.

Nigrum videre, est nullum colorem videre.

Nigredo est proprius color terræ.

Parmenides.

A tenebras: Parmenides igitur terræ tribuit tenebras, proinde & nigredinem, quia eiusdem naturæ sunt tenebrę, & nigredo, atq; etiam opacitas, quam manifestum est esse naturalem terræ: itaq; terra pura debet esse nigra, quum sit naturaliter opaca, & causa opacitatis omnibus corporibus mistis; opacitas autem opponatur perspicuitati, quæ est de natura albedinis. Hæc igitur est illorum colorum generatio, qui solent appellari reales, album enim & B nigrum sunt proprij colores elementorum, & per elementa competunt mistis tum ipsimet colores extremi, tum omnes medij, qui ex elementorum reali cõmistione oriuntur in mistis. Alterum datur colorum genus, qui vocari solent apparẽtes, seu spiritales, & horum quoque generationem declarat diligẽter Aristot. in illo 3. cap. libri de Sensu & sensilibus: sicut enim ex tali statuta mistione albi cum nigro fit rubeus color realis, ita sine reali mistione C albi cum nigro fiet idẽ rubeus color, si solùm species illorum spiritales cõmisceantur in medio; hoc autem fit, quãdo per eandem rectam lineam fertur vtriusq; coloris species ad oculum, vt quum Sol sit naturaliter albus, si eius lumen transeat per aërem atrum, & plenum terrea exhalatione, fert ad oculũ speciem mistam, quę rubeum colorem præ se fert: quamuis enim corpora illa non cõmisceantur, neq; reales ipsorum colores, commiscentur tamen D illorum colorum species in medio, dum per eandem rectam lineam feruntur ad oculum tanquam color vnus medius: isque non ideò dicitur apparens, quia falsa sit illa apparentia, nam visus non decipitur, dum iudicat se rubedinem recipere; rubedo enim reuera est quæ recipitur, & est genita ex commistione specierum, quemadmodum diximus: quòd si iudicaret ex ea visione Solem esse rubeum, vtique deciperetur, quia non est in Sole co- E lor ille, sed generatur in aëre ex commistione luminis Solis cum aëre atro, & participatum opacitatis, tum perspicuitatis. Sic etiam quando radij Solis percutientes collum palumbæ reflectuntur ad oculum, adijciunt proprio pennarum reali colori albedinem spiritalem, & ita generant colorem medium, qui magis ad albedinem vergit, quàm solus realis illarum pennarum color; ideò si quis iudicet, talem esse reipsa colorem pennarum, de- F cipitur; at si iudicet esse colorem prouenientem ex vero pennarum colore, & albedine luminis, non decipitur, quia talis reuera est color. Differt autem realis color à spiritali, quia realis pendet omnino à subiecto, in quo est, & ad eius motum mouetur, vt color vini, & color lactis, & color sanguinis; at color spiritalis pendet ab agente, à quo producitur, nec mouetur ad motum subiecti, in quo recipitur, vt color in linteo panno productus à colore vini in phiala existentis; ad motum enim phialæ mouetur, sed non ad motum panni.

De generatione colorũ apparẽtium.

Discrimen coloris realis, ac spiritalis.

lintei: in hoc autem exemplo patet colorem spiritalem, quando recipitur in corpore aliquo terminato, posse in medio speciem suam producere, & per se videri; sic enim fit per se terminatiuus visus. Per hæc videtur satis esse declarata definitio illa coloris ab Aristot. tradita in libro de Sensu & sensilibus, color est extremitas perspicui terminati; sumit enim perspicuum in definitione coloris, tanquam proprium eius subiectum, quia vbi est color, ibi necesse est esse perspicuum: perspicuũ quidem interminatum, quando est actu perspicuum, habet colores aliarum rerum; si verò fiat terminatum, habet colorem proprium in superficie. Ex his colligere possumus, non esse veram illorum sententiam, qui dicunt colorem generari ex commistione perspicui, & opaci; patet enim Aristotelem in definitione coloris non nominare opacum, sed solũ perspicuum; quia iam diximus, ex sola condensatione perspicui etiam sine opaco generari colorẽ, dum res loco perspicuitatis suscipit terminationẽ; admistio autem opaci variat quidem colorum species, at non est æquata ratio generationis coloris, sed solùm quatenus facit condensari perspicuum. Non est autem ignorandum, definitionem hanc partim dici posse coloris absolutè considerati, partim ad visionem relati: ipsa nanq; secundùm se nullum respectum notat, nam dicere extremitatem perspicui terminati, non est respicere visum, dicitur tamen ea ratione definiri cum respectu, quatenus color absolutè sumptus non minùs in profundo esse videtur, quàm in superficie, vt albedo non minùs in profunditate substantię lactis, quàm in eius extremitate; attamen non est visibilis, nisi color superficiei; hunc igitur solum definit ibi Aristoteles: quũ enim ibi in sensuum consideratione versetur, ad eum non pertinebat definire alium colorem, quàm eum, qui visibilis est; definit ergo colorem visibilem, sed definit ipsum secũdum se, & absolutè considerarum, non tamen alio consilio, quàm gratia visus; quocirca est modo aliquo definitio respectiua, & dicere possumus notari in ea respectum ad visum, sed respectum remotum; in illa verò, quæ in secundo de Anima traditur, notari respectum proximum, ita vt hæc sit definitio coloris visibilis quatenus est visibilis, illa verò coloris visibilis quatenus est color. Sed dicere etiam possumus (neque erit ab Aristot. aliena sententia) non esse actu colorem, nisi illum, qui est in superficie; eum verò, qui est in profundo, potestate tantùm esse colorem, quatenus enim potest fieri superficialis, catenus potest euadere actu color: quũ enim eo consilio à natura constitutus color esse videatur, vt visum moueat ad vitam animalium conseruandam, & in homine ad rerum scientiam adipiscendam, ille solus est actu color, qui aptus est per se operam suam præstare, hic autem est ille solùm, qui in su-

Cur in definitione coloris non ponatur opacum, sed solùm perspicuum.

An id, qui est in profunditate, sit dicendus color.

A perficie est; quia etiamsi contingat vt sit in tenebris, tamen aptitudinem per se habet mouendi visum, licet mouere nequeat ob defectum luminis in perspicuo: nisi enim hoc dicamus, non erit color æquatum obiectum visus, siquidem daretur color, qui secundùm propriam naturam non est visibilis, nempe is, qui est in profundo: neque Aristoteles per definitionem prædictam declararet naturam coloris, sed eam traderet per accidentalia; nam si

B non minùs color in profundo esset, quàm in superficie, esset accidentale colori esse in extremitate. Sed aduersus hoc oritur dubium, quod tangitur à Ioanne Grammatico in context. 66. secundi libri de anima, videtur enim esse color etiam in profundo, imò & actu visibilis; nam in electro, multisque lapidibus transparentibus inest quandoque intrinsecus concretum aliquod animal, sed et- tiam folium aliquod, idque à nobis cernitur, licèt sit in profundo illius corporis, sic etiam

C videmus colorem nummi in fundo aquæ, & colorem ipsius vasis. Sed hoc à Ioanne optimè soluitur; inquit enim necessarium esse vt proprius electri color vel sit intensior colore animalis inclusi, vel æquè, vel minùs intensus: si igitur intensior sit, aut etiam æquè intensus, solus videbitur, & occultabit colorem animalis inclusi, qui non videbitur: si verò intensior sit color illius animalis, videbitur quidem,

D sed non vt color electri, sed vt color illius animalis, proinde vt in illius animalis superficie, non vt in profundo electri; quòd enim appareat in profunditate substantiæ electri, hoc nihil est, quia tunc electrũ fungitur officio medij perspicui, cuiusmodi est etiam aër; sic igitur electrum tanquam perspicuum medium defert ad oculos colorem existẽtem in superficie illius animalis in eo inclusi; quare nullus color videtur, nisi qui in superficie est. Causa

E autem dubitationis, & erroris est, quoniam huiusmodi lapides sunt simul & colorati & perspicui, participant enim aliqua opacitate, quæ eos facit esse coloratos, sed non omnino tollit in eis perspicuitatem: ideo quia fertur visus per profundum lapidis ob eius perspicuitatem, credimus visibilem esse etiam illum colorem, qui est in profundo; non tamen sic est, sed quatenus coloratus, ac visibilis est lapis, catenus à nobis videtur secundùm pro-

F priam ipsius superficiem; quatenus verò perspicuus est, transfert ad nos tanquam medium colores aliarum rerum, vt colorem animalis inclusi, vel inclusæ herbæ, sed non tanquam coloratus: itaque & color existens in superficie animalis inclusi transit ad oculos per electrum tanquam perspicuum medium & ipse quoq; proprius electri color, qui in ipsius est superficie, mouet visum, & ita cernitur electrũ vt coloratum. Patet igitur non esse visibilem alium colorẽ, nisi illum, qui in superficie est, imò & eum solum esse actu colorem; sic enim

Dubium.

Solutio.

Potest aliquid simul esse transparens, & coloratum.

Platonem id, quod exit, corporeum sit, quia nō fit tertium corpus ex duobus, nisi illa sint corpora, ex aere enim & aliquo accidente vnum corpus fieri dicere vanum esset: Platonis ergo sententiam quum ad vnguem sequatur Galenus, debet ipse quoq; dicere id, quod egreditur, corporeum esse, idq; ipse alijs satis claris verbis asserere videtur, nā in illo 7. lib. de Hippoc. & Plat. decretis modum, quo visio fit, declarans inquit, spiritum animalem ad circumfusum aërem egredi, & cum eo commisceri, & eum sibi similem reddere: inquit etiam, nostram visoriam aciem spiritali substantia præditam emitti ad externum aërem, & ipsum totum alterare, atq; in naturam suā mutare, spiritum aūt animalem apud Galenū constat esse corporeum, & ipse etiam apertè dicit esse substantiam spiritalem, id est tenuē: quare hæc videtur Galeni fuisse sententia, corporeum esse id, quod exit: in libro autem de oculis rationem afferens, cur extima pupillæ tunica, quam coniunctiuam vocant, non totā pupillam operiat, inquit, si totam operiret, spiritus egrediens eam perforare non posset; ego quidem non video, cur ob eandem rationem non viderit Galen. etiā corneam debuisse perforatam, vt spiritus egredi possit; dura enim est, nec potest à spiritu corporeo perforari; sed hanc difficultatem ego medicis considerandam relinquo; satis mihi nunc est ex hac Galeni ratione colligere corporeum esse id, quod exit, non solum accidens, nam lumen pro accidente acceptum eo tunicæ foramine nō indiguisset, sed facere natura potuisset vt coniunctiua totam pupillam operiret, sicut etiam cornea totam operit, nam satis erat eam facere perspicuam, & transparentem, cuiusmodi esse etiam corneam manifestum est. Ego igitur credo hanc fuisse Galeni sententiam, quòd oculus animalem spiritum ad se à cerebro missum ipse foras ad aërem mittat, sic enim maior apparet ratio cur externū aërem cognatum sibi reddat per continuatam spirituum egressionem, & cōmistionem cum ipso aëre, sic enim cum externo aëre magis continuatur, & coniungitur oculus per egredientes spiritus. Verùm hæc sententia magnis, & insolubilibus difficultatibus vrgetur: nam si corpus est id, quod emittitur, cur non pellit, ac mouet aërem loco, quum duo corpora eundem locum occupare non possint? cur etiam emissus spiritus non mouetur flante vento? moueri certè deberet, & ita vt à vento impediti visio, quod tamen non contingit. Præterea experiuntur medici, quāta virium eneruatio, atq; imbecillitas fiat ex emissione, vel consumptione spirituum; patet hoc in venæ sectione, patet maximè in actu Venereo: quamuis igitur non ad cœlum vsq;, sed ad circumfusum aërem expandatur emissus spiritus, magnam omnino ipsius quantitatem, & copiam emitti necessarium est, atq; etiam durante visione cōtinuam emissionem fieri: quemadmodum igitur in alijs omnibus modis emissionis spirituum contingere videmus, vt durante duas horas continuas effusione, concidant omnes vires, vitaq; simul cum sanguine effundatur, ita in visione contingere deberet, continua namq; spirituum ab oculis effusione totum corpus debilitaretur, ac tandem etiam non magno temporis interuallo interiret; hoc tamen non euenit, nam ex magna, vel longa inspectione oculus quidem, ac vis visiua debilitatur, sed corpus totum nullam virium imminutionem sentit. Quòd si Galenus dicat effundi quidem in visione animalem spiritum, at non vitalem, ideoq; viriū debilitationem fieri, vanissima hæc responsio est; quoniam secundùm Galenum spiritus animales generantur continuè in cerebro ex vitalibus eò incessanter missis à corde, quare necesse est vt animalium spirituum consumptio sit etiam consumptio vitalium: validum itaque argumentum est, oporteret enim magis periculosam, ac lethalem esse continuam duarum horarum inspectionem, quàm immoderatum coitum, qui sæpè in vitæ discrimen adducere homines solet: præterea experimur per longam, & assiduam contemplationem corpus ob animalium spirituum consumptionem debilitari, multò autem maior eorundem consumptio in visione fieret, quare absque dubio deberent ex longa inspectione totius corporis vires debilitari, atq; concidere. Neque etiam dicere Galenus potest, non continuam spirituum emissionem in visione fieri, sed semel emitti statutam quandam spiritus quantitatem ad propinquum aërem, & durare visione cessante emissione: etenim fluxilem esse spiritum illum credendum est, nec diu in aëre seruari posse; neque etiam patet, à quonam detineatur, ne continuè ab oculis exeat: præterea fingere quidem, & asseuerare hoc pertinaciter potest, dum animal in eodem loco manet immotum, eandemque rem incessanter intuetur; at quando ad varias partes, variaque loca progreditur animal, in singulis locis nouam fieri spirituum emissionem necesse est, nisi fortasse dicere audeat, in loci mutatione oculum receptui canere, & emissos iam spiritus ad se iterum reuocare, quale figmentum si diceret, ego quidem non mirarer. Hæc omnia plures Medicos dicere coegerunt, Galenum non putasse emitti ab oculis spiritum ipsum animalem, neque corporeum aliquid, sed solum lumen, quod est accidens: hi tamen debent Galeni verba, quæ iam considerauimus, inter-

Septimū argumentum. *Responsio Galeni.* *Confutatio.* *Alia responsio.* *Confutatio.* *Plurium Medicorum subterfugium pro Galeno.* *Confutatio.*

pretari, quibus corporeæ substantiæ emissio manifestè significatur. Sed hoc quoque maximas difficultates coniunctas habet, quarum vna, quę ex natura luminis iam à nobis declarata desumitur, insolubilis est; diximus enim lumen non esse aliquid exiens à corpore lucido, sed esse accidens spiritale in perspicuo productum à præsentia lucidi, lumen enim Solis in aëre existens, neq; est pars aliqua substantiæ Solis, neq; accidens eius aliquod, quod à Sole ad aërem transmissum fuerit; nō posset enim accidens migrare de subiecto in subiectum, sed est accidens spiritale in aëre genitum à luce Solis præsente: hoc si verum est, vt certè est verissimum, non possunt Medici, & Galen. si hoc intellexerunt, vti nomine extramissionis, quia sic emitti ab oculis lumen, non est egredi aliquid ab oculis, sed est produci ab eis lumen in circumstante aëre: quomodo igitur ex hac aeris illuminatione dicere audent animal fieri videns? sic enim nulla fit coniunctio videntis cum re visa; & nihil ex oculo ad aërem egreditur, quo dici possit oculum fieri videntem, sed potiùs aër, quod lumen illum recipit, redditur videns: ob id in magnum etiam absurdum incidunt, dum dicunt lumen cum colore ad oculos remeare; quum enim lumen, vt antea diximus, nullo modo moueatur, vt vanum est dicere lumen ex oculis egredi, ita est ridiculum dicere lumen ad oculos reuerti. Prętereà experimur in omnibus alijs lucidis, quæ lumen generant in perspicuo, quodlibet eorum per hanc illuminationem fieri quidem visibile, at non videns; quare emitti ab oculis lumen non est eos esse videntes, sed potiùs visibiles alijs reddi. Sed possumus tandem contra Galenum argumentari ex ipsiusmet dictis, quibus veritatem inuitus confiteri visus est; nam in septimo illo de decretis inquit, cerebrum esse omnium sensuum primum instrumentum, & hoc munere fungi per neruos ad omnes partes missos tanquam eius propagines; sic enim sensus omnes ad naturam vnam vnicam reducere videtur, & ad vnum operandi modum, qui prouenit ab vna primi instrumenti temperie, ac facultate; eiusdem ergo rationis esse debet omnium sensuum operatio; quare si alij sensus operantur patiendo ab obiectis, debet etiam visus patiendo operari; quod etiam inficiari non est ausus Galenus, nam in lib. 16. de vsu partium vniuersè de omni sensu loquens, & ipsam sensus naturam considerans dixit, sensum in patiendo consistere, & in 10. etiam libro particulariter de visu loquens dixit organum visus debuisse esse album, ac splendidum, vt à coloribus pati, & immutari possit.

Octauum argumentum.

A *Alia aduersus Galenum argumentatio ab oculi substantia. Cap. V.*

EX ipsa quoque artificiosissima oculi structura magnum pro Arist. contra Galeni sententiam argumentum sumitur: nam si absq; receptione per solam emissionem fit visio, nō potest autem extramitti lumen, quia accidens non migrat de subiecto in subiectū, sed solus spiritus, certè ad hunc emittendum B satis erat sine oculo neruus opticus, ita vt cerebrum tanquam commune instrumentum eo vteretur ad visionem, deinde etiam aëre externo tanquam instrumento proximo. Sed aliquas præcipuas oculi partes cōsideremus, vt tum ex toto oculo, tum ex eius partib. cognoscamus, eum ad receptionem luminis, & colorū, non ad vllius rei extramissionem directum esse à natura: primùm quidem considerandum accipio humorē crystallinum, quē C & Philosophi, & Medici præcipuum esse videndi organum concordes fatentur; hunc asserit Galenus solidum esse, ac durum, & prætereà album, & splendentem, & perspicuum; sed absq; Galeni confessione hæc omnia sunt manifesta ex anatome, & inspectione constructionis oculi; nam in eius medio tanquam princeps positus est crystallinus, & in parte anteriore habet aqueum humorem, in posteriore autem vitreum; & substantiam habet ita D solidam, vt sublata etiam aranea tela, qua totus inuestitur, consistentiam habeat, & figuram suam retineat, nec modo vllo fluat; non eiusmodi sunt alij duo humores, ex tunicis enim educti non consistunt, sed fluunt; albus etiam maximè est, & splendens, sed quo splendore? an tali, vt ex se propriam lucem habens illuminet alia? nequaquam, & hoc asserere pertinacissimi hominis esset, & negantis res sensui manifestas; sed splendens est alieno lu- E mine, quod receperit: idq; etiam in crystallo, & alijs solidis perspicuis cernimus, recepto enim alieno lumine fiunt lucentia, sed in tenebris omni prorsus lumine destituta sunt; fit autem splendor talis in perspicuis solidis, ac densis, quia propter perspicuitatem recipiūt lumen introrsum, & propter densitatem retinent, atq; vniunt, & intensius reddunt; factus igitur est crystallinus aptus ad lumen recipiendum, non ad emittendum; & huius ratio ab F eius temperie sumitur, aqueam enim substantiam habet, ea autem est aquæ cōditio, vt per suam perspicuitatem recipiat lumen, & per soliditatem & crassitiem retineat, & intensius esse faciat, & adhuc magis si condensetur, & congeletur, vt in crystallo cernitur: ad emittendum autem lumen aqua ex se apta non est, nam quantumuis densata nunquam fit lucidans; dico crystallinum esse puram aquam,

Argumentum ab humoris crystallini substantia.

sed dico esse corpus mistũ, in quo est aliquid
ignis, & aliorum elementorum, excessu tamẽ
aqueum; est etiam in aliquibus oculis plus i-
gnis, quàm in alijs, quo fit vt noctu aliquid lu
minis emittant, nõ tamen ob id excessu ignei
sunt, sed aquei, quia semper alijs elementis
præualet aqua in mistione crystallini: sed il-
lud non omnibus oculis competit, quare con
sideratione dignum non est, non enim in ea e-
missione consistit visio, sed solùm indicatur
melior visio propter maiorem crystallini lu-
ciditatem, quæ facit vt colores meliùs reci-
piantur. Patet igitur crystallini officium non
esse lumen emittere, sed lumen & colores re-
Argumẽtum à figura crystallini.
cipere; quod etiam ipsius figura confirmat,
gibbosam enim aliquantum habet vtranque
superficiem, magis tamen interiorem, qua in-
fixus est vitreo, exterior enim planior est, vt
plures recipere radios possit: interioris autẽ
superficiei maior gibbositas eandem causam
habet, quam & ipse vitreus humor, in cuius
Error Galeni de humore vitreo.
officio assignando deceptum fuisse Galenum
ita manifestum est, vt nihil esse possit clarius,
& hoc intellecto patebit receptione visionem
fieri, non emissione. Inquit Galenus, nullum
esse aliud vitrei humoris officium, siue vsum,
quàm nutrire crystallinum, & hac vtitur ra-
tione: crystallinus omnino egebat nutritione,
nutriri autem sanguine immediatè non opor
tebat, quoniam à calore, & crassitie sanguinis
viciata fuisset luciditas, & albedo crystallini:
natura igitur voluit vt sanguine priùs nutri-
retur vitreus, deinde vitreo crystallinus alere
tur; ideò inquit vitreum esse minùs album, ac
minùs lucidum, & esse veluti si quis multo al-
bo parum nigri commiscuerit, aliquid enim
nigredinis accipit à sanguine, quo nutritur.
Sed hæc Galeni sententia aduersatur sensui,
& rationi: nam sensui patet humorem vitre-
um crystallino minùs album non esse, est qui-
dem minùs solidus, sed nihil penitus nigredi
nis in eo apparet, quum sit albissimus vt cry-
stallinus, nutritur tamen sanguine, vt Galenus
asserit: quare vana est eius ratio, cur non de-
beat crystallinus sanguine ali; si enim vitrei
albedo hac nutritione non vitiatur, pariter
neque crystallini albedo vitiabitur; hoc ergo
non facit, quin ali sanguine crystallinus pos-
sit, idq; confirmatur ex alijs, quę alba sunt, li-
cèt sanguine nutriãtur, huiusmodi enim sunt
nerui, & ossa: semen quoque & lac alba sunt,
licèt ex sanguine sint genita, quia mutatur in
ea generatione color in colorem conuenien-
tem rei generandæ, vel nutriendæ, quod præ-
stare sagacissima natura, quando ita expedit,
facilè potest. Est etiam absonũ rationi, quòd
tanta moles, qu[illegible] humor vitreus, crystal
lino ad eius nutritio[illegible] tradita sit: nam mul-
[illegible] est crystallino vitreus, ac si sensui
A credim⁹, est quadruplo, & fortasse quintuplo
maior, videmus autem in omnibus alimentũ
esse re nutrienda longè minoris quantitatis,
idq; omnino necessarium est: quia, quum ali-
mentum in principio sit contrarium, & cum
re alenda pugnet, si maius esset, opprimeret
eam potiùs, quàm aleret, tanquam validius,
quoniam in maiori corpore vis maior inest:
potiùs igitur natura crystallini in naturam vi
trei mutaretur, quàm è contrario. Hanc igitur
Alimentum debet esse multò minus re alenda.
B Galeni sententiã ego prorsus reijciendam pu
to, & aliud esse vitrei humoris officium, quã
crystallinũ alere, idq; inspicientib. ac diligen-
ter considerantib. ita manifestum est, vt nihil
Argumẽtum ex vitrei humoris officio.
clarius esse possit: & hinc validum argumen-
tum sumitur ad ostendendum receptione fie
ri visionem; quũ enim necessarium sit, vt per
crystallinum tanquam perspicuum transeat
lumẽ, & color receptus, certè nisi aliquis alius
humor in parte posteriore inter tunicas, &
C crystallinum intercessisset, lumen illud ad tu-
nicas in illa parte peruenisset, & quum soleat
lumen à solidis corporib. reflecti, fuisset iterũ
reflexum à tunicis ad crystallinũ vnà cum co-
lore tunicarum, est aũt secunda tunica colora
ta colore subnigro, ideo imbutus fuisset per-
petuò crystallinus colore illo, quod quidem
visioni maximum impedimentũ attulisset; nã
visus omnia illius coloris esse iudicasset, quẽ-
admodum etiã ictericis contingere solet: fuit
D ergo necessarium, vt inter tunicas & crystalli-
num in posteriore oculi parte humor vitreus
poneretur, isq; magnus, & magnæ profundi-
tatis, vt in eius medio posset linearum visuali
um angulus fieri, & inde earum conus exina-
niri, neq; ad tunicas peruenire, ne ab earũ co-
lore crystallinus per reflexionem luminis co-
loraretur: hoc est absq; dubio vitrei humoris
officium; nam experientia docet, lumẽ transi-
ens per vitrum aliquod cauum vniri in illa ca
E uitate, & permeans vltra vitrũ in quadam cer
ta ab eo distantia facere conũ, in cuius extre-
mitate intensissimum lumen apparet, sed mi-
nimæ quantitatis instar milij, nempe si in illa
certa distantia ponatur corpus aliquod soli-
dũ, in quod angulus impingat; nam si propin
quius vitro corpus illud ponatur, maior eius
pars illuminabitur, & eò maior, quò sit pro-
pinquius vitro; at si paulatim remoueatur, mi
nuetur continuè, donec ad minimam superfi-
F ciei illuminatæ quantitatem perueniat, ideò
in illa minima quãtitate ita est vnitum & va-
lidum illud lumen, vt etiam accendat, & vrat,
quoniam ibi desinit conus, & angulus à con-
cursu radiorũ productus; ideò si adhuc ma-
gis remoueatur corpus illud, nullũ amplius
lumen ab illo vitro ad ipsum peruenit, sed est
exinanitum, quia quum ad conum, & ad acu-
men tendat, non [illegible]tergreditur quoddam

determinatum pũctum: ego igitur in oculorum sectione vidi cryſtallinum ab alijs humoribus ſeparatum, cui quum accenſa candelula apponeretur, totus fiebat lucidus, & ſplendens tanquam candelæ lumine imbutus ob ſuam perſpicuitatem, & trans totam cryſtallini ſubſtantiam meabat lumen, & in poſteriore cryſtallini parte tranſibat in conum, & in acumen non multò poſt intimam cryſtallini gibboſitatem, ita vt acumen illud, & linearum concurſus parum diſtaret à cryſtallino, B imò ipſum ferè attingere videretur: ideo certum eſt, illius coni acumen exinaniri in humore vitreo, qui magnam habet profunditatem, ideoq; ad poſteriores tunicas peruenire non poſſe. Ad hunc ergo vſum natura humorem vitreum magnæ quantitatis poſt cryſtallinum collocauit, vt in illo perſpicuo, & incolorato corpore fieret radiorum per cryſtallinum transeuntium coniunctio, ne ad poſteriores tunicas perueniret: & hanc eandem C ob cauſam credendum eſt factam eſſe à natura maiorem illam in interiore cryſtallini parte gibboſitatem, ne procul à cryſtallino radiorum coniunctio fieret, nam gibboſitas illa maiorē luminis vnionem facit, ita vt in pũcto propinquiore radij à cryſtallino prouenientes congrediantur. Hoc igitur ſi eſt vitrei humoris officium, neceſſe eſt non emiſſione, ſed receptione viſionem fieri: nam ſi emiſſione fieri ſtatueretur, nõ opus eſſet humore vitreo D congreſſum radiorũ recipiente; quare ſuperuaneus ille humor eſſet, ſicut & alia multa in oculi ſtructura ſuperuacua eſſent. Quærendum præterea eſt, quomodo ad viſionem, vel ad oculi ſalutem conferat color vueæ, à quo oculum, & vim viſiuam roborari fatetur Galenus, hoc enim dicens veritate coactus ſuam ipſe ſententiam euertit: nam inquit, oculum lædi ab albo, & à luce, cõtrà verò à calore ſub nigro, & cæruleo roborari, & inde fieri vt oculus fatigatus claudi ſoleat, tanquam ad naturale remedium confugiens, vt ab illo circunſtantetunicæ colore roboretur. Hoc quidem à Galeno veriſſimè dicitur: attamē nulla fieri roboratio poteſt, ſi viſio per emiſſionem radiorum, nõ per receptionē fiat, vt è contrario manifeſta roboratio poteſt, ſi per receptionē fieri ſtatuatur: albi nanq; magna eſt actio in oculum, ideò exercetur maximè, & fatigatur oculus inſpectione albi; contrà verò nigri vel F nulla, vel parua eſt actio, quia nigrum tanquã priuatio albi eſt; ita vt nigrum videre ſit nihil videre, vt apertè ait Ariſt. in 3. Meteor. cap. de iride: quòd ſi nigrum in lumine videmus, id fit, quia illi adiectum lumē remittit illam nigredinem, & conſtituit quendam medium colorem mouiuum viſus poſitiuè: colores itaq; ad nigredinem vergentes parum agunt in viſum, & parũ exercetur viſus in eorum viſione: itaq; ſi receptione colorum fit viſio, in promptu eſt ratio cur viſus à colore vueæ roboretur: at ſi emiſſione fit, nulla eſſe ratio poteſt: nam ſi ipſa ſpirituum ſubſtantia emittitur, color ille non cohibet ſpiritus ne egrediantur; ſimiliter ſi lumen ſolum emitti dicatur, non prohibet color vueæ ne per foramen emittatur lumen, imò neq; per huiuſmodi emiſſionem luminis debilitari oculus poteſt, quandoquidē iam diximus eam propriè emiſſionem non eſſe, ſed productionem luminis in extremo perſpicuo; lucidũ autem in lucendo, & illuminãdo alia non fatigatur: quare ſi ita fit viſio, neque vlla egebat oculus roboratione, neque ſi indigeret, à colore vueæ vllum recipere ſui laboris remedium, aut roborari poſſet. Alias quoque oculi partes conſiderare poſſemus, & ex iis quoq; ſententiam Ariſt. confirmare; huic enim omnes atteſtantur, & ſuffragantur: ſed præcipuas conſiderare ſatis ſit, reliquas iudicioſis viris, & libero animo philoſophantibus conſiderandas relinquimus.

Argumētum à colore vueæ.

Albi magna eſt actio in oculum.

Videre nigrum eſt nihil videre.

Confutatio ſententiæ Galeni de oculo quòd ſit igneus. Cap. VI.

EX his quæ hactenus dicta ſunt, colligere poſſumus alium Galeni errorem, quem conſiderare, ac demonſtrare, à noſtro inſtituto alienum non erit, ſed potiùs ad ipſum non parum conferet; inquit enim Galen. oculum non eſſe aqueũ, vt Ariſt. placuit, ſed igneum, vt ex eis lociditate cõijci poteſt. Attamen huic ſententiæ diſſectio oculi, & ſenſus ipſe refragatur; nam, vt Ariſt. notat in 2. cap. lib. de ſenſu & ſenſilibus, ſecto oculo apparet totam eius ſubſtantiã aqueam eſſe, & id negare proterui admodũ hominis eſt: argumentum aũt ab oculi luciditate ſumptũ nullam habet efficacitatem, nam quomodo lucidus oculus ſit, E iam diximus; nõ eſt enim lucidus luce ꝓpria, qua in tenebris illuminet aerem, & per ſe viſibilis ſit, ſed lumine aliunde recepto, quemadmodum etiam vitrum, & cryſtallus: talem ergo habet luciditatem, quæ aqueũ potiùs eſſe oculum denotet, quàm igneũ: nam ſi luceret luciditate ignea, luceret in tenebris, quod nõ de omnibus oculis verum eſt. Alio quoq; nititur fundamento Galenus ad hoc comprobandum, nam plenus oculus eſt ſpiritu animali ad eum tranſmiſſo à cerebro per neruũ opticum, de cuius ſpiritus emiſſione paulò antè diſputauimus: quoniam igitur ſpiritus animalis igneus eſt, & Plato quoque in Timæo eum vocat ignem, ideò ratione ſpirituũ oculus dicẽdus eſt igneus. Sed hoc quoq; leuiſſimum argumentu[illegible]imùm quidem, quia nos non inficiam[illegible] ſpiritum animalem à cerebro ad oculos fluere, ſed non ob id fit

Argumētum Galeni.

Solutio.

Argumētum contra Galenum.

Aliud Galeni argumentum.

oculus

vt oculus sit igneus, etiamsi igneū esse spiritum cōcederemus; etenim huiusmod. appellatio sumitur ab excessu, excedit autē humor aqueus, non spiritus, vt per se manifestum est, idq; optimè declaratur ab Aristot. in lib. 2. de Partibus Animalium, cap. 4 vbi dicit substantiam oculi esse frigidam & humidā, & esse humoris cerebri partem purissimam, quę secernitur, & ad oculum mittitur: quemadmodum igitur etiam in cerebro insunt spiritus tum in arterijs, tum in ipsismet cerebri ventriculis, neq; per hoc fit, quin ab omnibus cerebrum membrorum omnium frigidissimum, & humidissimum esse dicatur; ita in oculo insunt spiritus animales; ipsa tamen oculi substantia aquea est. Sed præterea etiamsi spiritus animalis in oculo excederet humorem aqueum, non ob id oculus esset igneus appellandus, quia spiritum animalem vocare igneum vanissimum est, vt facilè est vel ex ipsiusmet Galeni dictis demōstrare: spiritum enim animalem putat Galenus in cerebro generari, vitalem verò in corde, & hunc per arterias ad cerebrum deferri, & ibi à facultate cerebri in animalem cōuerti: spiritus autem vitalis, si bene cōsideremus, calidus est & humidus, proinde aereus, non igneus; vitales enim hæ duæ qualitates sunt, calor, & humiditas: quod etiam ex eo patet, quia generatur ex sanguine tenui, & purificato in corde, sanguis autem tenuis non potest verti nisi in vaporem aereum, quia est spiritus vitalis: præterea spiritus vitalis non est summè calidus, ergo non est igneus, non est enim ignis, nisi sit summè calidus; assumptum manifestum est, quia calor igneus destructiuus potiùs vitæ est, quàm conseruatiuus, vt ait Aristoteles in libro 2. de ortu animalium, cap. 3. præterea si calor spirituum summus esset, non posset intendi & augeri; augetur tamen, quoniam accenduntur spiritus in febri, & fiunt calidi supra modum naturalem; per se igitur sunt mediocriter calidi, quæ est aëris natura; quocirca & ex gradu caloris, & ex humiditate vitales spiritus non igneos, sed aëreos esse manifestum est: minùs igitur spiritus animales possunt ignei appellari, hi nanque ex vitalibus generantur in cerebro per refrigerationem; quia necesse est, vt in loco frigidissimo, atq; humidissimo, quale cerebrum est, obtundatur vitalium spirituum calor, & ita ex vitalibus iuxta Galeni sententiam animales generentur: si ergo in corde loco calidissimo spiritus non sunt ignei, sed aerei, multò minùs in cerebro dicendi sunt ignei, vbi multò minùs habent caloris quàm in corde, imò potiùs dicendum videtur, eos [illegible] naturam accedere, & esse instar vaporis, qui est medium quiddam inter aërem, & aquam; vel saltem esse aereos

Quid spiritus non sint ignei.

A compactiores, & minùs calidos, nullibi enim sunt calidiores, quàm in corde, qui fons & radix caloris est; & nullibi frigidiores, quàm in cerebro. sic enim ad cognitionem, & ad contemplationem aptiores sunt, sicut alio in loco ostendimus. Sed ipsemet Galenus in initio lib. 10. de vsu partium veritate coactus confitetur pupillam esse plenam spiritu aereo, ac splendido; quum ergo aereum esse affirmet, non est oculus à spiritu igneus appellandus, B neq; potest ex eo spiritu ita lucere, vt illuminet alia, quoniam aër non lucet luce propria, quemadmodū nec aqua, sed solùm aliena per suam perspicuitatem recepta. Si verò Galen. dicat spiritum vitalem aereum esse, sed mutari in animalem igneum, hoc manifestè repugnat rationi, quoniam hæc mutatio fit in cerebro, quod quum frigidissimum sit, non potest vertere aerem in ignem: imò etiamsi spiritum vitalem in corde propter magnum calo C rem vellemus igneum appellare, cogeremur tamen animalem vocare aëreum, quum in eo sit plurimū remissus, atq; imminutus calor.

Quòd verò aliqui adducunt verba Aristot. in postremo problemate particulæ 31. dicentis oculum esse igneū, id parui momenti est: nam constat Arist. in problematib. populariter loqui, & sæpè aliorum opiniones sequi, præsertim quando ad id de quo loquitur, nullū momentum afferunt; quam eandem ob causam D etiam in 3. Meteor. loquens de iride vsus est opinione Platonica de visione, vt mox in argumentorum solutione considerabimus: quoniam igitur in illo problemate quærit, cur nō ita differant oculi inter se, vt manus inter se differre cernuntur, respondet id contingere, propterea quod manus est corpus mistum, id est, heterogeneū, oculus verò nō est mistus, id est, non heterogeneus, sed simplex, id est, homogeneus, siquidem igneus est. hoc aūt idem di E xisset statuēdo oculum aqueū, ideò non curauit Arist. ipsum aqueum potiùs, quam igneū appellare, dummodo simplex, hoc est, homogeneus esse statueretur; non est autem credibile Arist. qui in lib. de sensu, & sensilibus, cap. 2. opinionem Platonis oculum igneum esse asserentis efficaciter improbauit, ibi ex animi sententia contrarium affirmare dicendo esse igneum: ideò persæpe debilia esse solent argumenta, quæ ex Arist. verbis in alijs locis ex F tra propriam de aliqua re tractationem sumi solent; ipse enim extra proprium locum de re aliqua loquens, vtitur frequenter opinionib. aliorum tanquam manifestioribus, ne propria opinione veniret dubiam redderet propositæ rei declarationem; sed id tamen nunquam facit, nisi quando ad id, quod ibi proposuit, declarandum, nihil refert, an propria, an aliena sententia de aliqua re vtatur.

Obiectio ex vlt. probl. partic. 31.

Solutio.

Nonnullorum conciliatio Platonis, & Galeni cum Aristotele, & eius reprobatio. Cap. VII.

Colligere ex his possumus quorundam recentiorum errorem, qui putarunt se Arist. cum Platone & Galeno, tum de oculi temperie, tum de visione optimè conciliasse: *Conciliatio de oculo.* primùm quidem de oculo per hanc distinctionem: oculus duobus modis considerari potest; vno modo sumi potest pro illo B corpore, quod per anatomen sensu conspicitur, sic autem aqueus est, patet enim crystallinum humorem esse aqueum; secundo modo pro calido innato, quo vt instrumento crystallinus vtitur, nempe pro spiritu animali illuc misso à cerebro, & hac ratione oculus est igneus, ideo Arist. vtrunq; respiciens variè loquutus est. *Confutatio.* Sed vana est hæc consideratio, quoniã Arist. in lib. de sensu, & sensilibus oculum sumit animatum, atq; perfectum, siquidem ani- C ma destitutum negat esse oculum appellandum, sed illum solum, qui facultatem videndi habeat; hic autem non est sine spiritibus, & calore innato, cum tamen Arist. negat esse igneum tum ibi, tum in lib. 5. de ortu animalium, cap. 1. & apertè asserit esse aqueum, scilicet ratione excessus, quia aliquã ignis quoq; portionem in crystallino esse quis negare potest, si crystallinus est corpus mistum, & perfectum mistum? nũ est ergo credendum Arist. D alibi ex propria sententia loquentem appellare oculum igneum: adde quòd de omnibus corporis partibus hoc dicere possemus, vt carnem esse terream ratione terræ prævalentis, qualem eam esse sensu iudicamus, sed esse igneam ratione caloris innati; quum ergo hoc absurdum sit, vanum est à spiritibus appellare, seu iudicare alicuius membri temperaturam. *Conciliatio de visione.* Quod verò ad visionem attinet, dicunt eam posse duob. modis considerari, vno mo- E do prout est visio absolutè; altero modo vt cũ alia visione comparatur, & melior esse dicitur, quàm illa: priore igitur modo dicũt satis posse visionem fieri per solam colorum receptionem in oculo; quia quum aër externus recipiat sua perspicuitate species colorum, fieri nõ potest quin oculus vt perspicuus easdem species recipiat, & receptas iudicet, & ita videat; vt igitur fiat absolutè visio, non est opus emissione radiorum, sed sufficit colorũ F receptio in oculo à cõtiguo aëre illuminato: & hoc respicit Arist. quando improbat Platonis sententiam de extramissione, loquitur enim tunc absolutè de visione, non de meliore visione; & hoc idem à Galeno & à Platone cõcessum fuisse asserunt. Si verò consideremus, quomodo fiat melior visio, melior certè fit per extramissionem, non quidem spirituum,

A id enim impossibile esse fatentur, sed radiorum, & luminis, quod est accidens; emittuntur enim ab oculo radij, sicut etiam à sole, nõ quidem ad rem vsq; visam, quod etiam Galenus notauit, sed ad circunstantem aërem illuminatum, in quo iam receptus est rei videndæ color: quare lumen cũ colore in aëre existens obuiam fit lumini emisso ab oculo, & simul cõmistum vtrumq; lumẽ remeat cum colore ad oculũ, & in eo recipitur, ac iudicatur, eaq; B optima visio est, nec fit extra oculum, sed in oculo: & hanc dicunt non modò Plat. & Galeni sententiam fuisse, sed etiam Arist. cuius verba citant in partic. 31. problematum varijs in locis, vbi concedit extramissionem, quia de meliore visione loquitur; & in quinto de ortu animalium, cap. 1. vbi dicit, corneam oportuisse non esse nigram, quia debet esse translucida, nigrum enim non translucet, quare etiã laternæ, si ex nigra cute cõficiantur, nõ trans- C lucent: vult igitur Arist. ita extramitti lumen ab oculis, vt ex laterna lumẽ foras emittitur, comparat enim oculũ cum laterna. Sed hanc *Confutatio.* sententiam veritati repugnantissimam esse, satis patet ex præcedente nostra aduersus Galenum disputatione: iam enim ostendimus, nec ipsam spirituum substantiam posse extramitti, quod isti quoq; concedunt, nec lumen tãquam accidens, quod idem ex oculo ad externum aërem egrediatur, propterea quòd ac- D cidens non migrat de subiecto in subiectum, sed generatur in perspicuo lumen à corpore lucido: quapropter omnia, quæ ab his dicunt de egressu luminis ab oculo, & de eiusdem regressu ad oculũ, vanissima sunt, quoniã eiusmodi motus lumini attribui nulla ratione potest. Vana igitur est illa, qua vtuntur, duplicis visionis distinctio; siquidem nihil reuera ab oculo emittitur, dum lumen emitti statuimus, quoniam illuminare non est emittere aliquid, vt antea ostensum est. Sed præterea re- E probatur eorũ sententia per dictum illud Arist. 2 Topicorum, cap. 4. vt simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: nam si visio simpliciter in receptione consistit, & receptio est ratio, qua simpliciter visio fit, oportet meliorem visionem in meliori receptione consistere, non in extramissione: imò Topica hæc regula in præsentia euadit demonstratiua; nam si ratio visionis absolutè cõsiderata non in e- F missione consistit, sed in receptione, iam essentialis est visioni receptio speciei, accidentalis verò extramissio luminis, quum sine hac fieri visio possit, non sine receptione; ex eodem igitur fonte haurienda est cõparatio visionis cum visione, qua vna melior dicatur, & altera deterior, ex quo absolutè sumitur ipsa visionis natura; itaq; melior visio in meliori receptione constituẽda est, si absolutè sumpta visio in to-

sio in receptione consistit: & huic sententiæ attestatur experientia, nam senes deterius vident, quàm iuuenes, non propter animæ imbecillitatem, sed propter impuritatem organi: nam, vt inquit Arist. in particula 65. primi lib. de Anima, facultas animę iudicatiua, & anima ipsa per senium non debilitatur, sed solum organum corporeum; nam oculus in sene factus est terrestris, ac minùs perspicuus, proinde minùs aptus ad lumen, & ad colores recipiendos; officium enim organi est recipere, & officium animæ est iudicare, ideò inquit ibi Arist. si senex acciperet oculũ iuuenis, ita videret, vt iuuenis. in senibus igitur & in iuuenibus patet meliorem, ac deteriorem visionẽ in nullo alio consistere, quàm in meliore, ac deteriore luminis receptione. Ipsa igitur secundùm se horum sententia absurda est: sed adhuc absurdius est eam Arist. attribuere, qui vbiq; sententiam hanc de extramissione refellit, & ab ea abhorret, multò autem magis abhorreret ab hoc discrimine visionis, & melioris visionis, quũ sit rationi repugnantissimũ: quòd autem in problematibus vtatur sententia Plat. de radiorum extramissione, hoc nihil est; eadem enim vtitur etiam in tertio Meteor. in tractatione de iride, sed de hoc postea in solutione argumentorum dicemus: quando autem ibi nominat meliorem visionem, certum est eum non ita loqui: quia comparat extramissionem cum receptione absq; emissione, nam ridiculũ est hoc dicere; sed vnum & eundem visionis modum considerat, qui varietur secundùm magis, & minùs, idque ibi ita manifestum est, vt de hoc disputare vanum sit. Quòd verò dicunt de comparatione cum laterna, quæ habetur in primo cap. libri quinti de ortu animaliũ, id nullius roboris est, quoniam Aristot. ibi comparat oculum cum laterna ratione solius transparentię corneę, sed non ratione modi; per corneam enim transire lumen oportet, sicuti per laternam, non tamen eodem modo, quia per corneam transit ingrediendo, per laternam verò egrediendo; quare non est in omnibus accipienda illa similitudo, & res per se manifesta est.

Solutio argumentorum Galeni. Cap. VIII.

Tandem superest vt ad argumenta à Galeno addncta respondeamus: quorum primum, quod Galenus, & Medici tanti faciũt, à magnitudinis visione acceptum, nullius penitùs momenti est: possumus enim primò illud hunc in modũ retorquere: in phantasia, quæ paruo spacio in capite hominis concluditur, recipitur montis magnitudo: imaginamur enim magnitudinem montis quanta reuera est, qui ergo fieri potest, vt magna, montis moles in paruo hominis capite con- *Ad primum.*

A tineatur? vel, si in phantasia hoc non impossibile esse Galenus iudicat, cur in oculo impossibile esse iudicat? Dicimus igitur, si oculus recipere ipsammet montis magnitudinẽ materialẽ diceretur, vtiq; ꝑ foramen tam paruũ, quantũ pupillæ est, eam ingredi minimè posset; sed quum non ipsa realis magnitudo, sed eius imago, & species, quæ spiritalis est, recipiatur, id sine vlla absurditate fieri: nam imago magnitudinis est quidem magnitudo, & *Species spiritalis non est quanta formaliter, sed solùm repræsentatiuè.*

B quanta per repræsentationem, quia magnitudinem repræsentat, ipsa tamen secundùm se formaliter accepta non est quanta, sed est indiuisibilis, & recipitur indiuisibiliter; neque per hoc stat quin per eam cognoscatur rei magnitudo modò ampla, modò angusta, pro obtusitate, vel acumine anguli visualis in oculo, sicut antea diximus: hoc significauit Arist. ipse in contex. 121. lib. 2. de Anima, quando dixit omnes sensus esse receptiuos specierũ sine

C materia, nam quantitas naturam primæ materiæ insequitur, vt aliàs in lib. de materia ostendimus, ideò extra materiã nil potest esse quãtum: species igitur quantitatis sine sua materia non est quantitas, licèt quantitatis repræsentatiua sit, sed est indiuisibilis, & tum in oculo, tum in medio indiuisibiliter recepta, quia in quolibet puncto medij terminatur angulus coni, quo magnitudo illa videri potest: confirmatur hoc ex cõsideratione colorum,

D nam per eundem aërem medium simul eodẽ momento transeunt contrarij colores, qui tamen in ipso aëre non commiscentur, neque vnus alterum vitiat, quia sunt spiritales, & sine materia: nam possunt in eodem aëre duo homines esse, quorũ vnus videat rem aliquam nigram, alter verò aliam rem albam, ita vt per eundem aërẽ simul transeant duæ illę species absq; vlla sua læsione, vel cõmistione; quare argumentum leuissimum est, vt patet ex con-

E sideratione phantasmatum in imaginatiua, quemadmodũ modò dicebamus: eadẽ enim vtrobiq; ratio est; vel enim similiter in oculo species quantitatis montis recipi potest, vt in phantasia recipitur, vel, si in oculo recipi non potest, similiter dicendum est non posse recipi in phantasia. Secundũ Galeni argumẽtum erat, quomodo potest eadem numero magnitudo eodem temporis momẽto ad oculos diuersorum transire, & simul in ijs omnib. reci- *Ad secundum.*

F pi? hoc quoq; conuertere contra ipsum possumus hoc modo: quomodo potest eadem numero magnitudo recipi simul in phantasia diuersorum hominum? recipitur tamen, quia multi eodem temporis momẽto eandem rei magnitudinẽ imaginantur, & eadem est ratio vtrobique; nam si in sensu id fieri non potest, in phantasia quoque non potest fieri: at si in phantasia potest, vanum est negare id in sen-

su fieri posse. Dicimus igitur magnitudinem A rei materialem, neque ad multorum hominum, neque ad vllius alicuius oculos posse transire, quoniam accidens idem numero nõ migrat de subiecto in subiectum; sed multiplicare tamen speciem suam, atque ad totum circumstans perspicuum diffundere potest, ita vt recipiatur eodem momento in oculis multorum hominum; itaque de obiecto materiali totum Galeni argumentum concedimus, ac de obiecti specie spirituali nullius mo- B menti est, quia non est absurdum id, quod Galenus absurdum esse arbitratur; quod ostendo per ea, quæ ab ipsomet Galeno dicuntur: concedit ipse præter visum alios sensus per receptionem operari, nónne igitur idem numero sonus recipitur simul in auribus plurimorum hominum? cur ergo non & idem numero color, & eadem numero magnitudo potest eodem momento recipi in oculis diuersorũ? etenim non ipsa materialis magnitu- C do, neq; materialis color ad oculos trãsit, sed species spirituales, quæ vndiq; diffusa per aerem adest in quolibet aëris puncto, & in quolibet æquè visibilis est: patet igitur nil esse vanius his Galeni argumẽtis. *Ad tertium.* Tertiũ eius argumentũ sumebatur à visione magnitudinis, & figuræ in speculo: res enim quæ retrò, vel trans pariete sunt, videre rectà non possumus, in oblato tamẽ speculo refractas videmus; sed colorem quidem in speculo frangi, & ad oculos reflecti dicere possumus, at figuram, & magnitu- D dinem refrangi in speculo ne imaginari quidem possumus; consistit enim figura in quadam partium harmonia, quam per talem refractionem tolli, ac destrui necesse est, quomodò igitur potest integra videri, si in speculo fracta ad oculos reflectitur? ego verò de hoc magis dubito iuxta Galeni sententiam, quàm secundùm Aristotelis opinionem; quomodo enim radij ab oculo exeuntes frangi in E speculo possunt, & reflecti ad rem videndam, quæ trans parietem est posita? cur enim non in quolibet alio corpore, quod non sit speculum, franguntur similiter radij visuales, & ad rem videndam reflectuntur? oporteret etiam secundùm hanc opinionem rem illam videri vt in eo loco existentem, in quo reuera est, non vt in speculo; nam si visus à speculo refractus ad eam vsque porrigitur, ita deberet in loco suo videri, vt in eo esse crederetur; F & huius apparentiæ nulla afferri ratio potest, cur res videatur in speculo esse, non vbi reuera est: at secundùm opinionem Aristotelis facile est huius rationem assignare; dicimus enim speciem rei visibilis ad speculum vsque protendi, & in eo frangi, ideoque videri esse in speculo: dum enim ai[illegible]mus, obiectum ad visum deferri, res clara est, & omni dubio ca-ret; sed dũ dicimus rem visibilẽ in loco suo immotã manere, & visum ad illã progredi, insolubili difficultate nos vrgeri necesse est. Solutio igitur argumẽti huius ex eodẽ fonte sumẽda est, ex quo aliæ quoq; acceptæ sunt; frangi enim ipsa quidẽ materialis figura non potest, quin partium concinnitas, in qua consistit, destruatur, sed eius species, quæ spiritalis, & indiuidua est, refrangi sine figuræ destructione potest; imago enim, quæ figuram, & quæ magnitudinem repræsentat, in speculum tersum incidens reflectitur ad oculum, & ei figuram ac magnitudinem illius rei repræsentat; euenit tamen, vt propter obiecti à speculo distantiam maiorem, vel minorem non eadem eiusdem rei magnitudo iudicetur, quia quando remotior est, per acutiorem angulum inspicitur, quando autem propinquior, per obtusiorem; & huius quoque varietatis nullam afferre rationem Galenus potest: euenit etiã vt propter superficiem speculi inæqualem quantitas vel maior, vel minor appareat, & figura etiam vitiata, & deturpata repræsentetur, ideoque tum de magnitudine, tum de figura prauum iudicium, à visu fiat; non est enim inconueniens, si dicamus, sensum quandoque in rebus iudicãdis decipi ob aliquam perturbationem medij, in quo species vitietur, præsertim verò in iudicandis sensilibus communibus; in his enim magis euenire potest, vt sensus decipiatur, quàm in iudicandis proprijs: ob id non decipimur in iudicando colore in speculo; decipimur tamen in iudicanda magnitudine, vel figura ob prauam speculi constitutionem, quę est vitiatio quędam, seu deturpatio medij; & hoc quoque manifestè refragatur opinioni Galeni; nam secundùm eam deberemus videre, ac iudicare & magnitudinem, & figuram vti reuera est, non deturpatam, seu vitiatam, proinde nunquam deciperemur; nam si radij visuales in speculum incidentes ad rem videndam reflectuntur, eam attingere deberent vt reuera est. Ad postremum Galeni argumentum sumptum ex Aristotelis testimonio in 3. Meteorologicorum *Ad quartũ.* dico Galenum abuti confessione Aristotelis quoniam Aristoteles consueuit vti aliorum opinionib. de aliqua re ad aliud aliquid declarandum, quando sunt vulgatiores, & notiores, & ad id declarandum nihil refert hæc vel illa opinione vti; præsertim verò quando de illa re nondum aliquid docuit secundùm propriam opinionem, vt in 2. Poster. Analyt. docere volens ea, quæ ad demonstrationem pertinent, vtitur falsis aliorum opinionibus de rebus naturalibus, quas exempli gratia adducit: inquit enim causam cur lumẽ transeat per laternam, esse, quia vitrum illud, vel cornu laternę est perforatum, & ita per poros

amplioree

ampliores lumen, quod tenuius eſt, pertranſit: attamen ipſe cenſuit eam non eſſe cauſam tranſitus luminis, neq; illa corpora eſſe perforata, ſed cauſam eſſe, quia ſunt perſpicua, & tranſparentia: at quia vtroque modo cauſa materialis adducitur, & nullum momentum ad declarandam demonſtrationem facit hac potiùs opinione vti, quàm illa, quæ aliorum Philoſophorum fuit, & illa etiam vulgatior erat, ſatis habuit Ariſtot. exempli gratia vti opinione aliorum: ſic etiam in eodem libro accipit exempli gratia tonitru eſſe ſonum factum ab extinctione ignis, quoniam ibi nihil refert hanc potiùs, quàm aliam veriorem cauſam adducere, quum ille non ſit idoneus locus, in quo id declaretur. In tertio igitur lib. Meteorologicorum Ariſtoteles modum, quo viſio fit, nondũ declarauerat; ideò ad iridem, & alia declaranda vti maluit opinione Platonis de viſione, quæ vulgarior erat, & quam ſequi vulgares etiam homines videntur, quàm opinione propria, licèt veriore; propterea quòd ad illa, quæ ibi tractantur, declaranda, nihil referebat hoc potiùs modo, quàm illo fieri viſionem dicere: non eſt ergo verum id, quod Galenus ait, Ariſtotelẽ vti aliorum ſententia de viſione, quòd eam veriorem eſſe cognouerit; ſed quia vidit eam eſſe propria ſua opinione vulgatiorem, & quia vtro modo dicamus, nihil referebat ad iridẽ declarandam; ſed hoc ipſemet Ariſtoteles clarè in ea parte nos admonet; ſubiungit enim nihil intereſſe, an emiſſione, an receptione viſionem fieri dicamus; hoc enim non variat eam doctrinam, quæ ibi de iride traditur; ideo ſi eo in loco Auerroem legamus, videbimus eum illa omnia declarare iuxta Ariſtotelis ſententiam de viſione, non iuxta opinionem Platonis, licèt Ariſtot. hac vt euidentiore vti maluerit. Sed aliud præterea artificium ibi in Ariſtotel notare poſſumus, quod Galenus non animaduerterit, & quo ipſe in libris ſuis vti neſciuit: nam ſi in iride declaranda vſus eſſet propria ſua ſentẽtia de viſione, dicere aliquis potuiſſet infirmam eam doctrinam eſſe, vt quæ infir-

Artificium Ariſtot.

A mis fundamentis nitatur, nimirum opinione Ariſtotelis de viſione, proinde non ſimiliter vera fore ea quæ ibi de iride dicuntur, ſi alioſum de viſione ſententiam ſequamur; ſic igitur negato viſionis modo, qui ab Ariſtotele ponitur, omnia illa, quæ ibi de iride, ac de alijs dicuntur, in dubium eſſent reuocata: Ariſtoteles igitur cum artificio voluit ad iridem declarandam vti aliorum ſententia de viſione, ne difficultatem aliquam in iride, alijſque

B rebus, quæ ibi tractantur, poneret: ſed voluit etiam nos admonere, vtcunque viſio fieri dicatur, nihil referre ad iridem declarandam, quia vtcunque dicatur fieri, eadem de iride ſententia immutata, atque illæſa manet. Idem notare apud Ariſtotelem poſſumus in cap. 1. libro 5. de Animalium ortu, vbi docet cur aliqui acutè cernant, ſed non procul, contrà alij qui procul, ſed non acutè; deinde ſubiungit nihil referre an emiſſione, an receptione fieri

C viſio dicatur, nam vſus quidem erat propria opinione, ſed notare poſtea voluit idem eſſe etiam ſecundùm Platonis ſententiam de viſione, vt firmior ratio ab ipſo adducta videretur, quæ ſimiliter iuxta omnium opinionem locum haberet. Admirari autem in hoc debemus ingenium Ariſtotelis qui omnia locis ſuis tractauit; & ſi quid vnquam extra proprium locum conſiderauit, ſatis habuit pingui Minerua, ac leuiter illud tangere, neque volu-

D it tractationes commiſcere, neque alienas, atque intempeſtiuas alicubi inſtituere. Num autem Galenus hoc artificio ſuos libros ſcripſerit, dubium eſt; nam præter alia multa, quę ab eo intempeſtiuè tractata notari poſſent, hoc vnum volo in præſentia conſiderare: citat ipſe perſæpe libros à ſe ſcriptos de demonſtratione, & in ijs ſe de ſenſibus diligentiſſimè loquutum eſſe aſſerit, ideoq; de illis, quæ ad ſenſus pertinent nos ad eos libros re-

E mittit; quod legere frequenter poſſumus in 7. libro de placitis Hippocratis & Platonis: num autem in Logica conueniens ſit exquiſitè de ſenſibus agere, & an tale aliquid fecerit vnquã Ariſt. alijs cõſiderandum relinquo.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI,

Liber DE MENTE HUMANA.

Proœmium. Cap. I.



NULLA res est, cuius notitiam illi, qui verum sci entiam inquirunt, & sapientes euadere cupiũt, magis indagare, atque enixiùs peruestigare deberent, quàm illa animæ præstantissima pars, qua homines sumus, & quam solam hominem ipsum esse plures Philosophi existimàrũt; cur enim non fatui potiùs, quàm sapientis hominis esse fateamur ad cœli, & elementorum, & rerum aliarum cognitionem adipiscẽdam omne studium conferre, se ipsum autem ignorare? ego igitur ne huic crimini me obnoxiũ redderem, postquam de rebus alijs naturalibus plura scripsi, de hac quoque scribendum mihi esse iudicaui, neq; alio consilio, quàm vt Aristotelis hac de re sententiam, si fieri posset, declararem; hunc enim vnum totius huius susceptæ prouinciæ scopum mihi propositum esse aliàs protestatus sum, vt quum in hac Patauina Academia Aristotelis publicè interpretandi officio fungar, nõ solùm voce, sed etiam scriptis operã hanc præstando magis possem obscura Aristotelis sensa auditoribus meis plana, ac manifesta reddere. Hæc autem, quam proposuimus de anima humana disputatio, cùm ipsa per se dignissima est, in quam summa cum diligentia incumbamus, siquidem res nostra agitur, quum ad nos ipsos cognoscendos hæc maximè omnium pertinere videatur; tum ob ipsius difficultatem, & magnam, quæ ex Aristotelis dictis oritur, interpretum controuersiam non omitten da; etenim Aristoteles de mente humana, quã & animam rationalem, & intellectum potestate, seu patientem appellauit, tum ex professo in tribus de anima libris, tum obiter in alijs pluribus ita aut variè, ac dubiè, aut saltem obscurè loquutus est, vt ad diuersas, imò etiam contrarias sententias à grauioribus quoq; interpretibus eius verba distracta sint; nec defuerunt, qui eum ancipitem fuisse, & nihil certi hac de re statuisse affirmare ausi sint. Illud verò, quod potissimè considerandum in præsentia suscepimus, est humanæ mentis

A natura, & quid ipsa sit: & quia omnis anima principium est animati corporis, & ab Arist. in libris de Anima non alia ratione, quàm vt principium considerata est, nomen autẽ principij notat respectum ad illa, quorum est principium; ideò ex hoc respectu omnis animæ natura fuit ab Arist. declarata: Duorum autẽ principium est anima, corporis animati tanquam forma, & operationum tanquam effectrix; ob id in initio 2. lib. de Anima Aristotel. *Anima est duplex principium effectiuum.*

B vniuersè omnis animæ naturam, & essentiam declarauit per respectum, quem habet ad corpus, cuius est anima; deinde in contex. 33. eiusdem lib. proposuit in tota sequente eius operis parte singularum animæ facultatum naturas ex operationibus declarandas, & post diligentem & vegetantis & sentientis partis declarationem, quæ in eo 2. lib. habetur, sumpsit in 3. lib. declarandum quid sit humana mens, respectu operationis tantũ, non respectu corporis; quid enim respectu corporis sit, iam in initio 2. lib. de omni anima vniuersè docue-

C rat, neq; aliquid aliud de singulis declarandũ relinquebatur: at respectu operationum nihil vniuersè de omni anima dici poterat, nisi valde rude & imperfectum, quia non eodem modo omnes partes animæ suas edunt operationes, sed hoc in singulis considerandum erat, ideoq; proponitur ab Aristot. in illo contex. 33. lib. 2. Nos igitur Aristot. quem interpretari volumus, imitati, humanæ mentis naturã vtraque ratione declarabimus, vt tandem ex

D vtroq; respectu perfectam eius definitionem colligamus.

Quæstio, an anima rationalis sit forma hominis, & quæstionis declaratio.

Cap. II.

ILlud igitur, quod primo loco considerandum nobis proponitur, est, an anima rationalis sit forma hominis, & quia de hoc interpretes Aristotel. non consenserunt, ideò vt

E id, quod quærimus, intelligatur, notanda est distinctio formæ, qua omnes vtuntur. Forma duplex est: vna materiam informans, & dans esse specificum, & rem constituens tanquam differentia [illegible] qua forma egit Aristot in [illegible] tanquam de res [illegible] turalium, & eãdem [illegible] *Forma duplex.*

2. lib

2. lib. vocauit naturam; cuiuscunque enim rei natura dicitur illa sola forma, quæ informat materiam habentem potentiam ad esse, & in statura speciei collocat. Altera est forma, quæ non dat esse, sed ipsi rei iam constitutæ, & habenti esse specificũ superuenit tanquam præstatius quoddam, & dat solùm operationem, ad quam res illa potestatem quidem habet naturalem, sed eam edere proprijs virib. suis non potest, ideò eget ope alicuius nobilioris, quod eius naturam, & conditionem extedat; ab eo igitur non recipit esse, sed recipit operationem, nisi dicamus, vt aliqui dicunt, eam recipere quoddam esse nobilius, & eminentius, quàm sit proprium eius esse specificum. Exemplis res clarior fiet: nauis habet suam formam, qua est nauis, eaque est figura illa ex lignorum compositione prouenien, quæ dicitur forma informans: per hanc enim nauis in specie constituitur, & sine hac non esset nauis: naui autem ita constitutæ superuenit nauta, qui non dat illi vt sit nauis, iam enim est, sed dat quoddam esse eminentius, & actum nauigandi, qui nauis conditionem excedit, quia nauis secundùm se non habet nisi aptitudinem ad nauigationem, actum autem nauigandi à se ipsa non habet, sed à quodam superueniente, & nauis naturam excedente, qui nauta est: figura igitur nauis dicitur actus informans, nauta verò dicitur actus assistens, sed non materiã informans, nec dans esse specificum; aduenit enim naui iam habenti esse completum, & dat illi solam operationẽ. Sic dicimus de securi, qua exempli gratiâ Arist. quoq; vsus est; nam figura illa, & acumen est forma dans esse, & materiam perficiẽs, & constituens securim, quę sine illa nõ esset securis; homo verò vtẽs securi dat illi solam operationem, & est tanquã actus assistens, sicuti nauta in naui. Tales sunt etiam cœlestes intelligentię respectu orbium: orbis enim iam habet ex se suum esse completum, neq; illud recipit ab intelligentia, illa igitur materiam illam non informat, neq; orbem in specie constituit, sed solùm dat operationem, quæ est motus in orbem, ad quem est quidem corpus illud naturaliter propensum, sed ipsum se mouere non potest; illa igitur dicitur forma assistens tantũ, quasi astans ad regendum, nec solùm dicitur separabilis, sed separata & abiũcta ab illa materia, ppterea quod nõ dat illi esse: quemadmodum nauta etiam quando est in naui, dicitur à naui separatus, quia est extra ipsam nauis essentiam, quò fit, vt possit esse sine naui, & habeat etiam operationem propriam præter nauigationem, hoc est, operationem non cum naui communicatam, nam & in naui, & extra nauim potest multas edere operationes nihil ad naui[illegible]entes: huius enim ratio

A manifesta est, ppterea qđ nauta, & nauis sunt duo entia perfecta in sua specie, & habẽtia duos distinctos actus specificos, neq; vnũ recipit esse ab altero: sic intelligentia, & orbis sunt duo distincta entia pfecta, neq; orbis recipit actum specificum ab intelligentia, sed ipsum habet ex se, & intelligẽtia præter operationẽ mouẽdi orbem habet etiã operationem propriam non cõmunicatam cum orbe, neq; vllo modo ab eo pendentem, nam contemplatur

B seipsam, & incessanter intelligit absq; vllo orbis interuentu. Quoniam igitur anima rationalis humana est forma quædam existens homini, quærimus nunc, qualisnam forma sit, an informans materiam habẽtem potentiam ad esse, constituens humanam speciem sub animali genere tanquam differentia diuidens ipsum genus, ita vt homo per eam sit homo, & absque illa non sit homo: an potiùs sit solùm assistens, ita vt homo per aliquam aliam

C formam sit homo, & ipsi iam constituto, & habenti suum esse specificum sub animali genere, hæc tanquam præstantior quædam forma superueniat, quæ non det illi vt sit homo, sed solùm vt sit quoddam eminentius homine, nempe det illi solam operationem nobilem & præstantem, qualis est intellectio, adeò vt sit forma actu separata, & abiuncta à materia, illi autem assistens ad regendum, sicut intelligentia cœlestis assistit orbi: & vt vno

D verbo dicam, quæstio est, an anima rationalis sit forma hominis, vt figura nauis est forma nauis, an potiùs sit in homine tanquam nauta in naui. Vtraq; pars sectatores habuit grauissimos, ac summæ authoritatis viros, inter quos est de hac re acerrima controuersia. In hac igitur disputatione nos hũc ordinem seruabimus: primo loco vtranq; contrariam opinionem referemus, ac declarabimus; deinde argumenta præcipua, quibus vtraq; secta

E sententiam suam comprobare solet, ac poteft, in medium afferemus; postea verò veritatem declarare, ac manifestam reddere nitemur, & postmodum omnia, quæ veræ sententiæ aduersari videbuntur, argumenta soluemus: vt his peractis ad alia, quæ ad mentem humanã pertinent, consideranda transeamus.

Declaratio opinionũ Auerrois, & aliorum dicentium animam rationalem non esse formam hominis.

F *Cap. III.*

Animam rationalem non esse formam hominis, qua homo sit homo, sed esse formam assistẽtem, sicuti orbi cœlesti assistit intelligentia, existimauit Auerroes, vt legere apud eum possumus in cõment 5 lib. 3. de Anima, vbi dicit nomen actus de anima rationali, & de alijs partibus animæ dici fer-

mè æquiuocè, quoniam de anima sentiente, & de vegetante significat formam informantem, de rationali verò significat nō informantem, sed assistentem solùm: & ad huius sententiæ confirmationem adducit verba Aristot. in contex. 11. & 21. lib. 2. de Anima, quæ postea loco suo à nobis considerabuntur: & quia necesse est omne corpus naturale habere propriam formam, quæ informando materiam ipsam in specie cōstituat, homo autem est corpus naturale, & species animalis, ideoq; oportet esse in homine aliquam huiusmodi formā informantem, quæ det homini esse specificū sub genere animali, hāc inquit Auerroes esse cogitatiuā, ita vt per hanc homo sit homo, nō per intellectū, loquitur aūt de hac Auerroes etiam in commentarijs 6. 20. & 33. eiusdem 3. libri & in 63. libri 2. & apertè dicit cogitatiuam esse formam hominis, qua est homo, & generationi & interitui obnoxius: videtur autem in dictis locis eam distinguere à phantasia: verùm quia de hac animæ facultate distincta à phantasia Aristotel. ne verbum quidem in libris de anima fecit, ideò multi Auerroistæ, vt Auerroem tuerentur, dixerunt, hanc Auerroia cogitatiuam esse reuera phantasiam, de qua loquutus est Aristoteles, sed Auerroē nomine cogitatiuæ significare voluisse phantasiam humanam distinctam à phantasia brutorum, & illa multò perfectiorem, quæ sit supremus gradus ipsius facultatis imaginatiuæ, immò & totius partis animæ sentientis, constituens hominem in specie sub animali genere, & ipsum à cæteris animalibus distinguens. Homini igitur formato ab hac perfecta imaginatiua dicunt superuenire animam rationalem, quæ dat homini quoddam esse eminentius, & supergrediens humanam naturam, non quòd ponat hominem in alia noua specie, sed quia in specie humana dat ei nobilitatem, quæ est supra hominem, ad quā recipiendam habet humana natura aptitudinem naturalem; ideò secundùm Auerroem imaginatiua in homine est sicuti figura nauis in naui, quæ constituit nauim tanquam forma materiam informans; anima verò rationalis est sicuti nauta, qui superuenit naui iam constitutæ, & dat homini operationem præstantissimam, quæ est contemplari, & intelligere, quemadmodum nauta nauim regēs dat illi actum nauigationis. Hæc certè Auerrois opinio fuit, & miror quòd Achillinus in 3. quodlibeto, dubio 4. cōtrariam opinionem Auerroi attribuerit, nempe quòd putauerit animam rationalem esse formam hominis, qua homo est homo: argumenta verò quibus ad hoc probandum vtitur Achillinus, potiùs ostendunt eam esse rei veritatem, & absolutè ita credendum esse, quàm hanc fuisse Auerrois opinionem, vt ea considerantibus manifestum est: quòd autem dicat Achillinus Auerroem quandoque dicere rationalitatem esse hominis quidditatem, & differentiam constituentem, quod quidem apud Auerroem legimus in commentarijs 11. & 12. libri 7. Metaphysicorum, hoc certè nihil est, quoniam Auerroes exempli gratia loquitur, & est apud Philosophos vulgatissimum, vt exempli gratia sumant animal rationale tanquam hominis definitionem, ita vt rationale significet formam, & differentiam diuidentem animal genus, & constituentem humanam speciem: exemplorum autem non est exquirenda veritas, sed solùm rei propositæ declaratio: possunt tamen Auerroistæ etiam veritatem huius exempli defendere duobus modis: primò quidem dicendo Auerroem per rationale significare cogitatiuam, tanquam discurrentem, & ratiocinantem in particularibus, quā etiam in contextu 20. libri 3. de Anima putat vocari ab Aristotele intellectum passiuum, quippe quæ potest appellari anima rationalis, & intellectus, quia est ei propinqua, illi est, & ei ministrat, & est apta obedire animæ rationali: altero autem modo dicendo Auerroem significasse animam rationalem propriè sumptam, & hanc dixisse esse hominis quidditatem, non quidem illam quidditatem, qua homo in specie constituitur, sed per quam adipiscitur præstantissimam quandam operationem, & quoddam esse eminentius, quod est vltimum ac supremum hominis cōplementum, ad quod assequendum habet homo potestatem naturalem, tanquam ad quoddam humana natura excellentius: hæc quidē consona esse doctrinæ Aristotel. in eo 7. Metaphysic. ego nunc non assero, solùm dico Auerroem, qui prædictam sententiam pertinaciter tutatus est, alterū horum intelligere potuisse: sententia namque Auerrois illa reuera est, quam diximus, & quàm cæteri omnes illi attribuunt. Eandem opinionem Themistius secutus est, vt legere apud eum possumus in contex. 20. lib. 3. de Anima, putauit enim intellectum patientem vnum numero esse in tota humana specie, sicut etiam Auerroes; ideò præter hunc posuit in homine aliam humanam animam multiplicatam, per quam homo, significans imaginatiuam humanam, & hanc dixit habere potentiam recipiendi intellectum tanquam supremam hominis perfectionem: quare non putauit Themistius intellectum esse formam hominis, & hoc ita clarū est in memorato loco, vt mirandum sit, quomodo Thomas in opusculo 16. contrariam sententiam Themistio attribuerit, nempe quòd dixerit intellectum esse veram hominis formam, quæ sub animali humanam speciem

nam fpeciem conftituat. Videtur etiam huius fententiæ fuiffe Ioannes Grammaticus; nam in fua Præfatione in 2. librnm de Anima, & in declaratione 1. contex. eiufdem libri apertè dicit animam rationalem non effe actum corporis fecundùm fubftãtiam, fed folùm fecundùm operationem, cuiufmodi eft nauta in naui; alias verò animas effe actus etiam fecundùm fubftantiam: negat igitur animam rationalem effe formam informantem, & afferit effe folum affiftentem, & dantem operationem, non dantem effe fubftantiale. Idem tamen Ioannes in 1. contex. libri tertij de Anima inquit, animam rationalem dare effe homini, & hominem conftituere: quare vel dicendum eft, ipfum fibimet aduerfari, vel illud intellexiffe, quod etiam Auerroiftę exiftimârunt, animam rationalem dare homini effe eminentius, quod fupra hominem eft, quemadmodum antea declarauimus.

Aliorum contraria opinio, quòd anima rationalis fit vera hominis forma. Cap. IV.

Lteram verò contrariam fententiam, quòd anima rationalis fit vera forma hominis, quæ informando materiam conftituat hominẽ in effe fpecifico fub anima li genere, tutati funt Latini ferè omnes, nec folùm tanquam abfolutè veram fententiam, vt reuera eft, fed etiã vt Arift. opinionẽ, quod ipfi efficaciter oftendere nixi funt, præfertim D. Thomas in 1. part. Summæ, quæft. 76. & in opufculo 16. vt ibi videre eft. Fuit etiam eius fententiæ Alexander, licèt enim ipfe in alio à Latinorum fententia, & à veritate diffenferit, in hoc tamen, de quo in præfentia loquimur, non diffenfit, fed exiftimauit animam rationalem effe formam hominis, quæ materiam informet, & fub animali genere humanã fpeciem conftituat. Hanc candem tribuit Arift. Olympiodorus in interpretatione Phædonis Platonis. Plotinus quoq; cenfuit hanc fuiffe opinionẽ Arift. nam in 1. lib. 1. Ennead. cap. 4. & 5. eum reprehendit, quòd in contex. 8. lib. 2. de Anima dixerit, animam effe ficut acumen in fecuri, quod eft ponere eam effe formam informantem; & fimiliter refert Ariftotelis verba in contex. 64 libri 1. de Anima, quando dixit, operationes animę omnes effe coniũcti, non effe folius animæ, & perinde effe dicere animam cogitare, vel irafci, ac dicere animã texere, vel ædificare: in principio etiam 2. lib. 4 Enneadis refert verba Ariftotelis in definitione animæ, neque admittit animam dici ἐντελέχειαν, vt eam appellauit Ariftoteles, inquit enim non declarari per hoc effentiam animę Hanc [illegible]telis fententiam fuiffe Plotinus prædict[illegible]nia Arift. dicta recen-

Thomas.

Alexander.

Olympiodorus.

Plotinus.

A fendo conftanter affirmat; fed quum Ariftot. in hoc reprehendat, videtur contrariam opinionem fequi, quum præfertim in eo, 1. lib. 1. Enneadis, cap. 4. dicat, animam rationalem effe formam feparatam, & in 2. libro 4. Enneadis dicat animam non rectè ab Ariftotele appellari ἐντελέχειαν, propterea quòd eft potiùs dicenda vtens corpore, quàm perfectio corporis: quia dum dicitur perfectio corporis, dicitur infeparabilis à materia, dum autem

B dicitur vt ens, dicitur domina, & feparabilis. In 3. etiam lib. 4. Enneadis inquit, animam nõ effe in corpore vt in loco, neque vt in vafe, neque vt forma eft in materia, neque vt pars in toto, neque vt totum in partibus: igitur negare videtur animam effe formam corporis, imò & rationem addit, dicens, effet enim infeparabilis, & ipfo corpore pofterior, propterea quòd materiæ iam priùs exiftenti aduenit forma: fed dicendum potiùs eft (inquit)

C corpus effe in anima; anima enim tanquam domina corpus complectitur: qua in re nos fenfus decipit, corpus enim videmus, animam non videmus, ob id credimus animam effe in corpore; at fi animam quoque videremus, corpus in anima effe cognofceremus, & animam complecti, & regere corpus, & ipfo vt inftrumento vti. Attamen hæc Plotinus non ideò dicit, quòd neget hominem conftitui per animam rationalem, fed folùm

D vt oftendat eam à materia non pendere, & ab illa feparabilem effe: imò Platonici omnes non folùm affirmant nos habere effe ab anima rationali, fed dicunt nos effe animam ipfam; quod certè non dicerent, nifi putarent eam effe formam, qua homo eft homo: negârunt igitur eam effe formam immerfam materiæ, & ab ea infeparabilem, non omnino negârunt effe formã hominis. Ideò Marfilius Ficinus in primum librum primæ En

E neadis Plotini, cap. 2. inquit, fententiam Platonis effe mediam inter Auerrois & Alexandri opiniones: nam Alexander putauit effe folùm formam informantem, & dantem effe; Auerroes verò affiftentem folùm, & vtentem corpore, at Plato vtrunq; fimul afferuit, animam & perficere corpus, & ipfo à fe perfecto vti: quomodo autem dicant Platonici animam perficere corpus, legere poffumus apud Plotinum in toto 1. lib. 1. Ennead. vbi e-

F tiam docet hominem effe animam ipfam. Illud tamen quod Marfilius de Alexandro dicit, mihi videtur non omnino verũ effe; fortaffe enim fententia Platonis dici poteft media inter duas prædictas, at non eo modo, quem Marfilius ponit: etenim Alexander non negauit animam rationalem regere corpus, & ipfo vti: eft igitur alia potiùs ratione media, quatenus fecundùm Auerroem eft fepa-

Marfilius Ficinus de opinione Platonis.

Ficini error.

rata à corpore, nec dat esse homini, sed ipsum regit solùm: secundùm Alexandrum verò regit quidem, sed neque est separata à corpore, atq; separabilis: at secundùm Platonem non ita est abiuncta à materia, vt non det esse homini, sed eatenus est abiuncta, quatenus continet, & imperat, & est à corpore separabilis: fatentur ergo Platonici informationem, non tamen eo modo, quem statuit Alexander, sed eo potiùs modo quem D. Thomas posuit, ipsi namq; ponunt informationem cum separabilitate. Patet aût hoc, considerantibus ea, quæ à Simplicio dicuntur, qui in omnibus Platonicorum sententias defendere nisus est: ipse enim non negat animam rationalem esse formam hominis, & informare materiā, vt apud eum legere in multis locis possumus, præsertim in 1. lib. de Anima, context. 53. 63. 66. 86. 87. & in 2. lib. contex. 4. & 10. sed videtur cum Platonicis dicere duo esse genera formarum materiam informantium: & aliam ita dare esse materiæ, vt nihil aliud sit, quàm actus talis rei, proinde inseparabilem esse ab eo, cuius est actus: aliam verò esse formam, cuius essentia non in hoc tantùm est constituta, vt sit actus alterius, sed ipsa quoque secundùm se est aliquid eo respectu absolutum, proinde potest esse sine illo, cuius est forma; talem igitur esse putauit animam rationalem humanam: ideò duas ei vires attribuit, vnam informandi corpus, alteram vtendi corpore iam à se informato, etenim illi dominatur, & ab eo separabilis est: ideò Simplicius, & Platonici sententiam Auerrois non admitterent, quòd homo constituatur in specie per imaginatiuam, seu per aliam formam præter animam rationalem; sed clara est eorum sententia, quòd anima rationalis sola sit illa forma, per quam homo est homo. Galenus quoque in libro illo, quòd mores animi sequantur temperaturam corporis, hanc sentētiam tuetur, quòd anima rationalis sit forma hominis, & verè materiam informans: & eandem inquit sequutum esse Andronicum Rhodium, & eam Aristoteli attribuit, idemque existimasse ait eundem Andronicum. Hæ sunt aliorum sententiæ à me breuiter relatæ: sequitur vt argumenta, quæ ab vtraque secta afferuntur, consideremus.

Simplicius.

Duo genera formarū materiam informantium secundùm Platonicos.

Galenus.

Andronicus Rhodius.

Argumenta pro opinione Auerrois, quòd anima rationalis non sit forma hominis. Cap. V.

Auerroes, & illi, qui eius sententiam sequuntur, eam multis argumentis, ijsque potissimè ex varijs apud Aristotelem locis desumptis comprobare nituntur. Primùm argumentantur ex cognitione vniuersalium hoc pacto: cognitio vniuersalium

Primum argumentum.

A fit cum obstractione à materia: ergo non conuenit nisi facultati à materia abiunctæ: igitur anima rationalis humana, quum cognoscat vniuersalia, est abiuncta à materia, proinde non dat esse homini. Secundò sumunt aliqui argumētum ab intellectu agente: intellectus patiens est vna & eadem substantia cum intellectu agente, at intellectus agens consensione omnium est forma abiuncta à materia, ergo B eiusmodi est etiam intellectus patiens, qui est anima nostra rationalis. Tertiò considerant verba Aristotelis in context. 92. libri 1. de Anima, vbi dicit, ne fingi quidem posse quam corporis partem occupet intellectus: vult igitur eum non esse formam corporis, proinde esse abiunctum à materia. Quartò adducunt verba Aristotelis in 2. lib. de Anima, contex. 11. vbi apertè dicit aliquam animæ partem nullius esse corporis actum, significans rationalem C partem, & statim sequentibus verbis inquit eam ita esse actum corporis, vt nauta est actus nauis; asserit ergo eam non esse formam informantem, sed assistentem solùm. Quintò perpendunt verba Aristotelis in context. 21. eiusdem libri, vbi ait intellectum esse aliud animæ genus, & eum solum posse separari; non vult igitur ipsum esse actum corporis, eiusmodi sunt aliæ partes animæ, sed à corpore separatum. Sextò sumunt argumentum ex A- D ristotele in 3. lib. de Anima, context. 4. & 6. vbi dicit intellectum humanum esse immistum, hoc est, non commistum cum materia, quare negat esse formam informantem. Septimò vtuntur testimonio Arist. in 10. lib. de Moribus, cap. 7. vbi dicit, intellectum respectu hominis esse quoddam diuinum, proinde hominem, qui secundùm intellectum viuat, & vitam cōtemplatiuam traducat, non quatenus homi- E nem ita viuere, sed quatenus diuinum quiddam in ipso est; ideò hæc verba subiungit [*non oportet (vt quidam monent) vnumquemque, quum sit homo, humana, & quum sit mortalis, cogitare mortalia, sed quatenus licet, immortalem se reddere, omniaq; efficere vt ex præstantiss. mo omnium, quæ in eo sunt, vitam traducat*] his igitur verbis significat Arist. hominem non per intellectum esse hominem, sed intellectum esse quoddam anima humana diuinius, quo homo adipiscitur non quidem esse specificum F sub genere animali, neq; esse humanum, sed quoddam esse nobilius humana natura. Octauo adducunt verba Aristotelis in 4. lib. de Partibus animalium, cap. 10. quæ sunt hæc [*Solus homo erectus omnino est, quoniam eius natura, & substantia diuina est, officium autem diuini est sapere, & intelligere*] non vocaret enim Aristoteles hominem diuinum, nisi mens humana esset forma diuina, & separata à materia. Nonò perpendunt ... dicuntur ab

Secundum argumentum.

Tertium argumentum ex 1. de Anima. 92.

Quartum argumentū ex 2. de Anima. 11.

Quintū argumentū ex 2. de Anima. 21.

Sextū argumentum ex 3. de Anima 4. & 6.

Septimum argumentum ex 10. Eth. cap. 7.

Octauum argumentum ex 4. de Partibus animal. cap. 10.

Nonum argumentum ... 12. Met...

Aristotele in lib. 12. Metaphys. context. 51. vbi quum de primo intellectu docuisset, idem in illo esse intelligens, & intellectum, & intellectionem, quæstionem subiungit an ille intellectus sit compositorum, hoc est intelligat composita: quia si esset compositorum, sequi videretur ipsum intelligere ordinatim partes cuiusque compositi, & modò vnam, modo aliã: sic igitur in eius intellectione esset aliqua mutatio, dum transiret ab vna parte ad aliam intelligendam. Soluit Aristoteles, dicens primũ intellectum esse à materia abiunctum, proinde indiuisibilem, quia omne abiunctum à materia est indiuisibile; ideoque eius intellectionem indiuisibilem esse, & totam simul, non partem post partem: idque declarat Aristoteles, exemplo sumpto ab intellectu humano, & eius verba sunt hæc [*an omne non habens materiam est indiuisibile, quemadmodum humanus intellectus*] patet igitur Aristotelem asserere intellectum humanum nõ habere materiam, quia non posset esse indiuisibilis, nisi esset à materia separatus. Postremò adducunt verba Aristotelis in 2. lib. de Generatione animaliũ, cap. 3. & is locus ita difficilis esse existimatur, vt Auerroistæ putent argumentum demonstratiuum & insolubile inde pro Auerroe sumi: Aristoteles ibi quum quæstionem proposuisset de partibus animæ, an omnes extrinsecus aduenian, an nulla extrinsecus, an aliqua extrinsecus, & aliqua non extrinsecus; postea ad quæstionem respondens inquit, solam mentem extrinsecus accedere, eamque solam diuinam esse, quia nihil eum eius actione cõmunicat actio corporalis: quum igitur apertè dicat Aristoteles humanam mentem extrinsecus accedere, asserit eam esse formam non informantem, sed abiunctam à materia & assistentem solùm: idem confirmant alia sequentia verba in eodem loco, nam paulò pòst inquit mentem humanã esse diuinum quoddam, significans eam non dare esse homini, sed excedere humanam naturam. Alia quoque sunt Aristotelis loca, tum argumenta, quibus Auerroistæ vtuntur, adducere possemus; sed ea tanquam leuiora consulto omisimus, satis esse arbitrantes, si pauca hæc, quæ validiora, & magis præcipua ab ijs habentur, diligenter consideremus.

Decimum argumentum ex 2. de Gener. anim. cap. 3.

Dictæ sententiæ confutatio, & alterius contrariæ comprobatio.

Cap. VI.

Hanc Auerrois sententiam ego & absolutè secundùm ipsam rei veritatem, & secundùm [illegible]sophiã Aristotelis falsam esse [illegible]stim[illegible] alteram illorum qui dicunt [illegible]ã[illegible] talem hũmanã [illegible]rè formam hominis esse, qua homo est homo, & in specie constituitur: ad huius igitur veritatem, & alterius falsitatem demonstrandam argumentis priùs vtar, deinde consideratione verborum Aristotelis, quæ sententiæ nostræ manifestissimè attestantur, opinioni autem Auerrois refragantur. Primùm vtor argumento D. Thomæ, quod ab eo adducitur in contextu 7. libri 3. de Anima, & opusculo 16. si anima rationalis non daret homini esse specificum, homo non diceretur intelligens, quia si intellectus est in homine vt forma separata à materia, & sicuti nauta est in naui, ergo quemadmodum nauta quum sit secundùm substantiam separatus à naui, speculatur in naui, neque ob id nauis speculari dicitur, ita intellectus in homine intelligeret, neque ob id homo diceretur intelligens: igitur quo modo homo intelligat, ostendi nullo modo posset. Si quis verò pro Auerroe dicat intellectum iungi homini per phantasmata, & ita fieri, vt intellectu intelligente homo intelligat; hoc (inquit ibi Thomas) nihil est: dum enim ponitur intellectus secundùm suam essentiam à natura humana separatus, nihil facit illius coniunctio per phantasmata ad reddendum hominem intelligentem, quia phantasmata sunt quidem humana, sed respectu intellectus nõ habent nisi locum obiecti mouentis, & rei cognitæ, at non cognoscentis; ita igitur per sua phantasmata homo non fit intelligens, vt paries per suum colorem, quo mouet oculum, non fit videns: immò neque illa potest vocari coniunctio, neque iungitur intellectus phantasmatibus; phantasmata enim sunt in phantasia, nec recipiuntur in intellectu, sed producunt in intellectu speciem intelligibilem, & hæc iungitur intellectui, non phantasma ipsum, sicuti neque realis color inngitur oculo, sed speciem suam in oculo producit; vel si cum alijs dicamus nullam speciem produci in intellectu, sed solum excitari à phantasmate intellectum ad intellectionem, ipsum certè phantasma omnibus consentientibus non iungitur intellectui: patet igitur vanum prorsus esse hoc subterfugium, quia dicere intellectũ iungi homini per phãtasmata, perinde est ac dicere oculum, seu facultatem visiuam iungi parieti per colorem, dum statuimus intellectum non esse hominis formam, sed esse à natura humana separatum secundùm substantiam: quòd si etiam concedamus hanc, qualiscunque sit, posse vocari communionem quandam intellectus cum homine, quatenus homo offert intellectui phantasmata, à quibus moueatur, ita vt iste respectus intellectus ad obiectum possit vocari coniunctio, sicut etiam relatio visus ad obiectum coniunctio quædam appellari potest; ea saltem non est

Primum argumentum.

Responsio.

Confutatio.

hominem esse intelligentem, aut rem coloratam esse videntem, sed solùm facit hanc esse rem visam, & hominem, vel phantasmata esse rem intellectam: sed solus intellectus, non homo, dicetur intelligens, quum sit substantia quædam seiuncta à natura hominis: hoc igitur Thomæ argumentum ego efficacissimum aduersus Auerroem esse arbitror. Aliqui tamen sunt, qui licèt Auerroem non sequantur, putant argumentum hoc parum habere efficacitatis: dicunt enim Thomam non animaduertisse Auerr. dicere intellectũ iungi homini non solùm per phantasmata, sed etiã per naturam; iungitur enim homini statim vt genitus est, nec tamẽ iungitur tunc per phantasmata, quia nondum potest suam edere operationem, sed soli adulto iungitur per operationem, proinde tunc solùm dici potest iunctus per phantasmata, infanti autem non per phantasmata, sed per naturam tantùm; qua de re legere Auerroem possumus in comment. 20. lib. 3. de Anima: quamobrem ad argumentum Thomæ respondere Auerroes posset, aliam esse maiorem coniunctionem humanæ mentis cum homine, quàm per phantasmata, proinde eo argumento non ostendi hominẽ non esse intelligentem. Ego verò puto argumentum Thomæ esse demonstratiuum, quod sic ostendo: Auerroes inquit ita coniungi intellectum cum homine, vt vniatur cum illo, vtitur enim nomine vnionis; considerandum igitur est, quidnam sit vnio illa, quam vocant vnionem per naturã: vnio certè dicitur, quando ex pluribus fit vnum, nec satis est duorum congregatio, & vnius præsentia respectu alterius, vt vniri dicantur: si nanque ponatur aliquis homo in naui, qui eam non moueat, non dicetur vnitus naui, licèt illi insit: est enim, veluti si lignum lapidi apponeretur: & huius ratio est, quia non fit vnum ex duobus actib. sed ex potestate, & actu: ex nauta igitur & naui non fit vnum secundùm esse, sed solùm secundùm operationem, quatenus fit vnum nauigabile constans ex potestate & actu; at secundùm esse sunt duo entia actu completo, ex quibus non fit vnum: sic igitur quando ponitur intellectus in infante, antequam sit per ætatem aptus ad intelligendum, nulli fit vnio, si intellectus non dat esse homini, sed est solùm præsentia intellectus ipsi homini iam per cogitatiuam cõstituto, & perfecto in specie humana, non secus ac homo in naui nõ nauigans dicitur præsens ipsi naui, non tamen illi vnitus: quum enim homo habeat suum esse actu perfectum per cogitatiuam, intellectus non vnitur illi secundùm esse, quia non facit esse hominem; restat igitur, vt per solam operationem dici possit vn[io], quam vocãt v[…] n[…] [phant]asmata; nulla enim reuera

Aliorum responsio.

Secunda coniunctio intellectus cũ homine secundùm Auerroem.

Confutatio.

A est illa vnio quam vocãt per naturam. Sed id, quod multos decepit, & fecit apparentiam quandam vnionis, fuit, quòd intellectus est incorporeus, quare eius à corpore distinctio non cernitur, qualem Auerroes statuit, sicuti cernitur distinctio nautæ à naui dum existit in naui, quò fit, vt etiam statuendo ipsum non esse formã hominis, non videatur à corpore separatus secundùm substantiã, sed potiùs illi vnitus tanquàm facultas quædam in-

B sita toti corpori, quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte, sicut ipsi dicunt: attamen dum ponitur non informare materiam, non potest dici vnitus corpori per naturam, quia ex his non fit vnum, quemadmodũ diximus: sic enim idem prorsus esset, quod euenit in homine dæmoniaco: dæmon enim in eo existens nõ est illi vnitus, licèt illi assistat, & membra etiam mouere statuatur: quemadmodum igitur dæmone illo intelligente homo illum

C habens non intelligit, ita si eo modo sit mens humana in homine, vt non det esse homini, ea intelligente homo non intelligit: quocirca argumentum D. Thomæ, si eius vis bene perpendatur, validissimum est: at statuendo intellectum esse formam hominis, qua est homo absurdum hoc non sequitur: quum enim ipso tanquam forma homo sit homo, & corpus ad ipsum referatur tanquam materia ad

D actum, materia inquam habens potentiam ad esse, ita vt solus intellectus locum habeat actus, intellectum intelligere, est hominem intelligere: ideò Aristoteles dixit hominem esse intelligentem vt quod, intellectum verò non vt quod, sed vt quo. Aliqui etiam pro Auerrois defensione vtuntur exemplo luminis in perspicuo; lumen enim aduenit aëri extrinsecus, neq; est eius forma, est tamen ratio recipiendi colores, & receptio attribuitur aëri propter lumen: sic igitur intellectus, etsi non

E est forma hominis, sed homini extrinsecus accedit, est tamen ratio, qua homo dicitur intelligens. Sed hæc comparatio congrua non est, quoniam aër non quatenus est aër recipit lumen, sed quatenus perspicuus: lumen autẽ est forma perspicui, & ipsum constituit quatenus perspicuum est, neque in ipso lumine recipiuntur colores, sed in corpore perspicuo: lumen enim non est receptiuum colorum, sed est ratio recipiendi, ideò iure attri-

F buitur receptio aëri perspicuo: at intellectus secundùm Auerroem non est forma hominis, vt lumen est forma perspicui, & recipit ipse species sine vllo vsu corporis in recipiendo: nam si ad recipiendas species vteretur corpore, iam esset o[…]us, quod Aristoteles negat in […] de Anima: vnde colligit solum […] esse locum specierum, non sensum: loci enim est recipere.

Aliquorum defensio pro Auerroe.

Confutatio.

fusione per totum Hemisphærium: nam si esset corpus, non posset subitò ab ortu ad occasum transire, sed necessariò in tempore; corpus enim per spatium plenum moueri non potest, nisi in tempore, ob medij corporis resistentiam; quum igitur lumen Solis orientis totum illud spatium subito, & absq; tempore peragat, non potest esse corpus. Alterum argumentū est. si lumen esset corpus, fieret corporum penetratio: quum enim nulla penitus sit perspicui pars, quæ non sit luminosa, seruetur autem integra tam luminis, quàm perspicui corporis natura, necesse est, vt lumen penetret omnes partes perspicui; nam hæ non cedunt partibus luminis, sed eas in se recipiūt; quare si lumen esset corpus, penetratio corporum fieret, quæ penitùs impossibilis est: hinc itaque intulit Aristoteles, lumen in perspicuo inesse non ad modum corporis, sed ad modum formæ: qua eadem ratione etiam in context. 4. eiusdem libri ostēdit animam non posse esse corpoream, quia quum omnes penitùs viuētis partes sint animatæ, fieret penetratio corporum. Sed qui plura de hac re videre cupiunt, legant prædictas interpretū disputationes, in quibus diffusè ostenditur, lumen non esse corpus, neq; omnino substantiam: non est enim nobis tempus conterendum in recensendis aliorum dictis, sed tollenda est difficultas quædam, quæ huic veritati

Dubium de luminis motu. maximè omnium videtur officere, eaque est quòd lumen & moueri, & percutere, & reflecti videtur: nam lumen Solis ad nos transit, & solida corpora percutit; terram enim percutiens, & resiliens generat in aëre calorem, & percutiēs speculum ad multa illuminanda reflectitur: quæ omnia indicare videntur lumen esse corpus, quum solis corporibus competat, accidētibus verò competere nullo modo possint.

Solutio. Ad hæc igitur dicimus, esse quidem in vsu positum, vt hæc per quādam similitudinem lumini attribuantur, & dicamus lumen moueri & percutere, & frangi, & reflecti; sed reuera nihil tale competere lumini; producitur enim lumen à præsentia lucidi corporis in perspicuo, & quia non est corpus, neq; habet contrarium positiuum, quod illi resistat, producitur subitò in omnibus perspicui partibus: nec tamen ita producitur, vt habeat esse fixum, ac permanens, & recedente lucido, à quo est genitum, adhuc in ipso perspicuo maneat; sed recedēte lucido perspicuum statim desinit esse luminosum: quare ipsius natura consistit solùm in fieri, & tādiu existit in perspicuo, quādiu perseuerat produci à præsentia lucidi: & quia corpora solida, ac polita percutiens lumen reddit illa apta per receptum lumen ad alia illuminanda, ideò videtur reflecti, & moueri lumen; non tamen sic est, sed ab eis illuminatis generatur l[illegible] alijs: quod idem de colore dicimus, [illegible] producit in speculo spiritalem col[illegible] [illegible]lum similiter

A colorē producit in aëre, nec ob id dicimus colorem moueri & reflecti, quum certum sit colorem esse accidens: non est igitur credēdum, idem numero lumē transire ab vna aëris parte ad aliam, neque aliquod idem recedere à Sole, & ad aërem progredi, sed in omnibus perspicui partibus subitò, & in temporis momento generari lumen siue directè, siue per reflexionem id fieri videatur; non enim illud idem lumen, quod in vna parte est, ad aliam B transit, sed in omnibus, in quibus est, generatur continuè, siue ab ipsomet lucido corpore immediatè, siue ab alio, quod ab illo illuminatum illuminet alia.

Variæ sententiæ de lumine, an sit ens reale, an intentionale, & quid sit intentio. Cap. VI.

Aliud est de lumine non leue dubium à Latinis interpretibus maximè exagitatum, an lumen, quum sit accidens in C medio perspicuo, sit accidens reale, an intentionale. Thomas in 1. part. Summæ, quæst. 77. artic. 3. nititur ostendere lumen in medio non habere esse intentionale, sed reale tantùm. *Opinio Thomæ.* Contrà Aegidius in 2. lib. de Anima, in cap. de Visu, probat lumen in medio non habere esse reale, sed solum intentionale. *Opinio Aegidij.* Inter has duas extremas sententias est tertia media, D quòd lumen in medio habeat simul esse reale, & intentionale: hanc sequuti sunt Scotus, & Ioannes Bacconius, & Durandus in 2. Sent. dist. 13. & alij complures; *Opinio Scoti, & Bacconij, & Durandi.* eamq; ego veram esse existimo, & Auerrois quoque & Alberti sententiam fuisse: imò etiam Caietanus *Caietanus.* in suis Commentarijs in Thomam loco prædicto volens ipsum tueri ab argumentis Scoti, ita ipsum defendit, vt transeat manifestè in opinionem Scoti; quum tamen neque E ad eam trahi, neque modo vllo defendi Thomas meo quidem iudicio possit, quia negat lumen in perspicuo habere esse intentionale, & confundit lumen cum luce, quum tamen aliud sit lux, aliud lumen, vt prædiximus, & lux habeat penitùs esse reale, lumen verò in perspicuo sit intentio, & imago lucis, nec aliter, quàm vt color in perspicuo est imago, & intentio coloris realis. Mitto hîc considerare F argumenta, quæ tum à Thoma, tum ab Aegidio adducuntur, quum in hac disputatione non sit nobis immorandum, & quum illa apud eos in locis prædictis legere quisq; possit: sed solùm nitar ipsam rei veritatem breuiter declarare, & paucis argumentis, quæ validiora esse videbuntur, comprobare. Ante omnia intelligendum est, quid sit intentio, seu ens intentionale. *Intētio quid sit.* Latini quidem huius vocis etymologiam considerantes, dicunt intentionem vocari id, per quod tanquam per rationem formalem anima tendit in obiectum cognoscendum, vnde omnes species [illegible]

A les, quàm intellectiles vocantur inteotiones: quæ etymologiæ consideratio satis crassa: & quamuis fortasse ad rectũ sensum trahi posset, non est tamen in ea tempus conterẽdum. Ego dico intentionem nil aliud esse, quàm attentionem, ac diligentiã animę in alicuius rei consideratione, quo fit, vt intentiũ etiam sumamus pro attẽto; hæc est verè Latina huius vocis significatio, sed traducta postea à Philosophis nostris hæc vox est ad omnẽ animi conceptum significandum, etiamsi absq; diligẽtia B fiat, & omnẽ speciem, siue sensilem, siue intellectilem; hæc enim, quatenus est species spiritalis reale obiectum repræsentans, dicitur esse illius intentio, id est, imago in anima: hinc orta est distinctio illa, qua omnes vtuntur, primarum, & secundarũ intentionum: primas enim intẽtiones vocamus illos omnes conceptus qui rem immediatè repræsentãt, vt conceptum lapidis in animo, & speciem coloris C in oculo: secundas verò intentiones vocamus illos conceptus, qui non rem immediatè, sed aliquem priorem conceptum repræsentant; vt conceptus generis dicitur secunda intentio, quia repræsentat conceptus animalis, & plantæ, & aliorum eiusmodi, à quibus immediatè repræsentantur res. Sed postea traducta est huius vocis significatio etiam extra animam, vt id, quod est imago alterius repræsentatiua, etiamsi non sit in anima, dicatur ens intentioD nale; huiusmodi est species obiecti sensilis in medio, vt species coloris in aëre, siue etiam in solido aliquo corpore recepta, sicuti sæpe videmus à lumine per phialã vino plenam trãseunte produci speciem, & imaginem coloris vini in panno linteo subiecto; illa enim rubedo, quæ in vino est color realis, & mouetur ad motum vini subiecti, est in panno linteo color intẽtionalis, qui non mouetur ad motum subiecti panni, sed ad motum vini, & ad moE tum luminis, à quo producitur.

Prima & secunda intentiones.

Declaratio, & comprobatio veritatis de natura luminis. Cap. VII.

SI vera hæc sunt, & intẽtio est id, quod modò diximus, nõ video quomodo Thomas negare possit, lumen in medio habere esse intentionale; nam pducitur à luce lucidi corporis, vt inquit Aristot. tanquam ab obiecto reali, cuius est repræsentatiuum; & videmus F lucem tanquam colorem quendam, quod fieri non posset, nisi species lucis, quæ ipsam repræsentet, ad oculum ferretur, quemadmodum etiam species coloris realem colorem repræsentat; ergo negare lumen in perspicuo habere esse intentionale, est negare rem manifestam, quum manifestum sit, ipsum produci à luce, & ita eius intentionem esse. Ex altera etiam parte non debuit negare Aegidius lumen in aëre habere esse reale, quum reales effectus producat, vt Thomas argumẽtatur, paret enim lumen producere calorem, qui est

Quid lumen habeat esse intentionale contra Thomam.

Quid lumen habeat esse reale contra Aegidium.

effectus realis; patet etiam lumen vehemens destruere temperiem oculi, qui similiter est effectus realis: sed causa erroris multorum fuit, quòd putarunt non posse aliquid esse simul intentionem, & rem, quum potiùs è contrario sese res habeat, & hoc negare sit pugnantia dicere; nam si aliquid est intentio alicuius, ergo est res aliqua, quomodo enim esset intentio, si esset nihil? ideò optimè inquit Scotus in loco prædicto de signo, & re: quando enim distinguimus rem à signo, non propterea dicimus signum non esse rem, sic enim esset nihil, proinde signum appellari non posset; sed quum rem à signo distinguimus, nil aliud significare volumus, quàm aliquid esse rem tantùm, non signum, aliquid verò esse & rem & signum rei: sic igitur (inquit) distinguuntur res, & intentio; aliquid enim est res, & non est intentio rei, aliquid autem est intentio, & res simul; quia non potest esse intentio rei, quin sit etiam res aliqua, & ita habeat esse reale. Huic sententiæ Scoti ego omnino subscribo; non solùm enim illas intentiones, quæ extra animam sunt in medio sensus, sed etiam eas, quæ sunt in anima; puto esse aliquid, & esse res: eaque Aristotelis sententia fuit, qui in libro Categoriarum, in capite de qualitate scientiam posuit in genere qualitatis, nil autem aliud est scientia in anima, quàm intentio & imago rei cognitæ; repræsentans rem, quæ extra animam est; hæc igitur apud Aristotelem est ens reale, quum sit qualitas. Possumus etiam ratione id confirmare; nam cognoscimus etiam cognitionẽ nostram tanquam rem aliquam positiuam, & consideramus quid sit cognitio, quare tali nostræ cognitioni respondet cognitio ipsa tanquam res cognita: sic etiam diximus, colorem intentionalem incidentem in corpus aliquod solidum producere adhuc intentionem suam in perspicuo, & videri ad modum rei. Sed pluribus causa erroris fuit, quòd illa, quæ spiritalia sunt, ipsi putant esse nihil, quum tamen sint res: sicut enim dantur substantiæ incorporeæ & spiritales, quæ verissimè sunt substantiæ; ita dantur etiam accidentia spiritalia, quę veram habent entitatem, licèt minorem, quàm accidentia materialia, à quibus producuntur: nam (vt ait Durandus in loco prædicto) istæ species habent esse debile, quia deficiunt à perfectione propria speciei, & eò magis deficiunt, quò magis distant à prima causa. Auerroes quoque in duobus postremis capit. libri de Sensu & sensilibus inquit formas in anima habere esse spiritale purum, in materia verò extra animam habere esse materiale purum, at in medio habere esse medium inter materiale & spiritale; quare secundùm Auerroem negari non potest, lumen & colores in medio habere esse reale, & magis qu[illegible] anima speciem. quod etiam hoc a[illegible] confirmari potest, id, quod hab[illegible] clusa omni operatione

Potest aliqd esse & res, & intentio.

Accidentia spiritalia habẽt minorem entitatem, quàm materialia.

Species in medio ha[illegible] medio [illegible]

tione animæ, habet esse reale; at lumen in medio habet esse, etiam seclusa omni animæ operatione; ergo de ipso manifestius est quòd habet esse reale, quàm de intentionibus, quæ sunt in anima: & quod de lumine dicimus, id de colore quoq; ob eandem rationem dicendum esse arbitramur: ideò deceptus est Thomas, negans colorem in medio habere esse reale, quod de lumine concessit; quamuis enim lumen sit efficacius ad reales effectus producendos, non ob id negandum est, colorem

Error Thomæ.

B habere esse reale, nam rerum quoque materialium multæ sunt, quæ non sunt actiuæ, neque per hoc stat, quin habeant esse reale. Illud verò hac in re maximè annotandum est, has species, seu intentiones, quas diximus, & in anima, & extra animã esse aliquid reale, & intentionale simul, habere hoc duplex esse duabus rationibus, vt rectè notat Ioãnes Baconius in sua quæstione: nam respectu obiecti materialis, quod repræsentant, & cuius dicuntur species, habent esse intentionale: at

Species habent esse reale, & spiritale duabus rationibus.

C respectu subiecti, in quo inhærent, habent esse reale, vt lumen in perspicuo, & scientia in anima: quod quidem ex hoc discrimine cognosci potest, quia lapis in anima tum substantia est, tum accidens; nam secundùm se formaliter est accidens de genere qualitatis, & est substantia per repræsentationem; mouere autem animam dicitur, & cognosci, non secundùm suum esse formale, sed secundùm esse

D repræsentatum: quando enim cognoscimus lapidem, substantiam cognoscimus, quæ per illam speciem repræsentatur, non ipsam secundùm se qualitatem illam; dicimus enim videri realem colorem, non speciem ipsam; immò idiotæ homines non concederent vllam coloris speciem in medio productam, quia propriam illam realem speciei entitatem ignorant, & nil aliud fatentur, quàm realem colorem à se videri; illum igitur vidẽt per eius spe-

E ciem, quam ignorant, non enim illam cognoscunt, sed colorem, solus enim realis color visum terminare, ac videri dicitur. Per hoc soluitur argumentum quoddam Aegidij, qui inquit: si lumen in medio haberet esse reale, superpositus oculo, aer illuminatus impediret sensionem, attamen patet lumen tangens oculum facere sensionẽ, ergo non habet esse reale.

Argumentum Aegidij.

Solutio.

F Nos autem dicimus, sententiam illam Aristotelis, sensile positum supra sensum sensionem non facit, esse intelligendam de obiecto reali terminante sensionem, non de eius specie, quinimò necesse est speciem ad cõtactum vsque organi peruenire, si fieri sensio debeat: lumen autem in aëre est, non vt obiectum terminatiuum visionis, sed vt species ipsum repræsentans; & quamuis habeat etiam secundùm se esse reale, tamen non est visibile secundum suum esse [illegible] sed secũdùm illud, quod ab eo repræsent[illegible] [illegible]are tangens oculum non impedit [illegible] Hoc autem eodem

A argumento, quo abusus est Aegidius, rectè vsus est Scotus, dicens: si lumen non esset intentio, sed solùm haberet esse reale, ergo superpositum oculo non faceret visionem: est enim argumentum validum, dum statuimus lumen mouere oculum; quia si non mouet vt intentio alterius, sed vt res secundùm se, ergo est obiectum terminatiuum visionis; tale autem tangẽs oculum impedit sensionem, quoniam instrumentum sensus debet pati à spe-

Argumentũ Scoti optimũ.

B cie obiecti immediatè, non ab ipsomet obiecto reali.

De instrumento Visus. Cap. IIX.

SEquitur vt de organo dicamus, quod quidem breuissimè præstabimus, vt Aristotelem potiùs, quàm Galenum imitemur: Galenus enim tum de visione, tum de pleris-que alijs rebus scribens, nesciuit artem medi-

C cam distinguere à naturali philosophia; quũ enim plurima ad naturalem philosophum attinentia construere potiùs, quàm exquisitè tractare debuisset; eorum tamen considerationem diligentissimã cum medica arte commiscuit, quod ab alijs quoque Medicis Galeni in scribendo artificium optimè edoctis factum frequenter esse animaduerti: apud Aristotelem verò nihil tale notare aliquis quantumuis liuidus aduersarius eius potest; qui

D semper à rebus alienis abstinuit; & non modò illa, quæ ad aliam disciplinam, sed etiam quæ ad alium einsdem disciplinæ librum pertinent, tractare veritus est: quod quidem est manifestissimum in tractatione ab eo facta de visu, & de facultate visiua; diligentem enim oculi, & constructionis eius declarationem apud Aristot. nullibi legimus, licèt oculus ex pluribus humoribus, & pluribus tunicis, alijsque partibus mirabili structura, atque arti-

E ficio constitutus sit; nihil enim aliud de oculi fabrica ab eo scriptum habemus, nisi eum aqueum esse debuisse, non quidem aquam puram, sed excessu aqueum: quum enim in 2. cap. 2. libri de Partibus animal. dixerit organa sensuum debere esse similaria, totus autem oculus sit corpus dissimilare, Aristoteles præcipuam oculi partem respexit, quæ est humor crystallinus, in quo tanquam in vero visus instrumento species coloris recipitur, & ab ani-

F ma iudicatur. hunc igitur considerare satis habuit, & dicere organum visus esse corpus aqueum; reliquas oculi partes Medicis considerãdas reliquit, quum illarum officium non sit videre, sed inseruire crystallino, vt in eo fieri visio possit, aliæ namque ad ipsum protegendum, aliæ ad nutriendum, aliæ ad mouendum totum oculum pertineant. Nos igitur Aristotelem imitati, non totam oculi structuram considerabimus, sed quasdam tantùm partes, quæ ad id, quod in præsentia quærimus [illegible] nosse videbuntur; reliqua apud

E3

minem esse intelligentem, aut rem coloratam esse videntem, sed solùm facit hanc esse rem visam, & hominem, vel phantasmata esse rem intellectam; sed solus intellectus, non homo, dicetur intelligens, quum sit substantia quædam seiuncta à natura hominis: hoc igitur Thomæ argumentum ego efficacissimum aduersus Auerroem esse arbitror. Aliqui tamen sunt, qui licèt Auerroem non sequantur, putant argumentum hoc parum habere efficacitatis: dicunt enim Thomam non animaduertisse Auerr. dicere intellectũ iungi homini non solùm per phantasmata, sed etiã per naturam; iungitur enim homini statim vt genitus est, nec tamẽ iungitur tunc per phantasmata, quia nondum potest suam edere operationem, sed soli adulto iungitur per operationem, proinde tunc solùm dici potest iunctus per phantasmata, infanti autem non per phantasmata, sed per naturam tantùm; qua de re legere Auerroem possumus in comment. 20. lib. 3. de Anima: quamobrem ad argumentum Thomæ respondere Auerroes posset, aliam esse maiorem coniunctionem humanæ mentis cum homine, quàm per phantasmata, proinde eo argumento non ostendi hominẽ non esse intelligentem. Ego verò puto argumentum Thomæ esse demonstratiuum, quod sic ostendo: Auerroes inquit ita coniungi intellectum cum homine, vt vniatur cum illo, vtitur enim nomine vnionis; considerandum igitur est, quidnam sit vnio illa, quam vocant vnionem per naturã: vnio certè dicitur, quando ex pluribus fit vnum, nec satis est duorum congregatio, & vnius præsentia respectu alterius, vt vniri dicantur; si nanque ponatur aliquis homo in naui, qui eam non moueat, non dicetur vnitus naui, licèt illi insit; est enim, veluti si lignum lapidi apponeretur: & huius ratio est, quia non fit vnum ex duobus actib. sed ex potestate, & actu: ex nauta igitur & naui non fit vnum secundùm esse, sed solùm secundùm operationem, quatenus fit vnum nauigabile constans ex potestate & actu; at secundùm esse sunt duo entia actu completo, ex quibus non fit vnum: sic igitur quando ponitur intellectus in infante, antequam sit per ætatem aptus ad intelligendum, nulla fit vnio, si intellectus non dat esse homini, sed est solùm præsentia intellectus ipsi homini iam per cogitatiuam cõstituto, & perfecto in specie humana, non secus ac homo in naui nõ nauigans dicitur præsens ipsi naui, non tamen illi vnitus: quum enim homo habeat suum esse actu perfectum per cogitatiuam, intellectus non vnitur illi secundùm esse, quia non facit esse hominem; restat igitur, vt per solam operationem dici possit vniri, quam vocãt v[...] na[...] [...]uatas; nulla enim reucia

Aliorum responsio.

Secunda coniunctio intellectus cũ homine secundùm Auerroem.

Confutatio.

A est illa vnio quam vocãt per naturam. Sed id, quod multos decepit, & fecit apparentiam quandam vnionis, fuit, quòd intellectus est incorporeus, quare eius à corpore distinctio non cernitur, qualem Auerroes statuit, sicuti cernitur distinctio nautæ à naui dum existit in naui, quò fit, vt etiam statuendo ipsum non esse formã hominis, non videatur à corpore separatus secundùm substantiã, sed potiùs illi vnitus tanquam facultas quædam in-
B sita toti corpori, quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte, sicut ipsi dicunt: attamen dum ponitur non informare materiam, non potest dici vnitus corpori per naturam, quia ex his non fit vnum, quemadmodũ diximus; sic enim idem prorsus esset, quod euenit in homine dæmoniaco; dæmon enim in eo existens nõ est illi vnitus, licèt illi assistat, & membra etiam mouere statuatur: quemadmodum igitur dæmone illo intelligente homo illum
C habens non intelligit, ita si eo modo sit mens humana in homine, vt non det esse homini, ea intelligente homo non intelligit; quocirca argumentum D. Thomæ, si eius vis bene perpendatur, validissimum est: at statuendo intellectum esse formam hominis, qua est homo absurdum hoc non sequitur; quum enim ipso tanquam forma homo sit homo, & corpus ad ipsum referatur tanquam materia ad actum, materia inquam habens potentiam
D ad esse, ita vt solus intellectus locum habeat actus, intellectum intelligere, est hominem intelligere; ideò Aristoteles dixit hominem esse intelligentem vt quod, intellectum verò non vt quod, sed vt quo. Aliqui etiam pro Auerrois defensione vtuntur exemplo luminis in perspicuo; lumen enim aduenit aeri extrinsecus, neq; est eius forma, est tamen ratio recipiendi colores, & receptio attribuitur aëri propter lumen; sic igitur intellectus, etsi non
E est forma hominis, sed homini extrinsecus accedit, est tamen ratio, qua homo dicitur intelligens. Sed hæc comparatio congrua non est, quoniam aër non quatenus est aër recipit lumen, sed quatenus perspicuus; lumen autẽ est forma perspicui, & ipsum constituit quatenus perspicuum est, neque in ipso lumine recipiuntur colores, sed in corpore perspicuo; lumen enim non est receptiuum colorum, sed est ratio recipiendi, ideò iure arri-
F buitur receptio aëri perspicuo: at intellectus secundùm Auerroem non est forma hominis, vt lumen est forma perspicui, & recipit ipse species sine vllo vsu corporis in recipiendo: nam si ad recipiendas species vteretur corpore, iam esset o[...]ús, quod Aristoteles negat in [...] de Anima: vnde colligit solum i[...] esse locum specierum, non sensum: loci enim est recipere.

Aliquorum defensio pro Auerroe.

Confutatio.

fusione per totum Hemisphærium: nam si esset corpus, non posset subitò ab ortu ad occasum transire, sed necessariò in tempore; corpus enim per spatium plenum moueri non potest, nisi in tempore, ob medij corporis resistentiam; quum igitur lumen Solis orientia totum illud spatium subito, & absq; tempore peragat, non potest esse corpus. Alterum argumentū est. si lumen esset corpus, fieret corporum penetratio: quum enim nulla penitus sit perspicui pars, quæ non sit luminosa, seruetur autem integra tam luminis, quàm perspicui corporis natura, necesse est, vt lumen penetret omnes partes perspicui; nam hæ non cedunt partibus luminis, sed eas in se recipiūt; quare si lumen esset corpus, penetratio corporum fieret, quæ penitùs impossibilis est: hinc itaque intulit Aristoteles, lumen in perspicuo inesse non ad modum corporis, sed ad modum formæ: qua eadem ratione etiam in context. 4. eiusdem libri ostēdit animam non posse esse corpoream, quia quum omnes penitùs viuētis partes sint animatæ, fieret penetratio corporum. Sed qui plura de hac re videre cupiunt, legant prædictas interpretū disputationes, in quibus diffusè ostenditur, lumen non esse corpus, neq; omnino substantiam: non est enim nobis tempus conterendum in recensendis aliorum dictis, sed tollenda est difficultas quædam, quæ huic veritati maximè omnium videtur officere, eaque est quòd lumen & moueri, & percutere, & reflecti videtur: nam lumen Solis ad nos transit, & solida corpora percutit; terram enim percutiens, & resiliens generat in äëre calorem, & percutiēs speculum ad multa illuminanda reflectitur: quæ omnia indicare videntur lumen esse corpus, quum solis corporibus competāt, accidētibus verò competere nullo modo possint. Ad hæc igitur dicimus, esse quidem in visu positum, vt hæc per quādam similitudinem lumini attribuantur, & dicamus lumen moueri & percutere, & frangi, & reflecti; sed reuera nihil tale competere lumini; producitur enim lumen à præsentia lucidi corporis in perspicuo, & quia non est corpus, neq; habet contrarium posititium, quod illi resistat, producitur subitò in omnibus perspicui partibus: nec tamen ita producitur, vt habeat esse fixum, ac permanens, & recedente lucido, à quo est genitum, adhuc in ipso perspicuo maneat; sed recedēte lucido perspicuum statim desinit esse luminosum: quare ipsius natura consistit solùm in fieri, & tādiu existit in perspicuo, quādiu perseuerat produci à præsentia lucidi: & quia corpora solida, ac polita percutiens lumen reddit illa apta per receptum lumen ad alia illuminanda, ideò videtur reflecti, & moueri lumen; non tamen sic est, sed ab eis illuminatis generatur [illegible] alijs: quod idem de colore dicimus, [illegible] producit in speculo spiritalem co[illegible] [illegible]ulum similiter

Dubium de luminis motu.

Solutio.

A colorē producit in äëre, nec ob id dicimus colorem moueri & reflecti, quum certum sit colorem esse accidens: non est igitur credēdum, idem numero lumē transire ab vna äëris parte ad aliam, neque aliquod idem recedere à Sole, & ad äërem progredi, sed in omnibus perspicui partibus subitò, & in temporis momento generari lumen siue directè, siue per reflexionem id fieri videatur; non enim illud idem lumen, quod in vna parte est, ad aliam B transit, sed in omnibus, in quibus est, generatur continuè, siue ab ipsomet lucido corpore immediatè, siue ab alio, quod ab illo illuminatum illuminet alia.

Variæ sententiæ de lumine, an sit ens reale, an intentionale, & quid sit intentio. Cap. VI.

Aliud est de lumine non leue dubium à Latinis interpretibus maximè exagitatum, an lumen, quum sit accidens in medio perspicuo, sit accidens reale, an intentionale. Thomas in 1. part. Summæ, quæst. 77. artic. 3. nititur ostendere lumen in medio non habere esse intentionale, sed reale tantùm. Contrà Aegidius in 2. lib. de Anima, in cap. de Visu, probat lumen in medio non habere esse reale, sed solum intentionale. Inter has duas extremas sententias est tertia media, D quòd lumen in medio habeat simul esse reale, & intentionale: hanc sequuti sunt Scotus, & Ioannes Bacconius, & Durandus in 2. Sent. dist. 13. & alij complures; eamq; ego vera esse existimo, & Auerrois quoque & Alberti sententiam fuisse: imò etiam Caietanus in suis Commentarijs in Thomam loco prædicto volens ipsum tueri ab argumentis Scoti, ita ipsum defendit, vt transeat manifestè in opinionem Scoti; quum tamen neque E ad eam trahi, neque modo vllo defendi Thomas meo quidem iudicio possit, quia negat lumen in perspicuo habere esse intentionale, & confundit lumen cum luce, quum tamen aliud sit lux, aliud lumen, vt prædiximus, & lux habeat penitùs esse reale, lumen verò in perspicuo sit intentio, & imago lucis, nec aliter, quàm vt color in perspicuo est imago, & intentio coloris realis. Mitto hîc considerare argumenta, quæ tum à Thoma, tum ab Aegi- F dio adducuntur, quum in hac disputatione non sit nobis immorandum, & quum illa apud eos in locis prædictis legere quisq; possit: sed solùm nitar ipsam rei veritatem breuiter declarare & paucis argumentis, quæ validiora esse videbuntur, comprobare. Ante omnia intelligendum est, quid sit intentio, seu ens intentionale. Latini quidem huius vocis etymologiam considerantes, dicunt intentionem vocari id, per quod tanquam per rationem formalem anima tendit in obiectum cognoscendum, vnde omnes species [illegible]

Opinio Thomæ.

Opinio Aegidij.

Opinio Scoti, & Bacconij, & Durandi.

Caietanus.

Intētio quid sit.

E2

les, quàm intellectiles vocantur intentiones: quæ etymologiæ consideratio satis crassa est, & quamuis fortasse ad rectum sensum trahi posset, non est tamen in ea tempus conterendum. Ego dico intentionem nil aliud esse, quàm attentionem, ac diligentiam animæ in alicuius rei consideratione, quo fit, vt intentum etiam sumamus pro attento; hæc est verè Latina huius vocis significatio, sed traducta postea à Philosophis nostris hæc vox est ad omnem animi conceptum significandum, etiamsi absque diligentia fiat, & omnem speciem, siue sensilem, siue intellectilem; hæc enim, quatenus est species spiritalis reale obiectum repræsentans, dicitur esse illius intentio, id est, imago in anima: hinc orta est distinctio illa, qua omnes vtuntur, primarum, & secundarum intentionum: primas enim intentiones vocamus illos omnes conceptus qui rem immediatè repræsentant, vt conceptum lapidis in animo, & speciem coloris in oculo: secundas verò intentiones vocamus illos conceptus, qui non rem immediatè, sed alium priorem conceptum repræsentant; vt conceptus generis dicitur secunda intentio, quia repræsentat conceptus animalis, & plantæ, & aliorum eiusmodi, à quibus immediatè repræsentantur res. Sed postea traducta est huius vocis significatio etiam extra animam, vt id, quod est imago alterius repræsentatiua, etiamsi non sit in anima, dicatur ens intentionale; huiusmodi est species obiecti sensilis in medio, vt species coloris in aëre, siue etiam in solido aliquo corpore recepta, sicuti sæpe videmus à lumine per phialam vino plenam transeunte produci speciem, & imaginem coloris vini in panno linteo subiecto; illa enim rubedo, quæ in vino est color realis, & mouetur ad motum vini subiecti, est in panno linteo color intentionalis, qui non mouetur ad motum subiecti panni, sed ad motum vini, & ad motum luminis, à quo producitur.

Prima & secundæ intentiones.

Declaratio, & comprobatio veritatis de natura luminis. Cap. VII.

SI vera hæc sunt, & intentio est id, quod modò diximus, non video quomodo Thomas negare possit, lumen in medio habere esse intentionale; nam producitur à luce lucidi corporis, vt inquit Aristot. tanquam ab obiecto reali, cuius est repræsentatiuum; & videmus lucem tanquam colorem quendam, quod fieri non posset, nisi species lucis, quæ ipsam repræsentet, ad oculum ferretur, quemadmodum etiam species coloris realem colorem repræsentat: ergo negare lumen in perspicuo habere esse intentionale, est negare rem manifestam, quum manifestum sit, ipsum produci à luce, & ita eius intentionem esse. Ex altera etiam parte non debuit negare Aegidius lumen in aëre habere esse reale, quum reales effectus producat, vt Thomas argumentatur, patet enim lumen producere calorem, qui est

Quòd lumen habeat esse intentionale contra Thomam.

Quòd lumen habeat esse reale contra Aegidium.

A. effectus realis; patet etiam lumen vehemens destruere temperiem oculi, qui similiter est effectus realis: sed causa erroris multorum fuit, quòd putarunt non posse aliquid esse simul intentionem, & rem, quum potiùs è contrario sese res habeat, & hinc negare sit pugnantia dicere; nam si aliquid est intentio alicuius, ergo est res aliqua, quomodo enim esset intentio, si esset nihil? ideò optimè inquit Scotus in loco prædicto de signo, & re: quando enim B. distinguimus rem à signo, non propterea dicimus signum non esse rem, sic enim esset nihil, proinde signum appellari non posset; sed quum rem à signo distinguimus, nil aliud significare volumus, quàm aliquid esse rem tantùm, non signum, aliquid verò esse & rem & signum rei: sic igitur (inquit) distinguuntur res, & intentio; aliquid enim est res, & non est intentio rei, aliquid autem est intentio, & res simul; quia non potest esse intentio rei, quin C sit etiam res aliqua, & ita habeat esse reale. Huic sententiæ Scoti ego omnino subscribo; non solùm enim illas intentiones, quæ extra animam sunt in medio sensus, sed etiam eas, quæ sunt in anima; puto esse aliquid, & esse res: eaque Aristotelis sententia fuit, qui in libro Categoriarum, in capite de qualitate scientiam posuit in genere qualitatis, nil autem aliud est scientia in anima, quàm intentio & imago rei cognitæ; repræsentans rem, quæ D extra animam est; hæc igitur apud Aristotelem est ens reale, quum sit qualitas. Possum etiam ratione id confirmare; nam cognoscimus etiam cognitionem nostram tanquam rem aliquam positiuam, & consideramus quid sit cognitio, quare tali nostræ cognitioni respondet cognitio ipsa tanquam res cognita: sic etiam diximus, colorem intentionalem incidentem in corpus aliquod solidum producere adhuc intentionem suam in perspicuo, & E videri ad modum rei. Sed pluribus causa erroris fuit, quòd illa, quæ spiritalia sunt, ipsi putant esse nihil, quum tamen sint res: sicut enim dantur substantiæ incorporeæ & spiritales, quæ verissimè sunt substantiæ, ita dantur etiam accidentia spiritalia, quæ veram habent entitatem, licèt minorem, quàm accidentia materialia, à quibus producuntur: nam (vt ait Durandus in loco prædicto) istæ species habent esse debile, quia deficiunt à perfectio F ne propria speciei, & eò magis deficiunt, quò magis distant à prima causa. Auerroes quoque in duobus postremis capit. libri de Sensu & sensilibus inquit formas in anima habere esse spiritale purum, in materia verò extra animam habere esse materiale purum, at in medio habere esse medium inter materiale & spiritale; quare secundùm Auerroem negari non potest, lumen & colores in medio habere esse reale, & magis qu[illegible] in anima speciem quod etiam hoc a[illegible] confirmari potest; id, quod hab[illegible] clusa omni operatione

Potest aliquid esse & res, & intentio.

Accidentia spiritalia habent minorem entitatem, quàm materialia.

Species in medio habent [illegible] medium inter ma[illegible]

tione animæ, habet esse reale; at lumen in medio habet esse, etiam seclusa omni animæ operatione; ergo de ipso manifestius est quòd habet esse reale, quàm de intentionibus, quæ sunt in anima: & quod de lumine dicimus, id de colore quoq; ob eandem rationem dicendum esse arbitramur: ideò deceptus est Thomas, negans colorem in medio habere esse reale, quod de lumine concessit; quamuis enim lumen sit efficacius ad reales effectus producendos, non ob id negandum est, colorem habere esse reale, nam rerum quoque materialium multæ sunt, quæ non sunt actiuæ, neque per hoc stat, quin habeant esse reale. Illud verò hac in re maximè annotandum est, has species, seu intentiones, quas diximus, & in anima, & extra animā esse aliquid reale, & intentionale simul, habere hoc duplex esse duabus rationibus, vt rectè notat Ioānes Baconius in sua quæstione: nam respectu obiecti materialis, quod repræsentant, & cuius dicuntur species, habent esse intentionale: at respectu subiecti, in quo inhærent, habent esse reale, vt lumen in perspicuo, & scientia in anima: quod quidem ex hoc discrimine cognosci potest, quia lapis in anima tum substantia est, tum accidens; nam secundùm se formaliter est accidens de genere qualitatis, & est substantia per repræsentationem; mouere autem animam dicitur, & cognosci, non secundùm suum esse formale, sed secundùm esse repræsentatum: quando enim cognoscimus lapidem, substantiam cognoscimus, quæ per illam speciem repræsentatur, non ipsam secundùm se qualitatem illam; dicimus enim videri realem colorem, non speciem ipsam; immò idiotæ homines non concederent vllam coloris speciem in medio productam, quia propriam illam realem speciei entitatem ignorant, & nil aliud fatentur, quàm realem colorem à se videri; illum igitur vidēt per eius speciem, quam ignorant, non enim illam cognoscunt, sed colorem, solus enim realis color visum terminare, ac videri dicitur. Per hoc soluitur argumentum quoddam Aegidij, qui inquit: si lumen in medio haberet esse reale, superpositus oculo, aer illuminatus impediret sensionem, attamen patet lumen tangens oculum facere sensionē, ergo non habet esse reale. Nos autem dicimus, sententiam illam Aristotelis, sensile positum supra sensum sensionem non facit, esse intelligendam de obiecto reali terminante sensionem, non de eius specie, quinimò necesse est speciem ad eò tactum vsque organi peruenire, si fieri sensio debeat: lumen autem in aëre est, non vt obiectum terminatiuum visionis, sed vt species ipsum repræsentans; & quamuis habeat etiam secundùm se esse reale, tamen non est visibile secundùm suum esse [...] sed secūdùm illud, quod ab eo repræsent[...] [...]are tangens oculum non impedit vi[...] Hoc autem eodem

Error Thomæ.

Species habent esse reale & intentionale duabus rationibus.

Argumentum Aegidij.

Solutio.

argumento, quo abusus est Aegidius, rectè vsus est Scotus, dicens: si lumen non esset intentio, sed solùm haberet esse reale, ergo superpositum oculo non faceret visionem: est enim argumentum validum, dum statuimus lumen mouere oculum; quia si non mouet vt intentio alterius, sed vt res secundùm se, ergo est obiectum terminatiuum visionis; tale autem tangēs oculum impedit sensionem, quoniam instrumentum sensus debet pati à specie obiecti immediatè, non ab ipsomet obiecto reali.

Argumentū Scoti optimū.

De instrumento Visus. Cap. IIX.

SEquitur vt de organo dicamus, quod quidem breuissimè præstabimus, vt Aristotelem potiùs, quàm Galenum imitemur: Galenus enim tum de visione, tum de plerisque alijs rebus scribens, nesciuit artem medicam distinguere à naturali philosophia; quū enim plurima ad naturalem philosophum attinentia construere potiùs, quàm exquisitè tractare debuisset; eorum tamen considerationem diligentissimā cum medica arte commiscuit, quod ab alijs quoque Medicis Galeni in scribendo artificium optimè edoctis factum frequenter esse animaduerti; apud Aristotelem verò nihil tale notare aliquis quantumuis liuidus aduersarius eius potest; qui semper à rebus alienis abstinuit, & non modò illa, quæ ad aliam disciplinam, sed etiam quæ ad alium eiusdem disciplinæ librum pertinent, tractare veritus est: quod quidem est manifestissimum in tractatione ab eo facta de visu, & de facultate visiua; diligentem enim oculi, & constructionis eius declarationem apud Aristot. nullibi legimus, licèt oculus ex pluribus humoribus, & pluribus tunicis, alijsque partibus mirabili structura, atque artificio constitutus sit; nihil enim aliud de oculi fabrica ab eo scriptum habemus, nisi eum aqueum esse debuisse, non quidem aquam puram, sed excessu aqueum: quum enim in 2. cap. 2. libri de Partibus animal. dixerit organa sensuum debere esse similaria, totus autem oculus sit corpus dissimilare, Aristoteles præcipuam oculi partem respexit, quæ est humor crystallinus, in quo tanquam in vero visus instrumento species coloris recipitur, & ab anima iudicatur: hunc igitur considerare satis habuit, & dicere organum visus esse corpus aqueum; reliquas oculi partes Medicis considerādas reliquit, quum illarum officium non sit videre, sed inseruire crystallino, vt in eo fieri visio possit, aliæ namque ad ipsum protegendum, aliæ ad nutriendum, aliæ ad mouendum totum oculum pertinent. Nos igitur Aristotelem sectati, non totam oculi structuram considerabimus, sed quasdam tantùm partes, quæ ad id, quod in præsentia quærimus conferre posse videbuntur, reliquā apud

Galenum legi poterunt in lib. 10. de Vsu partium, & in libro ei adscripto de Oculis, & apud Auerroem in 1. Collectaneorum, cap. 17. & in 2. lib. cap. 15. Substantiam oculi tribus humoribus constare certū est, quorum medius, & inter duos reliquos collocatus crystallinus est, durior alijs, & similis glaciei, sed lucidissimus, non quidem propria luce, sed lumine extrinsecus recepto; post hunc positus est in parte oculi posteriore humor vitreus, qui mollior est, & substantiam habet minùs consistentem, B & multò maior est crystallino; eam vt ego iudicare videns potui, est fortasse quadruplo, vel etiam quintuplo maior; sed maximè clarus, & albus, & in hoc manifestissimum est, decceptum esse Galenum, qui in lib. 10. de Vsu partium dixit huius colorem esse subnigrum, veluti si quis partem nigri cum multo albo commiscuerit; ego enim apertissimè vidi vitreum hunc humorem nihil habere nigredinis, nec minùs crystallino album esse, non tamen ita C solidum, sed molliorem, & fluentem, vnde appellatus est vitreus, ad similitudinem vitri liquefacti; deceptus etiam in eo est Galenus, quòd dixit huius humoris officium esse, vt ex eo crystallinus nutriatur; hoc enim falsum esse ostendemus loco suo. In anteriore autem oculi parte est tertius humor vocatus aqueus, seu albugineus, qui vnà cum spiritu misso à cerebro per opticos neruos implet anteriorem pupillæ partem, & crystallinum defendit, prohibetque à contactu cornææ, quæ sua D duritie ipsum lædere potuisset. Tunicas tres habet oculus, quarum extima ob suam duritiem σκληρώτης dicitur, sed in anteriori parte oculi vocatur cornea, quæ durior quidem est, sed transparentior, vt per eam lumen ad humores oculi ingredi possit: secunda tunica vocatur χοροειδής, & colorata est colore subnigro, & in parte oculi anteriore vocatur vuea; nec totam pupillam operit, sed in medio pupillæ E loco est perforata, vt per illud foramen ingredi lumen & colores possint: tertia, & intima tunica retina appellata, constare videtur ex ipsamet cerebri substantia, nec totum oculum circundat, sed definit in maximo crystallini circulo, vbi degenerare videtur in tenuem illam & luminosam membranam, araneam telam vocatam, quæ totum crystallinum operit, & separat tum in parte anteriore ab aqueo humore, tum in posteriore à vitreo. De his, ac F de alijs ad oculi structuram pertinentibus si quis plura videre cupiat, legat Galenum, & Auerroem in memoratis locis: nunc enim satis nobis est statuisse solum crystallinum esse verum instrumentum visus, cæteras verò oculi partes eius ministras esse. quarum de aliquas postea considerabimus, quum de modo, quo visio fit, verba faciemus; nempe illas, quæ ad rem facere videbuntur, reliquas verò dimittemus.

Tres humores in oculo.

Error Galeni de humore vitreo.

Tres tunicæ in oculo.

An lumen requiratur ad medium, an ad colorem illuminandum, opinio Auempaces, & argumenta.

Cap. IX.

His declaratis, considerandum nobis proponitur id, de quo interpretes Aristotel. maximè cōtrouersantur, quæ sit luminis necessitas in visione secundùm Aristotelem: quum enim fieri visio nequeat sine lumine, quæritur cuius gratia sit necessarium lumen, an ad illuminandum perspicuum medium, an ad illuminandum obiectum colorem. Fuit opinio Auempaces, quam considerat Auerroes in Commentario 67. lib. 2. de Anima, quòd lumen sit necessarium, non propter medium, sed propter solum colorem, vt faciat colorem esse actu motiuum perspicui, quia non esset actu motiuus, nisi esset illuminatus; quam eandem sententiam tuetur Auicenna in 6. Natural. Nitebatur Auempace, vt refert Auerroes tali argumento: lumen, & color specie non differunt, atqui omne recipiens debet carere recepto, ergo perspicuum debens recipere colorem, debet carere lumine, igitur moueri perspicuum est illuminari, & illuminari est colorari; itaq; si color sit illuminatus, est actu motiuus perspicui, & imprimit in eo colorē quatenus ipsum illuminat: ideò dictum illud Aristotelis color est motiuus perspicui, quod est actu, sic ab Auempace intelligebatur, color est aptus ducere perspicuum de potestate ad actum, & reddere actu perspicuum; hoc enim facit, dum simul ipsum illuminat, & colorat: quòd si priùs illuminatus esse aër statuatur, non poterit à colore moueri, quum color sit de natura luminis, & nihil recipiatur se. Alia quoque ratione hoc confirmatur, quam eo in loco tangit Albertus: obiectum cuiusq; sensus debet reduci ad aliquā communem naturam, secus enim non esset obiectum vnum, proinde nec sensus vnus; patet autem esse visibile & lumen, & colorem; ergo duo hæc vel reducūtur ad vnam tertiam cōmunem naturam, vel vnum ad alterum; primum dici non potest, vt manifestum est, ergo secundum: atqui non reducitur lumen ad colorem, quia non definitur lux per colorem, sed potiùs color per lumen; ergo reducitur color ad lumen, & est visibilis ratione luminis; sic igitur vna est natura visibilis, nempe natura luminis, ad quam reducitur color; ergo ad constituendum colorem visibilem est necessarium lumen. Confirmatur hæc opinio ab Auicenna per experientiam; si quis enim sit in aliquo obscurissimo loco, vbi sit foramen, videt per foramen illud externos colores, illi gitur transeunt per aerem tenebrosum, quare non requiritur lumen ad medium illuminandum, sed satis est si [illegible] in lumine sint, sic enim sunt nobis [illegible] etiam per aerem tene-

Opinio Auempaces.

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

tenebrosum. Addit etiā Auerroes pro Auempace aliud argumentum acceptum ex verbis Aristotelis in contextu 18. lib. 3. de Anima, vbi intellectum agentem comparat lumini, & inquit esse necessarium propter phantasmata, vt ea faciat actu intelligibilia, sicuti lumen facit colores esse actu colores, id est, actu motiuos perspicui; asserit ergo Aristoteles lumen requiri propter colores ad mouendum perspicuum.

Quartum.

Auerrois, & Alberti sententia, & argumenta. Cap. X.

EX altera parte Auerroes contrariam sententiam sequens inquit, lumen esse necessarium, non propter colores, sed propter medium solum, & in eam inductus esse videtur præcipuè à verbis Aristotelis, qui in secundo libro de Anima, in capite de Visu, definiens colorem dixit esse motiuum perspicui illuminati, & definiens lumē dixit esse actum perspicui quatenus est perspicuum, non dixit esse actum coloris; censuit igitur necessarium esse lumen propter solum medium, non propter colorem. Addit etiam rationem Auerroes ad hoc comprobandum: color secundùm Aristotelem est per se visibilis in secundo modo dicendi per se, ergo non accipit à lumine visibilitatem, sed eam habet ex sua natura; nam si à lumine fieret visibilis, & motiuus perspicui, nō esset per se visibilis, sed per aliud. Albertus verò tertiam sententiam sequutus est, & putauit lumen esse necessarium propter vtrunq;, ita vt neq; medium possit à colore moueri, nisi sit illuminatum, neq; color possit mouere medium, nisi illuminatus: & quia de medio clara est sententia Aristotelis, qui dixit lumen esse actum perspicui, ipse de colore declarat hac distinctione: color habet duplex esse, vnum materiale, alterum formale: esse materiale fit per materiæ mutationem à quatuor primis qualitatibus, quæ varios in superficie colores producunt, licèt ipsæ qualitates non sint de essentia colorum, & ad tale coloris esse non requiritur lumen; est enim color etiam in tenebris, non est tamen aptus ad mouendum medium: esse autem formale habet color à lumine, quatenus lumen iungitur superficiei, & facit colorē actu motiuum perspicui, quia sine lumine non moueret. Sic igitur necessarium est lumen etiam propter colorem vt motiuum perspicui, idque videtur significasse Aristoteles in contextu decimooctauo tertij libri de Anima, quem antea pro Auempace considerauimus: ideò id, quod Aristoteles dicit, colorem esse motiuum perspicui, interpretās Albertus inquit esse intelligendū de colore secundùm esse formale, sic enim est motiuus persp[illegible] his igitur patet, rem hanc non carere m[illegible]ficultate: sequitur vt ratione duce q[illegible]sit, inuestigemus.

Primum argumentum Auerrois.

Secundum.

Opinio Alberti.

Color habet duplex esse, materiale & formale.

A
Vera sententia, & eius declaratio, ac comprobatio. Cap. IX.

IN hac controuersia ego puto lumen esse necessarium, non modò propter medium, & propter colorem, vt sensit Albertus, sed etiam propter organum; quod credo non negasse Albertum, quum apertè ab Aristot. proferatur, vt mox considerabo: Ioannes etiam Gandauensis in 2. lib. de Anima, dum pro Auerroe demonstrare nititur lumē non requiri propter colorē, sed propter medium, fatetur tamē requiri etiam propter organum. Quum igitur tria hæc, de quibus antea diximus, in visione considerētur, obiectum, medium, & organum, in his omnibus requiri lumen existimo, si visio fieri debeat; hoc enim facit tum colores esse actu motiuos perspicui, & organi, tum oculum, & medium esse receptiuum coloris: organum enim ob eandem rationē debet esse illuminatum, ob quam & medium; nam si medium colores recipit (vt Aristot. dixit) non quatenus aër, nec quatenus aqua, sed quatenus perspicuum, non est autem actu perspicuum, nisi per lumen; oculus verò, vt colores recipere posset, debuit esse perspicuus, vt Aristoteles docet in libro de Sensu & sensilibus, capite secundo; necessarium est non minùs oculo lumen, quàm medio, proinde oculus non recipit colorem, nisi recipiat lumen: huic sententiæ attestatur crystallini humoris natura, & conditio: ipsum enim esse præcipuū visus instrumentum omnes confitētur, est autem maximè perspicuus ac splendidus, quia est de genere illorum perspicuorum, quæ lumen quidem ex se non emittunt, sed si extrinsecus recipiant lumen, splendida fiunt; immò aliqui etiam sunt oculi, qui in tenebris emittunt ex se aliquid luminis, vt oculi leonum, & pardorum, & catorum; sed omnium oculorum communis conditio est, vt eatenus lucidi sint, quatenus ob externi luminis receptionem fiunt splendidi, hoc enim est proprium illorum perspicuorum, quæ aliquam habent densitatem, & consistentiam, quia retinent receptum lumen, & ex eius constipatione redduntur lucida tanquàm alieno lumine. Quoniam igitur oculus debuit esse perspicuus perspicuitate aquea, vt lumen recipere, ac retinere, imò & intensius reddere posset, & talem esse humorem crystallinum manifestum est, negari non potest datam esse organo perspicuitatem, vt per receptionem luminis possit recipere aliarum rerum colores; est enim communis conditio omnium perspicuorum, vt à lumine fiant actu perspicua, & quatenus talia sunt, à coloribus patiantur: igitur quando Aristot. dixit colorem esse motiuum perspicui, quod est actu, & quando dixit lumen esse actum perspicui quatenus est perspicuum, absolutè perspicuum considerā[illegible]

Quid lumen sit necessarium & propter medium, & propter organum.

bent, sed etiam organo, si organum quoque perspicuum est. Hoc idem confirmatur ex usu specillorum, non enim alia ratione faciũt, vt meliùs videamus, nisi quia faciunt vt plus luminis recipiãt oculi, & ita meliùs etiam recipiant colores: oculi enim seu propter prouectam ætatem, seu etiam quandoq; proptet naturalem temperiem habent substantiã terrestriorem, sic censẽt enim oculi senum, vt ait Aristoteles in 5. lib. de Ortu animalium, cap. 1. quò fit, vt minùs recipiant luminis, & ob id egeant auxilio specillorum, in quibus ob vitri cauitatem lumen vnitur, & concẽtratur lumen tanquam in puncto, & ita vnitum, ac validum oculos penetrat, & lucidiores reddit, & aptos ad meliùs colores recipiendos. Legimus autem hanc sententiam clarè apud Aristotelem in libro de Sensu, & sensilibus, cap. 2. vbi dicit [*videtur autem sicut exterius non sine lumine, ita & interius*] & paulò pòst inquit [*quare necessariò est perspicuum, & receptiuum luminis id quod interius oculi est*] & idem dicit etiam in libro 2. de Partibus animalium, cap. 13. Itaque sententia Aristotelis est, oportere non modò externum, sed internũ quoq; oculi perspicuum illuminari, si fieri visio debeat; sic enim vtrunque fit actu perspicuum, & aptum vt à coloribus patiatur, quale non esset sine lumine. De colore ostendendũ manet, quòd ipsum quoq; illuminari oporteat, si debeat esse motiuus perspicui; hoc quidem satis per experientiam manifestum esse videtur: nam si totus intermedius aër illuminatus esse statuatur, & color sit in tenebris, non videbitur; contrà verò si color sit illuminat°, videbitur ab oculo in spelunca in tenebris existente, & per multũ quoque aëris medij tenebrosi: num autem hoc argumento ostendatur, solam coloris illuminationem esse necessariam, vt putauit Auempace, ita vt absque medij illuminatione visio fieri possit, postea considerabimus: nunc sat est demonstrare visionem absque illuminatione coloris fieri minimè posse, quod quidem prędicto argumento apertè ostenditur: neque est quòd aliquis dicat fieri non posse, vt toto medio aëre existente luminoso, color solus in tenebris sit; hoc enim esse possibile non constituo in pręsentia, sed ex mentali tantùm abstractione argumentum sumo: dum enim statuimus totum medium esse illuminatum, colorem verò esse tenebrosum, manifestum est visionem non fieri: dicere autem hoc esse impossibile, & posito medio luminoso esse necessarium vt color quoque fit illuminatus, non est argumentum soluere, sed est fateri necessitatem illuminationis coloris, & visionem fieri non posse, ea sublata. Sed res clarior fiet, si cognoscatur ratio cur ita esse oporteat; hæc autem sumitur à natura coloris, quam antea declarauimus; nam absolutè sumptus color oritur ex condensatione perspicui, sed color non splendens, de quo in pręsentia loquimur, oritur ex ea perspicui condensatione, quæ fit per admistionem opaci, cuiusmodi est mistorum corporum color, qui fit quidem ex commistione elementorum quatenus sunt perspicua, & opaca, immò etiam lucida; ignis enim est lucidus, aer perspicuus, terra opaca, aqua & perspicuitate & opacitate participans; attamen quia elementa per mistionem proprias naturas amittunt, ignis quamuis in misto sit condensatus, desinit esse splendidus, vel si quid splẽdoris ex igni seruatur, id exiguum est, quale est in illis, quæ noctu splendent; iure igitur hi omnes colores vocantur offuscata lumina, seu extincta per admistionem opaci, quæ facit ne luceant, sed sint absolutè colores. Quoniam autem primum visibile, & per se visibile est lux, quæ est color splendens, color autem non splendens visibilis est per participationem lucis, proinde secundariò visibilis; omne autem secundariò tale, est tale potestate, nec ducitur ad actum, nisi ab eo, quod est actu tale; color tanquam secundariò visibilis est potestate visibilis sine ope lucis, sicut etiam phantasmata sunt potestate intelligibilia absq; ope intellectus agentis, qui est primum intelligibile, vt alio in loco ostendemus: color igitur non est actu visibilis, nisi talis fiat à lumine, quare vt sit actu motiuus perspicui requiritur lumen tanquam species, & imago lucis, quæ est primum visibile: neque satis est id, quod aliqui dicunt, colorem constare iam ex lucido & opaco, proinde in sua natura habere lucem, neque externo lumine indigere: hic enim est cauillus manifestus, color enim deficit à natura lucis, & luminis, & ab his specie differt, licèt oriatur ex lucido, & opaco, neq; potest appellari lux, vel lucidus, nisi eum adultione lux offuscata, seu lux extincta, quæ non ampliùs splendet, nec potest ampliùs fungi officio lucis, quum desierit esse lux, & in colorem non lucentem degenerauerit; eget igitur lumine producto à lucido actuali, si debeat mouere perspicuum, nam actuale lucidum est per se motiuum, & alia omnia sunt motiua per illud. Præterea certum est proprium coloris subiectum esse ipsum perspicuũ: nam in perspicuo interminato recipiuntur colores spirituales, qui sunt species colorum realium: in perspicuo autem terminato reales colores recipiuntur, non enim haberent colorem corpora, nisi ex perspicuo constarent; ergo eiusdem est rationis vtrumque perspicuum: & sicuti interminatum non potest spiritalem colorem recipere, nisi sit illuminatum, ita neq; terminatum potest habere colorem motiuum perspicui, nisi iunctum habeat lumen: hoc autem cõfirmatur, quoniam maius, ac nobilius est agere, quam pati, & plura requiruntur vt aliquid possit agere, quàm vt possit pati; ergo si ... interminatum requirit lumen ... receptiuum colorum, magis ... terminatum requi-

Specillorum vsus.

Quòd lumen sit necessariũ etiã propter colorem.

Argumentũ sumptũ à natura coloris.

Lux est primũ visibile.

rectè ipsum definiuit Aristot. dicens, colorem nihil aliud esse, quàm extremitatem, hoc est, superficiem perspicui terminati.

De Perspicuo. Cap. III.

Haec de obiecto dicta sint: sequitur vt de medio, quod perspicuum est, dicamus: huius duae sunt partes, vna tanquam materia, quae apta est recipere & lumen, & tenebras; altera verò vt forma, eaque est lumen: de vtraq; igitur dicendū est. Quod ad partem materialem attinet, ea nil aliud est, quàm corpus aptum recipere in sua substantia & lumē, & aliarum rerum colores; praestare autem hoc non potest, nisi sit peruium, idq; est id, quod vocamus perspicuū siue transparens; peruium autem esse non potest, nisi habeat substantiae tenuitatem, vt per eam possit lumen intima penetrare, nam tenuitati opponitur crassities, ac densitas, quae impedimento est receptioni luminis, & coloris introrsum, quia facit terminationem, & coloratonem in superficie: ideo rectè notat Albertus, esse quidem necessarium vt perspicuum materiale habeat substantiam raram, id tamen non satis esse ad faciendam perspicuitatē, sed requiri etiam subtilitatem substantiae; vult enim per hoc denotare perspicuum non in illa raritate consistere, quę significat distantiam partium, non substantiae tenuitatem, & est de categoria situs; sed in illa, quae est de genere qualitatis, & significat tenuitatem substantiae, haec enim facit perspicuitatem; vnde etiam perspicuorum differentia oritur, prout enim alia tenuiorem alia minùs tennem substantiam habent, maiorem etiam, aut minorem habent perspicuitatem.

Materia perspicua.

Perspicuum potest dupliciter considerari.

Est autem animaduertendum, posse duobus modis considerari perspicuum; vno modo absolutè, & secundùm propriam naturam; altero modo respectu visus: absolutè quidem consideratum non complectitur lumē, sed talem habet naturam, quae est apta recipere introrsum, & lumen, & tenebras, quemadmodum etiam prima materia nullam in sua substantia formam habet, sed apta est tum formam, tum priuationem recipere: quare vt naturae primae materiae extranea est tum forma, tum priuatio, ita naturae absolutae ipsius perspicui extraneum est & lumen, & tenebrae; proinde naturam suam absolutam retinet perspicuum tam sub tenebris, quàm sub lumine: at respectu visus continet lumen tanquam formam, à qua constituitur, & hac ratione non est actu perspicuum, nisi sit illuminatum, quia nō est aptum fungi officio suo, nisi cum lumine; est enim eius officium moueri à coloribus, & eos recipere, vt ab illis visus moueatur; lumen igitur tanquam forma constituit perspicuum actu sumptum hoc secundo modo, id est, actu receptiuum colorum ... [illegible] ...ximus, perspicuum quatenus est me... [illegible] ...ferens colores ad visum, à duabus his [illegible] artibus constitui, à corpo-

Forma perspicui.

A re tenui tanquam materia, & à lumine tanquam forma; & hoc respexit Aristot. in context. 69. lib. 2. de Anima, quando lumen sic desiniuit, lumen est actus perspicui quatenus est perspicuum, nam secundo modo perspicuum accepit, nempe respectu visus, non primo modo; quia secūdùm se, & absolutè sumptum retinet naturam suam, & suam tenuitatem etiam sine lumine, sed vt est mediū inseruiens visui, non est actu perspicuum nisi per B lumen: propriam verò perspicui naturā primo modo acceptam cōsiderauit Aristot. in context. 71 eiusdem libri, quando dixit candē eius naturam quandoque cum lumine esse, quandoq; cum tenebris, non esse tamen secundo modo actu, nisi quando habet lumen. Aliud quoq; magni momenti eodem in loco notandum est, inquit enim Aristot. perspicuum esse inuisibile; nec solùm praedicat hoc de perspicuo, vt alij arbitrātur, sed asserit hoc cum per- C spicuo reciprocari, & idē esse inuisibile, quod perspicuum; hoc enim si intelligatur, verissimum est, licèt ab alijs non animaduersum: dicimus igitur posse duobus modis aliquid appellari inuisibile: vno modo negatiuè, qua ratione Deus, & omnes substantiae incorporeae sunt inuisibiles, & nullam habent aptitudinem vt videantur; quare ita acceptum inuisibile latiùs patet, quàm perspicuū: altero modo priuatiuè, nempe quod habet priuationem D visibilitatis, cum aptitudine tamē ad eam adipiscendam, hoc autem est ipsummet perspicuum; visibile namq; color est, perspicuitas verò est de natura coloris, quia est eius priuatio in subiecto apto colorari, & est loco coloris in subiecto perspicuo; ideò si perspicuum condensetur, & fiat terminatum, euadit coloratum, & perspicuitas migrat in colorē: in genere igitur visibilium perspicuū est, quia perspicuitas notat priuationē coloris, & visibili- E tatis cum aptitudine, quò fit, vt solum perspicuum sit receptiuum coloris: quamobrem in genere visibilium solum perspicuum est inuisibile, & ita omne inuisibile priuatiuè est perspicuum. Si quis verò obijciat: coloratum valde distans inuisibile est, quia propter distantiam non potest videri, nec tamen est perspicuum; quare in genere visibiliū datur aliquod inuisibile, quod non est perspicuum: dicēdum est, colorem cum hoc, vel quouis alio impe- F dimento posse quidem inuisibilem dici, non tamen per se, sed per accidens, siquidem est p se, & secundum propriam naturam visibilis, licet ei accidat vt ab aliquo videri nequeat; ideò etiamsi conuenienter alicui propinquus, videri tamen ab illo non possit propter illius visus debilitatem, id fit per accidens, quia per hoc non stat, quin suapte natura sit visibilis, & ab aliquo etiam alio videatur, si non ab homine, saltem à lynce; nullus enim per hoc defectus notatur in coloris visibilitate, vt considerant patet. Dum igitur loquimur de illo

Declaratio context. 71. lib. 2. de Anima.

Omne inuisibile quomodo sit perspicuum.

Inuisibile dicitur duobus modis.

Obiectio.

Solutio.

bent, sed etiam organo, si organum quoque perspicuum est. Hoc idem confirmatur ex vsu specillorum, non enim alia ratione faciũt, vt meliùs videamus, nisi quia faciunt vt plus luminis recipiãt oculi, & ita meliùs etiam recipiant colores: oculi enim seu propter prouectam ætatem, seu etiam quandoq; propter naturalem temperiem habent substantiã terrestriorem, siccesciũt enim oculi senum, vt ait Aristoteles in 5. lib. de Ortu animalium, cap. 1. quò fit, vt minùs recipiant luminis, & ob id egeant auxilio specillorum, in quibus ob vitri cauitatem vnitur, & concẽtratur lumen tanquam in puncto, & ita vnitum, ac validum oculos penetrat, & lucidiores reddit, & aptos ad meliùs colores recipiendos. Legimus autem hanc sententiam clarè apud Aristotelem in libro de Sensu, & sensilibus, cap. 2. vbi dicit [*videtur autem sicut exterius non sine lumine, ita & interius*] & paulò pòst inquit [*quare necessariò est perspicuum, & receptiuum luminis id quod interius oculi est*] & idem dicit etiam in libro 2. de Partibus animalium, cap. 13. Itaque sententia Aristotelis est, oportere non modò externum, sed internũ quoq; oculi perspicuum illuminari, si fieri visio debeat; sic enim vtrunque fit actu perspicuum, & aptum vt à coloribus patiatur, quale non esset sine lumine. De colore ostendendũ manet, quòd ipsum quoq; illuminari oporteat, si debeat esse motiuus perspicui; hoc quidem satis per experientiam manifestum esse videtur: nam si totus intermedius aër illuminatus esse statuatur, & color sit in tenebris, non videbitur; contrà verò si color sit illuminatus, videbitur ab oculo in spelunca in tenebris existente, & per multũ quoque aëris medij tenebrosi: num autem hoc argumento ostendatur, solam coloris illuminationem esse necessariam, vt putauit Auempace, ita vt absque medij illuminatione visio fieri possit, postea considerabimus: nunc sat est demonstrare visionem absque illuminatione coloris fieri minimè posse, quod quidem prędicto argumento apertè ostenditur: neque est quòd aliquis dicat fieri non posse, vt toto medio aëre existente luminoso, color solus in tenebris sit; hoc enim esse possibile non constituo in pręsentia, sed ex mentali tantùm abstractione argumentum sumo: dum enim statuimus totum medium esse illuminatum, colorem verò esse tenebrosum, manifestum est visionem non fieri: dicere autem hoc esse impossibile, & posito medio luminoso esse necessarium vt color quoque sit illuminatus, non est argumentum soluere, sed est fateri necessitatem illuminationis coloris, & visionem fieri non posse, ea sublata. Sed res clarior fiet, si cognoscatur ratio cur ita esse oporteat; hæc autem sumitur à natura coloris, quam antea declarauimus: nam absolutè sumptus color oritur ex condensatione perspicui, sed color non splendens, de quo in præsentia loqui-

A mur, oritur ex ea perspicui condensatione, quæ fit per admistionem opaci, cuiusmodi est mistorum corporum color, qui fit quidem ex commistione elementorum quatenus sunt perspicua, & opaca, immò etiam lucida; ignis enim est lucidus, aer perspicuus, terra opaca, aqua & perspicuitate & opacitate participans; attamen quia elementa per mistionem proprias naturas amittunt, ignis quamuis in misto sit condensatus, desinit esse splendidus, vel

B si quid splẽdoris ex igni seruatur, id exiguum est, quale est in illis, quæ noctu splendent; ista igitur hi omnes colores vocantur offuscata lumina, seu extincta per admistionem opaci, quæ facit ne luceant, sed sint absolutè colores. Quoniam autem primum visibile, & per se visibile est lux, quæ est color splendens, color autem non splendens visibilis est per participationem lucis, proinde secundariò visibilis; omne autem secundariò tale, est tale po-

C testate, nec ducitur ad actum, nisi ab eo, quod est actu tale; color tanquam secundariò visibilis est potestate visibilis sine ope lucis, sicut etiam phantasmata sunt potestate intelligibilia absq; ope intellectus agentis, qui est primum intelligibile, vt alio in loco ostendemus: color igitur non est actu visibilis, nisi talis fiat à lumine, quare vt sit actu motiuus perspicui requiritur lumen tanquam species, & imago lucis, quæ est primum visibile: neque satis est

D id, quod aliqui dicunt, colorem constare iam ex lucido & opaco, proinde in sua natura habere lucem, neque externo lumine indigere: hic enim est cauillus manifestus, color enim deficit à natura lucis, & luminis, & ab his specie differt, licèt oriatur ex lucido, & opaco, neq; potest appellari lux, vel lucidus, nisi eum adultione lux offuscata, seu lux extincta, quæ non ampliùs splendet, nec potest ampliùs fungi officio lucis, quum desierit esse lux, & in co-

E lorem non lucentem degenerauerit; eget igitur lumine producto à lucido actuali, si debeat mouere perspicuum, nam actuale lucidum est per se motiuum, & alia omnia sunt motiua per illud. Præterea certum est proprium coloris subiectum esse ipsum perspicuũ: nam in perspicuo interminato recipiuntur colores spiritales, qui sunt species colorum realium: in perspicuo autem terminato reales colores recipiuntur, non enim haberent

F colorem corpora, nisi ex perspicuo constarent; ergo eiusdem est rationis vtrumque perspicuum: & sicuti interminatum non potest spiritalem colorem recipere, nisi sit illuminatum; ita neq; terminatum potest habere colorem motiuum perspicui, nisi iunctum habeat lumen: hoc autem cõfirmatur, quoniam maius, ac nobilius est agere, quàm pati, & plura requiruntur vt aliquid possit agere, quàm vt possit pati: ergo si [illegible] interminatum requirit lume[illegible] eceptiuum colorum, magis [illegible] um terminatum

seq[illegible]

Specillorum vsus.

Quid lumen sit necessariũ etiã propter colorem.

Argumentũ sumptũ a natura coloris.

Lux est primũ visibile.

recte ipsum definiuit Aristot. dicens, colorem nihil aliud esse, quàm extremitatem, hoc est, superficiem perspicui terminati.

De Perspicuo. Cap. III.

Materia perspicua.

Haec de obiecto dicta sint: sequitur vt de medio, quod perspicuum est, dicamus: huius duæ sunt partes, vna tanquã materia, quæ apta est recipere & lumen, & tenebras; altera verò vt forma, eaque est lumen: de vtraq; igitur dicendũ est. Quod ad partem B materialem attinet, ea nil aliud est, quàm corpus aptum recipere in sua substantia & lumẽ, & aliarum rerum colores; præstare autem hoc non potest, nisi sit peruium, idq; est id, quod vocamus perspicuũ siue transparens; peruium autem esse non potest, nisi habeat substantiæ tenuitatem, vt per eam possit lumen intima penetrare, nam tenuitati opponitur crassities, ac densitas, quæ impedimento est receptioni luminis, & coloris introrsum, quia facit termi C nationem, & colorationem in superficie: ideo recte notat Albertus, esse quidem necessarium vt perspicuum materiale habeat substantiam raram, id tamen non satis esse ad faciendam perspicuitatẽ, sed requiri etiam subtilitatem substantiæ; vult enim per hoc denotare perspicuum non in illa raritate consistere, quę significat distantiam partium, non substantiæ tenuitatem, & est de categoria situs; sed in illa, quæ est de genere qualitatis, & significat D tenuitatem substantiæ, hæc enim facit perspicuitatem; vnde etiam perspicuorum differentia oritur, prout enim alia tenuiorem alia minùs tenuem substantiam habent, maiorem etiam, aut minorem habent perspicuitatem.

Perspicuum potest dupliciter considerari.

Est autem animaduertendum, posse duobus modis considerari perspicuum; vno modo absolutè, & secundùm propriam naturam; altero modo respectu visus: absolutè quidem con E sideratum non complectitur lumẽ, sed talem habet naturam, quæ est apta recipere introrsum, & lumen, & tenebras; quemadmodum etiam prima materia nullam in sua substantia formam habet, sed apta est tum formam, tum priuationem recipere: quare vt naturæ primæ materiæ extranea est tum forma, tum priuatio, ita naturæ absolutæ ipsius perspicui extraneum est & lumen, & tenebræ; proinde naturam suam absolutam retinet perspicuum tam sub tenebris, quàm sub lumine: at respectu vi F sus continet lumen tanquam formam, à qua constituitur, & hac ratione non est actu perspicuum, nisi sit illuminatum, quia nõ est aptum fungi officio suo, nisi cum lumine; est enim eius officium moueri à coloribus & eos recipere, vt ab illis visus moueatur; lumen igitur tanquam forma constituit perspicuum actu sumptum hoc secundo modo, id est, actu receptiuum colorum, ideo dicimus, perspicuum quatenus est me[...] ferens colores ad visum, à duabus [...] constitui, à corpo-

Forma perspicui.

A re tenui tanquam materia, & à lumine tanquam forma; & hoc respexit Aristot. in context. 69. lib. 2. de Anima, quando lumen sic definiuit, lumen est actus perspicui quatenus est perspicuum, nam secundo modo perspicuum accepit, nempe respectu visus, non primo modo; quia secũdùm se, & absolutè sumptum retinet naturam suam, & suam tenuitatem etiam sine lumine, sed vt est mediũ inseruiens visui, non est actu perspicuum nisi per B lumen: propriam verò perspicui naturã priori modo acceptam cõsiderauit Aristot. in context. 71 eiusdem libri, quando dixit eandẽ eius naturam quandoque cum lumine esse, quandoq; cum tenebris, non esse tamen secundo modo actu, nisi quando habet lumen.

Declaratio cõtex 71. lib. 2. de Anima.

Aliud quoq; magni momenti eodem in loco notandum est, inquit enim Aristot. perspicuum esse inuisibile; nec solùm prædicat hoc de perspicuo, vt alij arbitrãtur, sed asserit hoc cum per C spicuo reciprocari, & idẽ esse inuisibile, quod perspicuum; sic enim si intelligatur, verissimum est, licèt ab alijs non animaduersum:

Omne inuisibile quomodo sit perspicuum.

dicimus igitur posse duobus modis aliquid appellari inuisibile: vno modo negatiuè, qua ratione Deus, & omnes substantiæ incorporeæ sunt inuisibiles, & nullam habent aptitudinem vt videantur; quare ita acceptum inuisibile latiùs patet, quàm perspicuũ: altero modo priuatiuè, nempe quod habet priuationem D visibilitatis, cum aptitudine tamẽ ad eam adipiscendam, hoc autem est ipsummet perspicuum; visibile namq; color est, perspicuitas verò est de natura coloris, quia est eius priuatio in subiecto apto colorari, & est loco coloris in subiecto perspicuo; ideò si perspicuum condensetur, & fiat terminatum, euadit coloratum, & perspicuitas migrat in colorẽ: in genere igitur visibilium perspicuũ est, quia perspicuitas notat priuationẽ coloris, & visibili E tatis cum aptitudine, quò fit, vt solum perspicuum sit receptiuum coloris: quamobrem in genere visibilium solum perspicuum est inuisibile, & ita omne inuisibile priuatiuè est perspicuum.

Inuisibile dicitur duobus modis.

Si quis verò obijciat: coloratum valde distans inuisibile est, quia propter distantiam non potest videri, nec tamen est perspicuum; quare in genere visibiliũ datur aliquod inuisibile, quod non est perspicuum:

Obiectio.

dicẽdum est, colorem cum hoc, vel quouis alio impe F dimento posse quidem inuisibilem dici, non tamen per se, sed per accidens. siquidem est per se, & secundùm propriam naturam visibilis, licèt ei accidat vt ab aliquo videri nequeat; ideò etiamsi conuenienter alicui propinquus, videri tamen ab illo non possit propter illius visus debilitatem, id fit per accidens, quia per hoc non stat, quin suapte natura sit visibilis, & ab aliquo etiam alio videatur, si non ab homine, saltem à lynce; nullus enim per hoc defectus notatur in coloris visibilitate, vt consideranti patet. Dum igitur loquimur de illo

Solutio.

E 1

ra & pugnantia Galeni dicta magnum nobis negotiū facessit, quum eam plenè intelligere nō facile esse videatur; quo factū est, vt eam plures Medici ad varios sensus, vt ipsam tuerentur, extorserint; nam si Galenum præsentem haberemus, quem interrogare, & vicissim respondētem audire nobis liceret, magis eius sententiam assequi, & assequuti reprehendere, atq; impugnare faciliùs possemus: quærendum enim à Galeno esset, an ipsam spirituum animalium substātiam egredi ex oculo putet, an solum lumē, quod est accidēs, & rursus an id, quod exijt, ad oculos iterū vnà cum coloribus, ac rebus visis reuertatur, ita vt in ipsis oculis sentiatur, an potiùs nō remeare ampliùs ad oculos, sed in externo aëre remanere, & ibi visionē absolui arbitretur: sed quū Galenum audire hæc declarantem non liceat, magnum subire laborem cogimur cuncta hæc separatim confutandi, præsertim quum ea omnia apud Galenum legantur, pugnareq; ipse cum seipso frequenter videatur; itaq; aduersus omnes sensus, tum quos Medici verbis Galeni attribuerint, tum quos attribuere possunt, est nobis in præsentia disputandū. Inprimis quū Galenus ex visione magnitudinis aduersus

Primum argumentum contra Galen.

Arist. argumentum sumat, ex eadem nos argumēto irrefragabili falsam esse Galeni opinionem ostendemus: nam si visus, vt ipse ait, ad rei magnitudinem vidēdam extrà porrigitur, ergo in qualibet distantia eandem debet magnitudinem iudicare, vbicūq; enim ea sit, ipse eam amplectitur vti est; attamen non ita euenit, nam propinquum hominem videmus vt maiorem, remotum verò vt minorem, & astra iudicamus multò minoris quantitatis, quàm reuera sint. At secundùm Aristot. manifestam afferimus huius discriminis rationē; nam eadem res, dum est propinqua, obtusiorem, & ampliorem angulum linearum visualium in oculo facit, dum autem est remota, acutiorem, & strictiorem; ob id propinqua maior videtur, remota verò minor: at si per egressum radiorum visio fieret, deberet in qualibet distantia quantitas eiusdem rei eadem videri.

Secūdum argumentum.

Præterea quum radij visuales ab oculo extra mittantur, dicere Galenus debet, an extra oculum fiat rei visæ iudicatio, an in oculo, vtrū horū senserit, ego quidem nescio, quia vtrunque asseruisse videtur, sed vtrouis dato ostendam eius sententiæ absurditatem; iudicationem autem considerandam accepi, quia ibi esse rem visam oportet, vbi iudicatur, siquidē visio debet esse coniunctio facultatis visiuæ, cū re visa, seu eius mutatio in rem visam; quare vel in re visa recipitur facultas visiua, vel cōtrà in ipsa facultate, seu in organo res visa recipitur: Galenus quidem in lib. 10. de vsu partium dum crystallini humoris cōditiones declarat, inquit ipsum esse albū, clarum, ac splendidum, quia sic aptus est vt à coloribus immutetur putat ergo colores in crystallino reci-

A pi, & ita visionem fieri per speciei receptionē; immutari namque est pati, & recipere, agens enim non immutatur, sed immutat, patiens verò immutatur: ideo quidam Medici ita Galeni sententiam interpretati sunt, vt Galenus putauerit visionem & emissione, & receptione fieri, nempe lumen ab oculis emitti ad aërem iam luminosum, & cum illo aëris lumine commisceri, deinde simul iunctum vtrunque lumen vnà cum colore ad oculum remeare, &

Quorundam Medicorum sentent. de mente Galeni.

B in eo recipi, ac iudicari: in libro quoque de oculis inquit Galenus, crystallinum esse albū, ac splendidum, vt citò colores recipiat: & in septimo de Hippocratis, & Platonis decretis dicit aërem tunc maximè à coloribus affici, quando est purus, & lucidus; ex quo infert etiam instrumentum visus lucidum, ac perspicuum esse, vt à coloribus alterari possit: concedit itaque oculum à coloribus pati, & huius veram causam adducit, cōfirmans etiam exem-

C plo aëris, quem ideò recipere in se colores dicit, quia luminosus, ac perspicuus est; omne igitur perspicuum est receptiuum colorum, substantia autem oculi perspicua est, & luminis receptiua, quare etiam colorū; iure igitur illi ad hoc confugerunt, quòd etiam secūdùm Galenum fit receptio coloris in oculo, & eiusdem iudicatio. Attamen hoc pugnat cum alijs Galeni dictis, & nulla videtur horum esse posse conciliatio: nam in septimo de placitis,

D dum aduersus Aristot. argumentatur, hoc statuit, sensus visus, & aliorū sensuum discrimen, quòd alij sensilia ad se venientia expectēt, visus verò per aërem medium ad colores videndos porrigitur, negat ergo colores ad oculum remeare, quia sic quoq; visus sensilia ad se venientia expectaret: quod etiam clariùs ex alijs Galeni verbis colligitur, nam postea inde infert, solum visum magnitudinem sui obiecti vnà cum obiecto ipso comprehendere, quia

E (vt apertè ibi dicit) fieri non potest vt magnitudo rei in paruam oculi pupillam ingrediatur, quo argumento (vt prædiximus) ibi aduersus Aristot. vtitur: quoniam ergo secundùm Galen. ita videtur color, vt videt etiam magnitudo rei coloratæ, magnitudo autē ingredi oculum non potest, igitur color quoq; extra oculum videtur; nam si ad oculum remearet, etiam magnitudo cum eo remearet, proinde rueret argumentum Galeni aduersus

F Aristot. quod sumebatur à magnitudine, quā nullo modo in parua pupilla recipi posse Galenus existimauit; igitur color quoq; extra oculum videtur, ac iudicatur, idq; confiteri eo in loco Galenus cogitur. Hæc igitur omnia Galeni dicta quisquis perpendens non fateatur manifestam esse, & insolubilem ipsorum inter se pugnātiam, vel cæcus, vel proteruus, ac pertinax est. Sed ostēndamus, vtrouis horum dato, Galenum defendi non posse. Primum quidem si cū illis Medicis dicamus Galenū reuera putasse [illegible] vnà cum vtroq;

Repugnantia in dictis Galeni.

lumine ad oculū remeare, & in eo recipi, iam receptione visionem fieri Galenus cōfitetur: vnde etiam colligimus sola receptione fieri, non extramissione, quia natura non abundat in superuacaneis, neq; facit per plura id, quod æquè potest absoluere per pauciora; igitur non opus est emitti lumen ad externum aërem, vt iterum ad oculum reuertatur: nam fatetur Galenus aërem perspicuum, & luminosum iam mutatum esse à coloribus, & eos in se recepisse; fatetur etiam oculum esse eiusmodi, vt queat colores recipere; poterit ergo pati oculus ab aëre ita colorato, imò necessarium est vt patiatur, quia patiens aptū ad patiendum, & à nullo impeditum, necesse est, vt ab agentis contactu patiatur. Illud verò ad quod aliqui confugiunt dicentes visionē non intrinsecus in oculo fieri, sed in cōtactu & superficie oculi, ita vanum est, vt confutatione quoque indignum esse videatur; sic enim nō in oculo fit visio, sed extra oculū, & extra corneam: quare non defenditur id quod Galenus dicit, receptionem colorum in crystallino fieri, neq; ea dicetur remeatio luminis ad oculū, sed extra oculum manet lumen, nisi pertranseat iterum corneam, & ad humorem vsque crystallinum perueniat; non enim de propinquitate, vel remotione externi luminis quæstio nunc est, sed de emissione extra oculum, vel receptione intus in oculo: quare æquè extra oculum esse lumen dicitur, si sit in extima tantùm superficie corneæ, ac si ab oculo remotissimum sit. Itaq; si verè ad oculum remeare lumen debet, in ipsa oculi substantia ipsum recipi oportet, vbi etiam insita est vis iudicatiua: quare emissio superuacanea fuit. Si verò extramitti tantùm dicunt lumen, nec remeare, sed manere extra oculum in aëre vnà cum colore, ibiq; fieri visionem, in maius absurdum incidunt, sic enim non erit animal videns, sed aër, siquidem nulla in animali visio fit, sed extra animal in aëre: dicere autem colorem non recipi in oculo, fieri tamen in oculo visionem, est omnino absonum rationi: quoniam omnis cognitio est coniunctio cognoscentis cum cognito. & ipso quoq; Galeno confitente necesse est in visione vel colorem accedere ad oculum, & in eo recipi, vel contrà ab oculo porrigi visum ad rem videndam extra oculū: quoniam igitur facultas visiua, qua animal videns dicitur, in animali esse debet, non extrà, nulla fit visio manente colore extra oculum; vel solus aër, non animal, ea ratione dicetur vidēs. Præterea experientia docet emissionem luminis à re lucida facere potiùs vt ea videatur, quàm vt videat; illa enim quæ lucent, visibilia sunt quatenus lucent, ideo etiam oculi catorum, quatenus noctu lucent, eatenus visibiles à nobis esse dicuntur, at non videntes; nisi ea ratione, qua significatur illam oculi substantiam esse alijs oculis luc[...] de aptiorem ad recipiendos, & ad videndos colores.

Subterfugiū aliquorum pro Galeno.

Confutatio.

Tertium argumentum.

Hoc etiam manifestè sensui repugnat, ab omnibus enim oculis illuminaretur nocturnus aër, si lumen omnes oculi emitterēt; nulla tamen apparet illuminatio facta ab oculis nostris noctu. At verò si tanta sit aduersariorum pertinacia, vt asseuerare cōtendant emitti ab oculis nostris lumē, negare id saltem nō possunt, debile admodum lumen esse, cur ergo huic lumini nostro non euenit id, quod alijs omnibus euenire manifestum est? omnia namque parua lumina à magnis luminibus offuscantur, ideirco interdiu non lucēt, noctu aūt lucent, & videntur, quia tūc à nullo maiori lumine opprimūtur, Galenus tamen de oculorū lumine, qđ debilissimū est, asserit contrarium: interdiu enim dum externus aër à Sole illuminatur, inquit emitti ab oculis nostris lumē, & externo lumini iunctū reddere aërem visus instrumentum idoneum; quū tamen tunc nullū deberet emitti ab oculis lumē, quū debilia lucida præsente aliquo vehementer lucente, lumen non emittant: noctu verò dum à nullo alio lucido illuminatur aër, deberent oculi nostri lumen emittere, & visibiles alijs reddi, quia tunc eorū lumen à nullo maiori lumine offuscat; sic enim videmus debilia lucida noctu esse visibilia, quę interdiu videri nō possunt; attamen Plato, & Galenus dicunt nullū ab oculis lumē noctu emitti, at certè emitti deberet; saltē tantum, quod faceret oculum visibilem ab alijs, si non videntē alia: ratio aūt, quam huiusce rei Plato in Timæo adducit, inanis est, & ab Aristotel. refellitur in libro de sensu & sensilibus, cap. 2. Plato enim dicit emissum ab oculis lumē noctu extingui à circumfusis tenebris; hoc autem inquit Arist. vanū esse, quoniam ignis non extinguitur, nisi humido, aut frigido; hęc enim sunt contraria positiua, quæ extinguere ignē possunt; at tenebrę nullā agendi vim habent, quū sint mera priuatio luminis; & in omnibus alijs luminibus experimur etiam debilia lumina à nocturnis tenebris nō extingui: quòd si concedatur ab humiditate, vel à frigore nocturni aëris ignem, seu lumen ab oculis emissum extingui, cur non extinguitur etiam interdiu, dū pluuia est in aëre, & dum aër frigidissimus est, & dum magna glacies existit; si ergo tunc non extinguitur, neque noctu extingui debet, & quū ab his contrarijs, quæ maximè extinguere ignem possunt, non extinguitur, vanū est dicere ipsum extingui à tenebris, quum tenebrę sint nihil, proinde agendi vim nō habeant. Est præterea considerandū, an dicat Galenus aliquid corporeū exire ex oculo, vt ignē, vel spiritum animalem, an lumē, quod est accidens: dicere quidem apertè videtur corporeum aliquod egredi, refert enim Platonis sententiā, ac verba in Timæo, qui dicit ignem egredi ex oculis, & cū aëre iam luminoso ita cōiungi, [...] vnum ex ambobus corpus coalescat; necesse [...] igitur, vt secundum Pla-

Quartū argumentum.

Quintum argumentum.

Sextum argumentum.

requirere lumen, vt per suum colorem possit mouere perspicuũ interminatũ; ita vt tum interminatũ perfici à lumine oporteat, vt à colore pati possit, tũ color, qui est in perspicuo terminato, debeat perfici a lumine, vt possit agere in perspicuum interminatũ. Ex his igitur patet, necessariũ esse lumẽ & propter medium, & propter organũ, vt hæc tanquam perspicua colores recipere possint; & maximè etiam propter colorẽ, vt possit mouere perspicuum: quia id, quod est motiuũ per naturam B alterius, quod in eo genere est primũ, nõ potest mouere, nisi ope illius. Alia multa ad plenam huiusce rei declarationem dicẽda essent, sed ne eadem frustra repetantur, hæc postea in argumentorũ solutione opportuniùs considerabuntur.

Solutio argumentorum pro Auempace adductorum. Cap. XII.

Reliquum est, vt ad maiorẽ veritatis declarationem cõsideremus, quantum roboris habeant argumenta omnia priùs C adducta, tum pro Auempace, & Auicẽna, tum pro Auerroe. Primũ erat Auempacei argumentũ ab Auerroe relatũ, quod deducebatur ex eo fundamẽto, lumen & color specie non differunt. Ad hoc respondens Auerroes non satis habet id fundamẽtum negare, sed etiam efficaciter probat lumen, & colorem differre specie. Primùm quidẽ sumit argumẽtum ab D experientia; videmus enim in trãsitu nubium parietes colorari colore herbarũ, quod nõ fieret, nisi priùs in aëre color ille reciperetur; atqui iam erat priùs illuminatus aër, ergo lumẽ non est color, quia si esset color, nõ posset aër illuminatus recipere alium colorẽ: sic etiam lumẽ Solis transiens per vitrũ coloratũ colorat parietem illo eodem colore, quare priùs in aëre luminoso color ille recipitur: hoc aũt Auerrois argumentũ probat contra Auempacẽ E tum inexistens in aëre lumen non impedire receptionẽ colorũ, tum differre specie colorem, & lumẽ; quia obiectũ receptibile, licèt in suo receptiuo receptũ vt aduentitium non impediat receptionẽ aliorũ eiusdem generis, nam prima materia habens formas elemẽtorũ recipere animã non prohibetur, tamen non potest ita in illo inesse, vt sit ratio recipiendi; quũ enim non inficietur Auempace colorem F vniuersè sumptum esse adæquatũ receptibile respectu perspicui, imò hoc dicere cogatur, dum ait lumen & colorem esse idem specie, ideò dum per experientiam ostendimus aërem illuminatum ita recipere colorẽ, vt lumẽ sit ratio recipiendi, quia non reciperet aër colores, nisi esset illuminatus; demõstramus nõ esse idem specie lumẽ & colorẽ; quia si essent idem, sequeretur aliquid esse rationẽ recipiẽdi seipsum, q̃ nullo modo esse potest. Quoniam ergo fallum ... illud, color, & lumẽ sunt idem sp... ur id, quod

Ad primum argumentum Auempacei.

Quid lumen, & color specie differant.

inde colligebat Auempace, aërem receptiuũ colores debere carere lumine; imò ex huius cõsequentis falsitate clarissima per experientiã cognoscitur falsitas illius assumpti. Probat etiam Auerroes hoc idem argumẽto sumpto à definitionibus: illa enim quæ diuersas habẽt definitiones, specie, atq; essentia differunt; at color definitur esse extremitas perspicui terminati, lumẽ verò actus perspicui interminati; differũt ergo specie. Ex his ergo infert Auerroes, non oportere illud, quod mouetur à colore, esse non luminosum, sed oportere esse nõ coloratũ; quia nihil est ratio recipiendi se; & in hoc rectè sensit, & eius solutio meo quidem iudicio optima est. Auempace verò errauit, putans lumẽ requiri propter solũ colorem, non propter medium, ideò neq; rectè est interpretatus definitionẽ coloris ab Aristotel. traditam; nõ enim dixit Aristot. colorẽ ducere perspicuũ de potestate ad actũ, & facere actu perspicuũ, sed dixit esse motiuũ perspicui, quod iam sit actu; est igitur priùs actu perspicuũ per lumẽ, posteriùs verò vel tempore, vel saltem natura est mobile à colore. At secundũ argumentũ ab Alberto adductum respondeãt Auerroistæ, qui negant lumẽ requiri propter colorem: ego enim arbitror totum esse cõcedendum, & assero primũ visibile esse lucem; ideoq; oẽs non lucentes colores fieri visibiles per lumen, quod est imago, seu species lucis, vt prædiximus. Ad tertium, quod Auicenna sumebat ab experientia, dico probari quidem illo argumento, necessarium esse lumen propter colorem, quia iam cõcessimus non posse perspicuum moueri à colore non illuminato; at non probari ipsum non requiri propter medium; dico enim eam esse luminis naturam, vt receptũ in superficie corporis terminati subeat quodãmodo cõditiones lucis, & illuminet perspicuũ medium: quãdo igitur color est illuminatus, videtur ab aliquo existente in spelunca tenebrosa, quia lumen illud colori adiunctum illuminat totũ illum aërem ad ipsos vsq; oculos videntis: quanquã enim non ita illuminat, vt faciat aliorum colores videri, tamen tãtum illuminat, quãtum satis est ad visionẽ illius coloris, cui iunctum est; sic etiam illa noctu lucẽtia, de quibus loquitur Aristot. in contex. 72. lib. 2. de Anima, vt oculi catorũ, & leonũ, & noctiluræ, & alia huiusmodi, ideò videntur noctu, quia illuminant aërem satis pro ipsorum visione, licèt non satis pro visione aliorum circũstantium colorum: ideò annotandum summoperè est, Arist. in memorato loco satis pingui Minerua illa noctu lucentia considerare: quum enim vera ratio cur noctu videantur sit, quia illuminant sibi aërem, tamen Aristot. concedit ea videri in tenebris, & sine lumine; quoniam non erat ibi eius consilium exquisitè docere illa, quæ ad visionem pertinent: sed quantum s... erat ad facultatẽ visiuã declarandã; ... habuit ibi sum...

Ad secundũ.

Ad tertium.

Declaratũ tex. 72. lib de Anima.

requirere lumen, vt per suum colorem possit mouere perspicuū interminatū; ita vt tum interminatū perfici à lumine oporteat, vt à colore pati possit, tū color, qui est in perspicuo terminato, debeat perfici a lumine, vt possit agere in perspicuum interminatū. Ex his igitur patet, necessariū esse lumē & propter medium, & propter organū, vt hæc tanquam perspicua colores recipere possint; & maximè etiam propter colorē, vt possit mouere perspicuum: quia id, quod est motiuū per naturam alterius, quod in eo genere est primū, nō potest mouere, nisi ope illius. Alia multa ad plenam huiusce rei declarationem dicēda essent, sed ne eadem frustra repetantur, hæc postea in argumentorū solutione oppotunius considerabuntur.

Solutio argumentorum pro Auempace adductorum. Cap. XII.

RElíquum est, vt ad maiorē veritatis declarationem cōsideremus, quantum roboris habeant argumenta omnia priùs adducta, tum pro Auempace, & Auicēna, tum pro Auerroe. Primū erat Auempaces argumentū ab Auerroe relatū, quod deducebatur ex eo fundamēto, lumen & color specie non differunt. Ad hoc respondens Auerroes non satis habet id fundamētum negare, sed etiam efficaciter probat lumen, & colorem differre specie. Primùm quidē sumit argumētum ab experientia; videmus enim in trāsitu nubium parietes colorari colore herbarū, quod nō fieret, nisi priùs in aëre color ille reciperetur; atqui iam erat priùs illuminatus aër, ergo lumē non est color, quia si esset color, nō posset aër illuminatus recipere alium colorē: sic etiam lumē Solis transiens per vitrū coloratū colorat parietem illo eodem colore, quare priùs in aëre luminoso color ille recipitur: hoc aūt Auerrois argumentū probat contra Auempacē tum inexistens in aëre lumen non impedire receptionē colorū, tum differre specie colorem, & lumē; quia obiectū receptibile, licèt in suo receptiuo receptū vt aduentitium non impediat receptionē aliorū eiusdem generis, nam prima materia habens formas elemētorū recipere animā non ꝓhibetur, tamen non potest ita in illo inesse, vt sit ratio recipiendi; quū enim non inficietur Auempace colorem vniuersè sumptum esse adæquatū receptibile respectu perspicui, imò hoc dicere cogatur, dum ait lumen & colorem esse idem specie, ideò dum per experientiam ostendimus aërem illuminatum ita recipere colorē, vt lumē sit ratio recipiendi, quia non reciperet aër colores, nisi esset illuminatus: demōstramus nō esse idem specie lumē & colorē; quia si essent idem, sequeretur aliquid esse rationē recipiēdi seipsum, q᷑ nullo modo esse potest. Quoniam ergo falsum [illegible] illud. color, & lumē sunt idem sp[illegible]ur id, quod

A inde colligebat Auempace, aërem receptiuū colores debere carere lumine; imò ex huius cōsequentis falsitate clarissima per experientiā cognoscitur falsitas illius assumpti. Probat etiam Auerroes hoc idem argumēto sumpto à definitionibus: illa enim quæ diuersas habēt definitiones, specie, atq; essentia differunt; at color definitur esse extremitas perspicui terminati, lumē verò actus perspicui interminati; differūt ergo specie. Ex his ergo infert A-
B uerroes, non oportere illud, quod mouetur à colore, esse non luminosum, sed oportere esse nō coloratū; quia nihil est ratio recipiendi se; & in hoc rectè sensit, & eius solutio meo quidem iudicio optima est. Auempace verò errauit, putans lumē requiri propter solū colorem, non propter medium, ideò neq; rectè est interpretatus definitionē coloris ab Aristotel. traditam; nō enim dixit Arist. colorē ducere perspicuū de potestate ad actū, & facere a-
C ctu perspicuū, sed dixit esse motiuū perspicui, quod iam sit actu; est igitur priùs actu perspicuū per lumē, posteriùs verò vel tempore, vel saltem natura est mobile à colore. At secundū argumentū ab Alberto adductum respondeāt Auerroistæ, qui negant lumē requiri propter colorem: ego enim arbitror totum esse cōcedendum, & assero primū visibile esse lucem; idenq; oēs non lucentes colores fieri visibiles per lumen, quod est imago, seu species lucis,
D vt prædiximus. Ad tertium, quod Auicenna sumebat ab experientia, dico probari quidem illo argumento, necessarium esse lumen propter colorem, quia iam cōcessimus non posse perspicuum moueri à colore non illuminato; at non probari ipsum non requiri ꝓpter medium; dico enim eam esse luminis naturam, vt receptū in superficie corporis terminati subeat quodāmodo cōditiones lucis, & illuminet perspicuū medium: quādo igitur color est il-
E luminatus, videtur ab aliquo existente in spelunca tenebrosa, quia lumen illud colori adjunctum illuminat totū illum aërem ad ipsos vsq; oculos videntis: quanquā enim non ita illuminat, vt faciat aliorum colores videri, tamen tātum illuminat, quātum satis est ad visionē illius coloris, cui iunctum est; sic etiam illa noctu lucētia, de quibus loquitur Arist. in context. 72. lib. 2. de Anima, vt oculi catorū, & leonū, & noctilucæ, & alia huiusmodi, ideò
F videntur noctu, quia illuminant aërem satis pro ipsorum visione, licèt non satis pro visione aliorum circūstantium colorum: ideò annotandum summoperè est, Arist. in memorato loco satis pingui Minerua illā noctu lucentia considerare: quum enim vera ratio cur noctu videantur sit, quia illuminant sibi aërem, tamen Aristot. concedit ea videri in tenebris, & sine lumine; quoniam non erat ibi eius consilium exquisitè docere illa, quæ ad visionem pertinent: sed quantum [illegible] erat ad facultatē visiuā declarandā; i[illegible] habuit ibi sum[illegible]

Ad primum argumentum Auempaces.

Quid lumen, & color specie differant.

Ad secundū

Ad tertium

Declaratū tex. 72. lib. 2 de Anima

re, colores saltē sine lumine videri non posse, A quasi lux non sit color, id enim fecit, ne lumē cum colore confunderet, ita vt idem esse crederetur: at in libro de Sensu & sensilibus, vbi exquisitiùs de visione loquitur, apertè dicit lucem videri vt colorem. Ad argumentū igitur Auicennæ dico aërem illū, qui in spelunca est, esse quidē tenebrosum ratione aliorū colorum, qui sunt ibi in tenebris, quia non est in eo tantū luminis, quantū ad illos illustrandos requireretur, sed vocari posse illuminatū ratione illius rātum coloris, qui extra speluncā B illustratus esse statuitur, quoniā aër ille ab illo ipso colore illuminato illuminatur; & quamuis color ille, & lumē illi iunctū moueat tanquam obiectum vnū, tamen secundùm naturam priùs mouet illuminando. posteriùs verò coloris speciem imprimēdo; quia sicut natura lucis naturam coloris præcedit, ita in perspicuo lumen præcedit natura speciem coloris; nunquā igitur videtur color sine illuminatione perspicui, quod inter colorē, & oculos me- C diū est. Quartum argumentū nobis non officit, proinde omnino concedendum est; eo enim nil aliud ostenditur, quàm colorem non posse mouere nisi sit illuminatus, & hoc asseruit apertè Aristotel. in illo contex. 18. lib. 3. de Anima. Auerroes tamen, qui omnino negat esse necessariū lumen propter colorem, nititur hoc argumentum soluere, & inquit, cōparationem illam intellectus agentis cum lumine in visione non esse intelligendā secundum D omnia, sed in hoc solùm, quòd sicuti necessarium est lumen ad visionē, ita necessarius est intellectus agens ad nostram intellectionē; in eo autem (inquit) sunt dissimilia, quòd intellectus agēs est necessarius ad illuminādā phantasmata, at lumen non est necessariū ad illuminandos colores, sed ad solum mediū illuminādum. Hæc tamen Auerrois solutio vana est, quoniā Aristot. non modò dicit necessariū esse intellectum agentem ad intellectionem, si E cuti lumē ad visionem, sed modū etiam exprimit, in quo hanc similitudinem consistere arbitratur: dixerat enim dari intellectū, qui omnia fit, & dari alterū, q omnia facit, nam intellectus agens facit de intelligibilib^9 potestate actu intelligibilia, & ita apertè inquit eius officium in obiectis phātasmatibus esse constitutū; deinde verò hoc declarans ait [*vt habitus quidam, quale est lumen, facit enim lumen potestate existētes colores actu colores*] asserit er- F go intellectum agentem iungi phātasmatib^9 tanquā formā, & habitū, & in hoc dicit ipsum esse similem lumini, quia lumē quoq; est habitus, & forma, quæ iuncta coloribus facit eos esse actu, qui priùs erāt potestate, qui enim erant potestate motiui, fiunt actu motiui: non debet ergo in hoc Aristot. de coloribus, ac de lumine falsum dicere, quia non vtitur eo exēplo tanquā ficto ad rei declarationē, sed tanquā vero: asseuerans enim hoc de colore p nuntiat, & nisi de colore rerum sit, non declaratur illa cōparatione, quomodo intellectus agens facit intelligibilia: argumentum igitur est validum, & solutio Auerrois vana est.

Solutio argumentorum Auerrois.

Cap. XIII.

Expendenda manent duo Auerrois argumenta, quibus ostendere nitebatur lumē non propter colorem, sed propter solum medium requiri, quæ difficilia sunt, & magnū negotium facessere videntur. Alterum sumebatur ex Aristot. in 2. lib. de Anima, in cap. de Visu, vbi definiens lumen vt ad visionem conferens, nil aliud dixit, quam esse actū perspicui quatenus est perspicuum; non dixit esse actū coloris, quo perficiatur color, imò etiam colorem definiens dixit esse motiuum perspicui actu, nulla facta luminis mentione; censuit ergo colorē esse per se motiuū perspicui absq; ope luminis. Ad hoc argumentum varia dicuntur à sectatoribus contrariæ opinionis. Quidam dicunt lumen propriè iungi perspicuo, non colori: nam perspicuo iungitur formaliter, quia imbibitur in tota eius substātia tanquā forma reddens ipsum actu; colori aūt iungitur nō formaliter, sed obiectiuè, non cīn facit colorem esse colorē, siquidem etiam in tenebris est color, sed facit esse obiectū motiuum perspicui: ob id Aristot. lumen in solo perspicuo, non in colore cōsiderauit. Sed hæc responsio mihi non satis fecit, neq; difficultatem tollit: quum enim Aristot. ibi non alio modo colorem cōsideret, quàm vt visibilē, proinde sub ratione obiectiua, quū ipsum definiens dicat esse motiuum perspicui, ad constituendam aūt in colore rationem obiectiuā requiratur lumen, ergo declarās quomodo color sit motiuus perspicui, debuit omnino facere luminis mentionem, si est motiuus per lumen. Præterea negari non potest iungi lumen colori formaliter: quamuis enim lumē in colore habeat rationē obiecti motiui respectū perspicui, quia constituit obiectum motiuū; tamen respectu ipsius coloris nō habet nisi formæ rationem: quicquid enim alicui iunctum cōstituit ipsum in tali esse, id facit vt forma illius quatenus talis, hoc enim est officium formæ; lumen autē iunctū colori cōstituit ipsum in esse obiectiuo; ergo est forma illius cōsiderati secundùm illud esse obiectiuum: hoc asseruit apertè Aristot. tum de ipso lumine respectu colorum, tum de intellectu agente respectu phantasmatum, quem locum antea considerauimus: nulla igitur ratio apparet, cur nō debuerit Aristotel. dicere lumen esse necessariū colori, vt color sit motiuus perspicui: quare argumentum viget. Rectior esse videtur Alberti responsio, qui dicit Aristotel. ibi sumere colorem secundùm esse formale, & vt visibilis est, id eoq; [illegible] iam illuminatū, sic enim eu[illegible] [illegible] quam senteu-

Ad quartū.

Responsio Auerrois.

Responsionis impugnatio.

Ad primum Auerrois.

Responsio aliquorum.

Responsionis impugnatio.

Responsio Alberti.

tiam videtur sequẽtia Aristot. verba significa-A re, statim enim subiungit [*quare non est visibilis sine lumine*] quæ magis videtur ad colorem referri, quàm ad perspicuum; de colore namque colligit Aristot. ipsum non esse motiuum sine lumine, & videtur esse illatio à posteriore ad prius, ex eo enim quod est motiuus perspicui, infert cõditionem ei necessariam ad mouendum; quasi dicat, est motiuus perspicui, ergo debet esse illuminatus. Attamẽ quia Aristot. occasionem inde sumit loquendi de lu-B mine, & declarandi eius naturam, & statim ipsum definiens vt ad visionem relatũ, inquit esse actum perspicui quatenus est perspicuũ, neq; dicit esse actum coloris vt visibilis, neq; vllam coloris mentionem facit, non videtur hæc Alberti solutio, nisi quid aliud ei addam, difficultatẽ tollere. Ego igitur dicam, in quo huius argumenti solutionem cõstitutam esse existimem. Certum est, Aristot. eo in loco per

Responsio propria.

lumen non intelligere lucem ipsam, quæ in-C est in corpore lucido, quum hãc in contex. 69. tetigerit vt causam luminis in perspicuo: nomine igitur luminis nil aliud intellexit, quàm id quod à luce producitur in perspicuo; hoc autem est necessarium medio, quod supponitur esse perspicuum interminatum, sed nõ est necessarium colori amplè accepto, & prout color est, nam color quatenus est color, & visibilis vt quod, amplectitur etiam lucẽ, & hæc est motiua perspicui absq; externo lumine; at D perspicuum semper eget lumine externo, quo illuminetur, vel ab ipsomet obiecto colore, vel ab alio lucido; illuminatur autẽ à colore, tum quãdo est color lucens, tum quando non est quidem lucẽ, sed est ab alio illuminatus, vt quando alicuius rei color à Sole illustratus cernitur ab aliquo existente in spelunca obscurissima, quia color ille illuminatus illuminat sibi mediũ, sicut antè dicebamus: quoniã igitur non omnis color eget illustratione ex-E terna, siquidem lux nullo illuminãte indiget, non posuit Aristot. lumen in definitione coloris: & quoniam in acceptum lumen est necessarium omni perspicuo, si per ipsum visio fieri debeat, & ipsi quoq; lumini est necessarium perspicuum tanquã proprium eius subiectũ, in quo solo recipitur, colori autem adhæret vt lux potius, quàm vt lumẽn, quia in corpore terminato receptum lumen fit instar lucis visibile vt quod, & fungitur officio lucis, F quum illuminet medium; ideò Aristot. lumẽ definiuit per perspicuum tanquam per eius subiectum, non per colorem: attamen dum statuimus colorem esse tenebrosum, ita vt neque ex se luceat, neque ab alio illuminetur, manifestum est, ipsum non esse visibilem, nec motiuum perspicui: ideò rectè Albertus dicit Aristot. in defi[n]itione coloris accepisse colorem secundum esse formale, hoc est, lucentem vel ex se, vel ab [...] nisi enim eiusmodi sit, non est motiuus [...] autem ipsemet Aristotel. declarat, quando ex definitione coloris colligit ipsum non esse motiuum sine lumine, & subiungit omnem cuiusque rei colorem in lumine visibilem esse, quod est inferre cõditionem necessariam ad visibilitatem coloris, nec potest intelligere nisi conditionem ipsius coloris; quare acceperat colorem secũdùm esse formale, secus enim non posset inferre non esse visibilem sine lumine: nec potest aliquis dicere, Aristotelem id colligere, non vt conditionem coloris mouentis, sed solius perspicui patientis; etenim patiẽtis aptitudo est quidem necessaria mouenti vt moueat, sed non vt sit motiuum; ignis enim non vrit, nisi rem aptam vri, attamen est per se vstiuus, etiamsi nihil ei adsit, quod vratur; Aristotel. autem ibi non considerat colorem vt actu mouentem, sed vt motiuum, quia si consideraret vt mouẽtem, vtiq; dicere possemus, ipsum non posse mouere, nisi perspicuũ aptũ moueri, hoc est, illuminatum: sed quum cõsideret vt motiuũ, non est ei necessaria patientis conditio, quia etiam sine hac non desinit mouens esse secundùm se motiuum, etiamsi nihil ab eo moueatur; itaq; non considerata conditione patientis, colligit Aristoteles conditionem in colore requisitam, si debeat esse motiuus; quare accipit colorem secundùm esse formale, & illatio, quam facit, est à posteriori ad prius, ex eo enim quòd est motiuus, infert ipsum esse in lumine, tanquam conditionem, per quam est motiuus. Solutio igitur argumenti est in hoc constituta: lumen accipi potest duobus modis; vel enim vt communiter amplectitur tam lucem, quàm lumen, hoc est, vt est visibile seu vt qđ, seu vt quo; vel solùm vt visibile vt quo, & ratio visibilitatis à colore distincta: priore quidem modo est necessarium & medio, & colori; quia color non potest mouere perspicuũ, nisi luceat vel luce propria, vel lumine accepto ab alio; vt quãdo lumen Solis in pariete receptũ fit visibile & vt quod, & vt quo, quum & ipsum per se visum moueat, & faciat vt color moueat: secũdo autẽ modo accep[t]ũ soli medio est necessarium, tale nãq; lumen, quod nõ fit visibile, nisi vt quo, non datur nisi in solo perspicuo interminato; Aristot. autem in 2. lib. de Anima, in cap. de Visu, hoc solùm respexit, quoniã ad declarandam per suam operationem facultatem visiuã voluit tria illa distinguere, obiectum, mediũ, & organum; ideò considerans lumen colori aduenienss subire rationem coloris, & fieri visibile vt quod, nempe vt colorẽ quendam, quia omne visibile est color, accepit ipsum tanquã visibile tantummodo vt quo, & vt actum perspicui, proinde vt conditionem perspicui, ne ipsum cum colore confunderet; hoc enim satis ei fuit ad declarandam ex sua operatione facultatem animæ visiuam: per hoc tamẽ nõ stat, quin absolutè sumptum lumen sit necessarium colori; nam color ille, qui non est lux,

Lumen potest accipi duobus modis.

EG

nõ potest mouere perspicuum, nisi ab aliquo lucido illumineruṙ. Alterũ Auerrois argumẽtũ erat: si color fieret visibilis per lumen, ergo non esset per se visibilis, quod aduersatur Arist. & cõmuni omnium opinioni, qui dicũt colorem esse per se visibilem iuxta secundum modum dicendi per se. Ad hoc ego puto negandã esse consequẽtiam: potest enim aliquid alicui cõpetere per se, id est essentialiter, non tamẽ absque auxilio & ope alterius, vt eclipsis cõpetit Lunæ per se secũdo modo, per terræ tamẽ interpositionem tanquã causam, & hoc idem in pluribus accidentibus notare possumus, quæ subiectis suis insunt ꝑ externas causas, tamen insunt per se, & in suis definitionibus subiecta accipiunt. Præterea Aristot. in 2. libro de Anima dixit, sensilia communia esse sensilia per se, quũ enim sensum moueant per species proprias, dicuntur per se sentiri; non mouent tamen sensum, nisi auxilio sensilium propriorũ, hoc est, nisi eorũ species cum speciebus sensilium propriorũ coniunctæ ad organũ sensus deferantur, quia necessarium est, vt sensilia propria priùs moueant saltem natura: ergo dicendo aliquid alicui per se competere, non excludimus omne externum auxilium. Ad huius autem rei veritatẽ plenè declarãdam plurimum cõfert distinctio illa duplicis primitatis, qua Logici vti solent in libris Posterioribus Analyticis: dicunt enim propositionem posse duobus modis dici primam, & immediatam, vno modo primitate subiecti tãtùm, altero modo primitate causæ, quæ habet necessariò cõiunctam etiam subiecti primitatẽ; quare maior primitas, & immediatio hæc est, quàm ratione subiecti tantũmodo: cõclusio enim demonstrationis est prima, & immediata ratione subiecti solùm, quia si sumitur affectionis subiectum primum, nullum est subiectum prius, cui illa affectio insit; at ratione causæ non est immediata, neque prima, quia causam mediam habet, per quam demõstratur: principia verò demonstrationis sunt vtroque modo prima, & immediata, vt in lib. nostris de Propositionibus necessariis declarauimus: si hæc vera sunt, igitur cõpetere aliquid alicui per causam mediã, non facit quin competat ei per se, quũ accidentia ꝓpria cõpetant suis subiectis per se, tamen per causam mediã, & plura etiam per externã; imò apud Aristot. neq; alicui cõpetere per aliud subiectum medium, cui priori cõpetat, impedit quin cõpetere possit per se, siquidem sensilibus cõmunibus per se cõpetit vt sensilia sint, sunt enim sensilia per se, tamẽ non sentiũtur nisi per sensilia propria, quib. prioribus sensilitas cõpetit: ergo multò magis per se sentiri dicetur illud, quod nõ per subiectum aliquod prius dicatur sentiri, sed solùm per aliud tãquã per causam, & rationem sensilitatis; tale autẽ est color respectu luminis; dicimus enim colorem esse visibilem per lumẽ, non tamẽ vt per subiectum prius, id est, quod prius sentiatur, cõstat enim lumen non esse per se visibile, dum sumitur vt à colore distinctum, sed solum esse rationem visibilitatis, id enim quod videtur vt quod, est color, non lumen; quinimò ipsamet lux, si est visibilis vt quod, est quatenus color, & ipsummet lumẽ in corpore terminato iunctum colori fit visibile vt quod, quatenus subit rationem coloris; illud enim quod propriè dicitur videri, & visum terminare per speciem propriam, est color; quare dicendo colorem esse visibilem per lumen, nõ tollimus, quin color sit per se visibilis, color enim est primum subiectum visibilitatis vt quod, lumẽ verò prout à colore distinctum consideratur, non est per se visibile vt quod, sed est solùm ratio visibilitatis: sic igitur patet nõ tãtum roboris habere argumenta Auer. quantum habere videntur.

Propositio dicitur prima dupl. modis.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, *DE VISV,* LIBER SECVNDVS.

De modo, quo fiat visio, opinio Democriti, & eius confutatio.

Cap. I.



MISSA, quæ hactenus dicta sunt, ad declarandam Arist. de visione sententiam pertinuerunt: sequitur vt aliorum quoque hac de re opiniones perpendamus, & cum Aristot. sententia conferamus, & eam ab aliorum obiectionibus vindicare nitamur. Certum est, si debeat fieri visio, oportere rem visam cum vidente coniungi, vt etiam Galenus considerat in 7 lib. de placitis Hippoc. & Platonis: oportet igitur vel aliquid ab oculo egredi, & ad iẽ visam transire, quæ Platonis, & Galeni opinio fuit; vel aliquid à re vi[illegible]cedens ad oculum progredi, & in eo re[illegible]æ fuit Aristot. opinio à Galeno effica[illegible]pugnata: videtur

Democriti opinio. etiam ad hunc modum redigi opinio Democriti, quam refellit Arist. in lib. de sensu & sensilibus, cap. 2: quæ nunc à nobis breuiter consideranda est. Putauit Democritus visionem fieri per receptionem quidem speciei in oculo, non tamen in ipsa oculi substantia introrsum; sed in superficie, apparet enim in oculo impressa imago alterius tanquam in speculo: quum enim superficies oculi sit læuis, ac tersa, recipit imagines rerum præsentium; quò fit, vt quisq; cernat imaginem suam in oculis alterius: dicebat ergo Democritus, nos ideo videre, quia habemus aliarum rerum imagines in superficie oculorum. *Impugnatio.* Hanc sententiã impugnat: Arist. considerando quid sit illa imago, quam in oculis aliorum intueri solemus; ea namq; nihil aliud est, quàm refractio speciei tanquam in speculo, quoniam superficies oculi instar speculi tersa, ac læuis est: hanc igitur imaginem (inquit Arist.) in oculo habere non est videre, sed videri ab alio, non enim ille videt, qui in oculis habet imaginem, sed alius, qui imaginem in oculo alterius intuetur; refracta enim imago in oculo illius reflectitur ad oculum alterius, qui ita eam videre dicitur tanquam imaginem suam à superficie oculi alterius refractam: quòd si refrangi in oculo imaginem esset eam videri ab illomet, in cuius oculo refrangitur, sequeretur (inquit Aristot.) omnia tersa, ac læuia, in quibus imagines refranguntur, esse videntia; igitur etiam speculũ videret, si hoc modo visio fieri diceretur. Quamobrem dicendum est, eam reuera non esse receptionẽ speciei in oculo; sed esse speciei refractionem à superficie oculi: vera autem speciei receptio est illa, quę ab Aristot. ponitur, qui dicit speciem recipi in ipsa oculi substantia intrinsecus; ea namque aquea est, & perspicua, & aliquantum densa, ita vt recipere speciem coloris, ac retineri possit, vt ab inexistente facultate animæ iudicetur, & ita sentiri, & cognosci dicatur: hæc enim est Aristotel. opinio, quæ in præcedente libro fuit à nobis diligenter considerata, & declarata.

Argumenta Galeni contra sententiam Aristot. Cap. II.

Galenus verò & in 7. illo de Hippocr. & Platonis decretis, & in 10. de vsu partium, & in libro ei adscripto de oculis, aduersus hanc Aristot. opinionem acriter inuehitur, & pluribus vtitur argumentis, quorũ *Primum argumentum.* primum est: si visio fieret per receptionem speciei in oculo, non posset rerum magnitudo videri; quum enim per foramen pupillæ debeant omnia visibilia in oculum ingredi, idque sit valde paruum, q[illegible] fieri potest, vt per illud magnitudo magni montis ingrediatur? *Secũdum argumentum* Præterea [illegible] eadem montis magnitudo [illegible]bus, ergo oportere eandem [illegible] momento ad oculos innumerab[illegible] [illegible]uod ne-

A excogitabile quidem est. *Tertium argumentum.* Sumit etiam argumentum ex ea visione, quæ in speculis fit, & inquit: dicere quidem potest Aristotel. colorem refrangi in speculo, & ad videntis oculum reuerti; at magnitudo & figura, quomodo videntur in speculo? dicere namque eas refrangi vanum est; quia non possunt hæ frangi in speculo, & ad oculum retrouerti, quum consistant in quadam concinnitate partium, & integritate totius, quam frangi nec dicere, B nec imaginari possumus. *Quartũ argumentum.* Vtitur etiam Galenus ipsamet Aristotel. confessione; qui in 3. Meteorolog. dum agit de area, iride, parelijs, & virgis, inquit fieri refractionem visus, seu radiorum visualium; & ita fatetur visionem fieri per radiorum emissionem ab oculo ad rem visam: & ibi in cap. 3. rationem afferens cur Antiphon quidam cernebat ante se imaginem suam in aere tanquam in speculo, causam esse inquit, quia ob visus debilitatem vi- C suales radij in propinquo aere frangebantur, fiebatque illi aer tanquam speculum, à quo radij visuales ad eum reflectebãtur: in his igitur omnibus declarandis (inquit Galenus) Arist. sua dimissa opinione vsus est opinione Platonis, quia suam tueri non est ausus. Notat etiam Galenus Arist. ibi dicere nihil referre, an dicamus visionem fieri per egressum radiorum ab oculo ad rem visam, an per progressum speciei à re visa ad oculos: quod idem D nos legere apud Aristot. possumus in calce 1. cap. lib. 5. de Generat. animal. quum enim aliqua ad visum attinentia considerasset, postea fatetur nihil referre, an egressione radiorum fieri visionem dicamus, an receptione specierum: inquit ergo Galenus, Aristot. vidisse suæ opinionis absurditatẽ, & cognouisse eam defendi non posse, neque illis, quæ apparent, accommodari; ideoque nos hoc cauillo elusisse, dicendo nihil referre, an hoc modo, an E illo visionem fieri dicamus; quippe opinionẽ mutans; & ad alienam sententiam confugiẽs, illaque vtens; nec tamen fateri volens se mutare sententiam. Hæc sunt, quæ à Galeno aduersus Aristotelem adducuntur.

Platonis, & Galeni opinio, & eius declaratio. Cap. III.

Svam autem hac in re sententiam profe- F rens Galenus inquit visionem fieri per radiorũ emissionẽ ab oculo ad rem visam, quæ Platonis in Timæo opinio fuit, & eam declarare multis verbis nititur: ego tamen fateor me illam plenè assequi mente nunquam potuisse, nullum enim eius sensum inuenio, qui non sit absurdus, & omnino absonus rationi; referam igitur quid ex Galeni verbis colligere de eius sententia potuerim, postea sensus omnes, qui illi attribui possunt, diligenter considerabo. Inquit Galenus primum totius sensus instrumentum esse cerebrum, & ab eo vim sentiendi cum alijs partibus com-

ſenſus autem non recipit, ſed organum recipit, ideò non ipſa anima ſenſibilis eſt locus ſpecierum, ſed organum eſt locus; aſt anima rationalis dicitur locus ſpecierum, quia nullum habet organum, quod ſpecies recipiat, ſed ipſamet recipit: quocirca non rectè comparatur cum lumine, quod eſt forma perſpicui, neque eſt recipiens colores, ſed ſolùm ratio recipiendi; quò fit, vt rectè attribuatur receptio aëri: non ſic intellectio poteſt attribui homini, quia neq; intellectus ſecundùm Auerroem eſt forma hominis, neq; in homine fit receptio ſpecierū, ſed in ſolo intellectu.

Solus intellectus eſt locus ſpecierum.

Secūdum argumentum.

Præterea ſi intellectus non eſt forma hominis, & ex operatione intellectus homo dicitur intelligens, intellectio eſt actio tranſiens; at hoc falſum eſt, quia omnium conſenſione intellectio eſt actio immanens; conſequentia autem probatur per ipſammet cōparationem, qua aduerſarij vtuntur, intellectus cum nauta: actio enim, qua nauta mouet nauim, eſt abſq; dubio trāſiens, quum nauta non ſit forma nauis, ſed ſit ſubſtantia diſtincta à ſubſtantia nauis; ſic actio qua intelligentia cœleſtis mouet orbem, eſt actio tranſiens: ſimiliter igitur ſi ex actione intellect9 homo dicitur intelligēs, illa eſt actio tranſiens, at tamen eſt immanens, vt omnes concedunt; ergo ex ea homo non poteſt dici intelligens, niſi intellectus ſit forma hominis, hoc enim negato, non video cur non idem de intellectu ſit concedendum, qđ & de nauta, & de intelligentia cœleſti manifeſtum eſt: nam ſi ſumatur aliqua nautæ operatio immanens, vt contemplatio, vel loquutio, ea neque cum naui, neque cum toto coniuncto communicatur; loquente enim nauta neque nauis, neque totum coniunctum dicitur loquens; ſic intelligentia cōtemplante ſeipſam, neq; orbis dicitur contemplans, neq; totum coniunctum, quod ex intelligentia & orbe conſtat, ſed ſola intelligentia dicitur cōtemplans, quemadmodum ſolus nauta dicitur loquens; ſic igitur ſolus intellectus dicetur intelligens, non homo, cui aſſiſtere dicitur.

Reſpōſio Auerroiſtarū.

Neque alicuius momenti eſt illud, quod aduerſarij dicunt, intellectum pendere à corpore obiectiuè, quatenus à phantaſmatibus humanis pendet vt ab obiecto, à quo mouetur;

Confutatio.

nam, vt rectè Thomas conſiderat, hoc facit potiùs hominem intelligi, quàm intelligere; quod ex eadem comparatione manifeſtum eſt; nam ſi ſtatuamus nautam videre nauim, & ab ea moueri, vt ab obiecto, non ob id nauis dicitur videns, ſed viſa ſolùm, neque totum cōiunctum dicitur videns, ſed ſolus nauta; ſic ſi intelligentia ſtatuatur intelligere orbem, non ob id orbis dicetur intelligens, ſed ſola intelligentia; quamuis ergo intellectus moueatur à phantaſmate, vt ab obiecto, non tamen ob id homo eſt intelligens, ſed eſt tanquam paries habens colorem, à quo mouetur viſus; quare ſicuti paries non eſt videns, ita

A homo nō eſt intelligens. Non eſt etiā admittendum id, quod dicit Auerroes de cogitatiua;

Tertium.

omnino enim cōfiteri cogitur hominem in ſpecie conſtitui, & a brutis diſtingui per formam aliquam ſubſtantialem: vel igitur cogitatiua eſt forma ſubſtantialis diſtincta ab anima ſenſibili, vel eſt ſolùm facultas quædam animæ ſenſibilis, quorum neutrum dici poteſt; primum quidem dici non poteſt, neque id diceret Auerroes, quia de hac forma diſtin- B cta ſecundùm ſubſtantiam & ab anima rationali, & à ſentiente Ariſtoteles nihil vnquam dixit: ſed neque ſecundum, quia ſic homo diſtingueretur à brutis, non per formam ſubſtantialem, neque per animam, ſed per facultatem animæ, quare non diſtingueretur ab eis ſpecie; quum enim facultates animæ ſint qualitates, vt aliàs oſtendimus, per facultatem diſtingui eſt ſola accidentali differentia diſtingui.

Quartum.

Præterea vel illa cogitatiua eſt illamet C imaginatiua, de qua loquitur Ariſtoteles in calce 2. libri de Anima, vel alia; ſi eadem eſt, homo à brutis ſpecie non differt, quum etiam bruta habeant imaginatiuam: nec refert dicere eam eſſe perfectiorem phantaſia brutorum, quia magis & minùs non variant ſpeciem, & Ariſtoteles ibi agens de phantaſia, nullum in ea diſcrimen conſiderat, ſed de ea agit communiter, prout omnibus animalibus competit: ſi verò eſt alia, non poteſt homi- D nem conſtituere, & à brutis ſeparare, niſi ſit alia forma ſubſtantialis: cur ergo Ariſtoteles de hac eſſentialiter ab alijs diſtincta phantaſia nihil vnquam dixit? Sed hæc omnia fabulas eſſe manifeſtum eſt, quoniam Ariſtoteles in 3. lib. de Anima apertè docuit proprium eſſe ſolius animæ rationalis diſcurrere, & affirmare, & negare; ideò hoc alteri alij parti animæ attribuendum non eſt: quum igitur homo enunciet, ac ratiocinetur, id per imaginatiuam E facere non poteſt, ſed per ſolum intellectum: ob id poſſumus ita argumentari; idque eſt argumentum firmiſſimum, & tum Ariſtoteli, tum veritati abſolutè maximè cōſentaneum: per illam animę partem ſpecies humana conſtituitur, & à brutis diſtinguitur, per quā homo enunciat, & ratiocinatur, at per ſolam animam intellectiuam hæc præſtat, ergo hæc ſola eſt forma humanam ſpeciem conſtituens, & eam à cæteris animalibus ſeparans: immò eſt F ipſiuſmet Ariſtotelis argumentum hoc, qui in eo cōtextu 24. lib. 2. de Anima probare volens animam eſſe formam corporis, ita argumentatur: anima eſt id, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & ratiocinamur; ergo anima eſt forma viuentis, ſentientis, mouentis, & ratiocinantis: quoniam enim manifeſtum eſt hominem ratiocinari, & intelligere, ex hoc infert animam, per quam hoc agimus, eſſe formam, à qua conſtituimur.

Quòd prædicta sententia Aristotelis fuerit. Cap. VII.

HAne sententiam Aristotelis fuisse non est difficile demonstrare, considerando illa, quæ ab ipso in libris de anima ad animæ essentiam declarandam traduntur. Clarum hoc erit, si duas propositiones ostenderimus: vna est, Aristotelem in toto 2. lib. de Anima dum ex mente antiquorum de anima loquitur, & in 2. lib. dum loquitur de anima secundùm mentem propriam ab initio libri ad contextū vsque 41. amplissimè animam sumere prout omnes animæ partes complectitur, etiam animam rationalem, de qua agit postea in 3. libro: altera est, Aristotelem docuisse omnem mortalium animam nulla excepta esse formam verè informantem materiam, & constituentem animata corpora sub genere, corpore naturali. Prior propositio facilè demonstratur: quod enim ad primum librum attinet, manifestum est Aristotelem in toto eo libro recensentem antiquorum de anima sententias plurimum sermonem facere de mente humana; immò in contextu 7. reprehendit antiquos, quòd in agēdo de anima solam humanam animam considerauerint, quasi omnes animæ sint eiusdem speciei, & sola detur anima humana: quare tantum abest vt sermo in 1. lib factus de anima sit cum exclusione animæ rationalis, vt potiùs antiqui de anima loquentes hanc vnam respexisse videantur; ob id carpit eos Aristotel. quòd non vniuersè omnem animam considerārint, sed solam fermè humanā, quum de animalium anima parum loquuti sint, plantarum verò animam vel ignorasse penitùs, vel tanquam nomine animæ indignam spreuisse videantur: propterea in vltimo capite eius libri probat stirpes quoque esse animatas, quoniam aggrēdi statim volens tractationem de anima iuxta mentem E propriam, redigere priùs statuit ad genus animæ omnes animæ partes, vt tractatio integra, & perfecta esset nullam igitur animam ab antiquis consideratam ipse a sua tractatione exclusi, sed potius adiecit animam stirpium, vt animæ consideratio vniuersalis esset; & omnes prorsus animas complecteretur. Quum igitur in 2. lib. incipiat ex animi sententia de anima loqui, necessarium est, vt omnem animam comprehendat, præcipuè verò rationalem; quia si hanc exclusisset, multò maiorem, quàm antiqui, errorem ipse cōmisisset: quandoquidem illi plantarum animam neglexerunt, quæ vilissima est, & vix aliquod animæ vestigium habere videtur; ast anima rationalis nobilissima. & maximè omnium præcipua, nullo pacto prætermittenda erat. Sed res per se clara est: quum enim in eo 2. libr. Aristoteles de illa anima loqui incipiat, de qua in primo priscorum sententias expenderat, & illi vel solam rationalem, vel hanc præcipuè respexerint, necesse est vt tractatio Aristotelis rationalem animam complectatur; idque ita esse, multifariam ostendere possumus, ea considerando, quæ in illo 2. lib dicuntur: nam in ipso libri initio inquit, postquam antiquorū de anima sententias recensuimus, videamus quid sit anima, & quæ sit communissima eius definitio; certè superlatiuo viens significat nullam animam à se omittendam esse: deinde in contex. 7. concludens definitionem animæ B dicit [*si quid commune omnis animæ dicere oportet, erit vtique actus primus corporis naturalis instrumentalis*] & postea in contexi. 8 inquit [*vniuersaliter igitur dictum quid sit anima*] quare quum toties admoneat, se omnem animam nulla prorsus exclusa considerare, ac definire, absq. dubio animam rationalem ea definitione complexus est. Hoc idem testatur diuisio, quam postea facit: nam in contexr. 13. diuidit animam latissimè sumptam in quatuor partes, C vegetantem, sensibilem, loco motricem, & intelligentem; priùs igitur nomine animæ latè accepto etiam rationalem animam complexus erat; post eum autem locum de illis quatuor vitæ gradibus multa dicit, & semper ab alijs tribus distinguit intellectiuum, quem modò vocat διάνοιαν, modò διανοητικόν, modò λογιστικόν, modo δοξαστικόν, modo νοῦν, modò νοητικόν; his enim omnibus nominibus eundem quartum animæ gradum intellexit, de quo etiam in 3. lib. diligētissimè pertractauit, vt ipsa D eorum librorum series indicat; agit enim ordinatim de illis omnibus gradibus, in 2. lib. de vegetante, ac de sentiente, in 3. autem de intelligente, ac de mouente secundùm locum: quare dubitandum non est, intellectum, de quo agitur in 3. lib. esse illam ipsam quartam animæ partem, quam in 2. lib. in ipsa animæ partitione ijs omnibus, quæ commemorauimus, nominib⁹ appellauerat: quod etiam affirmat ipsemet Aristoteles in contex. 9. lib. 3. E quando declarans quisnam sit ille intellectus, quem ibi considerandum sibi proposuerat, inquit [*dico autem intellectum, quo anima διανοεῖται*] iam enim in 1. parte 2. lib quartum vitæ gradum vocauerat διανοητικόν, & ita etiam in 3. lib. sæpe eum vocat, dum de ipsius operationibus loquitur; Latinus autem interpres eam dictionem conuertens modò dixit cogitatiuum, modò intellectiuum, rectiùs dixisset F discursiuum, quia διανοεῖσθαι propriè est ratiocinari, & à noto ad ignotum discurrere. Manifestum igitur est, Aristotelem in initio 2. libr. de Anima ita amplè acceptam animam definiuisse, vt animam rationalem ea definitione, totaque illa naturæ animæ declaratione complexus sit; quare de priore propositione dubitandum non est. Sequitur altera propositio declaranda, quæ fuit, Aristotelem docuisse eam esse omnis animæ naturam, vt omnis anima, nulla excepta, sit forma verè materiam informans, & dans esse animato corpori, & in

Duæ propositiones.

Prioris propositionis declaratio.

Posterior propositio.

specie collocans sub genere corpore naturali: A
hanc demõstrare multifariam possumus, quo-
niam omnia Aristotelis verba ita clarè huic
sententiæ attestantur, vt pertinacis admodum
hominis sit eam inficiari. In primis volens A-
ristoteles communem omnis animæ defini-
tionem inuestigare, præmittit in 2. context. il-
lius 2. libri diuisionem substantiæ in materiã,
formam, & compositum; vt horum aliquod
acciperet, sub quo tanquam sub genere ani-
mam collocaret: est igitur considerandum, B
quam materiam, & quam formam ibi Aristo-
teles sumat; certè non sumit aliam formam,
quàm informantem, neque aliam materiam,
quam habentẽ potestatem ad esse, & hoc re-
cipientem à forma; nam dicit materiam secũ-
dùm se non esse hoc aliquid, sed esse ens po-
testate, & à forma fieri hoc aliquid: quum igi-
tur hoc aliquid ibi significet esse specificum,
& determinationem in specie negari non po-
test, materiam ibi sumi cum potestate ad esse, C
& id à forma recipientem; quare formã quo-
que talem intelligit, quæ informet materiam,
& tribuat esse specificum; apertè etiam dicit
formã facere hoc aliquid, quod significat dare
esse, & in specie constituere; nam de forma,
quæ solùm assistat, hoc dici nullo modo po-
test, si namq; cœlestem orbem consideremus,
& ad intelligentiam illi assistẽtem referamus,
certè nõ recipit esse ab illa, sed est hoc aliquid
secundùm se, & habet determinatam naturã, D
neque habet potestatem ad esse, sed ex se est
aliquid actu sine ope intelligentiæ: sic nauis
secundùm se est actu hoc aliquid sine nauta:
& homo quoq; secundùm Auerroem per co-
gitatiuam formatus iam est hoc aliquid, & ha-
bet actum specificum etiam sine anima ratio-
nali, iam enim est homo, & à cogitatiua in spe
cie humana constitutus sub animali genere:
quamobrem neq; orbi cœlesti, neq; naui, ne-
que homini ita formato conuenit id, quod E
ibi Aristoteles de materia dicit, proinde neq;
formæ assistenti cõuenit id, quod dicit de for-
ma: nec dicere aduersarij possunt, hominem
non esse hoc aliquid, sed habere potestatem
ad esse, dum consideratur prout respicit for-
mam nobiliorem, à qua recipit quoddam es-
se eminentius: etenim has fabulas reijciunt
verba Aristotelis, qui non dicit materiam nõ
esse hoc aliquid respectu alicuius formæ, sed
dicit materiam secundùm seipsam non esse F
hoc aliquid; talem ergo materiam conside-
rat, quæ secundùm se nullum habet esse spe-
cificum, & illud à sola forma recipit; proinde
non aliam formam sumit, quam informan-
tem, & in specie constituentem: neque etiam
dici potest Aristotel. tribuere materiæ poten-
tiam non ad esse, sed ad operari; etenim hoc
aliquid non significat operans, sed habẽs sta-
tutum esse specificum. præterea inquit for-
mam facere hoc aliquid, & esse actum, & quũ
duplex sit actus, dicit formam esse actum pri-
mum, non actum secundum, est autem actus
secundus operatio: non igitur sumit formam
vt tribuentem operationem, sed vt dantem
esse, hoc enim significat actus primus; ideò
neque materiam sumit cum potestate ad so-
lam operationem, sed ad esse. Hoc idem o-
stendamus ex consideratione actus, quem ibi
loco formæ accipit Aristoteles: inquit enim
formã esse actum, & statim diuidit actum in
primum & secundum, & dicit formam non
esse actum secũdum, sed actum primum: sciẽ-
dum igitur est, duo esse vocabula apud Græ-
cos, quæ significant id, quod nos actum voca-
mus, vnum est ἐνέργεια, alterũ verò ἐντελέχεια; ἐντελέχεια.
quorum ea est differentia, quòd ἐντελέχεια ha-
bet significationem respectiuam tantùm, si-
gnificat enim perfectionem alterius, & præ-
terea dicitur tum de forma, tum de operatio-
ne, quia & forma & operatio dicitur actus al- ἐνέργεια.
terius, & complemẽtum alterius: ἐνέργεια ve-
rò habet significationem absolutam, sed stri-
ctiorem, quia significat solam operationem,
nam ἐνεργεῖν est operari; ideò vbi forma ab o-
peratione tanquam ab accidente distingui-
tur, non potest vocari ἐνέργεια, sed sola opera-
tio dicitur ἐνέργεια; ast vbi operatio idem est,
quod substantia, ibi etiam ipsa substantia di-
citur ἐνέργεια, quatenus est idem, quod sua o-
peratio; ob id substantiæ à materia abiunctæ
vocantur ἐνέργειαι, & Aristot. in contex 19 lib.
3. de Anima, de intellectu agente loquens, di-
xit ipsum secũdùm suam substãtiam esse ἐνέρ-
γειαν: non sic in rebus materialibus; nam ope-
rationẽ quidem ignis vocare possumus ἐνέρ-
γειαν, vt eam vocat Aristoteles in contextu 32.
lib. 8. Physic. sed ipsam formam ignis substan-
tialem nunquã vocaremus ἐνέργειαν, quia di-
ctio hæc solam operationem significat, nec
potest attribui formæ, nisi quando forma est
idẽ, quod sua operatio, cuiusmodi est omnis
forma per essentiam abiuncta à materia; ob id
nos quoque talem formam solemus intelli-
gentiam appellare, quia nomen hoc propriè
significat operationem, quæ vocatur etiam
intellectio. Non rectè autem substantiæ à ma-
teria abiunctæ vocarentur ἐντελέχειαι, quia
sunt actus absolutè, non sunt perfectiones al-
terius. Aristoteles tamen in context. 49. lib. 12.
Metaphysic. primam intelligentiam vocauit
ἐντελέχειαν, satis impropria loquutione, neq;
vllum alium locum inueniemus, in quo di-
ctio hæc substantijs à materia abiunctis at-
tribuatur, neque absq; ratione ibi Aristotel.
ita loquitur, nam primam intelligentiam ibi-
dem vocat appellatione respectiua primum
quod quid est, quia eam considerat vt mo-
do quo iam perfectionem vniuersi. propre-
rea ἐντελέχειαν quoq; eam appellat nomine si-
militer respectiuo, certissimum enim est hu-
ius vocis significationem esse respectiuam. &
Aristoteles ibi eam sumit, vt ad propositum
accommodatam. Hac dictione vtitur Ari-

stoteles in principio 2. libr. de Anima, dum A diuidit actum in primum & secundum, & postea definiens animam dicit animam esse ἐντελέχειαν τὴν πρώτην, & manifestum ibi est actũ sumi pro perfectione alterius, non pro actu absoluto, quum Aristotel. dicat actum corporis naturalis organici, quod vidẽs Themistius rectè dixit ἐντελέχειαν ibi significare τελείωσιν, nam τελείωσις non significat nisi respectiuè perfectionẽm, & complementum alterius: quod etiam confirmatur testimonio Plotini, qui in B initio 2. lib. 4. Ennead. carpit Aristotelem, quòd dixerit animam esse ἐντελέχειαν; ipse enim cogitauit ἐντελέχειαν non significare nisi id, quod est perfectio alterius, & quod non habet aliud esse, quàm hoc, vt sit alterius complementum; hoc tamen negat Plotinus, de anima rationali, quia putat animam rationalem esse etiam aliquod absolutum absque vlla relatione ad corpus: quòd si cognouisset nomen hoc significare posse actum absolutũ, C certè appellationem hanc Aristotelis non reprehendisset; cognouit ergo Plotinus sententiam Aristotelis fuisse, quòd omnis anima sit forma corporis, quę verè materiam informet. Hoc idem colligimus ex ipsa diuisione actus in primum & secundum, nam formæ à materia abiunctæ non conuenit appellatio primi, neque secundi actus; & illi, qui putant eiusmodi formam esse actum primum, decipiuntur: dicitur enim absolutè actus, sed non pri- D mus, neque secundus; quia operatio non distinguitur à substãtia, actus autem primus dicitur respectu secundi, qui distinguatur à primo: propterea non dicitur actus primus nisi forma materialis, quæ à sua operatione distinguitur, & significat formam dantem esse, quia res materialis duas habet distinctas pfectiones: vna est proprium esse specificum, quod habet a forma, ideò forma dicitur prima perfectio corporis naturalis, ad differentiam se- E cundæ perfectionis, quæ est operatio; vt actus primus ignis nihil aliud est, quàm forma per quam est ignis, hæc enim est prima perfectio, quæ rei essentiam significat, ascendere autem est secunda ignis perfectio; res enim non habet suam integram perfectionem dum est otiosa; sed quando edit suam naturalem operationem. Ex his igitur patet, formam, quæ non informet materiam, sed solùm assistat alicui corpori, non posse dici illius actum, nec F primum, nec secundum; nam intelligentia nõ est primus actus orbis, quum orbis iam ex se ipso sit actu, & habeat esse specificum sine ope intelligentiæ; non potest etiam dici actus secundus, quia licèt orbi det actum secũdum, ipsa tamen per se non est actus secundus: forma igitur assistens non potest dici perfectio alterius, nec prima, nec secunda, sed solùm absolutè dicitur actus, sicut antea dicebamus. Quum igitur Aristotel. animam vniuersè sumptam dicat esse actum primum corporis na-

Plotinus.

turalis, non potest significare, nisi formam informantem, tum quia dicit ἐντελέχεια, tum quia dicit ἡ πρώτη, tum quia dicit σώματος φυσικοῦ, hęc enim omnia formam non informantem excludunt, vt quisque industriosus vir ea, quæ diximus, considerans cognoscere facilè potest. Eandem sententiam sumimus ex ijs, quæ in eodem 2. lib. post traditam animæ definitionẽ ab Aristotele dicuntur, nam in contex. 7. inquit, non esse quærendum, an ex corpore, & anima vnum fiat, sicuti non est quærendum, quomodo fiat vnum ex cera, & figura, quoniam ex potestate, & actu nõ fiunt duæ res, sed vna; eadem enim, quæ priùs erat potestate, postea est actu: ergo loquitur Aristoteles de forma informante, non de assistẽte, quia de hac id minimè verũ est, aduenit enim enti perfecto, quod nõ habet potestatem ad actũ, à quo recipiat esse; non fit autem vnũ ex duobus actibus, sed ex potestate & actu: exemplũ etiam Aristotelis est de forma verè informante, figura enim statuæ est forma informans ceram, & faciens esse statuam; quare vult Aristoteles animam esse in corpore vt figuram in naui, non vt nautam in naui. In contex. autem 8. Aristoteles ita clarè loquitur, vt nullũ relinquat subterfugiendi locum: inquit enim se vniuersè dixisse quid sit anima, & statim sensum definitionis alijs verbis referens clariorem subiungit [*est enim substantia, quæ secundùm rationem, id est, quod quid est talis corporis*] quæ verba formæ assistenti aptari non possunt, sed solam significant informantem, sumit enim ibi οὐσίαν pro essentia & dicit animam esse illam essentiam animati corporis, quæ per definitionem significatur; quod adhuc magis declarãs dicit, id est, quod quid est talis corporis: at forma assistens non sumitur in definitione illius, cui assistit, nec dicitur eius essentia, seu quod quid est, nam intelligentia non sumitur in definitione corporis cœlestis, nec est eius quidditas, ita neque nauta nauis, neque auriga currus, vt manifestum est: nam etiam quando genera causarum enumerat, vt in lib. 2. Metaphysic. & in 2. Physic. & in 2. Posterior. non aliam formam in causis numerat, quàm informantem, quia semper eam vocat essentiam, & quod quid est, & hanc solam dicit esse rei naturã in eo 2. Phys. lib. nam forma assistens non vocaretur natura: quod etiam ex eo patet, quòd in 2. lib. non aliam formam vocat naturam, quàm illam, de qua in 1. lib. loquutus erat, tanquam de tertio principio rerum naturalium, ea autem est forma dans esse materiæ, & terminus ad quem generationis: sic igitur declarat Aristoteles, quid in definitione animæ intellexerit per actum primũ, & asserit se intellexisse essentiam, quæ secundùm rationem, & quod quid est corporis naturalis organici. Idem significat in eodẽ contextu, dum comparat corpus animatum cum securi, & animã cum figura, & acumine

securis

securis: non enim dicit animam esse vt homi A nem vtentem securi, vel vt nautam vtentem naui, sed esse vt figuram, quæ est quod quid est ipsius securis & nauis. Similiter in contex. 9. & 10. dicit ita se habere animam respectu totius corporis animati, vt se habeat facultas visiua respectu oculi, hæc autem est essentia, & quod quid est ipsius oculi, & forma dans esse oculo, sine qua non esset oculus, nisi æquiuocè: quemadmodum igitur facultas visiua non est forma assistens oculo vt nauta naui, sed for B ma dans esse oculo, ita anima est forma dans esse toti animato corpori. In hoc itaque declarando laborat Aristoteles ab eius libri initio ad eum vsq; locum, & nihil dicit, quod nõ manifestissimè informationẽ significet; multi tamen sunt inuenti ita pertinaces, vt hoc negare ausi sint. Ex 11. autem contextu possumus nostræ sententiæ confirmationẽ sumere, sed quia aduersarij eum locum pro se adducerent, ideò illum postea in argumentorum C solutione considerabimus. Ex ijs quoq; quę ab Aristotele dicuntur in contex. 24. & 25. hæc sententia manifestissimè comprobatur: nam ostendere ibi volens animam esse formã corporis, hoc fundamentum statuit; id, quo aliquid dicitur tale, duplex est, vnum vt materia, alterum vt forma; dicimur enim sani tum corpore vt materia, tum sanitate vt forma; primariò tamen quodlibet dicitur tale per formam, secundariò autem per materiam: quod D quidem fundamentũ patet intelligi non posse nisi de forma informante, hæc enim est illud, quo primo res dicitur talis, & cõstituitur, vt ipsa quoque Aristotelis exempla declarãt: hoc igitur iacto fundamento facit ibi Aristoteles syllogismum talem: anima est illud, quo primo dicimur viuentes, sentientes, moti, & intelligentes; ergo anima est vt forma, & ratio animati corporis, non vt subiectum & materia: medius terminus absque dubio significat E informationẽ; id enim, quo viuens est viuens, & quo sentiens est sentiens, est forma dans esse; quare conclusio Aristotelis non potest nisi de tali forma intelligi: quod etiam per se manifestum est; dicit enim animam esse formã, & rationem, id est, essentiam, ac definitionẽ, quod quidem de forma assistente dici nõ potest, sicut antea notauimus in cont. 8 eiusdẽ libri: deinde verò in contextu 25. repetit substantiæ diuisionem, quam in 2. contextu fece- F rat, in materiam, formam, & compositum, & inquit animam esse substantiam vt formam, quare eandem formam significat, quam 12. contextu, scilicet informantem. Tandem hoc colligimus ex contextu 36 & 37. eiusdem libr. & est locus clarissimus: ibi namque Aristoteles dicit animam esse causam viuentis corporis in triplici genere causæ, nempe vt effectricem, vt finem, & vt formam, nec potest aliam formam signi[illegible] quàm illam, quam in libro secundo [illegible] auscultationis [illegible]

numerauerat, hæc autem non est nisi forma dans esse; quod etiam in præd cto loco expressè asserit, inquit enim animam esse causam vt formam, & hoc declarat. subiungit, id est, vt essentiam animatorũ corporum. postea verò dicit, id, quod est causa ipsius esse omnibus, esse eorum essentiam, animam verò esse causam ipsius esse omnibus viuentibus, ideò esse ipsorum viuentium essentiam; ad quod etiam confirmandum subiungit, quoniam anima est actus eius, quod est in potestate: ex quo ergo aperte asserit animam esse formam dantem esse corpori animato, & perficiente materiam, quæ habebat potestatem ad esse. Quoniam igitur anima secundùm Aristotelem est forma dans esse corpori animato, & hoc docens Aristoteles, complectitur nomine animæ etiam animam rationalem, negari non potest hanc secundùm Aristotelem esse formam, qua homo est homo & in specie constituitur sub animali genere.

Variæ Auerroistarum euasiones, & earum impugnatio.

Cap. IIX.

Caeterum quamuis hæc omnia ita clara sint, vt nullum subterfugiendi locũ relinquere videantur, tamen sectatores Auerrois ausi sunt varijs modis verba Aristotelis extorquere, ac subterfugere. Primùm quidẽ multi ad hoc confugerunt, quòd quartus ille gradus animæ, quem Aristoteles in tota illa secundi libri parte varijs illis, quæ recensuimus, nominibus appellauit, non est anima illa rationalis, de qua in 3. libro Aristoteles agit, sed est præstantissima illa hominis propria imaginatiua, quæ ab Auerroe cogitatiua vocata est; & ad hoc asserendum inani argumento ducti sunt, quòd Aristoteles in contextu 18. & 29. illius 2. libri (vt in Latinis Codicibus legimus) quartum illum gradum vocat cogitatiuum: ridiculum certè argumentum, propterea quòd vbi Latinus Codex habet cogitatiuum, Græcus habet διανοητικόν, quod significat discursiuum, & ita vocauit Aristoteles in contextu 30. libri 3. animam intellectiuam vt à phãtasia distinctam, vt ibi videre est, & ibi quoque Latinus Codex habet [*cogitatiuæ autem animæ*] nemo tamen est, qui non fateatur, verba illa significare intellectum distinctum à phantasia, quum Aristoteles ibi dicat cogitatiuam animam ita moueri a phantasmate, vt mouetur sensus ab obiecto externo. Sed illa omnia, quæ antea diximus, quisquis bene consideret, cognoscet negari non posse quartum illum vitæ gradum esse animam rationalem, quæ etiam vocata est intellectus, & in tertio libro diligentissimè ab Aristotele considerata: iam enim diximus Aristotelem in primo libro multa de intellectu secundùm [illegible] ac de eius excel-

Prima euasio.

Confutatio.

lentia, & diuinitate dixisse, quæ nemo sanæ mentis referret ad imaginatiuam humanam; illam igitur eandem animæ partem postea in secundo libro nomine animæ complexus est, quòd etiam progressus Aristot. ac verba testantur; quum enim animam in quatuor illos gradus diuisisset, eos postea sumit singillatim, & ordinatim considerandos; dicant igitur, vbinam consideretur ab Aristotele illa humana cogitatiua, nullus enim apparet locus in libris de anima, nam in postrema quidem secundi libri parte agit de phantasia, non tamen vt de hominis propria, sed vt de facultate omnibus animalibus communiter competente: ea igitur non est quartus ille animæ gradus, qui solius hominis proprius est, vt asseruit Aristoteles in contextu 29. eiusdem libri; figmentum igitur est hæc humana cogitatiua, de qua Aristoteles nusquam aliquid dixisse comperitur: sed quum in tertio libro accuratè agat de humano intellectu, omnino dicendum est eum esse quartum illum vitæ gradum, quem in prima parte 2. libri cum alijs connumerauerat. Præterea in context. 32. quartum gradum vocat opinatiuum; atqui in calce secundi libri separat manifestè opinionem ab imaginatione, & vult eam sub intellectu contineri: ergo nō potest per opinatiuum significare imaginatiuam. In contextu etiam 32 quartū gradum vocat λογισμὸν, & διάνοιαν, & ab hoc postea distinguit imaginationem amplissimè acceptam, vt etiam fecit in contextu 29. quare per quartum vitæ gradum non potest imaginatiuam significare: adde quòd solus intellectus vim ratiocinandi, ac discurrendi habet, vt Aristot. apertè asserit in tertio libro, neque hoc est phantasiæ attribuendum: quum igitur in prima parte secundi libri quartum vitæ gradum vocet διάνοιαν, & διανοητικὸν, & λογισμὸν, quæ omnia ratiocinium & discursum significant, non potest per hæc phantasiam significare. Sed quid dicemus de illa dictione νοῦς; quam nos mentem, seu intellectum dicimus, & nobilissimā habet significationem, & hoc nomine cœlestes quoque intelligentias, ac Deum ipsum appellare solemus; absonum enim est rationi phantasiam appellare intellectum, neque vnquam Aristoteles ita eam appellauit: quod enim multi dicunt de contextu 20. tertij libri, ita vanū est, vt nihil vanius, patet enim de quo intellectu loquatur ibi Aristoteles, quum paulò ante duos intellectus distinxisset, vnum agentem, & alterum patientem; quænam autē sit vera eius loci interpretatio, non est hic opportunum considerare: in contextu etiam 155. secundi libri videtur Aristoteles phantasiam vocare intellectum, sed ibi patet eum id dicere iuxta id, quod apparet, non ex propria sententia; inquit enim intelligere videri aliud esse imaginationem, apud existimationem. vtitur enim verbo, videtur, quod significat rem dubiam, & apparentem, nec omnino veram; nam videntur vulgares homines existimare omnem internam animæ facultatem, præsertim absente obiecto operantem, esse intellectum; ideò Aristotel. hanc communem opinionem accipiens diuidit facultatem animæ internam, cognoscentem absente obiecto, in phantasiam, quæ est reuera facultas animæ sensibilis, & existimationem, quæ est verè intellectus, de quo in tertio libro agitur; sed nunquam Aristoteles comperietur phantasiam absoluté intellectū vocasse: quare prima hæc aduersariorum euasio vanissima est; quum enim Aristoteles in distinguendis quatuor gradibus vitæ quartū sæpe vocet νοῦν, non potest significare humanā imaginatiuam. Idcò hæc alij Auerroistæ considerantes, ad aliud figmentum confugerunt, ad distinctionem duplicis hominis, dicentes vnum esse hominem, qui est species animalis constituta per phantasiam humanam ab Auerroe vocatam cogitatiuam, quam dicunt significari per rationale, quando diuidimus animal per rationale, & irrationale: dicitur enim rationalis, quia est apta ad suscipiendam animam rationalem, & ad obediendum rationi: alterum autem esse hominem diuinum, qui per intellectum constituitur, & constat ex homine illo, qui est species animalis, & intellectu superueniente tanquam diuina quadam forma: priorem igitur hominem dicunt esse in genere substantiæ, vt speciem animati corporis; sed alterum posteriorem esse eminentiorem, & supergredi totam substantiæ categoriam, vtpote formatum diuina potiùs forma, quàm naturali, eamque esse in homine vt lumen in perspicuo: ideò inquiunt diuinam hanc formam dici posse modo quodam informantem, & modo quodam non informantem; informat enim, quatenus dat esse illi homini eminentiori; non informat autem, quia non perficit materiam, quæ habeat potestatem ad esse, sed aduenit homini iam perfecto per imaginatiuam, sicuti nauta aduenit naui iam constitutæ, atque completæ; quare non constituit hominem vt speciem animalis, neque modo vllo ipsum collocat in aliqua noua specie, sed solùm diuiniorem reddit illum ipsum hominem, qui in categoria substantiæ est species animalis: quam sententiam nituntur colligere ex Aristotele in 10. lib. de Morib. cap. 7. quem locum nos postea perpendemus; nunc enim satis est, si à definitione animæ ab Aristotele tradita non recedentes ostendamus huius commenti vanitatem; ex ijs enim quæ in verbis Aristotelis considerauimus, manifestum est hęc omnia idem significare, dare esse materiæ, informare, constituere in specie, facere hoc aliquid, & esse actum primum talis corporis; igitur si anima rationalis non constituit hominem in specie, non facit hoc aliquid, [illegible] esse, non est actus primus [illegible] organici, r

Aduersus cogitatiuam Auerrois.

Secunda euasio.

Confutatio.

inde sub definitione animæ non continetur; hoc tamen falsum est, & cõtrarium priori fundamento à nobis iacto & comprobato, Aristoteles enim in contextu libri 2. de Anima, substantiam diuidit in materiam, & formam, & cõpositum, & intelligit illam materiã, quæ secũdùm se non est hoc aliquid, sed habet potestatem ad esse, proinde & illam formã, quæ facit hoc aliquid, & rem in specie collocat; quare sub tali forma tanquam sub genere animam sumit, & vult omnem animam esse formam dantem esse specificum: deinde in 3. context. diuidit corpus naturale in habens vitam, & non habens vitam, vt colligat animam esse formam constituentem corpus illud naturale, quod habet vitam: afferit ergo animam sub genere corpore naturali speciem constituere: postea in contextu 4. probat animam non esse corpus, eò quòd corpus non est in subiecto, anima verò est in subiecto: vult igitur omnem animam esse formam verè informantem, quia forma assistens esse in subiecto non dicitur; nam intelligentia assistens orbi non dicitur in eo esse vt in subiecto, & est res manifestissima: quoniam igitur postea mutat nomen talis formæ in nomen actus primi, quem distinguit ab actu secundo, putat idem significari per actum primum corporis naturalis organici, quod priùs in 4 context. significauerat per formam corporis naturalis viuentis; & viuens in context. 3. dixerat se intelligere illud, quod nutritionem, & accretionem habet, & est verè in categoria substantiæ: ergo negari non potest, Aristotelem censuisse omnem animam esse formam verè dantem esse, & sub naturali corpore in specie collocãtem, proinde figmentum illud est ab Aristotele alienissimum. Hæc igitur omnia aliqui Auerroistæ considerantes, & cognoscentes ita manifesta esse, vt negari non possint, ad hoc tandem confugerunt, quòd reuera omnia illa, quæ ab Aristotele dicuntur in principio 2. lib. de Anima, etsi proferuntur de anima latè accepta, & omnes animæ partes complectente, tamen propriè conueniunt alijs partibus animæ præter rationalem, ipsi autem rationali non omnino accommodantur; proinde non est mirum, si ea, quæ ab Aristotele dicuntur in definitione animæ, atque in eius definitionis declaratione, respiciunt actum informantem, propterea quòd Aristoteles præcipuè considerauit alias animæ partes præter rationalẽ: huius autem rationem esse dicunt, quia nomen animæ est commune analogum, & alio modo competit animæ rationali, alio cæteris partibus, ob id Aristoteles respicere voluit alias partes animæ tanquam præcipuum analogatum, nec per hoc tamen stat, quin consideretur anima in communi etiam ad rationalem, quia q[illegible] c[illegible]sideratur aliquod cõmune analog[illegible]atis est si ea, quæ de illo dicuntur, cõue[illegible] præcipuo analogato, etiã

Tertia euasio.

A cæteria non competant. Sed quàm inane sit hoc subterfugium, quisq; sanæ mentis intelligere potest. Primùm in eo peccant, quòd si anima est cõmune analogum, rationalis potiùs, quàm reliquę, vocanda est præcipuum analogatum, tum ratione dignitatis, tum quia continet ac perficit alias, tum etiam ratione familiaritatis; quia anima nostra est & nobis maximè omniũ rerũ familiaris, & omnes ob causas nomine animæ dignior, quàm reliquę:
B hanc potissimè respexerunt antiqui Philosophi de anima differentes, vt Aristotel. ait in context 7. lib. 1. de Anima, & vt totum illum librũ legentibus manifestum est: nulla igitur est ratio, cur reliquæ partes animæ dicantur præcipuũ analogatũ, & cur Aristot. in declaranda animæ essentia eas potiùs, quàm rationalem, respicere debuerit. Præterea hæc dicẽtes & Aristotel. & sibi àduersantur, & est in eorũ dictis repugnantia manifesta: nam si de-
C finitio animæ, & ea quæ postea ad eius declarationem dicuntur, rationali parti non competunt, quomodo dicunt Aristotelem definiete animam in cõmuni ad omnes animæ partes, etiam ad rationalem? dicere igitur ea nõ cõpetere animæ rationali, & dicere Aristotelem ea proferre cõmuniter de omnibus, etiã de rationali, est implicare contradictionem: attamen patet Aristotelem apertè dicere definitionem animæ competere omni animæ, &
D hoc sæpius repetere, & animam latè sumere vt quatuor illos gradus complectentem: manifestum igitur est ipsum existimasse definitionem illam competere etiam animæ rationali, ideò hæ fabulæ dimittantur.

Confutatio

Solutio argumentorum pro Auerroe adductorum. Cap. IX.

Restat vt argumenta, quæ pro Auerroe adducta sunt, soluamus. Ad primum sum-
E ptum ex cognitione vniuersalium dicimus hanc esse propriam intellectus operationem, & cum abstractione fieri, proinde in ipso quoque intellectu aliquam abstractionem postulari, non tamen secundùm esse, sed secundùm operationem; ea enim ratione est abstractus, quatenus in operando est abiunctus ab organo, & hoc satis est vt possit intelligere vniuersalia: quando igitur dicunt, intellectus cognoscit vniuersalia, ergo est abiun-
F ctus à materia; si intelligant abiunctionem ab organo in operando, concedimus omnia: at si intelligant secundùm esse, negamus consequentiam; quia ex abstractione vniuersalium nil aliud inferri potest, quàm intellectum non esse organicum, nam organum respicit operationem. Ad secundum negamus intellectum agentem, & intellectum patientem esse vnam & eandem substantiam; quare, licèt intellectus agens sit forma abiuncta penitus à materia, quod & nos ex sententia Aristotel. asserimus, non ob [illegible] etiam [illegible]

Ad primum.

Ad secundũ.

lentia, & diuinitate dixisse, quæ nemo sanæ mentis referret ad imaginatiuam humanam; illam igitur eandem animæ partem postea in secundo libro nomine animæ complexus est, quòd etiam progressus Aristot. ac verba testantur; quum enim animam in quatuor illos gradus diuisisset, eos postea sumit singillatim, & ordinatim considerandus; dicant igitur, vbinam consideretur ab Aristotele illa humana cogitatiua, nullus enim apparet locus in libris de anima, nam in postrema quidem secundi libri parte agit de phantasia, non tamen vt de hominis propria, sed vt de facultate omnibus animalibus communiter competente: ea igitur non est quartus ille animæ gradus, qui solius hominis proprius est, vt asseruit Aristoteles in contextu 29. eiusdem libri; figmentum igitur est hęc humana cogitatiua, de qua Aristoteles nusquam aliquid dixisse comperitur: sed quum in tertio libro accuratè agat de humano intellectu, omnino dicendum est eum esse quartum illum vitæ gradum, quem in prima parte 2. libri cum alijs cõnumerauerat. Præterea in context. 22. quartum gradum vocat opinatiuum; atqui in calce secundi libri separat manifestè opinionem ab imaginatione, & vult eam sub intellectu contineri: ergo nõ potest per opinatiuum significare imaginatiuam. In contextu etiam 32 quartũ gradum vocat λογισμόν, & διάνοιαν, & ab hoc postea distinguit imaginationem amplissimè acceptam, vt etiam fecit in contextu 29. quare per quartum vitæ gradum non potest imaginatiuam significare: adde quòd solus intellectus vim ratiocinandi, ac discurrendi habet, vt Aristot. apertè asserit in tertio libro, neque hoc est phantasiæ attribuendum: quum igitur in prima parte secundi libri quartum vitæ gradum vocet διάνοιαν, & διανοητικόν, & λογισμόν, quæ omnia ratiocinium & discursum significant, non potest per hæc phantasiam significare. Sed quid dicemus de illa dictione νοῦς; quam nos mentem, seu intellectum dicimus, & nobilissimã habet significationem, & hoc nomine cœlestes quoque intelligentias, ac Deum ipsum appellare solemus; absonum enim est rationi phantasiam appellare intellectum, neque vnquam Aristoteles ita eam appellauit: quod enim multi dicunt de contextu 20. tertij libri, ita vanũ est, vt nihil vanius, patet enim de quo intellectu loquatur ibi Aristoteles, quum paulò ante duos intellectus distinxisset, vnum agentem, & alterum patientem; quænam autẽ sit vera eius loci interpretatio, non est hic opportunum considerare: in contextu etiam 155. secundi libri videtur Aristoteles phantasiam vocare intellectum, sed ibi patet eum id dicere iuxta id, quod apparet, non ex propria sententia; inquit enim intelligere videri aliud esse imaginationem, aliud existimationem. vtitur enim verbo, videtur, quod significat rem dubiam, & apparentem, nec omnino veram; nam videntur vulgares homines existimare omnem internam animæ facultatem, præsertim absente obiecto operantem, esse intellectum; ideò Aristotel. hanc communem opinionem accipiens diuidit facultatem animæ internam cognoscentem absente obiecto, in phantasiam, quæ est reuera facultas animæ sensibilis, & existimationem, quæ est verè intellectus, de quo in tertio libro agitur; sed nunquam Aristoteles comperietur phantasiam absolutè intellectũ vocasse: quare prima hæc aduersariorum euasio vanissima est; quum enim Aristoteles in distinguendis quatuor gradibus vitæ quartũ sæpe vocet νοῦν, non potest significare humanã imaginatiuam. Ideò hæc alij Auerroistæ cõsiderantes, ad aliud figmentum confugerunt, ad distinctionem duplicis hominis, dicentes vnum esse hominem, qui est species animalis constituta per phantasiam humanam ab Auerroe vocatam cogitatiuam, quam dicunt significari per rationale, quando diuidimus animal per rationale, & irrationale: dicitur enim rationalis, quia est apta ad suscipiendam animam rationalem, & ad obediendum rationi: alterum autem esse hominem diuinum, qui per intellectum constituitur, & constat ex homine illo, qui est species animalis, & intellectu superueniente tanquam diuina quadam forma: priorem igitur hominem dicunt esse in genere substantiæ, vt speciem animati corporis; sed alterum posteriorem esse eminentiorem, & supergredi totam substantiæ categoriam, vtpote formatum diuina potiùs forma, quàm naturali, eamque esse in homine vt lumen in perspicuo: ideò inquiunt diuinam hanc formam dici posse modo quodam informantem, & modo quodam non informantem; informat enim, quatenus dat esse illi homini eminentiori; non informat autem, quia non perficit materiam, quæ habeat potestatem ad esse, sed aduenit homini iam perfecto per imaginatiuam, sicuti nauta aduenit naui iam constitutæ, atque completæ; quare non constituit hominem vt speciem animalis, neque modo vllo ipsum collocat in aliqua noua specie, sed solùm diuiniorem reddit illum ipsum hominem, qui in categoria substantiæ est species animalis: quam sententiam nituntur colligere ex Aristotele in 10. lib. de Morib. cap. 7. quem locum nos postea perpendemus; nunc enim satis est, si a definitione animæ ab Aristotele tradita non recedentes ostendamus huius commenti vanitatem; ex ijs enim quæ in verbis Aristotelis consideraumus, manifestum est hęc omnia idem significare, dare esse materiæ, informare, constituere in specie, facere hoc aliquid, & esse actum primum talis corporis; igitur si anima rationalis non constituit hominem in specie, non facit hoc aliquid, [illegible] esse, non est actus primus [illegible] organici,

Aduersus cogitatiuam Auerrois.

Secunda euasio.

Confutatio.

inde sub definitione animæ non continetur; hoc tamen falsum est, & cōtrarium priori fundamento à nobis iacto & comprobato, Aristoteles enim in contextu libri 2. de Anima, substantiam diuidit in materiam, & formam, & cōpositum, & intelligit illam materiā, quæ secūdùm se non est hoc aliquid, sed habet potestatem ad esse, proinde & illam formā, quæ facit hoc aliquid, & rem in specie collocat; quare sub tali forma tanquam sub genere animam sumit, & vult omnem animam esse formam dantem esse specificum: deinde in 3. context. diuidit corpus naturale in habens vitam, & non habens vitam, vt colligat animam esse formam constituentem corpus illud naturale, quod habet vitam: asserit ergo animam sub genere corpore naturali speciem constituere: postea in contextu 4. probat animam non esse corpus, eò quòd corpus non est in subiecto, anima verò est in subiecto: vult igitur omnem animam esse formam verè informantem, quia forma assistens esse in subiecto non dicitur; nam intelligentia assistens orbi non dicitur in eo esse vt in subiecto, & est res manifestissima: quoniam igitur postea mutat nomen talis formæ in nomen actus primi, quem distinguit ab actu secundo, & notat idem significari per actum primum corporis naturalis organici, quod priùs in 4 context. significauerat per formam corporis naturalis viuentis; & viuens in context. 3. dixerat se intelligere illud, quod nutritionem, & accretionem habet, & est verè in categoria substantiæ: ergo negari non potest, Aristotelem censuisse omnem animam esse formam verè dantem esse, & sub naturali corpore in specie collocātem, proinde figmentum illud est ab Aristotele alienissimum. Hæc igitur omnia aliqui Auerroistæ considerantes, & cognoscentes ea ita manifesta esse, vt negari non possint, ad hoc tandem confugerunt, quod reuera omnia illa, quæ ab Aristotele dicuntur in principio 2. lib. de Anima, etsi proferuntur de anima latè accepta, & omnes animæ partes complectente, tamen propriè conueniunt alijs partibus animæ præter rationalem, ipsi autem rationali non omnino accommodantur; proinde non est mirum, si ea, quæ ab Aristotele dicuntur in definitione animæ, atque in eius definitionis declaratione, respiciunt actum informantem, propterea quòd Aristoteles præcipuè considerauit alias animæ partes præter rationalē: huius autem rationem esse dicunt, quia nomen animæ est commune analogum, & alio modo competit animæ rationali, alio cæteris partibus, ob id Aristoteles respicere voluit alias partes animæ tanquam præcipuum analogatum, nec per hoc tamen stat, quin consideretur anima in communi etiam ad rationalem, quis qu[illegible] considerari aliquod commune analog[illegible] tis est [illegible] ea, quæ de illo dicuntur, cōue[illegible] præcipuo analogato, etiam

cæteris non competant. Sed quàm inane sit hoc subterfugium, quisq; sanæ mentis intelligere potest. Primùm in eo peccant, quòd si anima est cōmune analogum, rationalis potiùs, quàm reliquæ, vocanda est præcipuum analogatum, tum ratione dignitatis, tum quia continet ac perficit alias; tum etiam ratione familiaritatis; quia anima nostra est & nobis maximè omniū rerū familiaris, & omnes ob causas nomine animæ dignior, quàm reliquæ; hanc potissimè respexerunt antiqui Philosophi de anima disserentes, vt Aristotel. ait in context. 7. lib. 1. de Anima, & vt totum illum librū legentibus manifestum est: nulla igitur est ratio, cur reliquæ partes animæ dicantur præcipuū analogatū, & cur Aristot. in declaranda animæ essentia eas potiùs, quàm rationalem, respicere debuerit. Præterea hæc dicētes & Aristotel. & sibi aduersantur, & in eorū dictis repugnantia manifesta: nam si definitio animæ, & ea quæ postea ad eius declarationem dicuntur, rationali parti non competunt, quomodo dicunt Aristotelem definire animam in cōmuni ad omnes animæ partes, etiam ad rationalem? dicere igitur ea nō cōpetere animæ rationali, & dicere Aristotelem ea proferre cōmuniter de omnibus, etiā de rationali, est implicare contradictionem? attamen patet Aristotelem apertè dicere definitionem animæ competere omni animæ, & hoc sæpius repetere, & animam latè sumere vt quatuor illos gradus complectentem: manifestum igitur est ipsum existimasse definitionem illam competere etiam animæ rationali, idcò hæ fabulæ dimittantur.

Solutio argumentorum pro Auerroe adductorum. Cap. IX.

Restat vt argumenta, quæ pro Auerroe adducta sunt, soluamus. Ad primū sum. ptum ex cognitione vniuersalium dicimus hanc esse propriam intellectus operationem, & cum abstractione fieri, proinde in ipso quoque intellectu aliquam abstractionem postulari, non tamen secundùm esse, sed secundùm operationem; ea enim ratione est abstractus, quatenus in operando est abiunctus ab organo, & hoc satis est vt possit intelligere vniuersalia: quando igitur dicunt, intellectus cognoscit vniuersalia, ergo est abiunctus à materia; si intelligant abiunctionem ab organo in operando, concedimus omnia: at si intelligant secundùm esse, negamus consequentiam; quia ex abstractione vniuersalium nil aliud inferri potest, quàm intellectum non esse organicum, nam organum respicit operationem. Ad secundum negamus intellectum agentem, & intellectum patientem esse vnam & candem substantiam; quare, licèt intellectus agens sit forma abiuncta penitus à materia, quod & nos ex sententia Aristotel. asserimus, non ob [illegible] si [illegible]

tellectus patiens sit forma immaterialis: sed de intellectu agente quid sit, & quomodo ad nostram intellectionem côferat, postea fusiùs loquemur. Ad tertium acceptum ex contex. 92. lib. 1. de Anima, facilis est responsio: dicens enim Aristot. intellectum non occupare aliquam corporis partê, nil aliud significat, quàm non esse organicum, quod quidem nos concedimus; at si inde colligant, ergo non dat esse homini, neganda est consequentia, & Aristotel. si hoc significare voluisset, absurdè loquutus esset, quia forma informans occupat totum corpus, ideo inepta quæstio esset, quã corporis partem occupet informando; sed cô[illegible] quæstio de parte, quam occupet in operando, quæ esset de organo quæstio; ideo inquit Aristotel. intellectum nullam corporis partem tanquam ipsius propriû organum occupare. Ad quartum acceptum ex contex. 11. lib. 2. de Anima, responsio sumitur ex vera illius loci intelligentia, à qua aduersarij longissimè absunt: tres in eo contextu sunt partes, in prima inquit Aristot. manifestû esse vel omnem animã, vel aliquas eius partes esse à corpore inseparabiles; & rationê affert, quia sunt actus partium corporis: in secunda dicit nihil prohibere, quin aliquæ partes sint separabiles, quia nullius corporis sunt actus; & cum ipsis aduersarijs affirmo Aristot. in prima parte respicere animam vegetantem, & animam sentientem, in secunda verò rationalem: in tertia demum inquit, nondum esse manifestum, an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis. Ad primæ igitur, ac secundæ partis veram intelligentiam sciendû est, Aristot. ibi velle satisfacere vulgaræ illi, & optatæ quæstioni, an anima sit à corpore separabilis; nô quidem quòd eam plenè ibi soluere statuat, id enim fieri minimè poterat; sed solùm côsiderare, quid hac de re per illa, quæ eo in loco manifesta erant, dici possit: duo autem ibi erant manifesta, vnum iam in definitione animæ acceptû, quia erat omnis animæ cômunis conditio, animã esse actû corporis, hoc est, formã dantem esse viuenti corpori; alterû verò quòd aliquæ partes animæ sunt alligatæ proprijs corporeis organis, sine quibus nullam edere operationem possunt, aliquæ verò nulli organo sunt alligatæ; de omnibus enim vegetantis, ac sentientis animæ facultatibus nemo est qui ignoret eas per proprias quasdam corporis partes tanquam per instrumenta suas edere operationes, neque vnquam Aristotel. hoc declarauit, quia declaratione non indiguit: dubitare quidem potuit, quodnam alicuius facultatis organum sit, aut quomodo aliqua per suum organum operetur, sed an habeant propria organa nunquam dubitauit, quia res per se manifesta omnibus est; rationalem autem animam nul[illegible] proprio organo in operando esse [illegible]tam, manifestum est, inquit enim Ari[illegible] contextu 92. lib. 1. de Anima, nec fin-

In lib. de intell. agente.

Ad tertium ex côtex. 92. lib. 1. de ani.

Ad quartum ex contex. 11. lib. 2. de an.

A gere quidam facile esse quam corporis partem occupet intellectus; hæc igitur duo manifesta erant, sed secûdum in definitione animæ poni non poterat, quum in eo non côueniant omnes animæ partes, & alia organum habeat, alia verò non habeat. Quod igitur ad animæ à corpore separationê attinet, nihil ex priore cômuni conditione colligi manifestè poterat; ex eo enim quòd anima est forma verè materiam informans, non licuit Aristot. inferre omnem animã esse a corpore inseparabilem; nô enim manifesta fuisset illatio, quia quicquid ipse hac de re sensisset, id alij plures negassent; quemadmodum etiam secundùm rei veritatem negandum est omnem animam informantem esse à corpore inseparabilem: quoniam igitur ex actu accepto in definitione animæ nihil manifestè colligi poterat, Aristotel. id colligere voluit ex altera côditione, hoc est, ex coniunctione cum organo: videamus igitur, quid ex hac colligi possit, certè si bene rem considerâmus, ex eo quòd forma sit organica, necessariò infertur eam esse à corpore inseparabilem, sed ex eo quòd non habeat organum, nihil necessariò colligi potest, hoc est, neq; separabilem, neq; inseparabilem esse. prioris dicti ratio clara est, quia nihil est potest in natura otiosum, & carens propria operatione; forma igitur, quæ ita organo addicta est, vt sine illo operari non possit, si à corpore penitus separaretur, nô posset operari; facultas enim visiua sine oculo non videret, neque ambulatiua sine pedibus ambularet; omnes igitur animæ partes, quæ certis corporis partibus addictæ sunt in operando, sunt à corpore prorsus inseparabiles: alterius autem dicti ratio est, quia licèt nullum extet organum, quod separationem prohibeat, aliquod tamê aliud esse potest, quod prohibeat; nam forma elementi nullum habet organum, neq; ob id est à materia separabilis, quia licèt ab organo nô impediatur quin separetur, impeditur tamen à propria sua natura, cui essentiale est vt sit suæ materiæ, nec sine illa existere possit: clarum igitur est quid dicat Aristotel. tum in prima, tum in secunda parte illius context. in prima enim dicit, esse de aliquibus saltem animæ partibus manifestum eas esse à corpore inseparabiles, & affert rationem, quia illarum actus est ipsarum corporis partium. hoc est, quia actus, qui de illis prædicatur, est addictus certis partibus corporis, nempe tanquam instrumentis: nam quùm dicat Aristot. ipsas corporis partes, non potest eas considerare nisi vt instrumenta partium animæ in operando; quare accepit quidem actum positum in definitione animæ, sed vt addictû statutæ corporis parti, qua vt instrumento vtatur; hæc igitur est manifestissima ratio, cur partes animæ, quæ [illegible] sunt alligatæ, à corpore ins[illegible] [illegible] ea[illegible] ratione [illegible] ab Aristotele

Omnis forma organica à corpore inseparabilis est.

ad[illegible]

adductam in lib. 2. de ortu animalium, cap. 3. quem locum postea in argumentorum solutione considerabimus, & huic consonum esse ostendemus, ita vt ex illo hunc, & ex hoc illum interpretari possimus, ac debeamus. In 2. verò parte eiusdem context. considerans Aristot. illas animæ partes, quæ organo addictæ non sunt, cuiusmodi est sola rationalis, non potest aliquid de his certi colligere, sed solùm dicere eas ab organo non prohiberi ne separari possint, quum nullum organum habeant; per hoc enim non fit vt absolutè separabiles dici possint, quum alia conditio esse possit prohibens ne separentur: ideo quando rationem subiungens dicit [*propterea quòd nullius corporis sunt actus*] non potest intelligere nisi vt organi, vt hæc verba præcedentibus ex aduerso respondeant, & perinde sit, ac si dicat, quia nullius partis corporis sunt actus; non asserit ergo ibi Aristot. eas esse à corpore separabiles, sed solùm dicit non prohiberi ab organo quin separari possint, quum nullum organum habeant; ideo optima est illorum verborum interpretatio, quam Alexander Aphrodisiensis adduxit, dicens Aristot. ibi de intellectus separabilitate non asseueranter, sed sub dubio loqui. Nullum igitur argumentum ex eo loco sumere Aueroistæ possunt: quia quando Aristot. negat intellectum esse alicuius corporis actũ, non negat vt informantem, sed solùm vt organicum, idq; asseueranter profert, separabilitatem verò sub dubio, adeo vt siue separabilem à corpore, siue inseparabilẽ esse animam rationalem Aristot. existimauit, pro neutra tamen parte colligi argumentum possit. Quòd autem ex tertia quoq; illius context. parte argumentum aduersarij sumant, ridiculum est: quum enim Aristot. dicat immanifestum esse an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis, non magis affirmare ipsi possunt animam esse vt nautam quàm nos negare; ideo mirandum certè est, quomodo inde sumere audeant Aristot. asseueranter dicere animam esse vt nautam, quum ipse apertè dicat hoc non esse manifestum: imò ostendo esse in Aristot. secundùm eorum interpretationem, repugnãtiam insolubilem, necesse enim est omnẽ animam esse actum corporis vel vt informantem, vel vt assistentem, ergo si pars aliqua animæ non sit actus informans, manifestum esse debet eam esse actum assistentem. itaq; si secundùm eos præcedentib. verbis Aristot. asseueranter dixerat, animam rationalem non esse actum informantem, quomodo dicere postea potest non esse manifestum an sit ita actus, vt nauta nauis? Dicere enim potiùs debuisset esse manifestum eam esse actum assistentem, qualis est nauta in naui; potest igitur eos in eius loci intelligentia [illegible] abesse ab Aristot. mente. Nos igitur ve[illegible] [illegible]onem asseramus [illegible] [illegible] [illegible]esa- [illegible]go tam

Quæ anima, & cur dicatur similis nautæ.

A inuenissem, asserere auderem id solum Aristotel. voluisse & alios omnes fuisse deceptos; eam tamen ego non inueni, sed apud Simplicium in eodem loco legi, eamque statim verissimam esse cognoui: dico igitur nautam ad nauim referri duobus modis, vno modo quatenus non dat esse naui, & ab illa abiuncta est; altero modo quatenus eam gubernat, & mouet: multi igitur putant Aristotel. comparare animam cum nauta, quatenus nauta non B dat esse naui, in hoc tamen decipiuntur; quia in eo non consistit Aristotel. comparatio, neq; in eo anima est similis nautæ, sed in eo tãtùm, quòd regit corpus, sicuti nauta regit nauim, & hoc animæ regimen non est contrarium informationi, sed simul est cum informatione; quocirca ratione informationis anima est dissimilis nautæ, ratione autem regiminis est similis, & hoc tantùm Aristotel. respexit: hæc fuit Simplicij, & Platonicorum opinio, qui di- C xerunt animam & informare corpus, & ipsum regere, vt nauta nauim regit, ipsoq; vti vt instrumento, sicuti nauta vtitur naui: hoc igitur respiciens Aristot. ibi significare vult se dixisse quidem animam esse actum corporis vt informantem, & dantem esse corpori viuenti, sed nihil dixisse de gubernatione, ideoque immanifestum esse, an anima præterquàm quòd est actus informans, sit etiam actus gubernãs, sicuti nauta dicitur actus nauis; huius verita- D tis argumentum clarissimum est, quòd Aristoteles non de sola anima rationali hoc dicit, sed de anima vniuersè; dicit enim esse immanifestum, an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis; reuera enim hoc competit etiam animæ sentienti, quæ est forma constituens animal, & est vt nauta in naui, quia regit corpus, & ipso tanquam instrumento vtitur: hoc idem legimus apud Aristotelem in context. 28. octaui Physic. vbi similiter animam com- E parat cum nauta, & corpus cum naui, nec loquitur de sola anima rationali, sed de omni animalium anima, vt ipsi quoque aduersarij non negarent, quia ibi est manifestissimum; inquit enim animam mouere corpus animalis, & ita animal diuidi in partem mouentem, & partem motam, ratione quarum dicitur à seipso moueri. Si quis autem quærat vbinam postea Aristotel. declarat an anima sit actus vt nauta in naui, certum est id nullibi ab Aristo- F tele expressè declarari, colligi tamẽ facilè potest ex illis, quæ de singulis animæ partibus postea dicuntur; anima enim regere corpus, & imperare illi dicitur per cognitionem, vt asseruit ipse Aristotel. in contextu 4. libri 3. de Anima, omnis igitur anima cognoscens dicitur regere corpus, & illi imperare tanquam nauta: ideo similis est nautæ, tum anima sentiens, tum anima rationalis, quia vtraque cognoscitiua est; anima verò vegetalis, quum cognitione careat, non dicitur similis nautæ, neque imperans corpori: Aristoteles igitur

tellectus patiens sit forma immaterialis: sed de intellectu agente quid sit, & quomodo ad nostram intellectionem cōferat, postea fusius loquemur. Ad tertium acceptum ex contex. 92. lib. 1. de Anima, facilis est responsio: dicens enim Aristot. intellectum non occupare aliquam corporis partē, nil aliud significat, quàm non esse organicum, quod quidem nos concedimus; at si inde colligant, ergo non dat esse homini, neganda est consequentia, & Aristotel. si hoc significare voluisset, absurdè loquutus esset, quia forma informans occupat totum corpus, ideo inepta quæstio esset, quā corporis partem occupet informando; sed cōgrua est quæstio de parte, quam occupet in operando, quæ esset de organo quæstio; ideo inquit Aristotel. intellectum nullam corporis partem tanquam ipsius proprium organum occupare. Ad quartum acceptum ex contex. 11. lib. 2. de Anima, responsio sumitur ex vera illius loci intelligentia, à qua aduersarij longissimè absunt: tres in eo contextu sunt partes, in prima inquit Aristot. manifestū esse vel omnem animā, vel aliquas eius partes esse à corpore inseparabiles; & rationē affert, quia sunt actus partium corporis: in secunda dicit nihil prohibere, quin aliquæ partes sint separabiles, quia nullius corporis sunt actus; & cum ipsis aduersarijs affirmo Aristot. in prima parte respicere animam vegetantem, & animam sentientem, in secunda verò rationalem: in tertia demum inquit, nondum esse manifestum, an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis. Ad primæ igitur, ac secundæ partis veram intelligentiam sciendū est, Aristot. ibi velle satisfacere vulgatæ illi, & optatæ quæstioni, an anima sit à corpore separabilis; nō quidem quòd eam plenè ibi soluere statuat, id enim fieri minimè poterat; sed solùm cōsiderare, quid hac de re per illa, quæ eo in loco manifesta erant, dici possit: duo autem ibi erant manifesta, vnum iam in definitione animæ acceptū, quia erat omnis animæ cōmunis conditio, animā esse actū corporis, hoc est, formā dantem esse viuenti corpori; alterū verò quòd aliquæ partes animæ sunt alligatæ proprijs corporeis organis, sine quibus nullam edere operationem possunt, aliquæ verò nulli organo sunt alligatæ; de omnibus enim vegetantis, ac sentientis animæ facultatibus nemo est qui ignoret eas per proprias quasdam corporis partes tanquam per instrumenta suas edere operationes, neque vnquam Aristotel. hoc declarauit, quia declaratione non indiguit: dubitare quidem potuit, quodnam alicuius facultatis organum sit, aut quomodo aliqua per suum organum operetur, sed an habeant propria organa nunquam dubitauit, quia res per se manifesta omnibus est; rationalem autem animam nulli proprio organo in operando esse [illegible] ctam, manifestum est, inquit enim Aristot. [illegible] contextu 92. libri 1. [illegible] Anima, vt sin-

In lib. de intell. agente.

Ad tertium ex cōtex. 92. lib. 1. de ani.

Ad quartum ex contex. 11. lib. 2. de an.

A gere quidem facile esse quam corporis partem occupet intellectus; hæc igitur duo manifesta erant, sed secūdum in definitione animæ poni non poterat, quum in eo non cōueniant omnes animæ partes, & alia organum habeat, alia verò non habeat. Quod igitur ad animæ à corpore separationē attinet, nihil ex priore cōmuni conditione colligi manifestè poterat; ex eo enim quòd anima est forma verè materiam informans, non licuit Aristot. in-
B ferre omnem animā esse à corpore inseparabilem; nō enim manifesta fuisset illatio, quia quicquid ipse hac de re sensisset, id alij plures negassent; quemadmodum etiam secundùm rei veritatem negandum est omnem animam informantem esse à corpore inseparabilem: quoniam igitur ex actu accepto in definitione animæ nihil manifestè colligi poterat, Aristotel. id colligere voluit ex altera cōditione, hoc est, ex coniunctione cum organo: videa-
C mus igitur, quid ex hac colligi possit, certè si bene rem consideremus, ex eo quòd forma sit organica, necessariò infertur eam esse à corpore inseparabilem, sed ex eo quòd non habeat organum, nihil necessariò colligi potest, hoc est, neque separabilem, neque inseparabilem esse: prioris dicti ratio clara est, quia nihil esse potest in natura otiosum, & carens propria operatione; forma igitur, quæ ita organo addicta est, vt sine illo operari non possit, si à corpore
D penitus separaretur, nō posset operari; facultas enim visiua sine oculo non videret, neque ambulatiua sine pedibus ambularet; omnes igitur animæ partes, quæ certis corporis partibus addictæ sunt in operando, sunt à corpore prorsus inseparabiles: alterius autem dicti ratio est, quia licèt nullum extet organum, quod separationem prohibeat, aliquod tamē aliud esse potest, quod prohibeat; nam forma elementi nullum habet organum, neque ob id est
E à materia separabilis, quia licèt ab organo nō impediatur quin separetur, impeditur tamen à propria sua natura, cui essentiale est vt sit formalis materiæ, nec sine illa existere possit: clarum igitur est quid dicat Aristotel. tum in prima, tum in secunda parte illius context. in prima enim dicit esse de aliquibus saltem animæ partibus manifestum eas esse à corpore inseparabiles, & affert rationem, quia illarum actus est ipsarum corporis partium. hoc
F est, quia actus, qui de illis prædicatur, est addictus certis partibus corporis, nempe tanquam instrumentis: nam quum dicat Aristot. ipsas corporis partes, non potest eas considerare nisi vt instrumenta partium animæ in operando; quare accipit quidem actum positum in definitione animæ, sed vt addictū statutæ corporis parti, qua vt instrumento vtatur; hæc igitur est manifestissima ratio, cur partes animæ, quæ [illegible] alligatæ, à corpore ins[illegible] hanc eandem rationem [illegible] clarius [illegible] ab Aristotele

Omnis forma organica à corpore inseparabilis.

addit

adductam in lib 2. de ortu animalium, cap 3. quem locum postea in argumétorum solutio ne considerabimus, & huic contrarium esse o stendemus, ita vt ex illo hunc, & ex hoc illum interpretari possimus, ac debeamus. In 2. verò parte eiusdem context. considerans Aristot. illas animæ partes, quæ organo addictæ non sunt, cuiusmodi est sola rationalis, non potest aliquid de his certi colligere, sed solùm dicere eas ab organo non prohiberi ne separari possint, quum nullum organum habeant; per hoc enim non fit vt absolutè separabiles dici possint, quum alia conditio esse possit prohibens ne separentur: ideo quando rationem subiungens dicit [*propterea quòd nullius corporis sunt actus*] non potest intelligere nisi vt organi, vt hæc verba præcedentibus ex aduerso respondeant, & perinde sit, ac si dicat, quia nullius partis corporis sunt actus; non asserit ergo ibi Aristot. eas esse à corpore separabiles, sed solùm dicit non prohiberi ab organo quin separari possint, quum nullum organum habeant; ideo optima est illorum verborum interpretatio, quam Alexander Aphrodisiensis adducit, dicens Aristot. ibi de intellectus separabilitate non asseueranter, sed sub dubio loqui. Nullum igitur argumétum ex eo loco sumere Aueroistæ possunt: quia quando Aristot. negat intellectum esse alicuius corporis actū, non negat vt informantem, sed solùm vt organicum, idq; asseueranter profert, separabilitatem verò sub dubio, adeo vt siue separabilem à corpore, siue inseparabilē esse animam rationalem Aristot. existimauit, pro neutra tamen parte colligi argumentum possit. Quòd autem ex tertia quoq; illius context. parte argumentum aduersarij sumant, ridiculum est: quum enim Aristot. dicat immanifestum esse an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis, non magis affirmare ipsi possunt animam esse vt nautam quàm nos negare; ideo mirandum certè est, quomodo inde sumere audeant Aristot. asseueranter dicere animam esse vt nautam, quum ipse apertè dicat hoc non esse manifestum: imò ostendo esse io Aristot. secundùm eorum interpretationem, repugnātiam insolubilem, necesse enim est omnē animam esse actum corporis vel vt informantem, vel vt assistentem, ergo si pars aliqua animæ non sit actus informans, manifestum esse debet eam esse actum assistentem, itaq; si secundùm eos præcedentib. verbis Aristot. asseueranter dixerat, animam rationalem non esse actum informantem, quomodo dicere postea potest non esse manifestum an sit ita actus, vt nauta nauis? Dicere enim potiùs debuisset esse manifestum eam esse actum assistentem, qualis est nauta in naui; potest igitur eos in eius loci intelligentia [illegible] abesse ab Aristot. mente. Nos igitur v[illegible] [illegible]onem afferamus [illegible] præfa[illegible]go cam

Qua anima; & cur dicatur similis nautæ.

A inuenissem, asserere auderem id solum Aristotel. voluisse & alios omnes fuisse deceptos; eam tamen ego non inueni, sed apud Simplicium in eodem loco legi, eamque statim verissimam esse cognoui: dico igitur nautam ad nauim referri duobus modis, vno modo quatenus non dat esse naui, & ab illis abiunctus est; altero modo quatenus eam gubernat, & mouet: multi igitur putant Aristotel. comparare animam cum nauta, quatenus nauta non B dat esse naui, in hoc tamen decipiuntur; quia in eo non consistit Aristotel. comparatio, neq; in eo anima est similis nautæ, sed in eo tātùm, quòd regit corpus, sicuti nauta regit nauim, & hoc animæ regimen non est contrarium informationi, sed simul est cum informatione; quocirca ratione informationis anima est dissimilis nautæ, ratione autem regiminis est similis, & hoc tantùm Aristotel. respexit: hæc fuit Simplicij, & Platonicorum opinio, qui di-C xerunt animam & informare corpus, & ipsum regere, vt nauta nauim regit, ipsoq; vti vt instrumento, sicuti nauta vtitur naui: hoc igitur respiciens Aristot. ibi significare vult se dixisse quidem animam esse actum corporis vt informantem, & dantem esse corpori viuenti, sed nihil dixisse de gubernatione, ideoque immanifestum esse, an anima præterquàm quòd est actus informans, sit etiam actus gubernās, sicuti nauta dicitur actus nauis; huius verita-D tis argumentum clarissimum est, quòd Aristoteles non de sola anima rationali hoc dicit, sed de anima vniuersè; dicit enim esse immanifestum, an anima sit ita actus corporis, vt nauta nauis; reuera enim hoc competit etiam animæ sentienti, quæ est forma constituens animal, & est vt nauta in naui, quia regit corpus, & ipso tanquam instrumento vtitur: hoc idem legimus apud Aristotelem in context. E 28. octaui Physic. vbi similiter animam comparat cum nauta, & corpus cum naui, nec loquitur de sola anima rationali, sed de omni animalium anima, vt ipsi quoque aduersarij non negarent, quia ibi est manifestissimum; inquit enim animam mouere corpus animalis, & ita animal diuidi in partem mouentem, & partem motam, ratione quarum dicitur à seipso moueri. Si quis autem quærat vbi nam postea Aristotel. declarat an anima sit actus vt nauta in naui, certum est id nullibi ab Aristo-F tele expressè declarari, colligi tamē facilè potest ex illis, quæ de singulis animæ partibus postea dicuntur; anima enim regere corpus, & imperare illi dicitur per cognitionem, vt asseruit ipse Aristotel. in contextu 4. libri 3. de Anima, omnis igitur anima cognoscens dicitur regere corpus, & illi imperare tanquam nauta: ideo similis est nautæ, tum anima sentiens, tum anima rationalis, quia vtraque cognoscitiua est; anima verò vegetalis, quum cognitione careat, non dicitur similis nautæ, neque imperans corpori: Aristoteles igitur

nullibi docet expressè animam esse vt nautã, quia ex eo quòd & anima sentiens, & anima intelligens sunt cognoscentes, colligere quisque potest vtranque ipsarum instar nautæ regere corpus. Hinc etiam sumitur ratio, cur Aristotel. ibi dicat esse immanifestum an anima sit vt nauta, & cur hanc conditionem in definitione animæ non posuerit; ratio enim est, quia non competit omni animæ, non enim animæ vegetanti, quia non cognoscit: ob id quum in eo contextu is absoluiè de omni anima quærat absque vlla distinctione, an sit ita actus corporis, vt nauta nauis, iure dicit esse immanifestum, quia nõ omnibus animæ partibus competit; vel satis est si dicamus Aristotel. per immanifestum nil aliud significare voluisse, quàm non expressum in definitione animæ propter rationem prædictam. Ad 5 tum argumentum, quod ex contexi. 21. eiusdẽ secundi libri sumebatur, responsio colligitur ex ipsis Aristotel. verbis in eodem loco: duo namq; ibi sunt Aristotelis dicta, quæ nos considerare oportet; vnum est [*de intellectu autem, & speculatrice facultate nihil adhuc manifestum est*] alterũ verò est, quod statim sequitur [*sed videtur aliud genus animæ esse, & hoc solum posse separari, tanquam perpetuum à corruptibili*] patet autem & præcedentia, & sequentia considerantibus Aristotelẽ de separatione partium animæ loqui, hanc igitur vtraque hæc dicta respiciunt: ideò si vtraque ab Aristotele asseuerãter vt vera proferantur, est in iji verbis manifesta, & insolubilis contradictio; nam si de intellectu speculatiuo, hoc est, de eius separatione nil adhuc manifestũ esse asserit, quomodo potest sequẽtibus statim verbis asseuerãter dicere ipsum esse aliud animæ genus, & formam abiunctam à materia? quum præsertim in promptu sit ratio cur nihil de illo manifestum sit; nondum enim de ipso actum erat, sed agendum in tertio libro relinquebatur: ad tollendam igitur in dictis Aristot. repugnantiam, fateri cogimur non vtrunq; dictum asseuerãter, & ex animi sententia proferri ab Aristotele, sed vnum asseuerãter, & secundùm mentem propriam, alterum verò dubium, & iuxta aliorum, vulgarium præsertim opinionem; ita vt omnium verborũ sensus clarissimus hic sit; de intellectu autem speculatiuo, nempe de eius separatione à corpore, si secundùm rei veritatem loqui velimus, nihil adhuc manifestum est; at si sequamur id, quod alijs apparet, multis videtur ipsum esse aliud animæ genus, vtitur enim ibi Aristoteles verbo [*videtur*] quod significat rem dubiam, & apparentiam potiùs, quàm propriam ipsius opinionem; hanc enim ad alium locum declarandam remittit. Non est autem ignorandum, Aristot. eo in loco non omnino quartum animæ gradum excipere tanquã immanifestum, & obscurum, nam statim in context. sequente 22. inquit manifestum esse de opi-

Ad 5 ex contexi. 21. lib. 2. de Anima.

A B C D E F

natiuo, neque aliud per hoc significat, quàm eum ipsum quartum gradum; quanquam ibi non amplius loquitur de separatione à corpore, sed de separatione partium animæ secundùm locos iuxta Platonis opinionem, de qua antea loquebatur, cuius methodi rationem non est hic opportunum considerare. In contextu igitur 21. solùm excipit intellectum speculatiuum, hoc est eundem quartum gradum vt exercentem præstantissimam suam operationem, quæ est speculari essentias rerum, & vniuersalia; quum enim hoc facere nõ possit, nisi ope intellectus agentis, qui est forma verè abiuncta à materia, adeo vt ex vtroque intellectu constare quodammodo videatur intellectus speculatiuus, ideò non absque ratione fit vt hic videatur esse aliud animæ genus, & forma abiuncta à materia, euenit enim hoc propter interuentum agentis; & Auerroes quoque dicit intellectum speculatiuum constare ex intellectu possibili, & phantasmatibus, & intellectu agente: hanc igitur ob causam Aristoteles, & in illo contextu 21. & postea in 32. excipit intellectum speculatiuum, tanquam illum, de quo nihil ibi manifestum erat, quoniam ratione intellectus agẽtis non continetur recta sub animæ definitione, neque est actus corporis: at ratione aliarum ignobiliorum operationum Aristoteles nunquam excipit intellectum, neque dubitat ne sub animæ definitione contineatur, sed pro comperto habet eum esse formam viuentis corporis, & sub animæ definitione non minùs, quàm alias animæ partes contineri; nam in context. 22. inquit nullum dubium esse de opinatiuo, & in eo ipso 32 vocat quartum gradum λογιστικὸν, & διανοητικὸν, neq; vllum dubium de illo esse dicit; sed statim subiungit, de intellectu speculatiuo aliam esse rationem, & esse posterius considerandum: de intellectu igitur speculatiuo, tota dubij ratio prouenit ab intellectu agente, qui est aliud animæ genus, neque est actus corporis, vt Aristoteles postea in libro 3. declarat. Ad sextum argumentum sumptum ex contextu 4 & 6 libri 3. de Anima, dicimus intellectum dici posse commistum corpori, vel immistum duobus modis; vno modo secundùm esse, altero modo secũdùm operationem: & hoc adhuc duobus modis; vel enim ratione obiecti recipiendi; vel ratione corporis, quo vtatur ad recipiendum, adeo vt tribus modis dici possit: in tellectus commistus, vel immistus: sed primus modus non fuit ab Aristotele consideratus in libro 3. de Anima, quoniam ibi propositum libi considerandam naturam intellectus respectu operationis tantùm, nam secundùm suum esse iam dixerat in princi[illegible] omnem animam esse actum ps[illegible] organ[illegible] re ne[illegible] corpo[illegible]

Ad 6. ex contexi. 4. & 6. lib. 3 de anima.

Immistus intellectus triplicitur considerari potest.

stione, quæ non est nisi corporeum cum corpore, sed illa, quæ cõpetere potest incorporeo cum corporeo, nam forma corpus aliquod constituens insinuat se in omnem partem materiæ, in qua inest, & ita dicitur commisceri cum materia; sic igitur intellectus secundùm situm esse non est immistus, sed potiùs cõmistus cum corpore, prout nomine cõmistionis nil aliud denotamus, quàm veram materiæ informationem, & constitutionem speciei. Ratione autẽ obiectorum recipiendorum intellectus est immistus, quia in sua natura non habet aliquod ex obiectis recipiendis, nam intus apparens prohibet alienum, vt inquit Aristoteles in illo context. 4. lib. 3. quare si in ipsa essentia intellectus contineretur aliquod ex obiectis recipiendis, prohiberetur alia recipere; quemadmodum materia prima, si in sua natura formam aliquam haberet, nullam posset aliam recipere: de hac tantùm immistione loquitur Aristot. in eo contextu 4. lib. 3. vt manifestissimũ est, nec ex illa potest inferri immistio cum corpore secundùm esse, quoniam etiam cuilibet sensui competit talis immistio respectu sui obiecti; organum enim visus recepturum colores debuit esse sine colore, & organum auditus debuit esse sine sono, & sic de alijs; attamen certum est sensum esse formam materialem, & verè informantem materiam; quare ex eo 4. cõtextu nullum potest argumentũ pro Auerroe sumi ad probandum intellectum non esse formã informantem. In 6. autem context. loquitur Aristot. de altera immistione respectu operationis, nempe quæ opponitur illi commistioni, ex qua inferretur intellectum esse organicum: quum enim Aristot. priùs docuisset intellectum patiendo, ac recipiendo intelligere, ibi ostẽdere vult ipsum in recipiendo non esse commistum cum corpore, hoc est, non vti ministerio corporis in recipiendis obiectis, sed ipsummet recipere, ad quod probandum hoc argumento vtitur, quia si in recipiendo esset cum corpore commistus, iam haberet aliquod eius organum in humano corpore, propterea quòd si in recipiendo egeret corpore simul recipiente, iam postularet certam aliquam corporis temperaturam idoneam ad recipiendum, proinde statutam aliquam corporis partem, in qua hæc receptio fieret, quod esset ipsum esse organicum; nullum enim aliud est officium organi sensus, quàm recipere species: quoniam igitur nullum apparet organum proprium, quo vtatur intellectus in recipiendis obiectis, dicendũ est eum in operando non esse cũ corpore commistum, sed ipsummet recipere species; vnde postea colligit solam animam intellectiuam dici posse locum specierum, locus enim recipit locatum, anima autem sensibilis non recipit species rerum sensilium, sed organum animarum eas recipit, proinde non anima ipsa, sed organum est locus specierum: anima ve-

A rò intellectiua non vtitur organo corporeo in recipiendis speciebus, sed ipsa recipit, ideo rectè vocatur locus specierum. Quum igitur talem immistionem tribuat ibi Aristoteles intellectui, quæ solùm respicit operationẽ, nullum inde sumere argumentum Auerroistę possũt: nam si hinc colligere velint immistionẽ cum corpore etiam secundùm esse, negamus consequentiam, quia licèt intellectus in recipiendis speciebus non vtatur aliquo proprio corporeo instrumento, per hoc tamen non stat

B quin sit forma hominis, & hominem in specie constituat sub animali genere; nã ex eo quòd aliqua forma nõ habeat organum proprium, non licet inferre eam non esse formam informantem, sed abiunctam à materia. Alia multa ad illius loci declarationem, & ad huius argumenti vanitatem ostendendam pertinentia dicta à nobis sunt in illius libri interpretatione, quæ hic recensenda non sunt. Ad septi- *Ad 7. ex 10. Eth. cap. 7.*

C mum, quod sumitur ex cap. 7. lib. 10 Ethic. dicimus hominem apud omnes Philosophos esse mediæ naturæ inter mortalia, & immortalia, inter terrena, & diuina: pluribus enim facultatibus præditus est, quarum aliæ faciunt eum similem brutis animalibus, & rebus ignobilioribus; aliæ verò reddunt eum similem diuinis, vt intellectus, præsertim speculatiuus: inter quæ duo extrema datur medius quidam status, secundùm quem homo ne-

D que ad inferiorã vergit, neque ad superiora, & huiusmodi est vita secundùm intellectum practicum; ideo dici solet, hominem, si viuat secundùm sensus, viuere vt bestiam; si verò secundùm intellectum speculatiuum, viuere vt Deum; si verò secundùm intellectum actiuum, viuere vt hominem; sed tamen quando Philosophi ita loquuntur, non propterea negant vitam contemplatiuam homini competere quatenus est homo, sed id dicũt com-

E paratione illius vitæ mediæ, secundùm quam homo neutri extremorum similis esse dicitur, sic enim per comparationem vocatur status ille suprahumanus, absolutè tamen non est suprahumanus, sed est penitus humanus; quicquid enim est in homine, humanum est, & eò humanius, quò magis proprium hominis est; quocirca contemplatiua hominis vita est maximè humana, idque asserit ipse Arist. clarè in calce eiusdem capitis, dum ait [*quod natura* *Vita contemplatiua est maximè humana.*

F *vniuscuiusque est accommodatum, id præstantissimum, ac iucundissimum vnicuiq; est; ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur, siquidem maximè id est homo*] vult igitur absolutè loquendo intellectum esse humanæ naturæ maximè accommodatum, & hominem per eum maximè esse hominem: dum enim absolutè quid natura humana sit consideramus, eam esse dicimus, per quam homo maximè constituitur, & ab alijs distinguitur; constituitur autem, & distinguitur per id, quod est summa ipsius perfectio; summa autem perfe-

ctio cuiusque speciei est præstantissimæ eius partis operatio, qualis est in homine contemplatio; hac igitur nihil in homine humanius est, dum absolutè hominem consideramus; dum autem nomine hominis non omnes humanas vitas, & operationes intelligimus, sed aliquas tantùm ignobiliores, tunc vita contemplatiua dicitur esse supra hominem, non quidem absolutè supra hominem, sed supra hominem ita consideratum; quia homo est quidem naturæ mediæ, sicuti dictum est, non tamen per veram extremorum participationē, sed solùm per eorum similitudinem: ideo nomine hominis quandoque perfectionem, & nobilitatem significare volumus, quandoque imperfectionē, & ignobilitatem; denotamus enim nobilitatem, quādo dicimus hominem esse animal præstantissimum, & ad imaginem Dei esse factum; imperfectionem verò, quando excusare alicuius errorē volentes dicimus, homo est, & quando dicimus, humanum est C peccare, & memento homo quòd cinis es, & alia huiusmodi. Quando igitur Aristoteles dicit vitam ex intellectu non esse humanam, sed diuinam, non absolutè negat esse humanam, sed solùm prout humanum notat imperfectionem, neque vult esse propriè diuinam, quum propriè sit humana, sed per quandam superiorum similitudinem, & cum inferioribus comparationem; non est enim eiusdem generis mens, & intellectio in homine, D & in superioribus, habent tamen quandam similitudinem: ob id homo respectu ignobiliorum vocatur diuinus, absolutè tamen nihil est in homine, quod humanum non sit, & nihil in eo humanius est mente, atque intelligentia.

Quomodo homo sit medius inter diuina, & terrena.

Ad 8. ex 4. de part. animal cap. 10.

Ad octauum argumentum, quod sumitur ex capite decimo libri 4. de Partibus animalium, dicimus debilem esse rationem, quæ sumitur à sola appellatione diuini, nam in contextu 81. lib. 1. Physic. auscultationis Aristotel omnē E formam naturalem vocat diuinā & optimam; & in libro 2. de ortu animalium, cap. 3. dicit, quamlibet animæ facultatem participare diuino quodam corpore præter illa, quæ elementa appellantur; neq; propterea putat omnem formam naturalem, vel omnem animam esse à materia abiunctam; quòd igitur mentem humanā vocet diuinam, nullius momenti est ad ostendēdum eam non esse formā informantem, sed abiunctam à materia. Ra F tio autem, cur Aristot. omnes animæ partes, & omnes formas naturales appellauerit diuinas, est illa, quæ ex eius verbis sumitur in contextu 100. libri 1. de Cœlo; ibi enim dicit rebus omnibus à Deo communicari esse, & viuere, his quidem clariùs, illis verò obscuriùs; quælibet enim res illud quod est, est per participationem perfectionis diuinæ; sed ea participatio est inæqualis, quoniam aliæ res magis, aliæ minùs ad diuinam perfectionē accedunt: quoniam igitur esse cuiq; rei tribuitur à

Cur forma ab Aristot. vocetur diuina.

A forma, quælibet forma dicitur diuina, quatenus est imago alicuius gradus perfectionis diuinæ; ideo non malè à Platone dictum est, omnia ex duobus principijs constare, ex ente, & non ente; per ens enim Deum significabat, per non ens verò primam materiam, quasi ex materia & forma constare, sit constare ex materia & Deo. Solet etiam Aristot. aliquid appellare diuinum comparatione rerum ignobiliorū, vt in 1. Physic. loco prædicto formam B vocat diuinam etiam respectu materiæ, à qua appetitur; & in cap. 3. lib. 2. de ortu animaliū omnem animæ facultatem diuinam vocat respectu elementorum, & rerum anima expertium: maximè igitur homini hæc appellatio conuenit, quia omnium sublunarium corporum præstantissimus est & proximè omnium ad Deum accedit: quid igitur mirum, si Aristot. dixit substantiam hominis esse diuinam, & officium diuini esse sapere, & intelligere? appellatio enim diuini apud Aristot non denotat abiunctionem à materia. Ad nonum ex context. 51. duodecimi Metaphysic. responsio sumitur ex ipsis Aristot. verbis in eodem loco, & ex Alexandri interpretatione, quæ plana, & facilis est: aduersarij namque verba Aristotelis tum mutilata in medium afferunt, tum perperam interpretantur; citant enim verba hæc [*an omne non habens materiam est indiuisibile, quemadmodum humanus intellectus*] & subticēt sequentia illa [*aut qui compositorum est, in aliquo tempore se habet*] dico igitur Aristotel. his verbis primum intellectum cum humano non in eo comparare quòd careat materia, sed in eo quòd intelligat obiectum totum simul, & indiuisibiliter; neque dicere humanum intellectum ita semper se habere, sed aliquo tantùm tempore, adeo vt talis semper sit primus intellectus, qualis aliquo tempore est intellectus humanus: quòd si putaret Aristot. humanum intellectum esse formam abiunctam à materia, vt illi volunt, certè non dixisset ipsum aliquo tantùm tempore talem esse, sed omni tempore, qui si non dat esse, est semper à materia abiunctus, licet corpori assistat: est igitur sensus verborum talis: omne non habēs materiam est indiuisibile, quēadmodum humanus intellectus aliquo tempore se habet; est enim quandoque eius intellectio indiuisibilis, nempe quando intelligit obiectum totum simul, non per discursum à parte ad partem: verba autem illa [*aut qui compositorum est*] ad maiorem declarationem ab Aristotele adijciuntur, & habent sensum vniuersalem, vt inquit ibi Alexander, ita vt sensus sit, quemadmodum se habet aliquo tempore humanus intellectus, aut vniuersè loquendo omnis intellectus, qui composita intelligat, si alius præter humanum datur, qui sit eiusmodi: dicit ergo humanum intellectum esse compositorum, proinde intelligere quandoque cum discursu à parte ad partem, nec semper intel-

Plato dixit omnia ex ente, & non ente constare.

Ad 9. ex 12. Metaph. 51.

ligere indiuisibiliter, sed aliquando, imò rarò; hoc enim euenit, quando ad perfectionē ductus est, & fruitur fœlicitate contemplatiua, hoc est, omnia nouit, quæ homini in hac vita mortali cognoscere datum est, tunc enim intelligit etiam intellectum agentem, proinde rem indiuisibilē, & indiuisibiliter: quod ipsemet Aristot. declarat, quando subiungit [*non enim semper habet id, quod bene est, in hoc, aut in illo, sed in toto quodam id, quod optimum est, aliud ab eo existens*] quæ verba Auerroistæ sic interpretantur; intellectus humanus non habet suā perfectionem in hoc, aut in illo indiuiduo, vt in Socrate, vel in Platone: sed hæc interpretatio ab Aristot. alienissima est, neque ad id, de quo ibi sermo fit, vllo modo pertinet; nam Aristotel. ibi nec de indiuiduis, nec de specie loquitur, sed docere vult Deum intelligere seipsum indiuiduè, & id declarat per humanum intellectum: quemadmodum enim humanus intellectus quandoque intelligit indiuisibiliter, nempe quando ad perfectionē peruenit, & intelligit intellectum agentem; ita Deus semper seipsum indiuisibiliter intelligit: hoc igitur significant verba illa Aristotelis, & eorum sensus hic est: perfectio humani intellectus non semper consistit in intellectione diuisibili, quæ est quando partibiliter intelligit modò hoc, modò illud, & comparat hoc cum illo, & discurrit ab hoc ad illud, quod quidem ei euenit in ipsa habituum acquisitione; sed quandoque habet in toto quodam, hoc est, in temporis momento indiuisibili id, quod est optimum, id est, cognitionem intellectus agentis, qui est diuersum quiddam ab ipso, & ei iungitur tanquam forma extrinsecus adueniens: sic locum illum interpretatur Alexander, nam momētum temporis vocatur totum quoddam, quia quum partes non habeat, est totum simul, & indiuiduum: tunc igitur intellectus humanus in momento intelligit, sed quando intelligit discurrēdo ab hoc ad illud, tunc intelligit in tempore. Quando autem subiungit Arist. [*sic autem se habet ipsa suiipsius intellectio toto æuo*] profert hæc verba de primo intellectu, & sensus clarus est: sicut enim se habet quandoque, & rarò humanus intellectus, videlicet quando indiuisibiliter intelligit intellectum agentem, sic se habet Deus in tota æternitate, nam seipsum semper intelligit indiuisibiliter. Patet igitur nullum argumētum contra nos ex eo loco sumi posse, imò ridiculus esset Aristotel. si id vellet, quod illi Auerroistæ attribuunt: nam docere volēs primum intellectum esse abiunctum à materia, non bene faceret hoc declarans per intellectū humanum; non enim ita immaterialis Deus est, vt humanus intellectus, & multò euidentius est immaterialem esse Deum, quàm intellectum humanum; quocirca Aristotel. declararet notius per ignotius, & per id, quod est dissimile, tanquam per simile: ideo nos ex eo

A loco contrarium colligimus; nam secundum Aristot. omne carens materia est semper indiuisibile, & indiuisibiliter intelligens; ergo humanus intellectus, quum non semper indiuisibiliter intelligat, sed rarò, non est abiunctus à materia. Ad postremum, quòd sumitur ex lib. 2. de ortu animalium, cap. 3. sectatores Alexandri varijs modis responderunt. Simon Portius in libro suo de mente humana traxit verba illa Arist. ad operationem respectu intellectus

Ad 10. ex 2. de Gen. animal. cap. 3.

Portij responsio.

B agentis, & dixit esse intelligenda de actu secundo, operatio enim intellectus dicitur extrinsecus accedere, quatenus pendet ab intellectu agente, qui extra est, & sine quo non fit intellectio. Sed alij posteriores Alexandræi sententiam Portij non receperunt, quia reuera verbis Aristot. accommodari non potest: Aristoteles enim ibi quæstionem proponit de ipsa animæ substantiæ, de actu primo, non de actu secundo, quærit enim de facultatibus animæ,

Confutatio.

C an extrinsecus adueniant, nec ne; nomen autem facultatis apud Aristot. semper sumitur pro anima ipsa, nunquam pro operatione, neque pro intellectu agente, hic enim non est pars animæ nostræ, vt alio in loco demonstrauimus, proinde facultas animæ appellari non potest. Præterea si dictum illud Aristot. sic intelligatur, falsum est, quia non solius intellectus operatio ratione mouētis extrinsecus accedit, sed etiam operatio sensus, nam etiam

D visio fit per actionem obiecti externi in oculum, & præterea ad eam necessarium est lumē externum, quod proportione respondet intellectui agenti secundùm Aristotelem, quare non minùs visio extrinsecus aduenit, quàm intellectio. Ideo alij hac responsione relicta confugerunt ad intellectum speculatiuum, & de hoc dixerunt esse intelligenda verba Aristotelis qui eundem exceperat in contextu 21. & 32. lib. 2. de Anima, & distinxerat à quarto

Aliorum responsio.

E gradu vitæ: hic enim dicitur extrinsecus accedere ratione intellectus agētis, qui in eo comprehenditur, sicut antea diximus. Sed hi mihi videntur in easdem difficultates incidere, in quas Portius incidit: nam dicere intellectum speculatiuum nil aliud est, quàm dicere præstantissimam intellectus operationem; tunc enim dicitur speculatiuus, quando essentias rerum actu speculatur: quoniam igitur dicentes hunc extrinsecus accedere, respicimus vel

Confutatio.

F intellectum agētem, vel operationem vt pendentem ab intellectu agente: responsio hęc in idem cadit cum responsione Portij, nec conuenit cum verbis Aristotel. qui eo in loco de solis facultatibus animæ loquitur; quare nomine mentis nil aliud intelligere potest, quàm mentem humanam, quæ vocari solet intellectus potestate, de quo in præsentia disputamus: idq; confirmatur ex sequentib. Aristotel. verbis, quibus rationem afferens dicit [*nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis*] sic enim distinguit intellectū à sua operatio-

ne. & cui extrinsecus accedat, hanc rationem adducit, quoniam in suæ operatione corporeo instrumento non vtitur: hæc autem ratio probat de ipsa substantia intellectus possibilis; hunc igitur Aristotel. respicit, quare neutra horum solutio recta est, & difficultas integra manet, quomodo Aristotel. dicat solam inter animæ partes humanam mentem extrinsecus aduenire. Petrus Pomponatius meo quidem iudicio proximè omnium ad Aristotelis mentem, & ad veram argumenti solutionē accessit, eam tamen non perfectè assequutus est, quia ipsam quidem veritatem iuxta Aristotelis mentem optimè declarauit, sed ad illa Aristotelis verba, in quibus aduersarij maximam vim faciunt, nihil respondit: nam in libro 1. suæ Apolog. cap. 7. locum illum declarans, inquit Aristot. asserere non ipsam mētis substantiam extrinsecus accedere, sed solum principium effectiuum, quod externum est; hoc enim ibi paulò pòst ab Aristotele apertè dicitur. Attamen quoniam Aristotel. eo in loco non solum intellectum, sed quamlibet etiam aliam animæ partem dicit habere principium actiuum cœleste, ac diuinum, quod nobilitate excellit naturas elementorum, difficultas manet, quam Pomponatius non soluit, quomodo priùs dicat solam mentem hac ratione extrinsecus aduenire. Vt igitur nos veram huius argumenti solutionem, quam nemo vidit, afferamus, declaranda sunt verba, & consilium Aristotel. eo in loco; his enim intellectis, non modò difficultas omnis tolletur, sed etiam validum pro nobis argumentum inde sumetur & eò validius, quò ab interpretatione ipsiusmet Auerrois in eo ipso loco non recedemus; adeo vt mirandum profectò sit, quomodo Auerroistæ loco illo tanquam Achille p Auerroe aduersus sententiam nostram vtantur; illius tamen interpretationem, quam ibi affert Auerroes, non animaduertant. Quum in primo eius libri capite Aristot. docuisset semen maris proiectum in fœminam non esse materiam animalis, neq; fieri partem vllam ipsius, sed solùm agētis officio fungi, sanguinem autem mēstruum fœminæ esse totam materiam animalis generādi, & postea in 2. cap. de ipsius seminis natura loquutus esset, mox in initio tertij, quod nobis considerandum proponitur, tres quæstiones soluendas in medium affert, sed propositā primā statim subiungit soluendas priùs esse alias duas sequentes, etenim earum solutio ad primam soluendam conferebat: prima quæstio est, quum semen maris non sit pars aliqua ipsius conceptus, neq; habeat locum materiæ, in quodnam eius corpulentia conuertatur, quum certum sit ipsum non posse transire in nihil: secunda est, an sanguis menstruus fœminæ, qui est materia conceptus, accipiat aliquid a semine maris: tertia demum est, an in semine, & in conceptu insit anima, qua animal est animal. Hanc tertiam quæstionem statim primo loco soluit, quia cognouit eius solutionem ad secundæ solutionem conferre, & solutio in hoc consistit, quòd omnes animæ partes in conceptu nondum separato ab vtero, insunt priùs potestate, quàm actu, quia in materia apta ad formam recipiendā necesse est vt forma priùs insit potestate, quàm actu; sciendum autē est hoc posse intelligi tum de primo, tum de secundo actu; nam embryum antequam accipiat animam, habet potestatem respectu actus primi, ea verò recepta habet potestatem respectu actus secundi, quoniam anima illa nōdum vtitur instrumentis proprijs, quia his non incipit vti, nisi post separationem conceptus ab vtero; quare antequam separetur, viuit illud animal instar membri illius fœminæ: non enim nutritur sumens ore proprio cibum, nec proprio ventriculo concoquit, sed per vmbilicum recipit à matre sanguinem, sicut alia membra omnia illius fœminæ, & hac ratione dicitur habere animam potestate, quoniam eius anima nondum potest per propria organa operari, quum imperfecta atque imbecilla sint, ita vt conceptus, dum est in vtero, dicatur habere animam potestate so'ùm, non actu, id est, non actu completo. Hæc igitur ad tertiæ quæstionis solutionem ab Aristotel. ibi dicuntur, & alia etiam multa, quæ non refero, quia ad nos in præsentia non attinent. Postea verò quando dicit [*sed aut omnes contingere, quum antè non fuerint, necesse est*] multi putant nouam aliam quæstionem discutiendam proponi relictis alijs duabus, sed hi consilium Aristot. non penetrant, quum enim non multò pòst, quando dicit [*corpus autem geniturae, in quo semen animalis principij continetur vnà prouenit*] soluat primam quæstionem de semine, in quodnam eius corpulentia conuertatur, necesse est vt priùs secundam soluerit; vult igitur alijs prædictis verbis eam soluere, sed id facit proponens aliam nouam quæstionē; quod quidem alios decepit, vt crediderint non secundam quæstionem ibi solui, sed aliam nouam, quæ ibi proponitur: nos autem dicimus proponi quidem quæstionem nouam, & solui, sed esse secundariam, & ab Aristotele eo consilio proponi, vt ex eius solutione secundæ præcipuæ quæstionis solutionem colligamus; & nisi hoc dicamus, nullus alius apparet locus, in quo secunda illa quæstio soluatur, quæ fuit an sanguis menstruus fœminæ accipiat aliquid à semine maris, an nihil; hāc igitur vt soluat Aristot. aliam nouam quæstionē proponit, eaq; est, quum in conceptu nondum separato anima pro actu primo accepta insit priùs potestate, quàm actu, vndenam adueniat actu; & statim tria membra discutienda proponit, vt declaretur, quodnam illorum asserendum sit. necesse enim est, vel omnes illas animæ facultates præfuisse, & postea illi materiæ aduenisse, quod esset eas omnes extrinsecus accedere:

Pomponatij responsio.

Pomponatij defectus.

Vera responsio.

Quomodo in conceptu insit anima potestate.

vel omnes in illa materia innasci, quum antè non fuerint, & ita nullam extrinsecus aduenire; vel tandè aliquas innasci, quum priùs non fuerint, aliquas verò induci, quum priùs fuerint: non est autem ignorandus verus sensus quæstionis huius, in quo manifestum est plurimos fuisse deceptos; cognoscere enim oportet quid ibi significet extrinsec⁹ accedere: certum est quæstionem illam non proponi de anima secundum speciem, quia nulli dubiũ est eandem secundùm speciem præfuisse, sed proponi de eadem numero anima an præextiterit, & extrinsecus materiæ inducta sit, ita vt priùs extra materiã generationis fuerit, & illi postea inducta sit; certè in hoc sensu accipit ibi Arist. extrinsecus accedere, quo fit vt tũ secundùm sententiam Aristotelis, tum absolutè secundùm rei veritatem nulla prorsus anima hoc modo extrinsecus accedat, sed omnes nulla excepta in ipsa generationis materia innascantur, cum hoc tamen discrimine, quod cæteræ præter rationalem ita in illa materia innascuntur, vt de illius potestate educantur, & hac ratione ab agente naturali dicantur attingi, hoc est produci; anima verò rationalis ita in materia innascitur, vt ab agẽte naturali non attingatur, neq; de materiæ potestate educatur, sed à Deo creetur; non enim ita creari animam humanam dicendum est, vt priùs extra corpus à Deo producatur, deinde creata inducatur in corpus, sed vt in ipsomet humano corpore à Deo immediatè creetur, & eodem momento creata, & infusa dicatur; agentis verò naturalis opera in eo tantùm consistere intelligatur, vt materiam disponat, ac præparet ad eam recipiendam: hoc dico secũdùm rei veritatem, nam quid hac de re Aristoteles senserit, & an talem creationem cognouerit, dubium est, idq; discutere ad propositam nobis considerationem non attinet; hæc autem dicere volui, vt omnes intelligerent, nullam animæ partem, ne ipsam quidem rationalem extrinsecus accedere, prout ibi ab Aristotele sumitur extrinsecus accedere, nempe vt ita præextiterit, vt potuerit ante ingressum corporis operari. Hac igitur quæstione, & ijs tribus membris propositis antequam Aristot. ex animi sententia eam soluat, disputationem, vt plerunq; facere solet, præmittit: nam etiam in cap. 1. lib. 1. de Partibus Animal. quum quæstionẽ proposuisset, an de omni anima agere ad Philosophum naturalem pertineat, antequam eam solueret, voluit dubitãdo argumentari; hoc idẽ igitur etiam in eo loco facit, quod quum alij non viderint, omnes decepti sunt, putantes Arist. statim soluere difficultatẽ propositam, & ex animi sententia loqui, quum tamen hoc facere non incipiat, nisi vbi in Latino codice ita legitur [*sed enim omnis anima facultas*] adeo vt omnia præcedentia verba disputatiua sint, & nihil in ijs ab Aristot. certi statuatur, sed omnia dubitandi, seu argumentan-

A di gratia dicantur: argumentatio autem talis est: quum Aristot. tria vt prædiximus, membra proposuisset, voluit vnum ex eis tantummodo impugnare disputandi gratia, nempe illud, quo dicebatur omnes partes animæ extrinsecus accedere, hoc enim falsum esse ostendit; & quia vniuersalis affirmatiua satis euertitur per probationem contradictoriæ, quæ est negatiua particularis, scilicet, aliquas animæ partes extrinsecus aduenire non posse, ideo hanc probat Arist. & argumẽtum sumit ab illis, quæ
B organicæ sunt, & per propria organa operantur, hunc in modum: si hæ extrinsecus accedunt, vel cũ corpore aliquo adueniunt, vel sine corpore; non sine corpore, quia quum sint organicæ, operari sine corpore non possunt, proinde neq; sine corpore esse, quia sic essent otiosæ, & sine operatione, quod dicẽdum non est; eas igitur extra corpus sine vllo corpore præfuisse impossibile est, quum sine corporeo or-
C gano non operẽtur: sed neq; cum corpore extrinsecus aduenire possunt, quia nullum aliud corpus apparet, cum quo aduenire dicãtur sanguini menstruo, nisi semen maris, cum hoc tamẽ aduenire extrinsecus nequeunt, ergo cum nullo: assumptum patet per fundamentũ modò iactum: tales enim animæ partes esse non possunt sine corpore habẽte organa quædam statuta, quæ ad singulas requiruntur, vt facultas ambulatiua non potest esse sine pedibus,
D nec visiua sine oculis; at semen non huiusmodi corpus est his instrumẽtis præditum, sed est similare quoddam, imò est excrementum vltimi alimenti ex cibis geniti; igitur hæ facultates neq; sine corpore, neq; cum corpore aduenire extrinsecus possunt: hæc est Arist. argumentatio, in qua notare manifestè possumus Arist. sumere extrinsecus accedere pro eo, quod est præfuisse extra corpus, ita vt ante corporis ingressum operari potuerint, deinde in corp⁹
E induci; patet enim Aristot. ex eo quòd extra corpus non possunt operari, probare eas extra corpus non extitisse. Hanc argumentationem statim sequuntur verba illa [*restat igitur vt mẽs sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cum eius actione cõmunicat actio corporalis*], quæ absq; dubio ro disputatione comprehenduntur, & nihil certi statuunt; sententia nanq; Arist hæc est, omnes animæ partes extrinsecus accedere impossibile est, nã multæ sunt orga-
F nicæ, ideoq; extrinsecus accedere nequeunt, sed sola relinquitur mens, quæ extrinsecus accedere possit, ac diuina esse dicatur, propterea quòd in sua operatione nullo corporeo instrumento vtitur; quasi dicat Aristot. quantum attinet ad vim rationis huius, quæ ab organis sumitur, ex ea non probatur de intellectu quòd extrinsecus accedere non possit, etenim non habet organum, ex quo argumẽtati, vt de alijs possimus: sed satis est, si de reliquis facultatibus probetur quòd extrinsecus aduenire non possint; hoc enim sufficit ad impugnãdam vli-

ne, & cur extrinsecus accedat, hanc rationem A adducit, quoniam in sua operatione corporeo instrumento non vtitur: hæc autem ratio probat de ipsa substantia intellectus possibilis; hunc igitur Aristotel. respicit, quare neutra horum solutio recta est, & difficultas integra manet, quomodo Aristotel. dicat solam inter animæ partes humanam mentem extrinsecus aduenire. Petrus Pomponatius meo quidem iudicio proximè omnium ad Aristotelis mentem, & ad veram argumenti solutionem accessit, eam tamen non perfectè assequutus est, quia ipsam quidem veritatem iuxta Aristotelis mentem optimè declarauit, sed ad illa Aristotelis verba, in quibus aduersarij maximam vim faciunt, nihil respondit: nam in libro 1. suæ Apolog. cap. 7. locum illum declarans, inquit Aristot. asserere non ipsam mentis substantiam extrinsecus accedere, sed solum principium effectiuum, quod externum est; hoc enim ibi paulò pòst ab Aristotele apertè dicitur. Attamen quoniam Aristotel. eo in loco non solum intellectum, sed quamlibet etiam aliam animæ partem dicit habere principium actiuum cœleste, ac diuinum, quod nobilitate excellit naturas elementorum, difficultas manet, quam Pomponatius non soluit, quomodo priùs dicat solam mentem hac ratione extrinsecus aduenire. Vt igitur nos veram huius argumenti solutionem, quam nemo vidit, afferamus, declaranda sunt verba, & consilium Aristotel. eo in loco; his enim intellectis, non modò difficultas omnis tolletur, sed etiam validum pro nobis argumentum inde sumetur & eò validius, quò ab interpretatione ipsiusmet Auerrois in eo ipso loco non recedemus; adeo vt mirandum profectò sit, quomodo Auerroistæ loco illo tanquam Achille pro Auerroe aduersus sententiam nostram vtantur; illius tamen interpretationem, quam ibi affert Auerroes, non animaduerrant. Quum in primo eius libri capite Aristot. docuisset semen maris proiectum in fœminam non esse materiam animalis, neq; fieri partem vllam ipsius, sed solùm agētis officio fungi, sanguinem autem mēstruum fœminæ esse totam materiam animalis generādi, & postea in 2 cap. de ipsius feminis natura loquutus esset, mox in initio tertij, quod nobis considerandum proponitur, tres quæstiones soluendas in medium affert, sed proposita prima statim subiungit soluendas priùs esse alias duas sequentes, etenim earum solutio ad primam soluendam conferebat: prima quæstio est, quum semen maris non sit pars aliqua ipsius conceptus, neq; habeat locum materiæ, in quodnam eius corpulentia conuertatur, quum certum sit ipsum non posse transire in nihil: secunda est, an sanguis menstruus fœminæ, qui est materia conceptus, accipiat aliquid à semine maris: tertia demum est, an in semine, & in conceptu insit anima, qua animal est animal. Hanc tertiam

Pomponatij responsio.

Pomponatij defectus.

Vera responsio.

quæstionem statim primo loco soluit, quia cognouit eius solutionem ad secundæ solutionem conferre, & solutio in hoc consistit, quòd omnes animæ partes in conceptu nondum separato ab vtero, insunt priùs potestate, quàm actu, quia in materia apta ad formam recipiendā necesse est vt forma priùs insit potestate, quàm actu; sciendum autē est hoc posse intelligi tum de primo, tum de secundo actu; nam embryum antequam accipiat animam, habet potestatem respectu actus primi, ea verò recepta habet potestatem respectu actus secundi, quoniam anima illa nōdum vtitur instrumentis proprijs, quia his non incipit vti, nisi post separationem conceptus ab vtero; quare antequam separetur, viuit illud animal instar membri illius fœminæ: non enim nutritur sumens ore proprio cibum, nec proprio vētriculo concoquit, sed per vmbilicum recipit à matre sanguinem, sicut alia membra omnia illius fœminæ, & hac ratione dicitur habere animam potestate, quoniam eius anima nondum potest per propria organa operari, quum imperfecta atque imbecilla sint, ita vt conceptus, dum est in vtero, dicatur habere animam potestate solùm, non actu, id est, non actu completo. Hæc igitur ad tertiæ quæstionis solutionem ab Aristotel. ibi dicuntur, & alia etiam multa, quæ non refero, quia ad nos in præsentia non attinent. Postea verò quando dicit [*sed aut omnes contingere, quum antè non fuerint, necesse est*] multi putant nouam aliam quæstionem discutiendam proponi relictis alijs duabus, sed hi consilium Aristot. non penetrant, quum enim non multò pòst, quando dicit [*corpus autem genituræ, in quo semen animalis principij continetur vnà prouenit*] soluat primam quæstionem de semine, in quodnam eius corpulentia conuertatur, necesse est vt priùs secundam soluerit; vult igitur alijs prædictis verbis eam soluere, sed id facit proponens aliam nouam quæstionē, quod quidem alios decepit, vt crediderint non secundam quæstionem ibi solui, sed aliam nouam, quæ ibi proponitur: nos autem dicimus proponi quidem quæstionem nouam, & solui, sed eam esse secundariam, & ab Aristotele eo consilio proponi, vt ex eius solutione secundæ præcipuæ quæstionis solutionem colligamus; & nisi hoc dicamus, nullus alius apparet locus, in quo secunda illa quæstio soluatur, quæ fuit an sanguis menstruus fœminæ accipiat aliquid à semine maris, an nihil; hāc igitur vt soluat Aristot. aliam nouam quæstionē proponit, eaque est, quum in conceptu nondum separato anima pro actu primo accepta insit priùs potestate, quàm actu, vndenam adueniat actu & statim tria membra discutienda proponit, vt declaretur, quodnam illorum asserendum sit: necesse enim est, vel omnes illas animæ facultates præfuisse, & postea in materiæ aduenisse, quod esset eas omnes extrinsecus accedere;

Quomodo in conceptu insit anima potestate.

vel omnes in illa materia innasci, quum antè non fuerint, & ita nullam extrinsecus aduenire; vel tandem aliquas innasci, quum prius non fuerint, aliquas verò induci, quum prius fuerint: non est autem ignorandus verus sensus quaestionis huius, in quo manifestum est plurimos fuisse deceptos; cognoscere enim oportet quid ibi significet extrinsecus accedere: certum est quaestionem illam non proponi de anima secundum speciem, quia nulli dubiū est eandem secundum speciem praefuisse, sed proponi de eadem numero anima an praexstiterit, & extrinsecus materiae inducta sit, ita vt priùs extra materiā generationis fuerit, & illi postea inducta sit; certè in hoc sensu accipit ibi Arist. extrinsecus accedere, quo fit vt tū secundùm sententiam Aristotelis, tum absolutè secundùm rei veritatem nulla prorsus anima hoc modo extrinsecus accedat, sed omnes nullā excepta in ipsa generationis materia innascantur, cum hoc tamen discrimine, quod caeterae praeter rationalem ita in illā materia innascuntur, vt de illius potestate educantur, & hac ratione ab agente naturali dicantur attingi, hoc est produci; anima verò rationalis ita in materia innascitur, vt ab agēte naturali non attingatur, neq; de materiae potestate educatur, sed à Deo creetur; non enim ita creari animam humanam dicendum est, vt priùs extra corpus à Deo producatur, deinde creata inducatur in corpus, sed vt in ipsomet humano corpore à Deo immediatè creetur, & eodem momento creata, & infusa dicatur; agentis verò naturalis opera in eo tantùm consistere intelligatur, vt materiam disponat, ac praeparet ad eam recipiendam: hoc dico secūdùm rei veritatem, nam quid hac de re Aristoteles senserit, & an talem creationem cognouerit, dubium est, idq; discutere ad propositam nobis considerationem non attinet; haec autem dicere volui, vt omnes intelligerent, nullam animae partem, ne ipsam quidem rationalem extrinsecus accedere, prout ibi ab Aristotele sumitur extrinsecus accedere, nempe vt ita praexstiterit, vt potuerit ante ingressum corporis operari. Hac igitur quaestione, & ijs tribus membris propositis antequam Aristot. ex animi sententia eam soluat, disputationem, vt plerunq; facere solet, praemittit: nam etiam in cap. 1. lib. 1. de Partibus Animal. quum quaestionē proposuisset, an de omni anima agente ad Philosophum naturalem pertineat, antequam eam solueret, voluit dubitādo argumentari; hoc idē igitur etiam in eo loco facit, quod quum alij non viderint, omnes decepti sunt, putantes Arist. statim soluere difficultatē propositam, & ex animi sententia loqui, quum tamen hoc facere non incipiat, nisi vbi in Latino codice ita legitur [*sed enim omnis anima facultas*] adeo vt omnia praecedentia verba disputatiua sint, & nihil in ijs ab Aristot. certi statuatur, sed omnia dubitanti, seu argumentan-

A di gratia dicantur: argumentatio autem talis est: quum Aristot. tria vt praediximus, membra proposuisset, voluit vnum ex eis tantummodo impugnare disputandi gratia, nempe illud, quo dicebatur omnes partes animae extrinsecus accedere, hoc enim falsum esse ostendit; & quia vniuersalis affirmatiua satis euertitur per probationem contradictoriae, quae est negatiua particularis, scilicet, aliquas animae partes extrinsecus aduenire non posse; ideo hanc probat Arist. & argumētum sumit ab illis quae organicae sunt, & per propria organa operantur, hunc in modum: si hae extrinsecus accedunt, vel cū corpore aliquo adueniunt, vel sine corpore; non sine corpore, quia quum sint organicae, operari sine corpore non possunt, proinde neq; sine corpore esse, quia sic essent otiosae, & sine operatione, quod dicēdum non est; eas igitur extra corpus sine vllo corpore praefuisse impossibile est, quum sine corporeo organo non operētur: sed neq; cum corpore extrinsecus aduenire possunt, quia nullum aliud corpus apparet, cum quo aduenire dicātur sanguini menstruo, nisi semen maris, cum hoc tamē aduenire extrinsecus nequeunt, ergo cum nullo; assumptum patet per fundamentū modò iactum: tales enim animae partes esse non possunt sine corpore habēte organa quaedam statuta, quae ad singulas requiruntur, vt facultas ambulatiua non potest esse sine pedibus, nec visiua sine oculis; at semen non huiusmodi corpus est his instrumētis praeditum, sed est similare quoddam, imò est excrementum vltimi alimenti ex cibis genitum; igitur hae facultates neq; sine corpore, neq; cum corpore aduenire extrinsecus possunt: haec est Arist. argumentatio, in qua notare manifestè possumus Arist. sumere extrinsecus accedere pro eo, quod est praefuisse extra corpus, ita vt ante corporis ingressum operari potuerint, deinde in corpus induci; patet enim Aristot. ex eo quòd extra corpus non possunt operari, probare eas extra corpus non extitisse. Hanc argumentationem statim sequuntur verba illa [*restat igitur vt mēs sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis*] quae absq; dubio in disputatione comprehenduntur, & nihil certi statuunt; sententia namq; Arist. haec est, omnes animae partes extrinsecus accedere impossibile est, nā multae sunt organicae, ideoq; extrinsecus accedere nequeunt, sed sola relinquitur mens, quae extrinsecus accedere possit, ac diuina esse dicatur, propterea quòd in sua operatione nullo corporeo instrumento vtitur; quasi dicat Aristot. quantum attinet ad vim rationis huius, quae ab organica sumitur, ex ea non probatur de intellectu quòd extrinsecus accedere non possit, etenim non habet organum, ex quo argumētari, vt de alijs possimus: sed satis est, si de reliquis facultatibus probetur quòd extrinsecus aduenire non possint; hoc enim sufficit ad impugnādam

Iam vniuersalem, qua dicebatur omnes extrinsecus aduenire: igitur manifestum est id, quod antea diximus, maximam esse huius loci consonantiam cum cōtext. 11. lib. 2. de Anima, vbi de separabilitate sermo erat; ex illis enim animæ partib. quæ proprijs instrumentis vtuntur, Arist. vtroq; in loco argumētum sumpsit; ex illis verò, quæ non sunt organicæ, vtrobiq; dixit nullum posse argumentum sumi ad probandum quòd separari non possint, & quòd nequeant extrinsecus aduenire, nam ex organis quidē probatur aliquas animæ partes accedere extrinsecus non posse, at ex organi defectu non probatur aliquas extrinsecus accedere, sed solùm eas à nullo organo prohiberi quin extrinsecus accedere possint; per hoc tamen nō stat, quin ab aliquo alio prohiberi possint, quemadmodum in eo quoq; 11. contextu considerauimus. Hæc est absq; dubio sententia Arist. eo in loco, eaq; in Græcis verbis multò manifestior est, nam errorem in Latinis notaui non parui momenti: quum enim Græcè legatur [λείπεται δὲ] Theodorus Gaza vertit [*restat igitur*] quū vertere debuerit [*restat autem*] quare verū non est id, quod alij pro comperto sumunt, Arist. ibi ex dictis cōclusionem colligere, qua propriam sententiam proferat; sed vtitur dictione aduersatiua, quæ nil aliud significat, quàm id, quod modò diximus, non posse ex intellectu idem argumentum sumi, quod ex alijs animæ partibus sumptum erat, propterea quòd ipse non est organicus; adeo vt dubium de ipso maneat, an extrinsecus accedat, necne. Sic interpretatur Auerroes ibi verba illa in sua paraphrasi; nam eorum loco, & ad ea interpretanda ipse hæc ponit [*de intellectu tamē dubium est; quum eius operatio non videatur communicare cum organo corporeo*] cognouit enim Auerroes verba illa ab Aristotele sub dubio esse prolata, & rectè vsus est dictione aduersatiua [*tamen*] ideo & admiratione, & risu dignum est, quòd Auerroistæ, dum Auerrois sententiam tueri volunt, ita illis Arist. verbis innitantur, & ita inflati incedant, vt putēt se demonstrasse, neq; animaduertant ipsiusmet Auerrois interpretationem huic eorum sententiæ refragrari; patet igitur nullum prorsus argumentum inde sumi posse ad probandum mentem humanam non esse formam hominis, quum neq; dicat hoc Aristoteles, neq; omnino informationem, vel informationis negationem respiciat, quum huius consideratio ab illis propositis quęstionibus sit penitus aliena. Quòd autem prædicta verba non sint ab Aristotele ex animi sententia prolata, sed sub dubio, & in parte disputatiua contineantur; non id solum, quod antea diximus, declarat, nempe quòd falsum esset Aristot. dictum, quia non potest mēs extrinsecus accedere eo modo quo ibi sumitur extrinsecus accedere: verum etiam illa, quæ statim sequuntur apertissime demonstrant: nam quæstionis solutio,

A ac propriæ sententiæ determinatio in ijs sequentibus verbis incipit [*sed enim omnis animæ facultas*] sed in eorum quoque conuersione errauit Theodorus Gaza, quum enim Græca verba sint [πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις] non bene dictio illa [*sed enim*] refert vim illarum dictionum [μὲν οὖν] sed ita absq; dubio vertendum fuit [*omnis igitur animæ facultas*] certum autem est, postq; ab Aristot. frequentissimè obseruari, dictionem, οὖν, tunc poni, quando

B concludere, & ex dictis colligere aliquid vult; sed, μὲν οὖν, tunc dici, quando aliquid, quod antea proposuerit, aggredi, atque incipere vult, & rarò comperietur Aristotelem in cōcludendo dicere, μὲν οὖν; sed frequētiùs in aggrediendo, seu incipiendo: incipit ergo ibi quæstionē soluere post præmissam disputationem, & solutio manifesta est; quum enim quæstio proposita esset de partibus animæ, an extrinsecus accedant, seu omnes, seu aliquæ, cognoscens

C Aristot. nullam extrinsecus accedere in eo sensu; vt ipsa animæ substantia dicatur priùs extra corpus existere, & operari, postea in corpus induci, alium modum in medium affert, quo dici potest, non solùm aliquam partem, sed etiam omnes extrinsecus accedere, nempe ratione causæ efficientis: formæ namq; inanimatorum de materia educuntur ab agente elementari; nam calor elementaris in generatione misti locum habet agentis in educenda

Omnis anima habet principium productiuum externum, & cœleste.

In 1. lib. de Gen. mist.

D forma misti de potestate materiæ, vt alio in loco declarauimus; sed anima non potest à facultate elemētari produci; quare principium actiuum habet externum, nempe cœleste, atq; diuinum; itaque causam agentem in productione omnium partium animæ refert Aristotel. in facultatem cœlestem, hoc est, in astrorum vires, quas etiam inquit inter se dissidere maiore, ac minore nobilitate, prout etiam animæ producendæ nobilitate discrepant, &

E sunt aliæ alijs nobiliores, adeo vt à facultate cœlesti nobiliore nobilior etiam animæ pars produci dicatur: in hanc igitur causam agentem refert Aristot. productionem animarum; nam animalia, quæ ex putri materia generantur, ibidem asserit à tali cœlesti principio generari; illa verò, quæ per propagationem, & ex semine gignuntur, inquit habere in seminibus facultatem generatricem à cœlestibus corporibus inditam, quam dicit esse calorem,

Calor cœlestis, distinctus ab elementari.

F non quidem elementarem, & igneum, siquidem calor igneus non est productiuus viuentis, sed calorem cœlestem, & à cœlo impressum, proinde referentem naturam quinti elementi, quod est elementum stellarum; calor enim vitalis, qui in semine est, locum tenet illius quinti elementi, quum ab eo proueniat, & tanquam illius instrumentum est productiuus animalis: postea verò alijs sequentibus verbis inquit duas in seminibus vires inesse, vnam ab ipsis separatam, alteram verò non separatam; agit enim semen, tum virtute pro-

Duæ v[...] semi[...]

pria tanquam agẽs proximum, tum etiam virtute cœlesti tanquam instrumentum cœlestis agentis, & hac ratione dicitur in semine inesse principium actiuum ab eo separatum, hoc est rectum, & gubernatum ab agente separato, vnde dici solet, Sol, & homo generant hominem; propria autem ipsius seminis virtus non potest esse alta, quàm elementaris, quum semen ex elementis constet; nam hæc quoq; virtus suam actionem contribuit, sed ad animalis generationem nullius momenti esset sine altera, quam semen à Cœlo accipit. Hoc igitur modo inquit ibi Aristotel. omnes partes animæ extrinsecus accedere, non quidem ratione suæ substantiæ, sed ratione principij agentis, quod non est elementare, sed cœleste. Hoc autem Aristot. dictum, vtcunque ab ipso intellectum sit, de quo in præsentia non disputo, verum etiam absolutè est, si sano modo intelligatur: nempe vt dicamus alias partes animæ præter rationalem ita produci ab illo cœlesti principio, vt ipsæ de potestate materiæ educi ab illo dicantur; animam verò rationalem, à solo Deo immediatè creari in corpore, pendere tamen ipsam quoque à cœlesti principio nobilissimo, quod materiam tantummodò præparet, & idoneam reddat ad ipsam recipiẽdam, sed ipsammet animam non producat. Quod autem Aristotel. prædictis verbis dicat, solam mentem esse diuinam, id nullius momenti est ad probandum eam esse à materia abiunctam, quia ibi diuinam vocat constituens eam extrinsecus accedere; nam si extrinsecus aduenire eo modo, quem antea declarauimus, vtique diuinum quiddam absolutè esset, maximè verò comparatione aliarum partium animæ; ideò etiam paulò pòst eam vocat Aristot. diuinam, quippe hanc comparationem respiciens, & ibi mentem ipsam exempli gratia nominat, quando dicit [*qualis est, quæ mens appellatur*] id enim, quod ibi dicit de pendentia ab agente externo, verum esse priùs dixerat de omnib. animæ partibus; sed quia de intellectu est manifestissimum, quum sit pars omniũ nobilissima, ideo ipsum exempli gratia nominare voluit: quòd autem quælibet pars animæ nobilior respectu ignobilioris dici possit diuina, ipsemet Auerroes sæpe afferit: nam in Comment. 59. lib. 2. de Anima, animam quoq; sentientem diuinam appellat, inquit enim Aristotel. existimasse in sensibus actum primum produci ab intelligentia agente, & à diuino principio, & citat Aristotel. in libris de Animalibus innuens caput illud 3. lib. 2. de Animalium generatione: similiter in Comment. 35 septimi Metaphys. & in 18. duodecimi loquitur Auerroes de hac omnium partium animæ diuinitate secundùm Aristotel. & citat eundem locum. Patet igitur cur Aristot. mentem humanam, & ibi, & alijs in locis diuinã appellet: at nos, qui veriorem philosophiam sectamur, aliam quoque rationem afferimus, cur inter omnes animæ partes sola humana mens dicatur diuina; est enim diuina non comparatione aliarum, sed etiam quia sola est à Deo immediatè creata, aliæ verò partes non sic, sed per media agentia naturalia de materiæ potestate eductæ sunt.

Cur humana mens diuina vocetur.

Auerrois ac Themistij opinio de intellectus vnitate, & eorum argumenta. *Cap. X.*

Licet per ea, quæ hactenus dicta sunt, aliud quoq; Auerrois dogma sit reprobatum, nempe id, quod dixit, mentem humanam vnam tantùm numero esse in tota humana specie: quia si est forma materiam informans, & qua homo est homo, necesse est vt iuxta numerum indiuiduorum hominum sit multiplicata: attamen ad vberiorem huius erroris confutationem, & vt argumentorum quibus ad hoc probandum Auerroes vsus est, vanitas manifesta fiat, libet aliqua separatim de hac re scribere. Fuit itaque Auerrois, atque etiam Themistij sententia, quam postea multi posteriores sequuti sunt, animam rationalem humanam, quæ ab Auerroe vocatur intellectus possibilis, non esse iuxta hominum numerum multiplicatam, sed vnam tantùm numero in tota humana specie, & esse intelligentiam omnium infimam, cui assignata sit tota humana species tanquam proprius, & illi æquatus orbis, & quæ intereunte aliquo homine non intereat, sed in reliquis hominibus eadem numero maneat; vt apud eum legere possumus in Comment. 5. lib. 3. de Anima, & apud Themistium in contextu 20. eiusdem tertij, & in sexagesimo primi. Cæteri verò omnes Aristot. interpretes Græci & Latini putarunt eam esse multiplicatam; vt non modò secundùm Aristotelem, sed etiam secundùm veritatem asserendum est. Videtur quidem Simplicius in 2. context. illius lib. 3. dicere animam rationalem secundùm se vnam esse, per suam autem in corpus progressionẽ multiplicari: sed hoc alijs pluribus Simplicij figmentis annumerandum est; multa enim dicit, quæ simul esse nequeunt, & manifestam repugnantiam habent, veluti animam rationalem totam esse in se manentem, & perfectam, & totam esse lapsam in corpus, & imperfectam; eamque vnam numero esse secundùm se, in hominibus autem esse multiplicatam, & alia eiusmodi, quæ neque esse, neq; cogitatione comprehẽdi à nobis possunt. Ideo his omnibus dimissis, satis nobis erit illam Simplicij confessionem accipere, quòd anima rationalis in hominibus multiplicata numero sit, non vt Auerrois, ac Themistius voluêre, vna numero in omnibus. Hic igitur de re sermonem habituri, ante omnia in medium afferemus Themistij & Auerrois argumenta, postea veritatem demonstrare, & omnia illa

Simplicius.

Primum argumentum Auerrois, & Themistij. argumēta soluere nitemur. Primùm quidem hoc argumento ambo vtuntur; quamuis enim Themistius illud adducat ad ostendēdam vnitatem intellectus agentis, idem tamen aptari potest ad patientis quoque vnitatem demonstrandam, sicut eo vsus est Auerroes, nec minus roboris iuxta eorum sententiam habet in intellectu patiente, quàm in agente; argumentum autem tale est: Si anima rationalis esset iuxta hominum numerum multiplicata, esset forma materialis: consequentia sumitur ex Aristotel. in contex. 49. duodecimi Metaphys. vbi dicit multitudinem indiuiduorum sub eadem specie à materia prouenire: consequentis autem falsitas ita probatur: omne materiale est potestate intellectum, vt ait Aristotel. in contex. 16. lib. 3. de Anima, omne autem potestate intellectum est obiectū motiuum intellectus patibilis; ergo idem intellectus est obiectum sibi ipsi, & mouet seipsum, & recipit se, vel intellectus non est intellectus, sed est C solummodo obiectum intellectus; quum igitur hæc sint absurda, id quoque, ex quo deducuntur, absurdum est; quare intellectus non est forma materialis, proinde neq; multiplicatus. *Secundum argumentum.* Secundum argumentum in prædicto loco affert Auerroes tale: si intellectus patibilis multiplicatus est, ergo etiam intellectiones sunt multiplicatæ, hoc est, intellectio eiusdem rei mea, & tua sunt penitus distinctæ numero; hoc autem dato sequitur, rem intellectam habere rem intellectam, & illam adhuc habere rem intellectam, & sic in infinitum: consequēs est absurdum, consequentia verò ita probatur: singularia sunt intellecta potestate, vniuersale autem est actu intellectum, ideo singularia dicuntur habere rem intellectam, quatenus habent vniuersale, quod est actu intelligibile; singulares igitur intellectiones habebunt suum vniuersale tanquam actu intellectum, quum ipsæ sint potestate tantùm intellectæ, nam intellectio cōmuniter accepta de illis prædicabitur, vt vniuersale de singularibus; hanc igitur intellectus intelliget vt rem vniuersalē: atqui intellectio ipsa intellectionis est intellectio quædam singularis, quia est in animo huius hominis singularis; igitur si plures singulares homines intelligant intellectionē vniuersalem, erunt plures singulares intellectiones intellectionis vniuersalis; ergo adhuc habebunt rem intellectam, nempe aliud vniuersale eas comprehēdens, & sic in infinitum: dicendum igitur est (inquit Auerroes) tuam intellectionem, & meam non esse penitus numero distinctas, sed esse aliquo modo plures, & aliquo modo vnam; plures enim sunt ratione diuersorum phantasmatum, vnā autem numero ratione intellectus, qui eas recipit, quia vnus numero est. *Tertium argumentum.* Tertiò Auerroes, ac Themistius in prædictis locis ita argumentantur: si intellectus huius hominis esset penitus numero distinctus ab alterius hominis

A intellectu, non posset magister in animo discipuli scientiam producere; quum enim scientia non sit qualitas actiua, non potest aliam numero scientiam in alio generare eo modo, quo calor ignis producit in alia re alium numero calorem; igitur fateri cogimur vnum & eundem numero esse intellectum magistri, atque discipuli, & discipulum eandem, quam magister habet, scientiam acquirere, quoniam à magistro excitatur ad eandem, quę in animo ma- B gistri est, recipiendam.

Prædictæ sententiæ confutatio.
Cap. XI.

Ad huius sententiæ falsitatem demonstrandam satis est (vt paulò antè dicebamus) illud vnum argumētum, quod deducitur ex prædemonstratis: *Primum argumentum.* nam si anima rationalis est forma dans esse homini, sicut ostendimus, necesse est vt sit multiplicata; quia C si esset vna numero in omnibus, omnes homines essent vnus homo singularis, vel ego essem per esse tui, & tu esses per esse mei, quæ vtraq; absurda, & inexcogitabilia sunt: consequentia autem manifesta est, & ab Auerroistis concessa; quia necesse est formam hanc singularem constituere indiuiduum vnum, quare vel omnes homines essent vnus homo, vel si plures, vnus esset per esse alterius, & vnius constitutio esset omnium constitutio, quæ omnia D sunt absurda, & implicant contradictionem. Solus tamen Achillinus hanc consequentiam *Achillini responsio.* negare ausus est in Quolibeto 3. dubio 2. inquit enim animam rationalē esse formam verè informantem, & esse vnam numero in tota humana specie, non multiplicatam; negat autem prædicta absurda sequi, quia putat omnē tolli difficultatem dicēdo vnam quidem esse, diuersa tamen indiuidua constituere, & dare diuersa esse pro diuersitate cogitationum, E quæ in diuersis hominibus sunt, quia propter has fit vt esse meum non sit esse tuum, nec sumus omnes vnus homo, nam ab eadem forma numero recipimus diuersa esse, quatenus illa est coniuncta cum diuersis cogitatiuis; sic igitur sumus multiplicati, & numero distinguimur, licèt ipsa vna & eadem numero maneat. Sed Achillini sententia est omnino absona ta- *Responsio impugnatur.* tioni; quia vel à forma pendet singularitas, vel à materia: si à forma, ergo vna numero forma F vnam numero singulare constituit, proinde valida est consequentia nostra; si verò à materia, siue (quod idem est) à conditionibus materialibus, necesse est ab his formam indiuiduari, & fieri hanc, numeroq; distinctam à forma alterius; prorsus enim necessarium est formam aut indiuiduare, aut indiuiduari à materia, in qua est, & quam informat; quia, vt inquit Aristot. in 2. Physic. materia, & forma inuicem referuntur, & ad aliam formam refertur alia materia; quo fit vt quicquid est in hoc indiuiduo, ex necessitate sit hoc, & numero dis-

tinctum ab alijs eiusdem speciei. Est etiam rationi consentaneum, vt forma vltima restringat, & determinet alias, sed non ipsa ab vlla illarum determinetur, ac restringatur: quare dicendum potiùs est animam rationalem determinare, & coarctare imaginatiuam; quàm ab illa coarctari. Ex his igitur patet, efficacissimũ esse argumentum nostrum, neq; recipiendam esse Achillini solutionem in Aristot. philosophia, imò neq; absolutè in philosophia. Cognouit hoc, atq; confessus est Auerroes; videns enim poni simul non posse vnitatem numeralẽ animæ rationalis in tota humana specie cum informatione, negauit eam informare materiam, quum vnam numero in omnibus esse existimauerit; quoniã igitur nos demonstrauimus eam esse formam verè informantem; valida est Auerroe quoq; confitente hæc consequentia, intellectus est forma, qua homo est homo, ergo est multiplicatus, nec potest esse vnus numero in tota humana specie.

Secundum argumentum.

Ad hoc idem demonstrandum efficacissima est ratio ab Auerroe aduersus seipsum adducta in prædicto loco, nec bene soluta, quæ ab operatione sumitur, & talis est: actus secundus, nẽpe ipsa intellectio, multiplicatur iuxta numerum indiuiduorũ, ergo etiam actus primus: patet consequentia, quia diuersitas operationum indicat diuersitatem formarum: assumptum autem manifestum est, quia mea intellectio non est tua, & me intelligente alij homines non ex necessitate eandem rem intelligant.

Responsio Auerrois.

Soluit hoc argumentum Auerroes confugiens ad diuersitatem phantasmatum, ex qua inquit prouenire diuersitatem intellectionum; quia licèt vnus sit intellectus in pluribus hominibus, tamen quum phantasmata in ijs diuersa sint, & sine his homo non intelligat, diuersas quoq; esse intellectiones necesse est.

Responsionis impugnatio.

Hanc Auerrois euasionem euertere nititur Thomas in 1. part. Sum. quæst. 66. artic. 3. & in opusculo 16. vana enim reuera est, quoniam phantasma, vt rectè Thomas considerat, in intellectione habet locum mouentis, non formæ vt perperam Auerroes accipit, sed locũ formæ habet species intelligibilis à phãtasmate in intellectu producta; quemadmodum etiam color realis respectu oculi non habet formæ locum, sed mouentis, species autem coloris recipitur in oculo ad locum formæ: igitur phantasma quidem huius hominis non potest esse illius, quia phantasia huius differt numero à phantasia illius, sed species intelligibilis necesse est vt vna & eadem in omnibus sit; quum enim vnus numero intellectus in omnibus hominibus insit, necesse est vt quicquid in eo recipitur, in omnibus similiter recipiatur: dum igitur phantasma, quod in mè est, agit in intellectũ, necesse est omnium hominum intellectum ex ea actione pati, & intelligere, quemadmodum si vnus numero esset oculus omnium hominum, necesse esset, vt

A eo patiente à quolibet colore omnes simul homines illum colorem viderent.

Aliquorum opinio.

Nonnulli tamen hoc Thomæ argumẽtum parui momenti esse putant, & dicunt solui duobus modis posse: Primò quidẽ negando species in intellectu impressas, vt ipsi eas negant: nam dicunt nullam reuera speciem in intellectu imprimi, sed satis esse phantasma præsens ad promendã intellectionem, per eius enim præsentiam intellectus fit illamet res, & ita dicitur intellige-B re; negata igitur impressione speciei, argumẽtum inane redditur. Secundò, concessa etiam specie impressa, dicunt argumentum solui dicendo, imprimi quidẽ in intellectu speciem, non tamẽ eandẽ numero in intellectu omniũ, sed eandem specie, numero autem differentẽ, proinde neque eandem numero in omnibus fieri intellectionẽ.

Solutionis impugnatio.

Ego tamen puto infirmam esse vtranq; solutionem, & argumentum Thomæ firmissimum, atq; insolubile esse. Quod C enim ad priorem solutionem attinet, nos quidem postea ostensuri sumus, non posse absq; speciei impressione intellectionem fieri: sed mittamus hoc, siue imprimatur species, siue non imprimatur, argumẽtum efficacissimum est: quia si intellectus ex præsentia phantasmatis fit res illa, cuius est phantasma, & ita eam intelligit, idem autẽ numerò est omnium hominum intellectus, ergo omnium intellectus eodem momento est factus res illa; & eam in-D telligit, etenim ne imaginabile quidẽ est fieri in aliquo homine intellectionem, quin simul fiat in omnibus, si intellectus patiendo intelligit, & idem numero in omnibus est. Altera quoque solutio inanis est: nos enim in præsentia non consideramus varia diuersorum hominum, aut etiam eiusdem hominis phantasmata, quæ diuersas numero species, aut intellectiones in intellectu producant; sed vnum & idem phantasma, quod moueat intellectum, E & dicimus vnam numero speciem imprimi ab vno phantasmate in intellectu vno secundùm numerum, proinde ex necessitate candẽ numero in omnibus hominibus inesse. Sed age, cõcedamus ex vnius phantasmatis actione non eandem numero speciem, & intellectionem produci in intellectu omnium hominum, sed eandem specie, numero autẽ plures propter eorum hominum diuersitatem; quid hoc ad nos? satis enim nobis est, si ostendatur F necessarium esse vt eodem tẽpore omnes homines eandem rem intelligant, etiamsi diuersæ numero species atq; intellectiones fieri dicantur. Argumẽtum igitur Thomæ efficacissimũ est, & de eius efficacitate plura legi possunt apud Gregorium Ariminensem in libr. 2. Sentent. distinct. 16. & 17. quæst. 2.

Tertium argumentum.

Alio quoq; argumento hoc idem confirmare possumus: si vnus numero esset intellectus in omnibus hominibus, in eodem simul inessent opiniones contrariæ de eadem re, quod est penitus impossibile, hic enim homo putat mundum

esse æternum, alius verò non esse æternum; hic animam mortalem esse opinatur, ille verò immortalem;& sic de pluribus alijs rebus. Sed Achillinus hanc quoq; rationem solui putauit dicendo, non posse quidem in eodem subiecto recipi duo contraria secundùm esse reale, at secundùm esse cognitum, ac spiritale recipi duo cōtraria absq; vlla absurditate posse: quod confirmauit dicto illo vulgato, contrariorum eadem est scientia; idem enim homo, qui cognoscit calidum, cognoscit etiam frigidum,& qui cognoscit albū, cognoscit etiam nigrum.

Achillini responsio.

Sed in hoc quoq; deceptus est Achillinus, & hæc solutio vim argumenti non tollit; quia aliud est cognitio contrariorum, aliud est cognitio contraria: contrariorum enim cognitio in eodem intellectu contrarietatem in se non habet, & in hoc sensu verum est illud Achillini dictum,contraria secundùm esse spiritale possunt esse in eodem, quia sunt quidem repræsentatiua rerum contrariarum, sed ipsa secundùm se non sunt contraria: at contrariæ opiniones habent inter se veram contrarietatem, quia non catenus habēt contrarietatem, quatenus sunt repræsentatiuæ rerum contrariarum, quum potiùs de eadē re sint, sed quatenus secundùm se considerātur vt qualitates reales in animo inhærentes; ideo iure dicuntur contrariæ, nec possunt simul esse in eodē, quemadmodum quisque in seipso experitur; non potest enim idem homo simul opinari eandem nitem eodem tempore esse albam, & esse nigram secundùm eandē partem nec potest simul credere animam humanā esse mortalem,& immortalem. Quod igitur in animo eiusdem hominis impossibile est, non minus est impossibile in tota specie, si idem numero intellectus est in tota specie humana & id, qđ Achillinus dicit,quum in vno & eodē homine locum non habeat, falsum absolutè esse deprehenditur; nam si contrariæ de eadem re opiniones non sunt tenera contrariæ & tanquam spiritales possunt simul esse in eodem intellectu, cur nō possunt simul esse in eodem homine? sicut igitur in eodem homine simul esse non possunt, ita neque in eodem intellectu, si vnus numero est in tota specie; quare argumentum est validissimum,& Achillini solutio vana est.

Responsionis impugnatio.

Aliud est cognitio contrariorum, aliud est cognitio contraria.

Si quis verò dicat solui argumentum hoc per phantasmatum diuersitatem, nempe dicendo posse in eodē intellectu contrarias opiniones recipi ratione diuersorum phantasmatum, quæ in diuersis hominibus sunt: hæc quoque solutio vana est,quia phantasmata (sicut antea dicebamus) in intellectione non habent locum nisi mouentium, intellectus autem recipit species,& intelligit; at impossibilitas tota in recipiente consistit, nulla in agente; potest enim contingere, vt duo contraria agentia,vnum calidum alterum frigidum simul agant in idem patiens at non potest idem num eo patiens recipere simul eodē

Alia responsio.

Impugnatio.

A tempore calorem, & frigus tanquam distinctas qualitates contrarias: quemadmodū igitur hic diuersitas agentium,& contrariarum actionum possibilitas non tollit impossibilitatem,quę in subiecto est,recipiendi simul duas contrarias qualitates; ita neq; diuersitas phantasmatum mouentium,quam quidē nos concedimus, nō tollit impossibilitatem recipiendi cōtrarias opiniones in intellectu patiente.

B

Solutio argumentorum Themistij, & Auerrois. Cap. XII.

Argumenta verò à Themistio, & ab Auerroe adducta facilè soluuntur.Primū erat: Si intellectus est multiplicatus, ergo est forma materialis, ergo est potestate intellectum,ergo est obiectum sibimet,& mouet seipsum. Nos verò hæc omnia concedere possumus, dummodo per formam materialē nil aliud intelligamus, quàm formam informantem materiam,& dantem esse rei naturali, hoc est, prout materiale sumitur vt oppositum illi,quod est abiunctum à materia;intellectum autem intelligere seipsum asseruit clarè Aristoteles in contex. 8. libri 3. de Anima, ita tamen vt intelligamus eum non primò seipsum intelligere, sed secundariò,& per intellectionem aliorum; dum enim alia intelligit, potest animaduertere suam intellectionem,& eam,atque seipsum cognoscere: dictum autem illud Aristotelis, intus apparens prohibet alienum,intelligēdum est de solo obiecto primario, non de secundario; oculus enim receptiuus colores tanquam obiectum primariū, debuit esse abscolor, quia color oculo naturaliter inexistens eum prohibuisset receptione aliorum colorum; at propria oculi quantitas non impedit oculum, ne aliarū rerum quantitatea recipiat, ac videat, quia quantitas non est obiectum primarium, sed secundarium, quòd igitur intellectus dicatur esse sibimet obiectum secundarium,nihil absurdi est;quare totum argumentum concedi potest. Sed quoniam aduersarij, dum ita argumentantur, videntur obiectū primarium intelligere, ideò aliter respondemus,& quando dicunt, est forma materialis,& est potestate intelligibilis.ergo est obiectum sibimet, negamus hanc consequētiam: dicimus enim obiectum primum & adæquatum intellectus non esse materiale quatenus materiale,nec potestate intelligibile quatenus potestate intelligibile; sed quoddam nomine carens, nempe omne ens quatenus est ens,vno excepto ipso intellectu; quicquid enim est præter ipsum, continetur sub subiecto eius primo, ipse autem sibi est obiectum secundarium;quare ex eo quod sit potestate intelligibilis,non infertur ipsum esse sibi obiectum primum,quia obiectū eius primum nō est omne potestate intelligibile,sed omne quod est præter ipsum; argumentum ergo nihil roboris habet, de ipso autem intellectu obi-

Ad primum.

C

Intus apparens prohibet alienū, sit obiectum primarium.

D

E

F

Obiectum intellectus est omne ens.

obiecto nos alibi accuratiùs loquemur. Ad secundum argumentum respondere duobus modis possumus. Primò dicimus, intellectionem nostram posse dupliciter considerari, vno modo secundùm suum esse formale, altero modo secundùm esse repræsentatum: formaliter accepta omnis nostra intellectio est singularis; est enim qualitas hæc spiritalis in animo huius hominis indiuidui; at per repræsentationem potest esse tum vniuersalis, tum singularis, scilicet vel rei vniuersalis, vel rei singularis; nam si intelligam equum vniuersalem, hæc mea intellectio est vniuersalis per repræsentationem, ipsa tamen secundùm se formaliter est vna intellectio singularis; si verò intelligam equum singularem, est intellectio vtroque modo singularis: sic dicendum est de intellectione intellectionis, nam si intelligam intellectionem vniuersalem, mea hæc intellectio est singularis formaliter, sed est vniuersalis per repræsentationem, quia repræsentat intellectionem tanquam rem intellectam vniuersalem. Ad argumétum igitur dico omnem intellectionem esse singularem, & hac ratione dici posse potestate intellectam, etiam comprehendendo intellectionem intellectionis vniuersalis, nam hæc quoque formaliter accepta singularis est; habet igitur rem intellectã, hoc est, intellectionem vniuersalem tanquam rem, quare omnes intellectiones complectitur, ipsa verò intellectio vniuersalis, quatenus est vniuersalis, non habet ampliùs rem intellectam, quia si habet, habet vt singularis, nõ vt vniuersalis, & dum sumitur formaliter vt singularis, est potestate intellecta, & continetur sub intellectione vniuersali repræsentata, tanquam indiuiduum sub specie; non procedimus igitur in infinitum, sed gradum sistimus in intellectione vniuersali, quia non habet ampliùs rem intellectam, siquidem solum singulare dicitur habere rem intellectam. Sed respondere etiam aliter possumus, negando intellectionem dici posse potestate intellectã; quod enim dicitur, omne singulare est potestate intellectum, verum est de singulari tantùm materiali, quod per sensum ad phãtasiam transiens ab ea offertur intellectui; vt lapis in intellectu, licèt sit conceptus hic singularis, non est tamen res potestate intellecta, sed est res actu intellecta, quia est sine materia: idem igitur de intellectione dicendum est; intellectu enim intelligente vnum fiunt hæc tria, intellectus, & res intellecta, & intellectio: quare sicuti res intellecta est sine materia, intellectio quoque dicitur esse sine materia, & ipse quoq; intellectus, etsi est forma dans esse materiæ, in hac tamen sua operatione est sine materia. Hanc responsionẽ ego defendi posse arbitror, quòd si quis constanter affirmare velit, intellectionem singularem esse potestate intellectam, & habere rem intellectam, eo etiam concesso fallax argumétum est, & priore responsione optimè soluitur. Postremum argumentum potest contra aduersarios ita retorqueri: aliqua animalia bruta discunt multa ab hominibus, vt psitacus vocem humanam audiens eam imaginatur, & in memoria figit, & mirabiliter imitatur, quid igitur? dicemusne eandem numero esse phantasiam in aue, atq; in homine? Ad argumentum autem dicimus intellectum magistri differre numero ab intellectu discipuli, & scientiam, quæ est in animo magistri, numero differre ab ea, quæ in animo discipuli gignitur, & eam efficere; quod autem obijcitur, scientia non est qualitas actiua, dicimus non esse quidem actiuam actione materiali, quæ cum vera alteratione fit, qua ratione actiuus est calor: nihil tamen prohibere quominus agere possit actione spiritali: quod quidem de alijs eiusmodi pluribus negari non potest, nam quantitas non est actiua realiter, agit tamen spiritaliter, quia imprimit in oculo speciem suam, & inde in phantasia, ac demum in intellectu: quemadmodum igitur vidẽs aliquis colorem, & quantitatem, potest hæc imaginari, ac demum intelligere, & horum cognitionem per visum acquirere, cur non etiam per auditum audiendo voces harum rerum significatrices à præceptore loquente? huius igitur actionis modum consideremus, & videamus nihil in ea contingere absurdi posita intellectus nostri multiplicatione, anima enim informata rerũ cognitione potest conceptus suos exprimere voce p media corporea instrumenta: & quia voces sunt signa non solùm conceptuum, sed etiam obiectorum realium quorum conceptus sunt; significant enim res per medios cõceptus; ideò discipulus audiens vocem apprehẽdit rem ab ea significatam, quia per illam vocẽ illi repræsentatur illud idem obiectum reale, cuius conceptus in animo magistri est: quemadmodum igitur obiectum reale potest in sensu producere speciem suam, & ad mentẽ vsq; per phantasiam peruenire; ita potest idem à magistri voce repræsentatum producere speciẽ suam per auditum in mente discentis. Tantum igitur abest, vt ex doctrina & disciplina vnitas intellectus humani ostendatur, vt potius contrarium significetur; quia si idẽ numero esset intellectus in magistro, & in discipulo, iam nõ opus esset scientiam imprimere in intellectu discipuli, esset enim iam impressa: quum ergo habente eam præceptore discipulus non habeat, postea verò acquirat, inde colligitur differre numero intellectum vtriusque.

Ad secundum.

Omnis nostra intellectio est singularis.

Ad tertium.

Quid sit humana mens ratione sua operationis. Cap. XIII.

QVid mens humana sit respectu corporis, ex ijs, quæ hactenus dicta à nobis sunt, satis manifestũ esse arbitror: nam si communem animæ definitionem in 2. de Anima lib. ab Aristotele traditam singulis ani-

mæ partibus (vt consilium Aristotelis fuit) aptare velimus, nil aliud est anima vegetans, quàm actus primus viuentis, hoc est, forma, qua viuens est viuens; nil aliud est anima sensibilis, quàm actus primus animalis, id est, forma, qua animal est animal; nil aliud est anima rationalis, quæ mens humana dicitur, quàm actus primus hominis, seu forma, qua homo est homo: aliud quoque, quod ex hoc deducitur, declarauimus, nempe ipsam esse non posse vnam numero in tota specie humana, sed iuxta indiuiduorum hominum numerum esse multiplicatam. Superest vt respectu etiam operationis naturam eius declaremus, quod facere sibi proposuit Aristoteles in 3. lib. de Anima; sed ita obscurè, vt pars illa maximè omnium ambigua esse, & interpretatione indigere videatur, quum propter multa, & magna interpretum dissidia non satis liqueat, quid de hac animæ parte doceat ea tractatione Aristoteles. Nos igitur, dimissis aliorum sententijs, quum in earum consideratione nimium temporis esset inutiliter conterendum, dimissis etiam in præsentia multis ad hanc animæ partem attinentibus, quæ ibidem ab Aristotele tractantur, de quibus postea seorsum disseremus; illud solum, quod ad institutum hoc nostrum attinet, breuiter, ac statim declarandum sumemus, idq; est, quænam sit animæ rationalis natura, quatenus principium est operationis.

Duplex immistio intellectus.

Hanc Aristoteles ibi in duplici immistione consistere docet, seu in altera priore, quam postea altera ex necessitate insequitur; vna est cum obiectis intelligẽdis, altera verò cum organo: ad has declarandas ita progressus est, ante omnia hoc fundamentum statuit, intellectum similem in hoc esse sensui, quòd patiendo intelligit, sicut etiam sensus patiendo sentit: quum enim in nobis ipsis experiamur, nos quandoq; esse actu intelligentes, quandoque non actu, sed potestate solùm, nulla autem res possit seipsam ducere de potestate ad actum, necesse est intellectum ab alio pati; non potest autem pati, nisi ab ipsismet obiectis intelligendis, id enim quod est potestate tale, fit actu tale ab illo, quod iam sit actu tale; sic enim etiam sensus ab obiectis sensilibus patitur, vt iam docuerat Arist. in 2. lib.

Declaratio context. 2. in 3. lib. de Anima.

Quoniam igitur patiendo, & recipiendo obiecta intellectus intelligit, hinc infert Aristoteles ipsum esse inaffectum, id est, non habere in sua essentia ipsam obiectorum naturam, sed potestate solùm, quia si actu haberet in seipso naturam sui obiecti, non posset illud recipere, & in hoc quoque similem esse dicit intellectum sensui; quòd sicut sensus nõ habet actu in seipso obiecta sensilia, sed potestatem ea recipiendi; ita neq; intellectus habet actu obiecta intelligibilia, sed solam recipiendi potestatem; ita vt quemadmodũ se habet sensus ad obiecta sensilia, ita se habeat intellectus ad obiecta intelligibilia. Verùm quia per hæc nullum sensus & intellectus discrimen apparebat, sed sola similitudo, ideò Aristoteles statim declarat in hoc ipso eorum dissimilitudinem, ac differentiam, quæ in hoc consistit, quòd obiectum cuiusq; sensus non est omne ens, sed solùm quædam statuta species entis; visus enim dirigitur ad recipiendos solos colores, auditus ad sonos tantummodo, olfactus ad solos odores, intellectus verò ad res omnes, est enim omnium rerum cognoscitiuus: ob id alio modo debuit esse inaffectus, & immistus ratione obiectorum, quàm sensus: nam sensus est inaffectus, atque immistus non omnino, & absolutè, sed (vt aiunt) secundùm quid, hoc est, non ratione omnium rerum, sed solùm ratione sui obiecti, quod non est omne ens, sed statutũ quoddam entis genus; quum enim visus per proprium corporeum organũ operetur, debuit quidem illud esse sine colore; debuit enim esse perspicuum, hoc autem sine colore est; at nõ debuit esse sine sapore, & sine tactilibus qualitatibus; quare visus non est penitùs immistus respectu rerum omnium, sed est naturaliter affectus certis qualitatibus, quas cum alijs rebus communes habet: at intellectus, quia res omnes cognoscere aptus est, debuit omnino & absolutè, & respectu omnium esse inaffectus, & cum nulla alia re quicquam habere commune; est igitur absolutè, & penitùs immistus cum aliarum rerum naturis, vt eas omnes intelligere possit; quia nisi talis esset, non cognosceret omnia, cognoscit enim recipiendo, nihil autem recipit id, quod iam habet, quia intus apparens prohibet alienum: hæc igitur est prior immistio, quam colligit Aristoteles in context. 4. libri 3. de Anima, hoc medio vtẽs; quoniam intellectus omnia intelligere aptus est, & patiendo intelligit, sicut antea dixerat: vnde sumere possumus, quid secundùm Aristotelem dicẽdum sit de obiecto intellectus, ipsius namque obiectum est ens omne præter ipsum intellectum; non dicit enim Aristoteles, quoniam omnia materiala intelligit, sed absolutè dicit [*quoniam omnia intelligit*] nisi enim omnia penitùs intelligeret, non posset inde perfectam illam & vniuersalẽ intellectus immistionem deducere, quam ibi deducere vult, sed solum secundũm aliquid, vt cuique consideranti manifestum est; talis autem immistio imperfecta etiam sensui competit ratione sui obiecti, sicuti dictum est.

Declaratio context. 4. in 3. lib. de Anima.

Obiectum intellectus duplex.

Non est autẽ ignorandum, posse duobus modis considerari obiectum intellectus; vel enim illud obiectum respicimus, à quo intellectus mouetur; vel illud, quod intellectus aptus est recipere, & intelligere; illud quidem, à quo mouetur, non est ens omne, sed solùm phantasma, quod, quum per sensus transierit, non potest esse nisi rei materialis; sed quia intellectus phantasma intuens non solùm ipsum intelligere aptus est, sed etiam alia, quæ in ipso phantasmate vt illuminato ab intellectu agente relu-

co

cere possunt, nempe & essentias & quiddita- A tes rerum, quæ per phantasmata repræsentantur, & causas quoque ab effectibus abiunctas tanquam in ipsis relucentes, ideò ex motione facta à phantasmate immaterialia quoq; intelligere aptus est: à solo igitur phantasmate materiali mouetur, per eam tamé motionem intelligere omnia potest; & hac ratione dicimus obiectum intellectus esse illud nomine carês, quod omnia præter ipsummet intellectũ en- tia complectitur: sic igitur inquit Aristoteles B ipsum nihil habere cum alijs rebus cõmune, sed esse quiddam ab omnibus distinctum; & omnium receptiuum, proinde esse alia omnia potestate, sed nihil eorum actu, & ita esse penitùs immistum ratione sui obiecti, quod est ens omne præter ipsum intellectum. Alteram quoque immistionem tribuit Aristot. intellectui in context. 6. eiusdem lib. quam ex illa priore deducit, eaque est respectu corporis, in quo existit, ita tamen vt hæc quoq; intelliga- C tur respectu operationis, non alia ratione; quũ enim intelligat recipiendo obiecta, necesse est, vt in hac receptione non vtatur corpore, in quo est, hoc est, vt ipse sit recipiens, non corpus neq; vlla corporis pars: quod Aristotelea en argumento ostendit; quia si corpus illi in recipiendo opitularetur, iam intellectus esset qualis, & haberet organum, quæ vtraque falsa sunt; esse autem quale ibi significat esse naturaliter alligatum determinatæ naturæ, & certę D temperiei primarum qualitatum: nam si in corpore receptio fieret, statuta aliqua in illo qualitatum temperies postularetur, sicut in sensib. videmus; non enim quodlibet corpus est aptum recipere quodlibet sensile, sed aliquod videmus esse aptum recipere colores, non odores, aliquod verò odores, non colores, horum enim singulum requirit certam quandam naturam ex quadam statuta elementorum mistione prouenientem; quò fit, vt singu- E lus sensus sit naturaliter qualis, quoniam in corpore recipiente requirit certam quandam qualitatem atq; naturam: quoniam igitur intellectus nihil habet cum alijs rebus commune, & cum nulla earum natura commistus est, neq; cũ corpore, in quo inest, potest esse commistus in recipiendo: præterea si ita cum corpore esset cõmistus, haberet aliquod organum proprium, attamen nullum eius organũ apparet, quoniam, vt in cont 92. lib. 1. de Anima di- F citur, ne fingere quidem possumus quam corporis partẽ occupet intellectus in recipiendis speciebus: consequentia verò ita declaratur; quoniam si intellectus in recipiendo species ministerium corporis postularet, statutam etiam recipientis corporis naturam, ac determinatam quandam réperiem, vt modò diceba mus, requireret; at non omnes viuentis corporis partes eandẽ habent elementorum mistionem, idemq; temperamẽtum; aliquam igitur determinatam corporis partem occuparet in

Declaratio context. 6. in 3. lib. de Anima

operando, quemadmodũ visus oculum, & auditus aurem, id autẽ esset habere organum proprium; nil enim aliud est vti proprio organo in cognoscẽdo, quàm habere statutã aliquam in corpore animato partem, cuius officium sit obiectorum cognoscendorũ species recipere. Ex eo igit quòd intellectus res omnes cognoscere aptus est, Aristot. vtramq; eius immistionem collegit; neq; enim cum obiectis vllã naturæ communionem habere debuit, si omnia recepturus erat, neq; vlla corporis parte vti in recipiendo, quod fuisset proprio organo vti: hinc autem Aristot. statim eodẽ in loco intulit solũ inter omnes animæ partes intellectum dici posse locum specierum, locus enim p metaphoram appellatur, quia recipit; ideò anima sensibilis apud Aristot. non est vocanda locus, quia non recipit ipsa species rerum sensilium, sed organum animatum, anima verò rationalis in recipiendo non vtitur organo, quia ipsa sine organo species recipit, proinde iure vocatur locus. Neq; existimare obid aliquis debet, solùm intellectum, non hominem esse intelligentem; nam hoc quidem sequeretur, si cum Auerroe diceremus, intellectum non esse formam, qua homo est homo; sed quum asseramus ipsum esse formam hominis verè informantem, & hominem illo hominem esse, necesse est vt intellectu intelligente homo dicatur intelligens, imò vt solus homo sit intelligens vt quod, intellectus verò nõ vt quod, sed vt quo: idq; eo argumẽto cõfirmare possumus, quòd etiam anima sensibilis, licèt in speciebus recipiendis organo vtatur, tamen ipsa iudicat, & iudicium non organo, sed soli animæ tribuitur; neq; per id stat quin animal dicatur sentire, quoniam illa est forma, qua animal est animal. Neq; etiam ex eo quòd intellectus in recipiendo non vtitur organo, inferre aliquis potest, ipsum esse animam à corpore abiunctam, nec dantem esse corpori: quoniam aliud est considerare intellectum secundùm suum esse, aliud secundùm operationem; nam secũdùm suum esse est forma corporis, & vt sic materiam informat, secundùm operationem verò est eleuatior a materia, quàm cæteræ partes animæ, & in specierum receptione non vtitur aliqua corporis parte recipiẽte, si debeat ita esse immistus, vt possit omnia intelligere. In operando igitur paret intellectum neq; cum aliculus rei natura, neq; cum vlla corporis parte tanquam organo esse commistum, & ita esse vtrinq; immistum in sua operatione.

Error D. Thomæ, & sectatorum Alexandri de intellectu considerato in 3. lib. de Anima. Cap. XIV.

COgnoscere ex his possumus D. Thomæ, & plurium aliorum errorem, atq; errorls causam, qui dixerũ intellectum ab Aristotele in 3. de Anima lib. consideratum

non esse animam ipsam rationalem, quæ forma hominis est, sed facultatem tantùm, seu potentiam ipsius animæ, hæc enim Thomæ sententia fuit: qui considerans ea, quæ ab Auerroe in 3. lib. de Anima aduersus Alexandrum dicuntur, nititur Alexãdrum defendere, nempe in eo, quod ei Auerroes attribuit, quòd dixerit intellectum, de quo in eo libro agitur, non esse animam ipsam, sed solùm præparationem, & aptitudinem animæ ad omnes rerum species recipiendas, & cognoscendas: inquit enim Thomas Alexandrum in hoc optimè sensisse, quia significare voluit intellectum esse potẽtiam quandam animæ, non animam ipsam; ideò sectatores quoq; Alexandri hanc eandem sententiam enixè tutati sunt: in hanc autem inducti hi omnes videntur ex eo, quod Aristoteles in context. 5. eius libri dixit, intellectum nihil esse actu eorum, quę sunt, & nullam esse aliam eius naturam, nisi hanc, quod potestate est: at (inquiunt) si esset anima, & forma substantialis, id minimè verum esset: iam enim certam, ac statuiam, eamq; præstantissimam naturam haberet: quamobrem dicens Aristoteles ipsum nihil esse actu, sed esse solam potestatem, significat se non de anima ipsa hæc dicere, sed de facultate animæ intellectiua: hæc enim non est forma, sed solùm facultas, ac potentia humanę formæ. Hanc sententiam visus est significare Alexãder in 2. suo lib. de Anima, in cap. de Intellectu speculatiuo, & in 2. lib. in cap. de Intellectu materiali; vbi considerans id, quod ab Aristotele dicitur in context. 14 libri 3. de Anima, intellectũ esse vt tabellam abrasam, in qua nihil descriptum sit, inquit intellectum meliùs fortasse comparari τῷ ἀγράφῳ τῷ γραμματείῳ, quàm τῷ γραμμένῳ: quoniam γραμματεῖον est aliquid actu, at intellectus non est actu, sed est mera potestas. Ego verò sentẽtiam hanc sequi nunquam potui, eamq; ab Aristotele alienissimam esse semper existimaui; omnia enim, quæ in eo libro dicuntur, significant animam, non solam facultatem vt distinctam ab anima; etenim facultas non patitur, neque recipit, sed est ratio patiendi, ac recipiẽdi, quemadmodum etiam id, quod materiales formas recipit, non est potentia primæ materiæ, sed materia ipsa potens, potentia verò est ratio recipiendi: quum igitur Aristoteles ibi dicat intellectum pati, & recipere, absurdum hoc esset, si de aptitudine ac facultate animæ diceretur: & in context. 5. dicit intellectum esse δυνατόν, non dicit esse δύναμιν: in 6. autem apertè dicit animam intellectiuam esse locum specierum, non dicit ipsam facultatem esse locum: quoniam igitur illud ex dictis colligit, necesse est, vt per animam intellectiuam significet illud idẽ, quod priùs nomine intellectus, quem pati, & recipere dixerat, ex eo enim quòd sine corporis ministerio recipit, infert ipsum esse locum formarum. huic sententiæ consona sunt ea, quæ

Alexãdreorum opinio.

Confutatio.

A in 3. context. leguntur, ibi enim non dicit Aristoteles intellectum ita se habere ad intelligibilia, vt se habet sensus ad sensilia, sed vt se habet sensitiuum ad sensilia, attamen si facultates tantùm significare, atque inter se comparare voluisset, vel dicere debuisset intellectiuum, & sensitiuum, vel intellectũ, & sensum: quoniam igitur de receptione specierum ibi loquitur, rectè dicit sensitiuum, vt significet organum sensus, quod potestatem habet recipiendi species, sed non habet illas actu; id
B enim, quod recipit species sensiles, est absque dubio organum sensus: sed quia intellectus non habet organum, ideò non intellectiuum dicit, sed intellectum: inquit igitur ita se habere animam ipsam intellectiuam ad intelligibilia, vt se habet organum sensus ad sensilia, nempe quòd respectu illorum est ἀπαθής, hoc est, inaffecta, & non habens illa actu, sed potestate: id igitur, quod secundùm Aristotelem
C recipit species, & est locus specierum, est anima ipsa, non facultas animæ. Præterea in context. 8. & in 18. inquit intellectum intelligendo fieri omnia, aptitudo autem recipiẽdi non dicitur fieri aliquid, sed subiectum potens, & aptum fit illud, quod recipitur; sic enim etiam primæ materiæ potentia non dicitur fieri lapis, vel homo, sed materia ipsa per receptionem formarum dicitur fieri modò res hæc, modò illa. Sed si totam illam partẽ legamus,
D & bene perpendamus, videbimus omnia Aristotelis dicta illi sententiæ refragari, & apertè animam ipsam, non facultatem animæ ibi considerari, quum etiam quandoq; animam nominet, vt ibi legere est. Maximè verò hoc confirmatur ex consideratione illorum, quæ dicuntur ab Aristotele in contextu 37. & 38. eiusdem libri, vbi epilogum faciens omnium à se dictorum de vtraq; animæ parte cognoscente, de sensu, ac de intellectu, inquit animam
E esse quodammodo res omnes, quia per partem intellectiuam fit res omnes intellectiles, per partem verò sensibilem fit res omnes sensiles: quod igitur in contextu 8. & in 18. dixerat intellectum fieri omnia, hoc in 37. & 38. dicit animam fieri omnia; quare ibi nomine intellectus animam significauit, quoniam hoc non rectè de facultate dicitur, sed de sola anima. Tandem verò Aristoteles hoc apertissimè
F dicit in contextu illo 38. quando concludens inquit intellectum esse formam formarum, & sensum esse formam sensilium; sic enim testatur intellectum esse formam, eamque talem, quæ omnium formarum est receptiua; non est igitur sola aptitudo, & facultas animæ, sed est anima ipsa, quæ est forma hominis. Illud verò, quod illos in errorem traxit, fuit, quòd non animaduerterũt Aristotelem ibi considerare animam rationalem respectu suæ operationis circa intelligibilia, ideò putarunt non animam, sed facultatem considerari; & videntes Aristotelem dicere, intellectum nihil-

Declaratio context. 3. in 3. lib. de Anima.

Declaratio contex. 51. in lib. 3. de Anima.

nihil esse actu ex entibus, sed esse omnia potestate, dixerunt intellectum nõ esse formam, quia si esset forma, iam esset aliquid actu: attamen, dum hoc attribuimus animæ rationali respectu operationis omne dubium tollitur, & eorum error patefit, vt primæ materiæ exemplo declarare possumus: materia namq; duas habet entitates; vnam propriam, quę est eius propria essentia, est enim aliquid, & est ens distinctum à forma; alteram verò, quam acquirit ex receptione formę, à qua fit hoc aliquid, nam recipiens formam hominis dicitur fieri homo, & recipiens formam equi dicitur fieri equus: quando igitur dicimus materiam primam non esse actu vllum ex entibus, sed omnia potestate, non ob id asserimus eam secundùm se nihil esse; neq; hoc dicimus de ipsius potentia, & aptitudine, sed de ipsamet materia respectu secundæ tantùm entitatis; præsupponendo enim propriam materiæ entitatem, nec tamen eam respiciendo, sed alteram solam, qua fit res omnes per receptionem formarũ, dicimus eam nihil esse actu, sed omnia potestate. Ita igitur etiam intellectus duas habet entitates, vnam propriam, alteram acquisitam, nam secundum se est forma corporis, & nobilissima quidem forma; sed respectu operationis, & quatenus est aptus omnia fieri, quia intelligendo rem aliquam dicitur fieri res illa spiritaliter, sic dicitur secundùm se esse omnia potestate, & nihil actu: rectè igitur hoc dicit Aristot. de anima rationali considerata respectu operationis, quare non oportet id ad facultatẽ animæ referre, sed ad animã ipsam; eamque fuisse Aristotelis mentem testantur verba illa nuper à nobis relata, quando in contextu 38. illius libri inquit intellectum esse formam formarum; sic enim illum intellectum, qui formarum receptiuus est, formã esse asserit, nec solam formæ aptitudinem: ad hunc sensum etiam Alexandri verba, quibus solam aptitudinem significare visus est, redigi posse videntur; ipse enim ita loqui voluit, vt Aristotelem imitaretur, atque interpretaretur, & nullã intellectui entitatem tribueret, significaretq; ipsum nihil esse actu, sed omnia potestate, sicut etiam Aristoteles dixit, nempe, vt respicit operationem circa obiecta intelligibilia, sic enim ipsum considerans Alexander, voluit eius entitatem extenuare, vt significaret eum ita consideratum nihil esse actu: Quemadmodum igitur ducti claris Aristotel. testimonijs eius verba ad rectum sensum trahimus, ita Alexandri quoque verba ad eundẽ sensum trahenda sunt, si ipsum tueri, & à magna absurditate vindicare volumus. Quòd si ea fuit ipsius sententia, quam ei Auerroes, & alij attribuerunt, parum refert ipsum indefensum relinquere, atque eius opinionem refutare.

Prima materia duas habet entitates.

Intellectus duas habet entitates.

A

B

C

D

E

F

Anima rationalis perfecta secundùm Aristotelem definitio. Cap. XV.

SI animæ rationalis perfectam definitionem assignare velimus, qualem Aristoteles nobis ex suis dictis colligendam reliquit, debemus per vtrunq; respectũ naturam eius exprimere hoc pacto; intellectus est forma hominis, quę quũ nullum ex entibus sit actu, ea omnia recipere spiritaliter, & cognoscere apta est: immistionem verò cum organo in definitione ponere non oportet, quoniam hæc necessariò alteram immistionẽ sequitur tanquã proprietas, quare superuacuè in definitione poneretur. Hæc est humanæ mentis natura apud Aristot. quã ipse partim in initio 2. libri de Anima, partim in 3. lib. declarauit, & quã etiam epilogo collegit in cõtex. 38. eius 3. lib. in quo nõ possum non maximè mirari ingeniũ & artificiũ Aristot. qui quũ in 37. ppoſuisset colligendã epilogo ea, quæ de sensu, ac de intellectu dixerat, nõ tantùm recensere debuit, quæ de sensu tradiderat post context. 50. lib. 2. & quæ de intellectu in tertio ad eũ vsq; locũ, siquidem ea omnia solam operationem respiciebãt, sed cum ijs etiam illa coniungere, quæ priùs in secundi libri initio de omni anima vniuersè dixerat, dum eam respectu corporis cõsiderauit: ideò in contex. 38. id quod proposuerat, perfectè & artificiosè exequẽdo, duabus tãtùm dictionibus exquisitè naturam intellectus cum vtroq; respectu significauit, dum dixit intellectum esse formam formarũ, formam respectu corporis, formarũ verò respectu operationis; adeò vt formã dicens collegerit vnico verbo naturã intellectus, vt declaratam in secũdo libro, dicẽs autem, formarũ, vnico similiter verbo collegerit intellectus naturã vt in tertio libro declaratam; ex libro enim secũdo habemus intellectũ esse formã, qua homo est homo, ex tertio autem cognoscimus eam esse omnium formarũ receptiuã. Sic igitur definitionẽ intellectus omnib. numeris absolutam, quam nos modò pluribus verbis protulimus, Aristot. duobus tantùmodò, ac strictim expressit, dum dixit ipsum esse formam formarũ. Idem de sensu dicẽdum est, similiter enim ex dictis in initio secundi libri collegit sensum esse formam: ibi enim docuerat omnem animam esse viuẽtis corporis formam; postea dixit, sensilium, hoc colligens ex ijs, quæ post contextum 50. eiusdem secundi libri docuerat; sensus enim sensilia recipiendo operatur; non dixit autem absolutè, formarũ, quia vt antea dicebamus, sensus non cognoscit omnia, sed sola sensilia, & formas quidem sine materia recipit, proinde formarum ipse quoque receptiuus est, non tamen omnium, sed sensilium tantùm; rectè igitur Aristot. dixit sensum esse formam sensilium, intellectum verò esse absolutè formam formarum.

Artificium Aristotel. in dicẽdo intellectum esse formam formarum.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, LIBER DE SPECIEBVS INTELLIGIBILIBVS.

Propositio dicendorum.

Cap. I.



De mente humana agens Arist. in 3. de Anima lib. frequenter specierũ intelligibilium mentionem fecit; dixit enim ipsam esse locum specierum, ita tamen vt non habeat eas actu in sua essentia, sed potestatem solùm recipiendi, recipiat autem ipsas à phãtasmatibus. Hoc quomodo se habeat, non ita clarum fuit, vt magnas interpretum controuersias atque altercationes non excitauerit; non solùm enim dubitàrunt, quodnam harum specierum officium sit in intellectione, verùm etiam an reuera dentur, imprimanturq; in intellectu species vllæ: idque etiam aliqui prorsus negare ausi sunt, & aliud aliquod excogitare, quod Aristot. nomine specierum intelligere potuerit. Præterea verò cum hac disputatione alia non parui momenti, & explicatu dignissima coniuncta est, quidnam sint in intellectu illi, qui habitus vocari solent, vnde appellatur intellectus in habitu; quũ nil aliud esse videantur, quàm hæ species in mente humana impressæ, atque ita fixæ, vt non facilè amoueri queant. Nos igitur hac de re secundùm principia philosophiæ Aristotel. disputaturi, ante omnia Simplicij, & Platonicorum sententiam tanquam Aristoteli manifestè aduersantem reijcimus, & ab hac nostra disputatione penitùs excludimus; quippe quum nimis longa oratione opus esset ad Aristotel. de mente humana, eiusq; operatione sententiam cum Platonis opinione conferendam: quum enim illi dicant animam rationalem habere in se rationes ideales in se naturaliter insitas, & consubstantiales, non vt extrinsecus impressas, proinde nihil à phantasmatibus recipere, sed solùm excitari ad contemplandas in se rationes ideales, quæ tunc tanquam è tenebris in lucem prodeuntes incipiunt vocari habitus; huic sententiæ aduersatur apertè Aristoteles, dicens intellectum esse prorsus immistũ, neque vllum intelligibilium habere actu in seipso, sed omnia potestate proinde ea recipere ab obiectis externis. Hanc igitur Aristotelis sententiam veram esse statuentes; quum eam in dubium atque in disputationem reuocare nullum operæ pretium fore videatur; de eius tantummodò intelligentia disputandum, & aliorum hac in re altercationem expendendam in præsentia nobis proposuimus. Referemus igitur inprimis contrarias multorum sententias, & argumenta, quibus vtuntur, vt intelligatur, in quonam huiusce rei difficultas constituta sit; deinde nostram hac de re sententiam proferemus, tandemque illa, quæ nobis aduersarij videbuntur, aliorum argumenta soluemus.

Simplicij opinio.

Duæ Latinorum contrariæ sententiæ, & earum declaratio.

Cap. II.

Qvum Aristoteles species rerum intelligibilium tãquam ad intellectionem necessarias manifestè posuerit, Latini omnes tum in earũ concessione consenserũt, tum etiam in eo quòd species in re ab intellectione distinguantur, ita vt aliud sit species intelligibilis, aliud intellectio, quum præsertim etiam tempore secundùm eos distinguantur, & detur species intelligibilis absque intellectione, vt postea declarabimus; sed quidnam sint species intelligibiles, & quem in intellectione locum habeant, dissenserunt: primùm enim in duas penitùs contrarias sectas diuisi sunt, alij namque species intelligibiles in intellectu imprimi asseruerunt; alij verò eas constanter negàrunt, & solùm extra intellectum species concesserunt, quas ob id species expressas nominàrunt; vtramque igitur sententiam priùs declarabimus, postea vtriusque argumenta referemus. Illi, qui priorem sententiam sequuntur, dicunt eas esse quiddam intellectui superadditum, & esse accidentia spiritalia à phantasmatibus in intellectu producta, quæ & præcedunt tempore intellectionem, & post eam seruantur in intellectu, vnde eas impressas appellàrunt: secundùm hos facile est ostendere cur intellectus vocetur in habitu, & quidnam sit hic habitus; quando enim impressas habet rerum intelligibilium species, quas contemplari potest quando vult,

Prior secta.

quum post intellectionem fixæ in intellectu maneant, tunc dicitur in habitu, quia nil aliud est habitus, quàm species impressa, & ita fixa, vt deleri vix possit. Sed hi in modo discordes fuerunt, & adhuc in duas sectas diuisi sunt. Alij namq; dixerunt has species respectu intellectus habere locum obiecti terminantis intellectionem, quia intellectus eas habens cõtemplatur quando vult, cuius sententiæ fuit

Gregorius Ariminensis. Gregorius Ariminensis in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 1. & clariùs in 1. distin 7 quæst. 3. eandem

Scotus. sequutus videtur Scotus in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 6. vbi longo sermone ostendere nititur dari species intelligibiles in intellectu ante intellectionem impressas, tãquã obiecta ipsius intellectus, ex quarum multiplicata intellectione firmior impressio fiat, ita vt appellentur habitus, quos intellectus potest contemplari quãdo vult; habet enim obiectũ præsens, quum species in intellectu maneant post intellectionem: confutat etiam ibi Scotus opinionem Henrici, & aliorum negantiũ species impressas, & ponentium tantùm ex-

Thomas. pressas, vt ibi legere possum⁹. Alij verò dicũt, species impressas non habere obiecti locum, sed formę tantùm, & actus primi, quia per eas ita operatur intellectus, vt ignis per formam suam, quæ dicitur actus primus respectu operationis, quæ est actus secũdus: sic igitur species intelligibilis impressa in intellectu est ratio formalis, qua intellectus operatur; non operatur autem, nisi à phantasmate moueatur, ideò phantasma locum habet obiecti mouentis, species autẽ impressa non obiecti locũ habet, sed formæ & habitus reddentis intellectũ propensum, & aptum ad operãdum: hæc fuit Thomæ opinio, quæ apud eum legitur tum in contextu 8. libri 3. de Anima, tum clariùs in 1. part. Summ. quæst 85. artic. 2. eamque Scotus impugnat in dicto loco quæst. 7. sed opi-

Zimara. nionẽ Thomæ sequi videtur Zimara in theoremate 82 vbi asserit speciẽ in intellectu impressam esse principium effectiuum intellectionis, hoc est, rationem formalem, qua intellectus qui possibilis dicitur, est intellectionis productiuus. Non est autem ignorãdum, non apparere per ea, quæ diximus, differentiam vllam inter Thomam & Scotum; nam etiam dicendo speciem impressam habere locum obiecti, dicimus ipsam esse principium effectiuum & motiuum, quia officium obiecti est mouere, & agere; ideò plures recentiores philosophi dum hoc tantùm dicentes putant se Thomæ & Scoti discrimẽ, ac dissidium tetigisse, meo quidem iudicio decipiuntur, quia nullum adhuc eorum discrimẽ apparet. Dico igitur discrimen vtriusque sententiæ in hoc consistere, quòd Scotus dicens speciem impressam tenere locum obiecti negat intellectum phantasmate mouente tunc indigere, quia species ipsa impressa obiecti officio fungitur: Thomas verò & Zimara dicunt, obie-

A ctum esse phantasma, non speciem ipsam impressam, ideoq; semper requiri phãtasma mouens, & excitans ad intellectionem; intellectus enim habens impressam speciem tãquam habitũ, à phantasmate excitatus statim intellectionem producit, quia species est ratio producendi intellectionem, nec produceret hanc intellectus, nisi speciem haberet; idcircò in altero quoq; dissentiunt, quòd Thomas putat speciem impressam esse totam rationem pro-

B ducendi intellectionem, Scotus autem dicit, neq; intellectum, neq; speciem esse rationem totam intellectionis productiuam, sed vtrunque simul, adeò vt ex ambobus constituatur ratio adæquata intellectionis productiua; est enim tum ipsa species impressa, tum etiã ipsa intellectus natura; ideò in dicta quæst. 7. impugnat Scotus in hoc opinionem Thomę, vt ibi legere possumus. Sed Caietanus in 1. part. *Caietanus.* Summ. quæst. 79. artic. 2. aliam Thomæ sen-

C tentiam attribuit; inquit enim Thomam nõ dixisse species imprimi in intellectu, sed intellectum fieri res ipsas, & imbibere quodammodo totum obiectum: ideò videtur Caietanus accedere ad opinionem ponentium species expressas, de qua postea dicemus, ideoq; aliqui eam sequentes approbant hoc Caietani dictum. Attamen apud Thomam in memoratis locis eam sententiam legimus, quam nos priùs exposuimus, & quam ei omnes at-

D tribuunt. Ioãnes autem Gandauensis in 3. lib. *Gandauensis.* de Anima, quæst. 11. & 17. tuetur quidem species impressas, tum præcedentes, tum sequentes intellectionem, sed negat eas esse intellectionis effectiuum principium, & probare nititur eas esse principium receptiuum tantùm, id est, rationem recipiendi intellectionem, nõ quidem receptiuũ præcipuum, hoc enim est intellectus, sed receptiuum præparatiuum, sicut in dictis locis legere possumus. Hæc sunt,

E quæ ab illis dicuntur, qui species imprimi asserunt, & eorum inter se controuersia ea est, quã nos breuiter retulimus. Contrariam ve- *Secunda sécta.* rò sententiam, quòd nulla in intellectu species imprimatur, sed sola species expressa satis sit ad intellectionẽ producendam, sequutus est Henricus, quam Scotus confutat in di- *Henricus.* cta sua quæstione; & eam magno conatu defendit Ioãnes Bacconitus 2. Senten. distinct. 6. *Ioan. Bacconius.* quæst. 1 artic. 3. quã eandem tuentur his tẽpo-

F ribus oẽs ferè Philosophi recentiores; species aũt expressæ apud hos sunt ipsa phantasmata, quãdo ab intellectu agẽte illustrata sunt actu intelligibilia, & actu motiua nostri intellect⁹. quemadmodum enim lumẽ Solis iunctũ coloribus cõstituit eos in esse claro, & expresso, & actu motiuo ipsius visus; ita phantasmata ab agente intellectu illustrata fiunt clara, & motiua intellectus, & ita dicuntur species expressæ, quæ ad intellectionem in intellectu producendam sufficiunt absq; vlla speciei impressione, quia nihil in intellectu imprimitur

tanquam illi superadditum. Est autem etiam inter hos dissidiū aliquod: nam Ioannes Bacconius dicit hanc speciem excitare intellectū, deinde ipsum ita excitatū promere ex seipso intellectionem: quare apud eum intellectio formaliter est solùm actio ipsius intellectus, quia ipse in promenda intellectione agit, non patitur; sed antecedenter est passio, quia excitatio præcessit, quæ est passio quædam intellectus à phantasmate. Sed recentiores quidā in reliquis Bacconij sententiam sequentes, id tantùm non receperunt, intellectionem esse intellectus actionem tantummodò; nam aduersus hoc sententiam Aristotel. adduxerunt, qui clarè dixit intelligere esse pati, & modum etiam passionis expressit, dicēs intellectū fieri res ipsas, putauit ergo Aristot. intellectionem esse passionem non modò antecedenter, sed formaliter, adeò vt sit simul actio & passio; actio ratione indicij, siquidem iudicare est agere; passio verò quatenus intellectus imbibit quodāmodo totū obiectum, & in ipsum trās- formatur, nihil tamē recipiendo tanquam sibi superadditum; imbibere enim & transformari est pati quoddam. Hi autem suam hanc sententiam declarantes dicūt neq; intellectū, dum intelligit, formam vllā in se recipere, neque perspicuum à coloribus informari, sed visum fieri rem visam, & intellectum fieri rem intellectā, absq; vlla speciei receptione: quēadmodum enim quum columna ex dextra fit sinistra, id non prouenit ex aliqua nouæ formæ receptione, quæ in columna fiat, sed ex solo respectu vnius rei ad aliam; ita per solam præsentiam corporis luminosi, & respectum perspicui ad ipsum fit ipsius perspicui illuminatio, quum nulla in eo species recipiatur; sic etiam in oculo non recipiuntur colorum species, neq; fit visio per receptionem colorum, sed per præsentiam colorati corporis in perspicuo illuminato, & respectum oculi ad colorem præsentem; quò fit, vt mutetur visus quodammodo in colorem, & hac ratione pati dicatur, non quòd speciem aliquā recipiat; non enim color per medium perspicuum ad oculum transit, sed vltra perspicuum apparet oculo, & inspicitur, quum nihil in oculo imprimat: ita phantasmata, quando lumine intellectus agentis sunt illustrata, & constituta in esse claro, & expresso, apparent intellectui, & nihil in eo imprimūt, sed intellectus fit res illa, quam intelligit, & hæc dicitur intellectio: quam sententiam colligunt ex verbis Alexandri, tum in 1. tum in 2. libr. de Anima in cap. de Visu, tū etiam in lib. de Sensu & sensilibus.

Prioris sectæ argumenta ad probandum species impressas. Cap. III.

Contrarijs sententijs ita declaratis, vtriusque argumēta consideranda sunt. Illi quidem, qui tuentur species impressas, primùm ita argumentant: intellectio est vnio intellectus cum intelligibili, ergo necesse est vt intelligibile in intellectu spiritualiter imprimatur; nam quomodo erit vnio, si ā intelligibile maneat extra intellectum? Secūdò, dantur habitus intellectuales distincti ab habitibus partis animæ sensibilis, ergo dantur species in intellectu impressæ, & post intellectionem seruatæ: consequentia clara est; quia isti habitus non possunt esse aliud, quàm species ipsæ rerum intelligibiliū manētes in intellectu post intellectionem, & ante intellectionē impressæ: assumptum quoque manifestum est apud Aristot. in 6. lib. de Moribus, vbi dicit intellectum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem esse habitus intellectuales, & esse actu in anima; in libro etiam categoriarum dicit hos habitus esse qualitates primæ speciei in ipsa anima inhærentes, & diu manentes, & ægrè separabiles: hoc etiam cōfirmatur per ea, quæ dicuntur ab Aristot. in context. 8. lib. 3. de Anima; ibi enim inquit nos per tales habitus reddi aptos ad operandum quando volumus; vult igitur eos esse in anima fixos, & post operationem permanentes, nam operatio labilis est, nec diu durat; quare si simul cum ea desineret habitus, quomodo aptiores ad operandum essemus, quàm priùs? certè scientia rerū naturaliū acquisita in animo Philosophi naturalis seruatur in eo etiam dum nil contemplatur, & dum dormit; similiter seruatur ars medica in animo Medici etiam dormientis; in quanam igitur animæ parte seruari has disciplinas dicendum est? seruantur vtiq; in parte cognoscente, atqui non in parte sensibili, quia hæc non recipit vniuersalia, bi autem omnes habitus sunt vniuersales, quare non possunt seruari in memoria, quæ est facultas animæ sensibilis, & sola particularia, quæ à sensibus recipit, seruare potest; restat igitē vt in intellectu seruentur, & ea ratione dicātur habitus, quatenus etiam post intellectionē, & diu quidē, in intellectu remanent. Tertiò, rationi consentaneum est, actum primū præcedere actum secundum; at scientia est actus primus, & contemplatio est actus secundus, vt inquit Arist. in initio 2. lib. de Anima, & in contex 8. lib. 3. ergo habitus scientiæ debet præcedere intellectionem: & nisi hoc dicamus, sequetur intellectum semper habere potestatem æquè propinquam ad operationem, neq; ostendere poterimus, quomodo nunc habeat potestatem propinquiorē, quàm priùs; quoniam potestas non potest esse facta propinquior, nisi aliquid in intellectu impressum, & illi superadditum remanserit: sed neque ostendere poterimus, quomodo intellectus in habitu sit aptus ad operandum quādo vult; cur enim est aptior, quàm ante acquisitionem habitus, si nullus remanet habitus, à quo aptior reddi possit? dantur ergo species impressæ, & post intellectionem seruatæ. Præterea confirmatu

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

tur hæc sententia testimonio Aristot. in multis locis: nam in 2. contex. 3 lib. de Anima dixit intellectum pati ab intelligibilibus, atqui nihil patitur sine receptione: ergo vult intellectum ab obiectis recipere species: deinde in contex 5. clarè dixit intellectum esse susceptiuum speciei, at non potest speciem suscipere, nisi species in ipso imprimatur postea in cōtext. 6. dixit intellectum esse locum formarū, at nulla esset cum loco similitudo, nisi species esset in intellectu, quum etiam locatū sit in loco; nam si species essent extra intellectū, quomodo intellectus diceretur locus specierum? Auerroes quoq; eum locum interpretās inquit differre animam intellectiuam à loco propriè sumpto, quòd locus recipit locatum, nec fit illud, anima verò recipit species, & fit illamet species, quam recipit; ponit ergo Auerroes receptionē speciei in intellectu, & vnionem intellectus cum specie intelligibili: in context. etiam 37. & 38. dicit Aristoteles animam modo quodam fieri omnia, nam per sensum fit omnia sensilia, per intellectū verò fit omnia intelligibilia, non potest autem fieri res ipsæ, nisi species rerum in se recipiat.

Argumenta posterioris sectæ ad probandum non dari species impressas.

Cap. IV.

Primum argumentum. Altera verò secta, quæ species imprimi negat, argumentatur præcipuè ex verbis Aristot. in cōtext. 5. lib. 3. de Anima. vbi dicit intellectū nihil esse actu eorum quæ sunt, antequam intelligat; atqui intelligere est operari, ergo negat ante operationem esse in intellectu aliquā speciem intelligibilē; quia posita specie impressa ante intellectionē, tūc intellectus esset factus aliquid antequam intelligeret: idem etiam legimus apud Aristot. in context. 14. eiusdem libri, vbi inquit intellectū, antequam intelligat, esse sicut tabellā, in qua nihil descriptum sit; non vult igitur Aristotel. aliquam speciem in intellectu præcedere intellectioni. *Secundum.* Secundò sic argumentantur: satis saluatur intellectio per solam speciē expressam hoc est, per phantasma illustratum, & actu motiuum, ergo superuacaneū est ponere speciem à phantasmate in intellectu impressam, frustra enim fit per plura, quod per pauciora æquè fieri potest: antecedens patet, quoniā præsentia obiecti ad mouendum apta est sine alienius auxilio producere intellectionem, si nihil impediat. *Tertium.* Tertiò vtuntur argumento tali: si concederētur species impressæ, & post intellectionē seruatæ, daretur memoria intellectiua: consequētia clara est; quia nullum est aliud memoriæ officiū, quàm species post cognitionem seruare, quare species post intellectionem in intellectu seruarentur tanquam in memoria; consequens autem falsum, Aristoteles qui in libro de Memoria, & reminiscentia dicit memoriam esse per se primi sensitiui, per accidens verò esse intellectiui, nempe quatenus intellectus nō intelligit sine phātasmate; nullam igitur memoriam concedit, nisi vnam, quæ est facultas animæ sentientis, & per se inseruit phantasiæ, quum idola rerū tantummodò particularium seruet, & sit phātasiæ tanquam apertus liber; per accidens verò. & per mediam phantasiam inseruit etiam intellectui, quatenus ille mouetur à phantasmate. *Quartum.* Quartò aliqui ita argumentantur: forma non potest esse subiectum accidentium, intellectus autē forma est, & species sunt accidentia, ergo intellectus recipere species non potest. *Quintum.* Addunt ijdem hoc aliud argumentū: substantia æterna non est capax accidentium mutabilium, intellectus est substātia æterna, species verò sunt accidentia labilia, ergo intellectus recipere species non potest.

Error vtriusque sectæ, & quòd necessarium sit, species in intellectu imprimi à phantasmatibus, contra posteriorem sectam. Cap. V.

EGo in hac difficultate neutri opinioni adhærēdum puto, sed mediam quandam viam tenēdam, per quā, vt mihi videtur, omnia dubia, & argumenta facilè soluuntur: credo intellectionem fieri non posse sine impressione speciei intelligibilis in intellectu, quæ sit quiddam diuersum tum à phātasmate producēte, tum à substantia intellectus recipiente; & in hoc puto posteriorem sectā fuisse deceptam, priorem verò rectè sensisse; sed hāc quoq; in eo errasse, quòd posuit speciem hanc impressam præcedere intellectioni, & post intellectionē manere in intellectu; ego enim arbitror tandiu seruari in intellectu speciem, quandiu intellectus intelligit actu, quia puto speciem in intellectu receptam, & intellectionem reipsa idem esse; proinde errasse in hoc omnes, qui species impressas sic distinctas ab intellectione posuerunt: ob id posterior secta in hoc benè sensit, quòd nihil in intellectu posuit præter intellectionem, in eo tamē malè, quòd dixit nullam à phantasmate speciem in intellectu imprimi, & intellectum absq; vllius formæ receptione intelligere: in eo quoque hi defecerunt, quòd in intellectu intellectionem ponentes negārunt speciem, proinde diuersum quiddam esse putārunt speciem ab intellectione; quod etiam apertè protulerunt, dum phātasma illustratū expressam speciem appellārūt: sic enim etiam subiecto distingui speciem, & intellectionem asseruerūt, scilicet vnam in phantasia esse, alteram verò in intellectu. Tria igitur à nobis demonstranda sunt. *Primum argumentum.* Primum aduersus posteriorem sectam, quòd non sufficiat phantasma sine specie impressa, sed necessarium sit imprimi in intelle-

ctu speciem à phantasmate. Secundum verò A aduersus priorẽ sectam, quòd species impressa non præcedat tempore intellectionem, neq; post intellectionẽ seruetur. Tertium demũ, cur intellectus dicatur in habitu, & quid sit iste habitus, qui post intellectionem in intellectu manens facit vt intellectus possit contẽplari quando vult, & vt dicatur respectu operationis habere potẽtiam ꝓpinquiorẽ, quam priùs habuerit. Primum probatur efficaciter argumentis prioris sectæ, nempe illis, quæ solam impressionẽ demonstrant: nam illa, quæ ad probandũ permanentiam adducta sunt, nihil roboris habere postea demonstrabimus. Primùm quidem necesse est, sicut primo argumẽto ostendebatur, in intellectione coniunctionem fieri intellectus cum intelligibili, hęc autem fieri non potest, nisi aliquid in intellectu recipiatur; hoc significauit Aristot. quando dixit intellectũ fieri rem ipsam intellectã: at nõ potest fieri res intellecta, ita vt ab ea no- C minationem accipiat, nisi in se recipiat aliqd noui, quod antea non habebat; sic enim etiam prima materia nõ dicitur facta homo, nisi per receptionem formæ hominis. Illud verò, qđ aliqui ad hoc dicunt, intellectum intelligentem nihil recipere, sed imbibere totum obiectum, & fieri illud, mihi quidem non modò vanum esse videtur, sed etiam implicare contradictionem: nam si idem intellectus priùs nihil intelligat, postea verò intelligat equum, D & dicatur factus equus, quæro an sit idem intellectus, & eadem res nunc, & priùs, an duæ; si idem, ergo etiam ante intellectionem erat equus, quod neq; aduersarij concederent: si verò non idem, necesse est, vt vel destructa sua priore entitate sit facta alia entitas, vel ea manente alterã nouam entitatem receperit: si priorem suam entitatem amisit, ergo destructus est; quare intellectio erit destructio ipsius intellectus, nec licebit ampliùs dicere, huma- E nus intellectus intelligit, sed potiùs dicendum erit, equus intelligit, quoniam tunc ita est factus equus, vt non sit ampliùs intellectus: si verò manente pristina sua entitate, alteram quoq; entitatem acquisiuit, necesse est, vt aliquam formam receperit, nõ potest enim dici factus equus, nisi forma equi illi accesserit, vt eius substantiæ superaddita, sic enim rectè dicemus, factam esse vnionem intellectus cum re intelligibili; non enim dicitur vniri, & con- F iungi res vna cum semetipsa, sed plures esse oportet, ex quarum coniunctione vnum fieri dicatur: oportet igitur speciem in intellectu imprimi, & ita vnum fieri tanquam ex materia & forma, nam ipse in recipiendo tenet locũ materiæ, vnde vocari solet intellectus materialis, species autem impressa tenet locum formæ; & quia nominatio fit à forma, totum dicitur factum vnũ, & vocatur equus, non quidem materialis, sed spiritalis: hoc modo intelligendus est Aristot. quando dicit intellectum

Euasio aliquorum.

Confutatio.

fieri singula; nõ enim quum videmus factum vnum, debemus negare eius constitutionẽ ex parte materiali, & parte formali; perinde enim esset ac si quis videns hominem esse vnũ negaret ipsum ex materia & forma constare. Sed id, quod eos decepit, fuit, quòd vnio intellectus cũ intelligibili, quum sit spiritalis, est maior, quàm vnio materię cum forma materiali, ideò partiũ coniunctarũ discrimen non conspexerũt; imò veritate coacti ita loquuti sunt, vt inscij in nostram sententiam venerint; negarunt enim intellectum recipere, sed dixerunt ipsum imbibere potiùs obiectum, & fieri illud, quare idem affirmant, & negant; negant enim intellectũ recipere species, id tamen cõcedunt, dum dicunt imbibere, quia imbibere est recipere, & nil aliud est hæc imbibitio, quàm magna vnio; quæ enim fit rerum spiritaliũ, est maior, quàm vnio formæ materialis cum materia: ideò hanc eorum appellationem nõ modò non refutamus, sed maximè approbamus, quia receptio specierũ in intellectu conuenientissimè vocatur imbibitio, nec potest conuenientiùs nominari. Præterea alia ratione hoc comprobare possumus, qua manifestè causa erroris illorũ declaratur: in omni actione & passione duas dari formas necesse est, vnam producẽtem, alteram productam in patiente; at phantasma est forma agens in intellectũ, & intellectus à phantasmate patitur; ergo necesse est præter phãtasma dari aliam formam ab ipso productam in intellectu: maior à nullo neganda esset, quoniam & ratione, & experientia cognoscitur esse verissima; scopus enim omnis agentis nullus alius est, quàm introducere in patiens formam sibi similem, nam ipsamet agẽtis forma non potest eadem numero migrare ab agente ad patiens; ergo nil aliud est agere, quam formam sibi similem producere in patiente: idq; per inductionem manifestũ est; ignis enim agit in lignum, non vt illi suammet formã numero eãdem largiatur, quia hoc fieri nullo modo potest, sed vt in lignũ introducat aliam formã similem, nempe aliam numero formam ignis, etenim sine huius introductione nõ fit actio, neq; productio; non enim sufficit sola præsentia ignis agentis ad faciendam hanc productionem: qđ enim producitur, si ignis agẽs nullam formã producit? ergo manifestũ est idem in omni actione dicendum esse; est enim omnino necessarium, vt à quolibet in aliud agente forma aliqua in patiẽte producatur: quoniam igitur phantasma in phantasia est, nec potest recipi in intellectu, & est agens respectu intellectus, oportet formam aliquam ab eo in intellectu produci, quam indicans intellectus intelligat: quamobrem quum sit (vt aduersarij dicũt) in esse claro, & expresso, ita vt sufficiat ad agendum, necesse est, vt formã producat in intellectu, hoc enim est agere; & hoc negato phantasma ad agẽdum non sufficit, quia non agit,

Secundum argumentum.

In omni actione duæ formæ considerantur.

nisi

nisi speciem producat. Sed videtur aduersarij hoc concedere, dum dicunt phantasma producere intellectionē in intellectu; etenim nil aliud est intellectio, quàm species impressa, vt asserit apertissimè Aristot. in cōtext. 15. 27. 37. lib. 3. de Anima, dum inquit scientiā, & scibile idem esse, non quidem scibile materiale, quod extra animam est, sed scibile spiritale, quod est in anima; hoc enim scibile idem est ac scientia, quæ actu est: vt actualis cognitio equi est equus ipse spiritalis; discrimen est solùm secundùm rationem, hoc est, secùdùm diuersas considerationes: nam si referatur ad ipsum intellectū, in quo est, & à quo indicatur, dicitur intellectio; si verò ad obiectū externū, vocatur species, & imago illius, seu illud ipsum spiritaliter. Ob id horum sententia proculdubio ad veritatem propiùs accedit, & magis defendi potest, quam altera: nam videtur Ioan. Bacconius, & alij, qui eius sententiam sequuti sunt, hoc solùm reipsexisse, vt euerterent species ita impressas, vt intellectionem præcedāt, & post intellectionē seruētur; at speciem impressam, quæ idem esse dicatur cū intellectione, certè (vt ego arbitror) nec Bacconius, nec alij negarēt: quamobrem sententia hæc ad rectum sensum trahi facilè potest. Hæc fuit Auerrois opinio, qui in Cōment. 5. lib. 3. de Anima inqt intentiones intellectas habere duo subiecta, vnū per quod sunt entia, & alterum per quod sunt veræ; subiectū enim per quod sunt entia, est intellectus in quo inhærent; subiectū autē per quod sunt veræ, est ipsum obiectum externum; veritas enim est æquatio conceptus cū re, cuius est conceptus; asserit ergo Auerroes species esse in intellectu tāquam in subiecto, nec re distingui ab intellectione, sed solùm ratione, sicuti declarauimus. Hoc idem de speciebus sensilibus dicendū est; nam color in oculo receptus, ac iudicatus, si ad realem colorem referatur, dicitur species coloris, seu color spiritalis; si verò ad oculū, dicitur cognitio coloris, & visio, ita vt anima, dū indicat, dicatur fieri color ille. Verùm quia aliqui ita negāruut species impressas, vt omnem eorum entitatē de medio tollere conati sint, & ostendere nullius formæ receptionem fieri siue in sensu, siue in intellectu, sed cognitionē nil aliud esse, quàm habitudinem, seu respectum quēdam ad obiectū præsens; ideò operæpretiū est sententiam hanc aliquantū cōsiderare, vt ostendamus speciē imprimi in sensu & in intellectu, tanquā ens positiuū, & absolutum, & veram speciem qualitatis, non vt meram relationem, vt ipsi dicūt. Inprimis illud nobis statuendum est, quòd ipsi non negarent, eandem esse rationem & speciei intelligibilis in intellectu, & speciei sensilis in sensu, ac lu... enim omnium en... ...antur: quod...

Intellectio est species ipsa impressa.

Aduersus negātes species vllam entitatem.

A argumentū de lumine sumere ex ijs, quę aliâs fusiùs à nobis dicta sunt in libris de visu: lumē in perspicuo producit qualitatem materialē, nempe realem calorem, vt Arist. sæpe asserit in lib. 1. Meteorolog. & vt per se manifestum est; ergo lumen non est pura relatio, sed est accidens absolutum: consequētia clara est; quia mera relatio non potest efficere qualitatem realem, & multò minùs talem agendi vim habere potest id, quod est purum nihil: nec dici B potest calorem produci à luce, quæ est in Sole, nō à lumine, quod est in perspicuo; etenim actio omnis fit per contactum, vt inquit Aristot. in 3. & 7. Physic. lux aūt, quæ in Sole est, corpora hęc inferiora non tangit. Confirmatur hoc ex oculi læsione, quæ fit ab inspexione excellentis lucis, læditur enim ac destruitur tēperies oculi à magno lumine, vt ait Aristot. in cōtext. 123. & 143. lib. 2. de Anima, & in 7. lib. 3. destructio aūt temperaturæ oculi est C alteratio realis, quæ à pura relatione fieri non potest: lumē igitur in perspicuo non est mera relatio, sed est accidēs absolutū, & species quędam qualitatis. Possumus etiā à phantasmate sumere contra hos argumentū validissimum: phantasma in phantasia non est purum nihil, neq; mera relatio ad obiectū præsens, sed est ens absolutū; ergo etiam species obiecti in sensu, & in intellectu est ens absolutū: consequentia clara est, quia horum omniū eadem est cō-D ditio; ab obiecto enim externo monetur sensus, à sensu phantasia, & à phantasia intellectus; quare si species in sensu nulla recipitur, sed est mera relatio, nō potest in phantasia produci phātasma, quod sit maioris entitatis: antecedens aūt probatur multifariā: primò, quia, vt etiam aduersarij cōfitentur, phātasma mouet intellectū, ergo est aliquid absolutū, quia mera relatio non est apta ad mouendū; pręterea illuminatur ab intellectu agente, ergo est E ens positiuū & absolutū: præterea phantasma inhæret actu in phantasia, etiam nō præsente obiecto externo, imò etiā destructo obiecto, & nulla etiā existente specie in sensu externo; ergo nō est mera relatio ad obiectū, siquidem destruitur relatio per ablationē termini: si verò aduersarij ad partem memoratricē confugiant, dicētes memoriā seruare imagines obiectorū, & has esse præsentes phātasiæ, & prædictam relationē facere, incidūt in Scyllā dum F volunt vitare Charybdin; nam eadem difficultas manet de imagine in memoria, quæ eiusdem est conditionis, ac reliqua omnia prędicta: nam secūdùm eos etiam imago illa deberet esse mera relatio ad obiectum præsens, quum hæc quoque sit eiusdem conditionis, ac reliqua prædicta; hoc tamen dici non potest, quum nullum adsit obiectum reale, quia memoria est præteritorum: igitur & idolum in memoria, & phātasma in phantasia, & species sensilis in organo sensus, & species intelligibilis in intellectu sunt entia positiua, &

absoluta. Confirmant hanc sententiam verba Aristot. in multis locis: nam in context. 121. & 138. libri 2. de Anima inquit sensum recipere formas sine materia, meiam aût rationem ad obiectum præsens non vocaret formã, igitur iudicat recipi aliquid positiuum; neq; diceret possunt obiectum reale, vt realem colorem, sibi ab Aristot. vocari formam; nam color ille est forma in materia, Aristot. autem dicit recipi formam sine materia: præterea 10 3. libr. dixit intellectum esse immistũ, vt possit species recipere, dixit esse locũ formarum, & formã formarum; & sensum dixit esse formã formarum sensilium, quæ omnia nostræ opinioni attestantur, vt considerantib. manifestũ est.

B

Auerroes. Auerroes quoq; absq; dubio hoc sensit, quũ in Cõmentario 5. libri 3. dixerit intellectum speculatiuum constare ex tribus, ex possibili, & agente, & phantasmatibus, seu ex speciebus intellectis, quæ tenent locum formæ, & sunt productæ à phantasmatibus; ergo non putauit species esse meram relationem, quia relatio non facit compositionem, nec rectè vocatur forma: in Cõmentario etiam 30. eiusdẽ libri Auerroes dicit species intellectas habere subiectum aliud à subiecto phantasmatum, quare vult eas recipi in intellectu, quum phantasmata recipiantur in phantasia; non igitur putauit intellectionem esse solam præsentiam phantasmatis extra intellectum, sed esse speciem à phantasmate productam in intellectu. Videtur autẽ causa erroris istorũ fuisse, quòd non cognouerunt entitatem accidentis spiritalis; quare id omne, quod materiale non sit, putârunt esse nihil: qua de re diffusiùs scripsimus in libris de Visu. Quòd autem hi nituntur in suam sententiam trahere Alexandrum de visu loquentem, & in primo, & in secundo eius lib. de Anima, id meo quidem iudicio vanũ est; trahi nanq; verba Alexandri ad verum sensum facilè possunt, quoniam Alexander nil aliud respexit, nisi vt ostenderet obiecta nõ agere in organa sensuum, præsertim colorem in oculum, actione reali, & vera alteratione, qua realis qualitas produceretur; quare quando negat formam in intellectu, aut in sensu recipi, negat solùm formã realem, non negat spiritalẽ, vt ex eius verbis manifestè colligimus: nam argumentum sumit ex eo, quòd formæ non recipiuntur nisi per verũ motum in tempore factum, visio autem fit subitò; non igitur aliam formam excludit, & recipi negat, quàm formam materialem: exemplum autẽ columnæ, quo Alexander vtitur, sano modo intelligendum est; non enim in omnibus ea comparatio consistit, sed in eo solùm, quod columna fit dextra absq; vllius materialis formæ receptione, siquidẽ nulla alia forma considerari potest, quæ in columna recipiatur, nisi forma materialis; in hoc igitẽ est similis instrumento visus, in quo fit visio sine alicuius materialis formæ receptione: at si spiritalem formam cõsideremus, & nomine formę comprehendamus, non est ampliùs similitudo: in oculo enim recipitur forma spiritalis, in columnis minimè; quod patet, si huic exemplo aptemus modum loquendi Arist. de sensu, ac de intellectu; is enim columnæ, quæ dextra fiat, minimè conuenit: inquit Aristot. sensum recipere formas sine materia, inquit intellectũ pati, & recipere formas, & esse locũ formarũ: at columna, quãdo fit dextra, non dicitur pati, neq; formam aliquam recipere; quare hoc tũ discrimen magnũ, & manifestum est. Posset aût aliquis pro his nobis obijcere verba Arist. in context. 69. lib. 2. de Anima, vbi dicit lumen esse præsentiam corporis lucidi in perspicuo: sed hæc nobis non obsunt, quoniam propositio illa Aristotel. non est intelligenda formaliter, sed causaliter; non enim dicit, nil aliud esse lumẽ, quàm præsentiam lucidi, sed dicit lumen produci in perspicuo à præsentia lucidi, idq; manifestum est legentibus omnia Aristot. verba in eo loco: & hoc idem de Alexandro dicimus, qui & in 1. & in 2. suo libro de Anima, de visu loquẽs inquit, lumẽ esse præsentiam lucidi, sed hoc ipsemet declarans inquit lumẽ produci in perspicuo à lucido tanquam à causa. Hoc idem apud Auicẽnam legere possumus in libro suo, qui vocatur Compendiũ de anima: ibi. n. dicit præsentiam lucidi in perspicuo esse causam luminis, non dicit esse lumen ipsum: notare etiam apud Auicennam in eo libro possumus in cap. 6. & 8. ipsum existimasse species in sensu, & in intellectu imprimi ab obiectis tanquam à causis producentibus, & esse entia absoluta, non solùm relationes, vt isti existimârunt.

Alexander.

C

D

E

F

Obiectio.

Solutio.

Auicenna.

Quòd species impressæ nec præcedere intellectionem possint, nec post eam seruari, contra priorem sectam.

Cap. VI.

Sequitur secundum caput demonstrandum, quòd species impressæ nec præcedere intellectionẽ tempore, nec post eam seruari possint; qua in re priorem sectam deceptam fuisse arbitror. Ad hoc demonstrandum nullum est efficacius argumentum illo, quod à D Thoma refertur, tanquã argumentum Auicennæ in 1. part. Summ. quæst. 79. artic. 6. Auicenna enim hoc, quod verissimum est, cognouit, non posse in intellectu esse impressam speciem sine intellectione, idcò hoc argumento vsus est: Si species ad modum habitus imprimeretur in intellectu, intellectus necessariò eam semper intelligeret: consequens manifestè falsum est: consequentia autem probatur, quia species non potest imprimi in intellectu nisi ...

Primum argumentum.

ligibile, imò est actu intellectum, imò est idē quod intellectio, & quod intellectus ipse: ergo species in intellectu impressa intellectio ipsa est, idq; asserit expressè Aristot. in contex. 15.20.27.37. lib. 3. de Anima, igitur ponere in intellectu speciem sine intellectione est pugnantia dicere, & implicare cōtradictionem, quia tantum abest vt species in intellectu esse possit sine intellectione, vt potiùs sit ipsamet intellectio. Neq; dicere aliquis potest, requiri semper phantasma, proinde speciē impressam non sufficere ad intellectionem promendam sine actione phantasmatis; etenim actio phantasmatis non alia ratione ad intellectionem confert, quàm imprimendo speciē, quæ est intellectio ipsa, quamobrem dum ponitur iam impressa species, non est ampliùs opus phantasmate: idque adhuc manifestius est secundùm eos, qui dicunt speciem impressam habere locū obiecti, seu principij productiui intellectionis, quę deterrima omnium sententia est; tum quia necessariū omnino esset, vt intellectus semper intelligeret, quum ipse sit semper aptus ad intelligendum, & haberet obiectum actiuū semper præsens, nempe speciem impressam potētem semper producere intellectionē: tum etiam quia forma ab agente producta in patiente non potest habere locum agentis, nulla enim forma agit in suā materiam in qua est, sed habet potius locum effecti, quàm efficiētis, vt forma ignis in ligno genita nō habet locū efficientis respectu illiusmet materiæ, sed solùm formæ effectę. Quanquam etiam opinio dicentium speciem impressam habere locū formę, ipsa quoq; est absona rationi, nā acquisita forma cessat omnis motus, & omnis actio agentis; quare, vt modò dicebamus, siue species impressa efficientis locū habeat, siue formæ, nullum est opus phantasmate mouente post impressam speciem, sed necessarium est præsente specie in intellectu intellectum actu intelligere. Ad huius autem veritatis confirmationem notandum est artificium naturæ in facultatib. animæ sentiētis: quum enim oportuerit duas in hac animæ parte inesse vires, vnā cognoscendi, alteram retinendi ac conseruandi imagines rerum, naturæ non tribuit eidē facultati, neq; eidem organo vtramq; vim simul, sed voluit memoriam, quæ conseruatiua est, nō esse cognoscitiuam & imaginatiuam, quæ est cognoscitiua, non esse conseruatiuā: propterea quod necessarium omnino est, vt facultas cognoscitiua cognoscat actu illa, quæ actu recepta habet: quare si phantasia, quæ cognoscitiua est, conseruaret etiam phantasmata recepta, & memoria, quæ est conseruatiua, cognosceret etiam imagines in ea seruatas, cognosceret multa simul eodem momēto quod penitus impossibile est: quoniam contemplari, vel imaginari eodem tēpore plura ita est impossibile, vt est impossib. le materiā simul habere plures formas specificas: quemadmodū igitur phantasia, quum sit cognoscitiua, non potuit esse conseruatiua, & memoria, quū sit conseruatiua, nō potuit esse cognoscitiua: ita intellectus, quū sit cognoscitiuus, non potest esse conseruatiuus specierum, ideò nunquam plura simul intelligit, sed semper vnū, proinde non potest esse in eo impressa species sine intellectione. Hoc idem ostendiū argumentis posterioris sectæ antea relatis, illis tamen exceptis, quæ impressionem tollunt: hæc enim postea ostendemus nihil habere efficacitatis. Sed quia illa omnia postea in argumentorū solutione cōsiderabimus, & singulorum vim expendemus, nunc satis sit vnū tantùm considerare, quod non parui momēti est, si bene intelligatur: erat autē tale. Si species in intellectu post intellectionem seruarentur, daretur memoria intellectiua. Considerātes argumentū hoc D. Thomas, & Scotus in locis prædictis, totum concedunt, proinde negant consequētis falsitatem: ad Arist. aūt in lib. de memoria & reminiscentia statuentem vnam tātùm memoriam, quæ est facultas animę sensibilis, respondent duplicē esse memoriam; vnam, quæ est cōseruatrix imaginum rerum præteritarū quatenus præteritæ sunt, de qua ibi Arist loquitur tanquam pertinente ad partem animæ sensibilem: alteram vero, quæ est solùm conseruatrix specierū repræsentantiū obiecta secundùm se absq; temporis præteriti consideratione, eaq; est memoria intellectiua, quam Arist. non negaret, etsi in eo lib. eam non consideret, fatentur igitur dari memoriam intellectiuam distinctam ab altera memoria, quæ ad sentientem animam pertinet. Sed hoc dicentes non soluunt argumentū, neq; tuentur Arist. qui in cap. 1. eius lib. asserit se loqui de memoria prout inseruiente tam intellectui, quàm sensui, proinde vniuersè de memoriā loquitur, vnam tamen tantūmodo ponit, quā dicit inseruire primò imaginatiuæ, secundariò aūt, & per accidens etiam intellectui: putat enim solum phantasma remanere fixum in parte memoratiua post imaginationē, speciem verò intelligibilem non manere in intellectu fixam post intellectionem, dici tamen illius memoriam conseruari, quatenus phantasma, à quo produci potest, seruatur impressum in parte memoratiua, quod phantasia potest iterum imaginari, & iterum producere speciem eius in intellectu: hoc modo, non alio, censuit Aristoteles remanere in animo scientias, ac disciplinas omnes, sicut postea, quum de habitibus agemus, dicemus. Præterea ostendo nullum esse harum

Solutio.

Impugnatio solutionis.

Facultas cognoscitiua non potuit esse conseruatiua, & è conuerso.

Contemplari, & imaginari plura simul esse impossibile.

duarum memoriarum discrimen, quod ipsi fingunt: nam quando dicunt, memoriam sensitiuam esse rei præteritę quatenus est præterita, vel intelligunt esse necessariam conditionem recordationis, vt simul cum ipsa re etiã determinati temporis recordemur, atq; imaginem cum hac conditione in memoria conseruemus; vel dicunt non esse quidem necessarium vt imago rei præteritæ cum determinato tempore conseruetur, sed vt ea sit conditio obiecti tantùm recordabilis, non ipsius recordationis: prius quidem dici nullo modo potest, quia falsum est; etenim multa particularia recordamur, quorũ certũ ac determinatum tempus nõ recordamur; hæc igitur non est memoriæ necessaria conditio, neque hoc intellexit Arist. quando dixit memoriam esse præteritorum, sed significauit alterum posteriorẽ sensum, nempe quòd tempus præteritum sit quidem conditio obiecti memorabilis, sed non ipsius recordationis, seu memorię. etenim fieri recordatio potest absq; vlla præteriti temporis consideratione: quod quidem hoc argumento probare possumus sumpto ex Arist. in eodẽ libro; nam ibi inquit sensum esse præsentium, memoriam verò præteritorum, vult igitur eandem esse rationem memoriæ ad præteritũ, quæ est sensus ad præsens; atqui sensus non apprehendit tempus præsens, imò sentire etiam rem præsentem possumus absque vlla præsentis temporis cõsideratione; ergo vult Aristot. etiam pręterita posse memorari sine vlla consideratione præteriti: hoc igitur si dicant, vt dicere omnino coguntur, non distinguunt, vt putant, vnam memoriam ab altera, nam intellectus, vt alio in loco demonstrabimus, potest etiam singularia intelligere, ergo etiam præterita, imò etiam vt pręterita; igitur tunc saltem, quando intellectus conseruat speciem rei singularis præteritę, non distinguetur memoria intellectiua à sensitiua, quoniam etiam intellectiua erit rei præteritæ eodem prorsus modo, quo memoria sensitiua est pręteritorum. Hæc igitur est Arist. sententia. facultas imaginatiua, & memoria accepta vt imaginum conseruatrix, sunt facultates eiusdem partis animæ, nempe sensibilis, & vtraq; est organica, & organũ vnius est propinquum organo alterius, nam organum phantasiæ est medius ventriculus cerebri, memoriæ verò postremus, phantasia quidẽ, vt antea dicebamus, cognoscitiua est, at non specierum conseruatrix, memoria verò est conseruatrix, sed nõ cognoscitiua, ideò non potuit idem organum vtriq; facultati, & cum cognitioni, tum cõseruationi inseruire, sed duo distincta esse debuerunt propinqua, vt diximus, quum præsertim cognitio humidius organum requirat, conseruatio ve-

In lib. de ordine intelligendi.

A rò siccius, atq; etiam frigidius, quia sic tenacius est: quod etiam Galen. asserit, licèt alio modo facultates animæ in cerebri partes distribuat; mediũ enim ventriculum adscribit parti rationali, quam nos cum Arist. organicam esse negamus, sed de hoc in præsentia disputandum non est. A phantasia igitur imaginãte imprimuntur imagines in memoria, & ibi seruãtur, ideoq; propter ꝓpinquitatem phantasia dicitur habere propinquã memoriã, tan-

B quam lib. apertũ, in quo multa sunt scripta, quæ legere potest: quòd si vtrunq; simul organum accipiamus vt vnum, tunc dicimus illud habere vim imaginandi phantasmata, & retinẽdi ac cõseruandi ipsorũ imagines; quo fit vt intellectus quoq; hac ratione dicatur habere phantasiam tanquam apertum lib. in quo multa legere in suo arbitratu potest; quum enim ibi sint fixa phantasmata illarum rerum, quarũ species intellectus priùs intellexit, po-

C test ab eisdem phantasmatib. iterũ pati, & easdem species recipere; dum enim phãtasia renouat eiusdem phãtasmatis imaginationem, intellectus quoq; eiusdẽ rei intellectionẽ renouat, qua fit in ipso noua eiusdem conceptus impressio à phantasmate: hæc igitur vna ratione vna & eadẽ memoria sensitiua apud Arist. per se, & primò inseruit animę sensibili, secundariò aũt rationali; quare dum propriè memoria sumitur pro facultate recipiendi

D rerum imagines, quæ in ea fixæ absque cognitione seruentur, nulla datur memoria intellectiua; proinde Thomæ, & Scoti sententia de duplici memoria sic accepta aliena est ab Arist. & eã quoq; negare cogitur Ioãnes Baconius, dum species impressas negat. In alio tamen sensu memoriam intellectiuam à sensitiua distinctã etiam secũdùm Arist. tueri possumus, quẽ mox, quũ de habitib. loquemur, declarabimus. Confirmatur præterea nostra *Auerroes.*

E hæc opinio auctoritate Auerr. qui absq; dubio huius sententię fuit; asseruit species in intellectu imprimi, sicut antea cõsiderauimus, & vt passim apud eũ legere possumus in lib. de Anima, at non putauit eas manere fixas in intellectu post intellectionem tanquam habitus: nam in Comment. 30 lib. 3. hæc apud eum verba leguntur [*formæ sunt duobus modis, sunt enim formæ rerum tum extra animam, tum in intellectu; sed in intellectu sunt veluti res velocis*

F *transmutationis, & non fixæ, extra animam verò existunt in materia sensili tanquã habitus in habente habitũ, & res fixa in re patiente*] itaq; cognouit Auerroes formas intelligibiles ita esse in intellectu, vt sunt res sensiles in organo sensus, nimirum præsente solùm obiecto; tãdiu enim inest species coloris in oculo, quamdiu præsens est realis color; ab hoc enim pendet in fieri, & in cõseruari: sic tamdiu est in intellectu species

lectu species intelligibilis, quādiu est in phantasia phantasma actu & cessante phantasmate cessat intellectio, & species intelligibilis euanescit, quoniā à phātasmate pendet in esse, & in cōuersari: quo fit vt intellectio formaliter sit præsentia speciei in intellectu, causaliter verò sit præsentia phantasmatis actu in phantasia. Hāc eandem sententiā de specieb. impressis, sed post intellectionē non seruatis, tribuit Auicennæ D. Thomas, & Scotus in memoratis locis; licèt, vt ibi Scotus ait, satis obscurè ex Auicennæ verbis colligatur: sed cuiuscunque sit, vera est, vt argumenta à nobis adducta demonstrant, quæ quàm debiliter à Gādauense soluantur in quæst.16 lib.3. de Anima, quisque apud eum legere, & considerare potest: non est enim operæpretium, vt omnia, quæ ab aliis dicuntur, in medium afferamus.

Auicenna.

Confirmatio eiusdem sententiæ testimonio Aristotelis, & reiectio interpretationis Scoti, & collectio erroris omnium aliorum. Cap. VII.

Sententia hæc ab Arist. manifestè ponitur in cont.30. lib.3 de Anima, dum dicit animam nunquam intelligere sine phantasmate: & in 39. eiusdē lib. dū inquit necessariū esse, vt intelligens speculetur phantasma aliquod: putauit enim nūquam fieri posse intellectionem sine actione phātasmatis, proinde nō seruari speciem in intellectu, quam possit intellect⁹ intelligere sine phātasmate agente. Sed Scot. qui existimauit species in intellectu impressas habere locū obiecti mouentis, verba illa Aristotel. considerans, & suam sententiam tueri volens inquit, conuersionem intellectus ad phantasmata posse duas ob causas dici necessariam, vnam ante acquisitionem habituum, alteram verò postea: antequam enim habeat habitus, necesse est vt ad phantasmata conuertatur, si debeat intelligere, sicut omne passiuum conuertitur ad suum proprium actiuum: postquam autē acquisiuit habitus, non eget amplius phantasmatibus vt motiuis, est tamen necessariū, vt dum ipse intelligit, phantasia quoque imaginetur, propterea quòd tanta est ꝓpinquitas, & coniunctio harum facultatum, vt vna operante alteram quoque operari necesse sit, licèt quandoque neutra alteri inseruiat: est igitur necessarium intellectioni phantasma, nō tamen semper vt causa, sed quādoque vt necessario consequens: ideo quando Arist. dixit animam sine phātasmate nunquam intelligere, vt tamen necessitatem communiter complexus est, nempe nūquam sine phantasmate vel efficiente intellectionem, vel eam consequente. Attamen si verba Aristot. bene

Scoti interpretatio.

A consideremus, videbimus eum dicere intellectū in homine semper egere phantasia vt mouente, & obiectū subministrante: inquit enim in illo 39. contex. necessariū esse vt intelligens phantasma aliquod speculetur: atqui phantasia speculari nō dicitur, sed solus intellectus: quare non dicit Arist. phantasiam tunc imaginari, sed dicit intellectum speculari phantasma aliquod; hoc autem nō potest alio modo intelligi, nisi vt Arist. dicat intellectum intelligentē intueri necessariò phantasma aliquod, & ab illo moueri. Sed vana etiam secundùm se est illa secunda necessitatis ratio, quam Scotus adducit: nam quando duo ita se habēt inuicem, vt neutrū alterius causa sit, nullus esse potest inter illa essentialis respectus, seu necessarius cōtextus, proinde separari possunt, & vnum existere sine altero; igitur si post habituū acquisitionem neque intellectio est causa imaginationis, neque imaginatio intellectionis, nulla est necessitas vt intellectu intelligente etiam phantasia imaginetur: quòd si propter propinquitatem id contingere dicat, vt admittamus id posse contingere, nulla tamen ratio adest cur sit necessarium ita semper euenire, quum in alijs facultatib. animę, quamuis propinquis, id fieri non videamus: dum enim fit visio, non est necessarium vt auditio, vel gustatio fiat: quòd si dicat in subordinatis tantùm facultatib. id euenire, adhuc falsum est: quia non est necessarium vt phantasia imaginante etiam sensus sentiat, quum possit operari nullo operante externo sensu, neque sensu communi: neque ad rem facit exemplum, quo Scotus vtitur, sensus communis respectu sensuum externorum: quia sensus communis est veluti centrum omnium quinque sensuum, neque ab illis re distinguitur, quocirca non potest operari nisi illis operantibus: absente enim obiecto externo non operatur, sed præsente, & mouente organum aliquod sensuum externorum: at intellectus non ita se habet respectu phantasiæ, sed est facultas animæ separata à phantasia, & secundum Scotum habet iam species impressas tanquam obiecta motiua, & fixas, neque eget amplius phantasia obiectum suppeditante; quare nulla est similitudo, proinde verba illa Aristot. manifestè aduersantur opinioni Scoti. Præterea alia etiā à nobis sæpe notata loca apud Arist nostrę sententiæ attestantur, & Latinorum opinionem reijciunt, nempe quando Arist. dicit speciem intellectam & intellectionem idem esse; sic enim aperte dicit non posse in intellectu existere speciem sine intellectione. Colligere igitur ex dictis possumus errorem illorum omnium, qui impressas & permanētes species posuerunt. Primum enim talis est Scoti sententia, qui dixit speciem in intellectu perma-

Collectio errorum aliorum singulorum.

nentem habere locum obiecti mouentis: re enim mouens secundùm Arist. est solùm phantasma; species verò inest in intellectu vt forma producta ab agente, non vt agens. Errauit etiam Thomas dicens speciem in intellectu seruari tanquam rationem operandi, quia secundùm Aristotel. species in intellectu est operatio ipsa, non ratio operandi: ideo neque Gandauensis rectè dixit, species impressas esse tanquã dispositiones ad operationem; hoc enim dicẽs dicit aliquid esse præparationem ad semetipsum: quum igitur species impressa intellectio ipsa sit, non est præparatio ad intellectionem; quare manifestum est has omnes sententias pugnantia dicere, dum ponunt in intellectu impressam speciem sine intellectione. Errarunt etiam illi, qui omnino specierum impressionem negarunt, quia horum quoque sententia, vt antea considerauimus, implicat contradictionem: dicunt phantasma esse agens, nihil tamen agere, quum nullam formam in patiente producat; quum enim nec speciem vllam imprimat, nec dicendum sit ipsum producere intellectionem, nihil agit, proinde est agens, & non est agens.

Dubium.

Sed aduersus sententiam nostram dubitare aliquis posset: quia si species impressa idem est atq; intellectio, sequitur phãtasma solum esse idoneum, ac sufficiẽs principium producendi intellectionem; quum enim sufficiat ad imprimendam speciem, & species impressa idem sit, quod intellectio, certè sufficit ad producendam intellectionem; hoc tamen, vt paulò antè dicebamus, falsum est, & communi omnium consensioni aduersatur; nemo enim dixit, solum phantasma esse æquatum principium productiuum intellectionis.

Solutio.

Ad hoc dicimus speciem intelligibilem non dici intellectionem quatenus solum recipitur, sed simul etiam quatenus iudicatur, adeo vt species recepta & iudicata idem sit, quod intellectio: atqui phantasma ad speciei iudicium nihil cõfert, sed ad impressionem solam.

Phantasma non producit intellectionẽ.

ideo dum hanc solam spectamus, intellectus patitur tantùm, phantasma verò agit; sed dum iudicium respicimus, ipse intellectus natura est principium actiuũ intellectionis: quare adæquatum principium intellectionis productiuum neq; solum phantasma est, neque solus intellectus, sed ambo simul, illud vt speciẽ imprimens, hic verò vt iudicans; quæ duo simul eodem tempore fiunt, sed ratione & natura distinguuntur; prior enim est impressio iudicatione, & in iudicatione præcipuè consistit intellectio, quare præcipuum agens intellectionem est intellectus ipse. Idem prorsus de sensibus dicendum est: nam obiectum externum est principium productiuum sensionis quatenus [illegible] in organo imprimit, sed facultas ipsa sensibilis dicitur agens, dum speciem iudicat, qua ratione sensionem producit, sicuti alias declarauimus in lib. quem de sensu agente scripsimus.

Quid sit habitus intellectus, à quo intellectus dicitur in habitu.

Cap. IIX.

Declarandum relinquitur, quid sint illi habitus, qui solent attribui intellectui tanquã fixi, & permanentes, à quib. vocatur intellectus in habitu; si enim post intellectionẽ nulla in eo species remanet, nihil apparet, quod possit habitus appellari. Ego hac in re sequendã puto nonnullorum opinionẽ, cuius mentionẽ facit Scotus in dicta quæst. 6. distinct. 3. lib. 1. & eã dicit fuisse a quibusdã Auicennæ adscriptã: attamen an Auicenna id voluerit, inquit Scotus, se nihil certi habere; attribuit aũt illam Auicennæ Thomas in cont. 8. lib. 3 de Anima, & in 1. part. Sum. quæst. 79. artic. 6. sed cuiuscunq; fuerit, eã ego verã esse arbitror, & Arist. verbis contentanea. Dico igitur acquiri in intellectu ex multiplicatis intelligendi actibus quãdam maiorem aptitudinem seu habilitatem ad easdem res intelligendas, quam non habebat prius, eaq; dicitur habitus acquisitus, nã mens nostra nascitur rudis, & inepta ad rerum cognitione statim capiendã, ideo necesse est vt laboret, & inuestiget, vt discat, & inueniat; sed postquam semel rem aliquam apprehendit, si diu in eius contemplatione versetur, acquirit habitũ, id est, habilitatem quandã, qua potest, quando vult, rem illã speculari absq; exercitio, & absq; labore: dicunt aũt id ab Auicenna hoc pacto fuisse declaratum: intellectus postquã hanc habilitatẽ adeptus est, conuertit se, quando vult, ad quandã intelligentiam superiorẽ, quæ infundit ei species, quas ipse sine vllo labore tũc recipit. Sed hæc sententia apud Peripat. admittenda non est: dicere potius debemus intellectũ illam habilitatem adeptũ conuertere se, quando vult, ad phantasiam, & absque vllo labore fieri hanc rem, vel illam, quia iam est exercitatus in eorundem phantasmatũ inspectione, & earundem rerũ cognitione; quo fit vt ex phantasmatis oblatione imprimatur in eo statim species intelligibilis, & prometur intellectio, quod ante habitus acquisitionem non eueniebat; nam offerebatur quidẽ phantasma lumine agentis illustratum, non tamen statim intelligebat, quia rudis erat, & ad recipiendum ineptus, & labore, ac cõsideratione indigebat, vt speciem reciperet; quum aũt semel recepit, aptior est ad eandẽ rem iterum intelligendã, mox aũt si aliquantum in illa exerceatur, fit aptus ad eam rem statim, & sine labore in phantasmate inspiciendam, quando

vult. Hæc igitur aptitudo acquisita dicitur habitus quem priùs intellectus non habebat, nec tamen est species intelligibilis, quæ fixa maneat in intellectu post intellectionem, iam enim ostendimus specie cessante intellectione aboleri: sed est solùm maior quædam habilitas, quæ post intellectionem fixa in intellectu manet. Hoc modo intelligenda puto verba Arist. in context. 8. lib. 3. de Anima, quando dicit intellectum in habitu esse adhuc potestate, nō tamen ita, vt erat antequam disceret, aut inueniret: significat enim Arist. potestatē respectu operationis, semp enim intellectus non actu intelligens habet potentiam ad operationem: sed hoc discrimē est, quoniam hæc potentia priùs remotior erat, quando non habebat habitum, postea verò acquisito habitu est facta propinquior: ob id antea dicebamus, non omnino verum esse id, quod Arist. quandoq; exempli gratia sumit, scientiam in animo esse actum primum, speculationem verò esse actum secundum; vtitur enim hoc exemplo non vt vero, sed vt apparente, & ad declarandum primi ac secundi actus discrimen satis accommodato; reuera enim intellectus habet potentiam ad scientiam vt ad actum secundum potiùs, quàm vt ad primum; quando enim post ignorantiam acquirit sciētiam, nil aliud reuera acquirit, quàm intellectionem & speculationem, quæ est actus secundus; acquirit quidem etiam illam operandi habilitatem, ea tamen non est actus primus, nisi impropriè, & per quandam similitudinem, sed actus primus est ipse intellectus, cuius esse operatio dicitur: nā si illa habilitas esset actus primus, non posset fieri intellectio, nisi præsupposita hac habilitate, quoniam actus secundus præsupponit primum; hoc tamen verum non est, quia fit intellectio etiam ante acquisitionem huius habilitatis: igitur intellectus ipse est actus primus, & semper est potestate respectu actus secundi, cum hoc tamen discrimine, quòd illa potestas, antequam acquirat habitum, remotior est, postea verò fit propinquior: quare habitum acquirere non est acquirere actum primum, sed est potentiam ad secundum actum fieri propinquiorē, quàm priùs erat. Hoc possumus declarare exemplo satis claro: manus hominis nascitur ad scribendum apta, & habet hanc potētiam naturalem, valde tamen remotam ab actu scribendi; in principio enim non potest scribere, nec facere illos motus, quib. characteres formantur, at si exerceatur, & laboret, discit scribere, & nunc dicitur habitum scribendi acquisiuisse: quid igitur ex illo exercitio manet [illegible] ? certè ea cessante scribe[illegible] actus in ipsa impressum manet; [illegible] ima in manu remanet, sed sola habilitas, quæ nihil aliud est, quàm aptitudo, & potestas scribendi facta propinquior: sic igitur de intellectu nostro dicendum est; nam in initio cum labore addiscit, aliqua tamen faciliùs aliqua difficiliùs, nec sine magno studio: nam prima principia, & dignitates faciliùs recipit (etenim hæc quoq; à phantasia, & à sensibus recipit) alia verò difficiliùs, & cum exercitio, & labore, & discursu à noto ad ignotum; & is labor modò est maior, modò minor pro rerum varietate; & cognitio illorum, quæ faciliùs apprehenduntur, præparat intellectum ad recipienda alia cognitu difficiliora; & aliqua etiā ita difficilia sunt, vt ipse per se nullo discursu, nulloq; studio illa addiscere possit, sed doctore ea explanāte indigeat. Ad huius aūt rei confirmationem dignus annotatione est locus apud Arist. in contex 59. lib. 2. de Anima, vbi dicit sensum esse naturaliter similē intellectui in habitu: sensus enim nascitur cum potestate operandi ita propinqua, vt nullo doctore, nulloq; exercitio indigeat, sed statim sine labore species sensilium recipiat; ideo si hanc habilitatem, quam sensus naturalem habet, vocaremus habitum, sensus accepisset habitum à generante, non à doctore aliquo: non sic intellectus; non enim cum tali habilitate nascitur, sed laborandum illi diu est vt eam adipiscatur; talis igitur est intellectus postquā acquisiuit habitum, qualis est sensus natura, proinde cum eo tantùm discrimine, quòd illa habilitas in intellectu est acquisita, in sensu autem est naturalis, sed ipsa secundùm se cōsiderata habilitas eadem est: quemadmodum igitur in sensu nulla nascitur impressa species obiecti, & nihil illius actus, qui recipiendus est, sed mera habilitas, & aptitudo, & potentia operationi proxima: sic in intellectu hic habitus nullam significat impressam speciem, sed solam habilitatem, & aptitudinem ad speciē statim recipiendā. Si quis aūt quærat, quidnā sit hæc habilitas, quę vocatur habitus, ego arbitror esse qualitatem: quamuis enim Arist. in 7. Physic. à 17. ad 20. vsq; contextū dicat habitus esse relationes, tamen rei veritas est, habitum notare naturā absolutā, quæ simul essentialiter respectum contineat; quocirca sunt & in categoria qualitatis, & in categoria relatiuorum, alia tamen & alia ratione; id enim quod habent absoluti, qualitas est. In genere autem qualitatis, an ad primam speciem, an ad secundam pertineant, non est clarū: quum enim sint quædam aptitudines ad operandū, videntur ad secundam speciem pertinere, quę est potentia, vel impotentia; attamen Aristoteles omnes habitus in prima [illegible] casse videtur. Ego dicen[illegible] tandi habilitate[illegible] locatas

Intellectus in habitu est similis sensui.

Quid sit habilitas.

tim in prima, partim in secunda specie qualitatis; habent enim hoc discrimen, quòd aliæ sunt naturales, aliæ verò acquisitæ: quando igitur sunt naturales, Arist. eas in secunda specie collocauit, quam ob id vocauit naturalẽ potentiam, aut impotẽtiam: quando aũt sunt acquisitæ, vocantur habitus, & pertinent ad primam speciem qualitatis; ideo habilitas vi dendi, quæ in oculo est, licèt similis sit habitui intellectus, non tamen vocaretur habitus, quia est qualitas connata, ideo ad secundam B speciem qualitatis pertinet: potentia verò intelligendi in intellectu duplex cõsiderari potest, vna propinqua, altera remota, & illa quidem, quæ est remota, pertinet ad secundã speciem qualitatis, quia connascitur intellectui, sed facta propinquior vocatur habitus, quia est habilitas per multiplicatos actus acquisita, ideo hæc sola ad primam qualitatis speciẽ pertinet; hanc de habitib. intellectus esse Arist. sententiã arbitror, per eam enim omnes C difficultates tolluntur. Sed aliqui recẽtiores, qui species impressas negarunt, & illam, quã diximus, habilitatem non cognouerunt, ad phantasmata confugerunt; quonrã alium modum, quo habitus intellectuales seruarentur, inuenire non potuẽre; dixerunt enim eatenus seruari habitus, quatenus phãtasmatum imagines in memoria seruantur, à quibus potest intellectus intellectionem recipere, quandocunq; ad phantasiam se conuertere vult. Sed D hæc sententia recipienda nõ est, quia hoc dicentes non possunt interpretari verba Arist. in cont. 8. lib. 3 de Anima, quando inquit, intellectum in habitu maiorem habere operandi potestatem, quàm priùs: etenim si nihil penitus in intellectu manet, quæ eorum sententia est, certè habet potestatem æquè remotam, ac priùs habebat; quare nisi cõcedamus in intellectu illam habilitatem ex iterata operatione cõparatam, neq; interpretari Arist. possumus, E neq; ostendere quinã sint habitus intellectuales, quia secũdùm istos nullus in intellectu habitus ponitur, sed solùm in parte animæ sensibili; quare nullam afferre rationẽ possumus, cur cognitio rerum naturalium sit magis in animo Philosophi non contemplantis actu, quàm in anima hominis idiotæ, quum phantasmata rerum particularium æquè in vtriusque animo esse possint; quamobrem nisi dicamus intellectum Philosophi maiorem habere aptitudinem contemplandi vniuersalia, F & rerum essentias, quàm intellectum hominis idiotæ, nullam afferre possumus rationẽ, cur magis ille, quàm hic, habeat in animo sci[illegible] [illegible]ralem fixam tanquam habitum. [illegible] ille dicentes nullam intellectui [illegible]buere possunt, quum nos ali[illegible] [illegible] intellectionem

Potentia ad intellectionẽ est duplex.

Recentiorum opinio.

memoriam concedamus; habitus namq; illi aptum intellectum reddunt ad rem oblatam statim absq; vllo labore intelligẽdam, vt quũ fixi in intellectu sint, nomine memoriæ appellari possint: ita enim celerem, & facilem esse operationem intellectus habitibus præditi certum est, vt instar conceptus impressi esse videatur, nec alio modo, quàm hoc, Ioãnes Baconius memoriam intellectiuam in homine concedere potest, quum specierum impressionem omnino neget. Si quis autẽ quærat, quęnam memoria animæ humanæ separatæ attribuenda sit, de hoc nihil prorsus enũciare iuxta Arist. possumus, quum ipse animam humanam à corpore separatam nullibi considerasse comperiatur, ita vt non absque ratione dubitauerint multi, an talem separationẽ cognouerit. Secundùm veritatem autem Theologos consulere oportet; certum quidem illud est, alium in eo statu esse intellectionis modum: & quemadmodum tunc non amplius à phantasmatibus obiectum recipiendo intelligit, neque vllas species recipit, quæ sint accidentia distincta ab eius substãtia; ita perennem rerum memoriam ipsum habere credendum est, quæ ab intellectione non distinguatur: attamen hoc statuere instituti nostri non est, ideo rem hanc vt à proposito alienam ad Theologos nostros integram remittimus.

Memoria intellectiua secundum Arist.

Omnium vtriusq; sectæ argumentorum consideratio & solutio. Cap. IX.

Svperest vt omnia vtriusq; sectę argumenta perpendamus, & quantum roboris habeant, consideremus. Primum argumentum, quo prior secta impressas species ostendebat, totum est concedendum; quoniam eo nil aliud probatur, quàm speciei impressio, quã & nos concedimus, at non ostenditur eius permanentia post intellectionẽ. Ad secundum sumptum ex habitibus intellectualibus neganda est consequentia; iam enim diximus habitum non esse speciem impressam, sed esse habilitatem, & aptitudinẽ operandi faciliùs, quàm priùs; dicimus enim scientiam naturalem eatenus seruari tãquam habitum in animo scientis, quatenus seruatur illa aptitudo cognoscendi statim res naturales in phantasmatib. in memoria seruatis, & intellectui oblatis à phantasia imaginante: ideo scientia vniuersalis non remanet actu in animo vt vniuersalis, sed potestate maximè propinqua in suis causis, quia seruantur in memoria imagines particulares, & in intellectu aptitudo ab[illegible]strahendi vniuersalem ab[illegible] difficultate; hanc enim sign[illegible] contex. 8. lib. 3. de Anima non [illegible] quem intell[illegible] doru[illegible]

Ad primum prioris sectæ.

Ad secundũ.

habitum prædictum esse actum primum, & operationem esse actu secundum respectu habitus; hoc enim verū non est propriè loquendo, sed solùm per quandam similitudinem; ipsa enim substantia intellectus est actus primus, contemplatio autem, & scientiæ acquisitio est actus secundus; Arist. autem hoc exempli gratia sumpsit, & crassa Minerua considerauit, quoniam exemplorum veritas exactè quærenda nō est. Sed hoc etiam concesso nullius roboris argumentum est, quia nō est necessarium, vt actus primus præcedat tempore actum secundum; nam anima vegetans simul incipit esse, & operari; graue in sublimi genitum quo momento incipit esse, eodem incipit deorsum ferri; ignis simul atq; est genitus, calefacit: itaq; adeo validum est argumētum, vt eius tantum propositio neganda sit. Ad testimonia autem Aristot. in pluribus locis nulla opus est responsione, quia per illa non ostenditur specierum permanentia post intellectionem, sed sola ostēditur impressio, quam nos cōcedimus. Posterior verò iecta primùm argumentabatur ex verbis illis Arist. in contex. 5. lib. 3. de Anima [*intellectus nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat*] quæ significant nullam speciem præcedere intellectioni, quare hoc argumento non impugnatur impressio speciei, sed sola præcessio: videtur tamen solui posse dicendo Aristot. ibi considerare primam apprehensionis originem, quæ fit in pueris; puer enim priùs intelligendo acquirit habitus, qui postea in eo seruantur, & præcedunt alias sequentes intellectiones, non illam primam. Sed reuera argumentum contra priorem sectam efficax est, quia secundùm illos species impressa ante intellectionem requiritur vel tanquam obiectum mouens, vel alio modo tanquam causa; sic enim intellectio fieri non potest, nisi impressa iam species esse statuatur, impressa autē specie factus est intellectus res illa, vt Aristot. asserit in cōtex. 8. eiusdem libri, quare antequā aliquid intelligat, est aliquid eorū, quæ sunt, quod in eo contex. 5. Arist. negat. Secundum argumentum erat: sufficit species expressa, ergo frustra ponitur impressa: hoc dirigitur ad impugnādam speciei impressionem, & facilè soluitur; perinde enim est, ac si quis dicecet, ignis agens sufficit ad vrendū lignum, ergo frustra ponitur in ligno generari aliā formam ignis: inefficax enim argumentum est, quum potiùs contrarium ex eo colligatur, nam si ad lignum vrendum sufficit: ergo in eo producit aliam formam ignis; nisi enim producat, certè vel non agit, vel non sufficit: sic igitur dicimus phantasma illustratum sufficere ad mouendum intellectum, ideoque

Ad quartū.

Ad primum posteriorū sectā.

Ad secundū.

A producere in eo speciem, quia hanc non producere esset nihil agere, vel non sufficere: ideo repugnantia inest in hoc argumento, si bene perpendatur; sed deceptio in hoc consistit, quod putant speciem in intellectu poni tanquam causam intellectionis, vt eam alij ponebant, aduersus quos fortassis efficax argumentum est: nos verò speciem in intellectu ponimus tanquam effectum à phantasmate productum, non tanquam intellectionis causam; quare argumentum contra nos inane

B redditur. Tertium argumentum erat: si darentur species in intellectu impressæ, daretur memoria intellectiua: ad hoc quid respōdendum sit, iam dictum est superius; validum enim est aduersus ponentes specierum permanentiam post intellectionem, sic enim propriè intellectiuam memoriam omnino negamus secundùm Aristot. qui memoriam sum-

C ptam pro impressione imaginis non concessit, nisi in parte animæ sensibili: sed aduersus sententiam nostram de habitibus nullius roboris argumentum est; nam si quis dicat, his habitibus positis daretur memoria intellectiua, nos hoc concedimus, quoniam sic acceptam memoriam ipse quoque Aristotel. non negaret. Ad quartum, quod impressioni tertia gari videtur, dicimus formam non esse quidem receptiuam accidentis materialis, sed

D esse tamen receptiuam spiritalis, formam scilicet informantem materiam, & constituentem aliquid in specie sub corpore naturali, qualis est in homine anima rationalis; nam de forma abiuncta à materia concedimus eam nullius accidentis subiectum esse posse. Postremum argumentum nullius prorsus momenti est, nititur enim fundamento inter Philosophos maximè controuerso, & ab omnibus solui facilè potest: Alexander enim & il-

E li, qui eius sententiam sequuntur, minorem negarent: sed alij interpretes Aristot. qui animam rationalem etiam secundùm Aristot. immortalem esse affirmant, negarent maiorem; dicerent enim substantiam quidem æternam, & ab omni materia abiunctam, accidentia mutabilia recipere non posse; at substantiam æternam vt corpori caduco alligatam, & ab eo pendentem (vt aiunt) obiectiuè, cuiusmodi est anima rationalis humana, posse absque

F vlla absurditate recipere accidentia caduca, & mutabilia, quum enim moueatur à phantasmatibus tanquam ab obiectis, & phantasmata mutabilia sint, ipsa quoque ab eis recipit affectiones nouas, atque mutabiles propter mutationem agentis, à quo producuntur: quare argumentum iuxta omnium sententias debile est.

Ad tertium.

Ad quartū.

Ad quintū.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, Liber

DE MENTE AGENTE.

Propositio, ac dispositio dicendorum. *Cap. I.*



RAETAR humanam mẽtem, quę patibilis dicitur, censuit Arist. necessariam esse alteram mentem agentem, sine qua nequeat in homine intellectio fieri, ea ductus ratione, quòd vbi est aliquod patiens, quod in aliquo genere omnia recipere, & omnia fieri aptum sit, necesse est vt illi respondeat agens, quod illius generis omnia facere possit: quoniam igitur humana mens patiendo intelligit, & apta est omnia intelligere, proinde omnia pati, & omnia fieri; necesse est aliquod illi agens respondere, quod omnia intelligibilia faciat, idq; non esse nisi mentẽ: quo fit vt duæ in humana intellectione mentes considerandæ sint, vna patiens, de qua nos in alijs libris egimus, altera verò agens, de qua in hoc libro agẽdum nobis proposuimus; etenim tum ob eius dignitatem, tum ob summam difficultatem, tum etiam ob ipsius in humana intellectione necessitatem dignissima res est, quæ accuratè tractetur, ac declaretur. Duo autem sunt, in quibus tota est huiusce rei difficultas constituta: vnum, quid sit hæc mens agens, an sit pars alíqua animæ nostræ, nécne, & quę sit eius natura; alterum verò quænam sint eius officia in nostra intellectione, nam ipse quoq; Arist. hęc vtraque de mente agente in 3. de Anima libro tractasse comperitur; & quamuis ordine naturæ dicendum priùs esset de ipsius essentia, postea verò de officijs, tamen in hoc quoque Aristot. imitati de officijs priùs agemus, deinde verò de eius natura; progrediendum enim semper est à facilioribus, & ab ijs, quorum cognitio ducere nos faciliùs in aliorum notitiam possit; cognitis enim huius intellectus officijs, faciliùs quid ipse sit indagare, atque inuenire poterimus, quod etiam Aristot. mouit, vt priùs de ipsius in humana intellectione officijs, postea verò de essentia loqueretur ... omnia protestari velim ... principio tãtùm phi-

A aliud in his omnibus libris consilium meum sit, quàm quid senserit Aristoteles, inuestigare, & eius sententiam, quantum in me est, planam, & manifestam reddere.

De officijs intellectus agentis variæ opiniones. *Cap. II.*

CErtum est officium mentis agentis esse agere, hoc est, trahere de potestate ad
B actum, sed in quodnam agere dicatur, & quomodo, obscurissima res est, & maximè controuersa: alij nãq; dicunt ipsam agere in phãtasmata, non in mentẽ patibilẽ: alij in mentem patibilẽ, non in phantasmata: alij verò in ambo simul. Prima sententia Latinorũ fuit, præsertim D. Thomæ, qui in lib. 3. de Anima, *Thomas.* & in 1. par. Sum. quæst. 79. art. 3. & 4. & in quæstionib. disputatis de spiritalib. creaturis, ar-
C tic. 10. & de anima artic. 4. & 5. quibus in locis fusissimè de hac re loquitur, asserit rationem agentis in hoc esse constitutã, vt agat in phantasmata: eiusdem sententiæ est Ioan. Bacconius in 1. Senten. quęst. 2. prologi, vbi dicit of- *Ioan. Bacconius.* ficium intellectus agentis esse propter phantasmata, & totam eius actionẽ in phantasmatibus terminari, neque vlterius progredi. Pro hac opinione videtur argumentũ sumi ex ver- *Argumentum aliorum.* bis Aristot. in context. 18. lib. 3. de Anima, vbi
D declarans officium intellectus agentis inquit ipsum esse sicut lumen; nam lumen facit colores, qui potestate sunt, esse actu colores: quemadmodũ igitur lumen non agit in oculum, sed in obiectũ colorem, & ipsum ducit de potestate ad actũ; ita intellectus agens agit in phantasmata, non in intellectũ patibilem, ideo potest inde colligi argumentum tale, officium omnis agentis est trahere de potestate ad actum; sed Aristor. hoc officium tribuit in-
E tellectui agenti ratione obiectorũ, facit enim de intellectis potestate actu intellecta; ergo in phantasmata agit, non in intellectum patibilem. Contrà verò Simplicius videtur eã to- *Simplicius* tam actionem tribuere respectu intellectus patibilis; putat enim vtrũq; esse vnam & eandem substantiam, & vnum intellectum, qui vt in se manens dicatur agens, & vt progressus ... patibilis; quoniã ipse vt in se ma-

te ad actum, de imperfectione ad perfectionem. Hanc sententiam Auerroes in Cōment. 5. lib. 3. de anima Themistio attribuit, attamē non satis liquet Themistium fuisse huius opinionis. Hanc eandem sequitur Ioānes Gandauensis in quaest. 24. 25. lib. 3. de Anima, vbi totā actionē intellectus agentis inquit esse in intellectū patibilem, non in phantasmata, & ipsum in intellectu patibili producere actum intelligendi. Pro hac sententia sumitur argumentum ex Arist. in cont. 17. eiusdem lib. vbi ex eo quòd detur intellectus patiēs, infert dari etiā intellectum agentem, propterea quòd omni patienti respondet aliquod agens: vult igitur Arist. intellectum agentem dari propter intellectum patientem, & vt agat in eum; ratio nāque illa vana esset, nisi agens ageret in illudmet patiens cui respondere debet; hoc idem Arist. exēpla declarant; inquit enim intellectū agentem ita se habere ad intellectū patibilē, vt ars ad materiam se habet, ars autē in materiā agit; ita materia prima est patiens, in quod agunt omnia agentia naturalia; quare etiam intellectus patibilis dicitur patiens respectu intellectus agentis & nomē quoq; ipsum hoc ostendit; non enim phantasmata vocauit patientia, sed ipsum patibilem intellectum, in hunc itaq; voluit agere intellectum agētem. Auerroes autem varius fuisse videtur: quandoq; enim asserit actionē intellectus agentis requiri propter intellectum patibilem, vt ipsum ad actū ducat, atq; perficiat; quandoq; ptopter phātasmata, vt ea trāsferat de gradu in gradum, hoc est, de materialibus faciat immaterialia, & de intellectis potestate actu intellecta: quare videtur Auerroes existimasse officium intellectus agentis sequiri propter vtramq; actionem, ductus fortasse vtrisq; argumentis ex verbis Aristotel. sumptis, quibus duas priores sectas vsus esse diximus; nam Aristot. in context. 17. lib. 3. de Anima dicere videtur intellectum agentem agere in intellectum patibilem, deinde in 18. videtur asserere ipsum agere etiam in phantasmata. Ideo sententiā hanc nonnulli recētiores sequuti sunt, qui eam magis declarantes dixerunt, intellectum agentē esse idem re cū intellectu patibili, & esse cognoscentem, & eatenus in illum agere, quatenus tribuit illi cognitionē, vt hac ratione dicat intellectionē producere, quia intellectui patibili tribuit cognitionē, quam ipse agens priùs habebat. Hæc sunt, quæ ab alijs dicuntur, à me breuissimè collecta.

Ioan. Gandauensis.

Argumentum illorum.

Auerroes.

Recentiores.

Dictarum opinionum confutatio. Cap. III.

Nos verò aliorum errores patefaciendo simul [illegible] tam rei v[illegible] itatem iuxta Arist. [illegible] entem [illegible] elarabimus. Inprimis à veritate prorsus aberrant illi, qui dicunt intellectum agentem agere in phantasmata: quoniā, vt modo alios considerasse dicebamus, Arist. intellectum agentem inuenit propter intellectum patibilem, & vt in eum ageret tanquā patientem. Sed obstare nobis videntur verba Arist. in contex. 18. quando intellectum agentem cum lumine cōparat, & significat ipsum agere in phantasmata: ijs tāmen verbis bene intellectis tolletur omnis difficultas, & ipsa rei veritas manifesta fiet. Sciendum igitur est, quando dicimus aliquid facere de tali potestate tale actu, verbū illud [facere] ambiguum esse, & posse intelligi duobus modis; potest enim facere vt forma, potest etiam facere vt agens; forma enim humana adueniēs materiæ, facit de homine potestate hominem actu, neque ob id est agens, quia facit hominem ad modum formæ, non ad modum agentis; homo verò generans alterum hominem, dicitur facere hominem tanquam agens: differentia igitur est in hoc constituta, quòd ignis generat alterum ignem, & facit de igne potestate ignem actu, producendo in illa materia alteram formā ignis sibi similem; illa verò altera forma prod[illegible] cta facit de igne potestate ignē actu, non tamen producendo aliam formam, sed vt forma ipsa, quia non id facit vt agens; iungitur enim nihil ipsi rei; at agens generans externum est, neque cum materia coniungitur. Quādo igitur Arist. dicit intellectum agentē facere phantasmata actu intelligibilia de intelligibilib. potestate, nō ob id declarat rationē agentis, quia non id præstat vt agens, sed vt forma; iūgitur enim phantasmatib lumen intellectus agētis tanquam forma, qua reddunt actu motiua, & actu intelligibilia, sicuti lumē iungitur colori tanquam forma, & perfectio, qua redditur actu visibilis, & actu motiuus visus, neq; dicitur lumen esse agens respectu colorum; quia nihil in eis producit vt agens, sed eis iungitur vt forma, per quam totū hoc coniunctum, color illuminatus, cōstituitur in esse obiectiuo, & fit actu motiuum visus: hoc significauit Aristot. in eo ipso loco, dum dixit intellectum agentem facere omnia tanquam habitum quendam; habitus enim formam denotat, non causam effectricem, quia efficiens est à patiente disiunctum, forma verò iungitur materiæ recipienti, & habitus rei habenti habitum; sic lumen coloribus hęret vt forma, & perfectio, neq; ad eos se habet vt agens ad patiens. Non est igitur verum id, quod prima secta dicit, intellectū agentem agere in phantasmata, & argumentum eorum nullius roboris est. Decepti etiam sunt illi, qui putarūt intellectum agentem agere in intellectum patientem tanquam agens distinctum à phantasmatibus, quod extra phantasmata agendo

Solutio argumenti.

Facere aliquid vel fœmitur ad modum formæ, vel ad modum agentis.

Confutatio opinionum Simplicij, & aliorum.

perficiat intellectum patientem, & ipsi tribuat A intellectionem: hoc enim dato sequeretur intellectum patientem posse etiam sine phantasmatibus intelligere, nempe sumendo cognitionem immediatè à solo agente; id tamen Aristot. aduersatur, qui in contex. 30. & 39. lib. 3. de Anima apertè dicit, fieri nunquam posse vt intellectus intelligat, nisi phantasma aliquod speculando: quare secundùm Arist. omnis nostra intellectio fit ex motione facta à phantasmatibus. Imò non solùm falsum est id, quod B dicunt, intellectum agentem tribuere patienti suam cognitionem, sed neq; ea ratione, qua est agens, est intelligens: quamuis enim necessario consequatur vt sit mens aliqua, & actu intelligens, tamen ea ratione, qua est agens, nihil formaliter intelligit, sed solùm effectiuè, quatenus in homine intellectionem producit: quomodo autè id faciat, postea declarabimus, & ostendemus intellectum agentem esse quidem semper intelligentem, agere tamen non vt intelligentem, sed vt intelligibilem: falsum id quoq; est, quod Gandauensis dicit, intellectum agentem in intellectu patiente producere actum intelligendi: postea enim ostendemus intellectum patibilem sufficientem sibi esse ad promèdam intellectionem sine ope intellectus agentis. Quocunq; igitur modo dicatur intellectum patibilè pati ab intellectu agente, tanquã ab agente distincto à phantasmatibus, & tanquã à cognoscente, falsum est, & ab Arist. alienum. Quum autem vtraq; hæc secta errauerit, errauit etiã tertia, quę vnum cum altero errorem coniunxit, vt considerantibus manifestum est.

Intellectus agens non agit quatenus intelligens.

Vera sententia de actione intellectus agentis. Cap. IV.

De actione igitur mentis agẽtia ego hãc esse puto veritatem iuxta Arist. opinionem, vt agere dicatur intellectum patibilem, non in phantasmata, sed phantasmatibus iungatur vt forma constituens obiectum motiuum intellectus patibilis: clarum hoc est considerantib. argumentum Arist. in cont. 17. eius libri: ibi namq; constituto intellectu patiente colligit mentis agentis necessitatem, quia nihil imperfectum, & tale potestate vult in sua imperfectione manere, sed ad perfectionem ducatur necesse est; nõ potest autem semetipsum perficere; ergo requirit agens, à quo perficiatur, ducaturque de potestate ad actum: agit ergo mens agens in mentẽ patientem, non in phantasmata, sed eis iungitur vt forma. Vnde colligimus, quomodo agat in intellectum patibilem: nõ enim agit vt solus, & vt agens distinctum à phãtasmatibus, tum quia sequeretur posse absq; phantasmate intellectionem fieri, tum etiam quia agit vt habitus, & forma phantasmatum: agit igitur vt iunctus phãtasmatibus, ita vt ex vtrisq; vnum constituatur obiectũ perfectum, & potens in intellectu patibili speciem producere: quare vnum tantum est agens, ipsum phantasma, lumen verò intellectus agentis non est agens separatum, sed est perfectio phantasmatis, quæ constituit obiectum perfectum, & potens mouere intellectum patibilem. Ideo rectè est illorum sententia, qui dicunt intellectũ agentem esse agentẽ vt intelligibilem potius, quã vt intelligentem; quia si debet reddere phantasma actu intelligibile, oportet ipsum per se esse actu intelligibilem, quemadmodum etiam lumen, quatenus est per se visibile, non quatenus videns, reddit colorem actu visibilem: est quidem necessarium, vt ipse quoq; sit intellectus aliquis, quia omne actu intelligibile est intellectus; non in hoc tamen cõsistit ratio agentis, sed in eo quòd sit actu intelligi C bilis: hoc autem non ita accipiendum est, vt dicamus ipsum ita intelligibilem esse, vt à nostro intellectu intelligatur secũdùm propriã naturam, & quatenus est quædam substantia abiuncta à materia; hoc enim fortasse est vltimum, quod à nobis cognoscitur: sed catenus dicitur agens vt intelligibilis, quatenus est ratio intelligibilitatis aliorum, id est, quatenus est actus, & perfectio, qua cætera redduntur intelligibilia; proinde dicitur intelligibilis, D non quod ipse intelligatur, sed quòd per ipsum alia intelligantur; sic enim & lumen vnà cum colore locum habet vnius obiecti visibilis, & mouentis; non enim quòd ipse Sol, seu eius lumen videri separatim dicatur, sed quia est ratio, qua colores sunt actu visibiles. Facultas igitur passiua intellectus patibilis non respicit aliud agens, quàm obiectum phantasma; sed hoc nõ potest agere, nisi ab intellectu E agente perficiatur, & fiat obiectum actu motiuum: quare intellectus agens est forma, qua obiectum fit actu obiectũ, proinde respicit obiectum vt forma, patibilè verò intellectũ vt agens, non quidem agens separatum, sed vt forma constitutiua agentis. Hæc est absque dubio sententia Arist. quam ipse magno cum artificio significauit: nam in contextu illo 17. docuit rationem agentis esse respectu intellectus patibilis, deinde in 18. modum actionis F declarauit, ne intelligeremus esse agens distinctum ab obiectis; cõparauit enim vt iunct intellectum cũ obiectis dicens, hic fit omnia, ille verò omnia facit, id est, facit esse actu intelligibilia; facit autem vt habitus quidam, id est, vt forma & perfectio, quæ obiectis iuncta constituit obiectum actu & perfectum, quemadmodum [illegible] clarauimus.

Intellectus agens agit vt intelligibilis.

An [illegible]

An intellectus agens iungatur phantasmatibus in phantasia existentibus, an in intellectu patibili receptis.

Cap. V.

Quaestio explicatu digna hic oritur, quū intellectus agens iungatur phantasmatibus vt forma, an eius iūgatur in phantasia, an postquam in intellectu patibili recepta sunt. Dicunt aliqui nō in phantasia hanc coniunctionem fieri, sed lumen agentis phantasmatibus iungi, & ea perficere in ipso intellectu patibili: quod probant argumento tali: officiū intellectus agentis requiritur propter quidditates, quae in phantasmatib. latent; has enim facit actu intelligibiles; ergo si in phātasia phantasmatibus iungeretur, phantasia cognosceret quidditates; & vniuersalia, quod nemo vnquam dixit; non potest igitur intellectus agens munus hoc exercere, nisi in phantasmatib. iam in intellectu patibili receptis. Confirmant per illa, quae ab Aristot. dicuntur in contex 10. lib. 3. de Anima; ibi enim inquit, intellectum à solo sensitiuo recipere carnem, id est, totum cōpositum singulare, absq; vllo auxilio intellectus agentis; ergo phantasmata sunt per se ipsa sufficienter praesentia intellectui patibili: vt ab eo apprehēdantur tanquā confusae quaedam conceptiones singularium, per eas tamen non apprehendūtur quidditates, quia non apparent; sed illis confusis conceptionibus adueniens lumen intellectus agentis resoluit eas in quidditatem, & quidditatem à quidditate distinguit, & facit quidditates de intellectis potestate actu intellectas quae sunt verū obiectum intellectus patibilis; quum igitur requiratur intellectus agēs propter obiectū, h. e. propter quidditates, vt eas apparere faciat, & hae non cognoscantur nisi ab intellectu, oportet lumē agentis iungi phātasmatibus in intellectu, non in phantasia. V. tuntur etiā ad hoc declarandum exēplo tali: si velimus in statua cernere aliquas minutissimas lineas, apponimus statuam lumini, vt illustretur, nec quaerimus vt illuminētur oculi, quoniam oculi non egēt lumine, sed obiecto illuminato, vt illa, quę cōfusa erant, appareāt, quia absq; illo lumine videret quidē oculus statuam, at minutissimas illas lineas non cerneret: statua igitur potest per se imprimere in oculo speciem confusam, neq; lumē illud requirit, sed solū requiritur ꝓpter lineas illas, quibus proportione respondent quidditates latentes in phantasmatibus. Haec sententia mihi probari nulla ratione potest, quū per eam tollatur tota ratio agentis: si enim intellectus agens iungitur illis confusis conceptionibus iam rece[...] intellectu patibili, iūgitur po[...]

A concedere videntur, fatentur enim intellectū agentem respectu obiectorum non habere locum agentis, sed formae tantummodò; attamen neq; respectu intellectus patibilis potest habere locum agentis, hoc enim non potest esse alio modo, nisi quòd illae conceptiones ita illuminatae agāt in intellectum patibilem, quod nullo pacto dici potest, iam enim inhaerent ipsi intellectui tanquā formae; quare etiā intellectus agens illis innexus habet locū for B mae vnà cum illis, at forma non agit in subiectū, in quo recepta est; quare intellectus agēs nulla ratione habere locum agentis iuxta illorū opinionem. Miror etiam, quomodo hoc dicere potuerint, quum omnino negauerint species in intellectu imprimi; si enim hoc verū est, quomodo possunt phantasmata & cōfusae illae cōceptiones in intellectu recipi? sic enim reciperentur in intellectu tanquā species distinctae à phantasmatibus, quod ipsi negant, C dum negant species impressas. Ego igitur cogor multorum sententiā sequi, qui dicunt intellectū agentem iungi obiectis nondū in intellectu patibili receptis, sed in phantasia existentibus, quia hoc modo seruatur vera ratio agentis; phantasmata enim sine lumine agentis essent quidem apta ad imprimendā in intellectu patibili conceptionem rei singularis, at non imprimerent speciem quidditatis, nisi essent illuminata ab intellectu agēte, qui dat D eis vim motricem, & productricem speciei quidditatis; facit enim vt in phantasmatibus distinctè appareant omnes naturae, & quidditates, sicuti lumen Solis in statua facit vt appareant distinctè omnes minutissimae lineae, & vt statua sit apta ad imprimendum in oculo non solùm totam imaginem confusam, sed etiā omnes partes, & omnia exilia lineamenta: ideo similitudo ab illis adducta manifestè contra ipsos facit, nam minutissimae illae lineę E in statua non indigent lumine eas illustrante, quando iam in oculo receptae sunt, sed extra oculum, & in ipsa statua; ipsi enim fatentur oportere statuam illuminari, non oculum: sic igitur optimè seruatur ratio agentis, nam agens debet esse externum, vt possit agere in patiens, id verò, quod in ipso patiente recipitur, non est vocandum agens, sed forma. Ad argumenta autem illorum facilè est respon F dere Primum erat; si iungeretur phantasmatibus in phantasia, ergo phantasia esset intelligens, & apprehenderet vniuersalia, & quidditates: ad hoc neganda est consequentia, & ratio negationis sumitur tum à phātasia, tum ab obiecto ipso: à phantasia, quoniam ipsa non est apta cognoscere vniuersale, & quidditatem; quare etiamsi haberet in seipsa speciem vniuersalem, nō eam cognosceret, quia [...] operatio[...]

Aliquorum opinio.

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

Primum argumentum.

nem idonea sit; non potest enim abstrahere v- A niuersale, & ipsum transferre de gradu in gradum: hoc possumus confirmare exemplo coloris, & luminis; lumen enim facit vt color parietis sit actu visibilis, paries tamē habens colorem illum illuminatum nō est videns, quia vim cognoscendi non habet; quare est quidē color ille visibilis, non tamē à pariete, in quo inest, sed ab oculo, cuius motiuus est: sic etiā in phantasia sunt quidditates in phantasmatibus illuminatæ, proinde intelligibiles, nō ta- B men à phantasia, quoniam ipsa hanc vim non habet. Idem ostenditur ratione obiecti: phantasma enim quantumuis ab intellectu agente illuminatum non est formaliter intelligibile, ideo si fieri posset vt idem formaliter acceptū ad intellectum possibilem trāsferretur, non intelligeretur ab eo: quia phantasma illuminatum vocatur quidem actu intelligibile, nō tamen formaliter, sed obiectiuè, nam si ipsummet in intellectu poneretur, non fieret intel- C lectio; sed ideo vocatur intelligibile, quia potest producere in intellectu possibili speciem intelligibilē, quæ dicitur intelligibilis formaliter, quia ipsamet recipitur in intellectu. Hoc quoq; confirmatur eodem exemplo luminis, & coloris: nam color realis, qui in pariete est, licet sit actu illuminatus, & ita actu visibilis, non est tamen visibilis formaliter, sed solum obiectiuè: quia si idemmet realis color illuminatus posset in oculo poni, non videretur D ab eo: ideo actu visibile sumi potest duobus modis: nā coloris species spiritalis in oculo recepta dicitur visibilis formaliter, sed color realis illuminatus visibilis dicitur obiectiuè, sed non formaliter. Leuitas igitur argumenti manifesta est, quia neq; phātasia est apta intelligere quidditates, neq; phantasma illuminatum in phantasia est actu intelligibile formaliter, sed est formaliter imaginabile; intelligibile aūt obiectiuè, quatenus est obiectū potēs E extra phantasiā producere in intellectu speciem intelligibilem. Alterum argumentū sumebant ex cont. 10. lib. 3. de Anima, vbi Arist. dicit intellectū recipere compositum confusum à solo sensu sine ope intellectus agentis: vult igitur phantasmata in phantasia existentia non egere lumine agentis, vt sint actu motiua, sed esse perse motiua absq; illo. proinde lumen agentis non requiri nisi postquā illud confusum in intellectu patibili receptum est, F nempe vt in eo quidditas elucescat. Ad hoc dicimus obiectum illud posse duabus rationibus dici actu motiuum, nempe vel ita motiuum, vt totius tātum confusi speciem imprimat; vel ita motiuū, vt imprimat etiā speciem quidditatis latentis in eo confuso: priore quidem modo inquit ibi Aristot. phantasma esse perse motiuum intellectus nostri absque lumine intellectus agentis, sed nō secundo modo: non est enim ex se ita motiuum, vt possit quidditatem imprimere, nisi illuminetur ab intellectu agente: vult igitur Arist. phantasma illuminari in phantasia, & ita illuminatum imprimere in intellectu speciem quidditatis: quare per hoc argumentum non ostenditur obiectum illuminari in intellectu, sed potius in phantasia; hoc enim demonstrat comparatio, quam ibi Aristotel. facit cum linea flexa; dicit enim cognitionem quidditatis similem esse lineæ flexæ, quatenus lumen agentis fertur priùs ad obiectum in phantasia, deinde cum eo ad intellectum reflectitur.

Intelligibile aliquid dicitur vel formaliter, vel obiectiuè, sic etiam visibile.

De abstractione, an fiat ab intellectu patibili, an ab agente.

Cap. VI.

Dignum consideratione hic est, à quónam fiat abstractio, an ab intellectu patibili, an ab agente: hoc enim cognito, erit plenè cognitū officium intellectus agentis: plurium sententia est abstractionem fieri ab intellectu agēte: nam Latinorū plures hoc dicunt, & Auerroes quoq; apertè id asserit in Com. 18. lib. 3 de Anima, & in calce 20. vbi dicit Aristot. fuisse coactum ponere intellectum agentem propter abstractionem, quia eius actio est abstractio: abstrahit enim à phantasmatib. vniuersale, & ipsum denudat omni materiali cōditione; ideoq; intellectio intellectus patibilis nil aliud est, quàm receptio huius vniuersalis ita abstracti ab agēte; & actio ipsius agentis nil aliud est, quàm abstractio vniuersalium ab omni conditione materiæ, vt moueri possit intellectum patientem: illud igitur, quod vocari solet, facere de intellectis potestate actu intellecta, apud Auerr. est abstrahere, proinde abstrahere est officium solius agentis: citat etiam Auerr. dictum Alexandri, quod apud eum legimus in lib. 2. de Anima in capite de intellectu agente; ibi enim Alexander dicit, non solùm esse necessariam in anima intellectiua vtramq; vim, vnam agendi, alterā patiendi, sed etiam meliùs declarari naturam intellectus per agere, quàm per pati: quod declarans Auerroes dicit intellectum per pati non differre à sensu, sed solùm per agere, quia non datur sensus agens, sed datur intellectus agēs, qui fabricat intelligibilia, quod dicitur abstrahere. Hæc sententia recipienda non est, & impugnatur efficacissimè argumēto Ioannis Gandauēsis, licèt ipse ad aliud demonstrandum eo abutatur; nam probare volens intellectum agentem non agere in phantasma, & eis nihil tribuere, ita argumentatur, intellectus agens, si phan[illegible] illuminat, æquè omnia in eis existe[illegible] omnia intelligibilia faci[illegible]

Auerroes & Latinorum opinio.

Confutatio[illegible]

expoliare alijs, & ab eis separare, & facere vt vnum sine alio intelligatur; quemadmodum lumen picturam aliquam feriens facit æquè omnes eius colores esse visibiles, æquè omnes illustrat, nec facit vt vnum videatur sine alijs: ergo intellectus agens nihil phantasmatibus tribuit, & nihil in eis operatur. Sed hæc consequentia reuera inefficax est, & Ioannes fallaciam cōmittit à secundùm quid ad simpliciter: quia hoc argumentū probat quidem intellectum agentē non separare, seu abstrahere vnum ab alio, quoniā æquè illuminat totū phantasma, & omnia, quæ in eo sunt: proinde est efficacissimum ad probandum q intellectus agens non possit facere abstractionem, quū nihil aliud sit abstractio, quàm separatio vnius ab alijs, & acceptio vnius non acceptis alijs: at non probat intellectum agentem nil prorsus in phantasmatibus operari; operatur enim aliquid necessarium pro abstractione, licèt non faciat ipse abstractionem, vt mox declarabimus: quando enim rem aliquam ab alia re abstrahere volumus, & eam sumere nō sumpta illa alia, certū est necessarium esse vt vnam ab alia distinctā habeamus: quia si confusæ & cōmistæ sint, id facere minimè possumus; vt si nobis offeratur aqua vino cōmista, non est in nostra facultate accipere vinum nō accepta aqua, quod dicitur abstrahere: quòd si quispiam aliquo artificio vinū ab aqua separaret, ita vt vtraq; distincta inspicerentur, facilè nobis esset vnum accipere relicto altero: duo igitur actus cōsiderandi sunt; vnus est actus distinguendi rem à re, vt distinctè appareant: alter est actus accipiendi vnam dimissis alijs: qui duo actus ad eundem intellectū pertinere nō possunt, sed vnus ad agentem, alter ad patientem: quia si abstrahere est accipere vnum dimissis alijs, certè non intellectus agentis officium est, sed patientis, hic enim quidditatem intelligit in phantasmate emicantem, & eam accipit absq; conditionib. materiæ, & absq; alijs, quæ in eo phantasmate sunt, & sic eam ab alijs abstrahere dicitur: at facere id non posset, nisi priùs omnia in phantasmate distincta apparerent, quæ distinctio est opus intellectus agentis: huius enim lumen phantasmati adueniēs omnia, quæ in eo sunt, æquè illuminat, & facit vt distinctè omnia appareant, vt in phantasmate equi facit vt distinctè appareant natura corporis, natura viuentis, natura animalis natura equi, natura quantitatis, & natura qualitatis, & sic alterum accidentium: hæc enim omnia in eo phantasmate cōfusa & indistincta erant, sed ab agente illustrata offeruntur patibili intellectui clara, atq; distincta, vt ipse ea omnia intuens possit contēplari id, quod [illegible] totum confusum, quā singula[illegible] eam

In abstractione duo sunt consideranda.

A omissis alijs intelligere: hoc idem in colorib. euenit; quando enim debile est in aëre lumē, videmus confusè picturam totam, sed colorū distinctionem non videmus; adueniente autem Solis lumine distincti apparent omnes colores, & omnes tenuissimæ lineæ, nosq; liberi sumus, & apti ad intuendum in ea pictura quicquid volumus dimissis alijs: nam primo loco totum confusum inspicimus, postea ad singulas particulas conuertimur, & intue-
B mur modò hāc sine illa, modò illam sine hac, & hoc visus ipse facit, non lumen, siquidem lumen illustrat solùm, atque distinguit, visus verò inspicit hanc partem sine illa, & illam sine hac: ea tamen à philosophis abstractio nō appellatur; quia vt dicatur ꝓpriè abstractio, non satis est si vna res sine alia accipiatur, sed oportet etiam vt de ordine in ordinem transferatur: quod in visione non euenit; oculus enim rem hanc accipiens videndam sine alijs
C non ob id eam transfert ad alium ordinē rei cognoscibilis, quia ibi omnia sensilia sunt, tā totum, quàm partes: at intellectus abstrahens transfert rem de ordine in ordinē, seu potiùs talem translationem factam præsupponit, fit tamen re vera translatio hęc ab agente, qui illustrans facit rem è sensili intellectilem, deinde patibilis intellectus eam accipit, & ita abstrahere dicitur: in hoc igitur differt intellectus agens à lumine, q lumen nō transfert co-
D lores ad alium gradum cognoscibilitatis, at intellectus agens facit è sensili intellectile. Ex his igitur patet error Auerr qui putauit abstractionem esse munus intellectus agētis: patet etiam error Ioannis Gandauensis, qui ex hoc colligebat intellectum agētem nil tribuere phantasmatibus; tribuit enim reuera lumen distinguens, sed nullam electionē facit: hæc enim fit ab intellectu patiente, diciturq; formaliter abstractio, quum actio intellectus
E agentis non sit abstractio, nisi antecedenter, quia necessariò præcedit abstractionem.

Nota qua dicatur a philosophis abstractio.

Solutio dubij aduersus ea quæ dicta sunt. Cap. VII.

SEd aduersus hæc dubium oritur; si enim abstrahere esset munus intellectus patibilis, ergo esset pati, quia officiū intellectus patibilis est pati; id tamē videtur esse falsum, & repugnare propriæ huius vocis significa-
F tioni, nam abstractio actionem potiùs, quàm passionem significat: quod argumentum mihi videtur Auerroem mouisse ad dicendū abstractionem esse operationem intellectus agentis. Ad hoc dicimus, verum quidem illud esse, quod ex vi vocabuli sumitur, abstractionem esse actionem, sed negandum esse, patibilis intellectus officiū esse solùm pati; quia licèt Aristot. dixerit intelligere esse pati, quia

Intellectus noster in cognoscendo agit.

secundùm originem est pati, & faciliùs ad cognoscendam eius naturam ducimur per pati, quàm per agere, tamen intelligere est etiam agere; nam cognoscere non in sola specierum receptione, quæ passio est, consistit, sed etiam in receptarū iudicatione, quæ est actio; quare patibilis intellectus speciē quidem recipiendo patitur, sed eam iudicādo agit, & ita agendo dicitur abstrahere, quò fit, vt intellectio dicatūr actio immanens, quia fit ab ipso patibili intellectu, & ipsomet recipitur. Hoc significare voluit Alexander in loco ab Auerroe citato, quando dixit intellectum humanum magis declarari per agere, quàm per pati, hoc est, eius naturam ratione operationis magis in actione, quàm in passione esse cōstitutam: quem locum non intelligens Auerroes traxit ea verba ad intellectum agentem, quasi Alexander dicere voluerit intellectum agentem obtinere in anima humana præcipuum locū, & patibili intellectui antecellere, non quidem tempore, sed dignitate, quia nobilius est agere, quàm pati. Attamen Alexander ibi non de illa actione loquitur, quæ attribuitur intellectui agenti, sed de illa, quæ est propria intellectus patibilis, & est speciei receptæ iudicatio; vult enim ijs verbis significare cognitionem magis in iudicatione, quàm in receptione cōsistere: nam si receptio tempore iudicationem præcederet, vtique clarum esset intellectionem esse formaliter iudicationē, non receptionem, nisi antecedēter; sed quum simul tempore receptio, & iudicatio fiant, dicimus intellectionem esse simul passionem, & actionem, sed magis in actione, quàm in passione cōsistere. Ex his colligimus errorem illorum, qui dicunt officium esse intellectus agētis producere in intellectu patibili actum intelligendi; hoc enim falsum est, quoniam actus intelligendi producitur ab ipsomet intellectu patibili, dum receptam speciem iudicat; agens verò non iudicat, neque iudicium producit, sed id solum præstat, quod antea diximus; iunctus enim phantasmati ipsum aptum reddit ad speciem quidditatis in intellectu patibili imprimendam: propterea si intellectio esset sola receptio in intellectu patibili, absque dubio dicendum esset ab intellectu agente vnà cum phantasmate produci actum intelligendi in intellectu nostro, quum species impressa idē sit, quod intellectio: sed quoniam intellectio non est sola receptio, sed etiam iudicatio, imò est præcipuè iudicatio, & hæc fit à solo intellectu patiente, siquidem ipse ad iudicandam speciem est sibi sufficiens ex propria sua natura sine ope intellectus agentis; ideò non dicimus intellectum agentem producere intellectionem in intellectu patiente [illegible] neque solus facit, atque

Auerrois error.

Intellectus agens nō producit actum intelligendi.

phantasmatibus iunctus, nisi vt causa remota, & antecedens; causa enim proxima, & æquata est ipsemet patibilis intellectus, qui ex sua natura speciem receptam iudicat.

Collectio officiorum intellectus agentis, septem propositionibus.

Cap. IIX.

Quæ igitur sint officia intellectus agentis in nostra intellectione, satis ex ijs quæ diximus, manifestum est: vt autem omnia quæ hactenus declarauimus, breuiter colligamus, tota rei veritas iuxta Aristot. sententiam in his septem assertionibus iam à nobis satis superq; demonstratis constituta est. Prima assertio est: intellectus agens respectu obiectorum non est agens, sed perfectio, & forma, quæ ipsis phantasmatibus iuncta perficit ipsa, & facit vt sint obiectum actu, hoc est, idoneum ad mouendum intellectum patibilem. Secunda est: intellectus agens iungitur obiectis extra intellectum patibilem, videlicet vt in phantasia existentibus. Tertia est: intellectus agens dicitur agens respectu intellectus patientis, quia in ipsum solum agit. Quarta est: hic intellectus non ita agit in intellectum patibilem, vt sit agens distinctū, & seiunctum à phantasmatibus, sed vt actus phantasmatum, ita vt ex phantasmatibus, & intellectu agente constituatur vnum agens imprimens in intellectu patibili speciem vniuersalis, & quidditatis; quia phantasmata proprijs viribus non essent apta ad imprimēdam aliam speciem, quàm singularis cōfusā. Quinta, quæ ex hac quarta deducitur, est: intellectus agens est agens vt intelligibilis, non vt intellectus, & agit ad modum obiecti; quare quatenus est agens, non est formaliter intelligens; quanquam ex hoc infertur necessariò ipsum esse alterum intellectum, quia omne actu intelligibile est intellectus. Sexta est: intellectus agens non producit in intellectu patibili actum intelligendi, sed ipsemet patibilis intellectus hunc actum producit, dum receptam speciem iudicat. Septima est: officium abstrahendi non est intellectus agentis, sed est proprium intellectus patibilis; ita tamen, vt abstractio ex necessitate præsupponat operam intellectus agentis, qui phantasmata illustret, & claras, atq; cōspicuas esse faciat omnes naturas, & quidditates, quæ in ph[illegible]smatibus insunt, vt postea patibilis intellectus accipere possit id, quod vult, & alia dimi[illegible]ere, quod vocatur abstrahere: quare abstract[illegible]o formaliter sumpta est opus solius inte[illegible]a patientis, sed antecedenter est opus et[illegible]am [illegible]tellectus agentis, cuius operam ab[illegible] [illegible]ctioni præc[illegible] [illegible]ecess[illegible]

Prima concl.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Qui[illegible]

Quid sit intellectus agens, varia aliorum sententia. Cap. IX.

COgnitis officijs intellectus agentis est quoq; eius natura consideranda: quod etiam Arist. fecit, sed ita breuiter, & obscurè, vt per eius dicta non satis liquere videat, quisnam sit apud eum intellectus agens: quo factum est vt interpretes ad varios, & inter se contrarios sensus verba Arist. traxerint: B nos igitur aliorum sententias summa breuitate complectendo ratione duce peruestigabimus, quisnam sit apud Arist. intellectus agens. Necesse est intellectum agentem vel esse eundem secundùm substantiam cum intellectu patiente, vt multi arbitrantur, adeo vt nõ sint duo intellectus essentialiter distincti, sed vnus, qui sola ratione distinguatur; vel distinctum esse essentialiter ab intellectu patiente, & duas esse formas, non vnam, quæ etiam plurium sententia fuit. Qui dicunt intellectum agentem, & intellectum patientem non esse duas formas, sed vnã, quæ sola ratione distinguatur in duas, varijs modis id asserunt; *Simplicius.* Simplicius dicit vnam esse humanæ mentis substantiam, quæ dicitur possibilis quatenus est progressa in corpus, & dicitur agens quatenus in se manet; quam eandem sententiam *Themistius & Auerroes.* Themistio quoque & Auerroi multi posteriores attribuunt; ego tamen puto Themi- D stium & Auerroem statuisse intellectum agentem distinctum essentialiter à patiente, ita vt sint duæ formæ, & duæ intelligentiæ distinctæ, & ambæ humanæ; hanc enim sententiam legere apud Themistium possumus in cont. 20. lib. 3. de Anima, & apud Auerroem in Comment. 4. 5. 18. 20. eiusdem lib. vbi hos duos intellectus vocat duas substantias æternas, & alia multa dicit, quæ significant ipsum existimasse duas esse substantias, non vnam: quòd E si Themistius & Auerr. quandoq; dicere videantur vnũ esse intellectum, consideranda sunt vtriusq; verba: nam vnum appellant id, quod ex eis tanquam ex materia, & forma cõstatur; nunquam enim dixerunt eos esse essentialiter vnũ eo modo, quo Simplic. existimauit. *Antiquiorũ opinio.* Alij fuerũt, eaq; fuit antiqua opinio relata, & cõfutata à Them. in loco prædicto, qui dixerunt vnũ esse intellectum secundũ substantiã; qui dum est in mera potestate, & omni cognitione caret, possibilis dicitur, dum aũt habet habitus F dignitatẽ, quę sunt prima principia per se nota, vocatur agens, quia horum principiorum cognitio est actiuum principiũ scientiæ conclusionum: in quam sententiam ducti sunt ob Arist. verba in contex. 18. lib. 3. de Anima, quando dixit intellectum agentem esse habitum quendam; videtur enim non potuisse alium

A habitum significare, quàm habitum principiorum. Ab hac sententia parum recessit Ioannes Grammaticus, *Ioan. Grammaticus.* qui putauit eundem patibilem intellectum, quatenus habet habitus non modò principiorum, sed etiam conclusionum, vocari agentem, quoniam dum habet scientiarum habitus acquisitos, potest agere quãdo vult, quemadmodũ Arist. dixit, ideoq; vocatur intellectus agens, quia potest arbitratu suo exire in actum: & in hanc opinionem B ipse quoq; Ioãnes incidit ob illa Arist. verba, quibus intellectum agentem dixit esse habitũ quendam. Demum D. Thomas putauit intellectum agentem, & intellectum patientem nõ *Thomas.* duas formas esse, sed duas facultates eiusdem animæ rationalis, quæ ratione potentiæ passiuæ dicatur intellectus passibilis, & ratione potentiæ actiuæ dicatur intellectus agens: quare apud eum non sunt duæ partes animæ, nisi prout nomen partis pro facultate, seu po- C tentia sumitur; ideò eius sententia iure numeratur in opinionibus illorum, qui dicunt intellectum agentem, & intellectum patientem non esse duas substantias distinctas, sed vnam, quæ sola ratione distinguatur.

Confutatio omnium opinionum eorum, qui dicunt intellectum agentem, & intellectum patientẽ esse vnam & eandem substantiam. Cap. X.

HAc omnes sententiæ, quibus statuitur hos duos intellectus vnam esse substãtiam, falsæ sunt, & cum principijs Arist. minimè conuenire possunt: quod priùs communiter aduersus omnes ostendemus, postea verò etiam singillatim eas cõsiderando proprios cuiusq; errores patefaciemus. Imprimis, certũ est, Arist. existimasse nullũ simplex pos- E se mouere seipsum, sed quicquid mouetur, ab alio moueri; hoc enim legimus ab eo fusè demonstratum in 7. & 8. Phys. idq; in ipsa quoq; anima impossibile esse docuit in 1. lib. de Anima, quando confutauit illorum sententiam, qui dicebant animam mouere seipsam: non potest igitur eadem humanæ mentis substantia, quũ sit forma simplex, esse simul agens, & patiens respectu sui ipsius; nec satis est distinctio secundùm rationẽ, quia si hoc sufficeret, F de omni re simplici hoc idem dicere possemus, eam habere facultatem agendi, & facultatem patiendi, & ita agere in seipsam ratione diuersarum virium; hoc tamen absurdum est, nec secundùm Arist. concedendũ: ergo similiter in intellectu est absurdũ, qui, quũ sit simplex, non potest simul esse perfectu[s] imperfectus, potestate & actu, & in [se] agere, & seipsum ducere de potest[ate]

ctum, de imperfectione ad perfectionem: patet autem Aristotelem in contex. 17. libri 3. de Anima inuenisse intellectum agentem propter patientem, & vt in ipsum agat, sicut antea demonstrauimus, ergo non possunt esse vnus & idem intellectus secundùm substantiam: potest quidem eadem res habere & agendi, & patiendi facultatem respectu diuersorum, ita vt ab vno patiatur, & in aliud agat, sed nō respectu suiipsius, nempe vt in se agat, & à se patiatur, nisi habeat in seipsa partes secundùm substantiam distinctas, quibus hæ duæ contrariæ vires attribuantur. Exempla quoque ab Aristotele adducta in contex. 17 & 18. libri 3 de Anima hoc idem demonstrant, in tota enim natura videmus semper agens distinctum esse secundùm substantiam à patiente, sic omnis ars agens distincta est essentialiter à materia patiente: Aristoteles autem dixit intellectum agentem ita se habere ad intellectum patientem, vt ars se habet ad materiam, ergo voluit eos secundùm substātiam esse distinctos: hoc idem significat exemplum luminis: lumen enim est essentialiter distinctum & à colore, cui iungitur, & à visu, in quem agit; putauit autem Aristoteles quem locum habet lumen in visione, eundem habere intellectum agentem in intellectione; censuit igitur hunc esse distinctū essentialiter & ab intellectu patiente, & ab obiectis intelligibilibus. Ipsa quoque ratio, qua Aristoteles ad ostendendum intellectum agentem vsus est, hoc idem demonstrat; probat enim dari intellectum agentem, eo quòd datur intellectus patiens, eos igitur statuit tanquā duos, non tanquam vnam substantiam, quoniam argumento illo hoc non ostenditur: nam si Aristotel. id, quod isti comminiscuntur, ostendere voluisset, probare nō debuisset dari intellectum agentem, quia datur intellectus patiens, sed solùm ostendere eundem intellectum patiētem, de quo antea loquutus erat, actiuam quoque vim habere, ratione cuius dicitur etiam agens: hoc tamen neque dixit, neque significauit modo vllo Aristotel sed omnia, quæ ibi dicit, contrarium indicant, vt modò dicebamus. Hoc idem declarant illa, quæ ibidem dicuntur postea ab Aristotele in contextu 19. & 20. inquit enim agens esse honorabilius patiente, inquit intellectum agentem esse actionem secundùm substātiam, inquit ipsum nil aliud esse, quàm id, quod est, nempe puram quidditatem, & purum actum, imò ipsummet esse; at in contextu 5. dixerat intellectum patibilem nihil esse, nisi puram potestatem; quomodo igitur sunt essentialiter idem, si alterius natura & ra est actus purus, ita vt sit idem essen... cum sua operatione, alterius verò est ...tas? dixit etiam intellectum agentem semper intelligere, patientem verò non semper, quod manifeste denotauit eos esse duas distinctas substantias, non eadem substantia dici non potest simul intelligens, & non intelligens. Quoniam igitur Aristot. nihil vnquam dixit, quod significare potuerit vnam esse horum duorum intellectuum substantiam, immò omnia eius verba denotant eorum differentiam substantialem, & ratio quoque Aristot. hoc demonstrat; vanæ & falsæ sunt omnes sententiæ, quibus quouis modo statuatur vnam & eādem horum duorum intellectuum esse substantiam. Si verò singulas prædictas opiniones seorsum considerare velimus, opinio Simplicij ab Aristotele alienissima est: nam secundùm Simpliciū non est essentiale intellectui esse potestate, sed id per accidens ei contingit, nempe quatenus progreditur in corpus; Arist. tamen vult illud ei essentiale esse, inquit enim nullam esse aliam eius naturam, nisi meram potestatem; at si sequamur Simplicium, intellectus essentialiter est purus actus, per accidens verò est pura potestas: igitur hæc sententia est contraria opinioni Platonicæ, & est potiùs Platonica, quā Peripatetica; vnde colligere possumus, eam nec Themistio, nec Auerroi adscribendā esse; hi nāmque in Aristotele interpretando non solent vti dogmatibus Platonicorum, quod Simplicius vbique fecit. Alia quoque opinio eorum, qui dixerunt intellectum agentem esse ipsummet intellectum patibilem, vt habentem principiorum habitus, vel etiam habentis conclusionum, vt Ioannes Grammaticus existimauit, non est opinio Aristotelis: quoniam Aristoteles intellectum in habitu manifestè distinxit ab intellectu agente, quum de vtrisque separatim egerit, & intellectum in habitu considerauit in ipso tractatu, qui est de intellectu patibili: dixit etiam intellectum in habitu non semper esse actu intelligentem, sed quandoque etiam potestate, agentem verò dixit semper esse intelligentem: denique si illa omnia, quę de intellectu agente in contextu 19. & 20. dicuntur, consideremus, manifestissimum est ea non posse accommodari intellectui in habitu; illud præsertim, quod dixit, intellectum agentem esse per essentiam suam actionem; nam intellectus in habitu, quum quandoque non intelligat actu, non est per essentiam sua operatio: alia quoque multa in ea parte dicuntur ab Arist. ex quibus hoc ostenditur, quæ missa facio vt in re manifesta. Neque suffragantur huic sententiæ verba Aristotelis in contextu 18. dicentis intellectum agentem esse habitum quendam: non enim quemlibet habitum significauit, neque illum, quem isti respexerunt, sed talem, quale ... lumen ... lu-

Contra Simplicium.

Contra antiquiores, & Ioan Grammaticum.

men verò non est habitus ipse videndi, neque est species coloris in oculo recepta, sed est quoddam externum, ab externo principio adueniens, distinctum & à visione, & ab obiectis; & à facultate visiua, & ab ipsa habilitate videndi: talis igitur habitus est intellectus agens, qui extrinsecus accedens producit in intellectu patibili scientiarum habitus, à quibus ipse patibilis intellectus vocatur in habitu: quare intellectus agens non est talis habitus, à quo dicatur intellectus in habitu. Opinio quoque D. Thomæ non est Aristoteli consentanea, & proprias patitur difficultates: nam quum in intellectu patibili cognouerit & vim patiendi, & vim agendi, in ambiguitatem lapsus est, credens vim actiuam, quam patibilis intellectus habet, esse intellectum agentem, quod minimè verum est; quia intellectus agens debet agere in intellectum patibilem, vt antea demonstrauimus; igitur si esset vis illa actiua, quam habet intellectus patibilis, idem ageret in seipsum, quod minimè dicẽdum est. Nos verò iam diximus, quæ sit vis actiua, quã habet intellectus patibilis, est enim vis indicatiua obiecti recepti: quæ non est dicenda intellectus agens; quia non est vis agendi in ipsummet intellectum patibilem, sed potiùs in obiecta quodammodo, dum ea iudicat. Thomas igitur non in hoc errauit, quòd posuerit in intellectu patibili vim passiuam, & vim actiuam, hoc est, & vim recipiendi, & vim iudicandi, etenim nos quoque vtramque concedimus; sed in eo errauit, quòd putauit vim hanc actiuã ab Aristotele vocari intellectum agentem: sed mox ostendemus D. Thomam proximè omnium ad mentem Aristotelis accessisse, neque in ipsa re, sed in sola fermè appellatione aberrasse.

Contra Thomam.

Quòd necessarium sit, intellectum agentem esse formam abiunctam à materia per essentiam. Cap. XI.

QVoniam igitur nullum dogma secundùm Aristotelem defendi potest, quo dicatur intellectum patientẽ, & intellectum agẽtem esse vnam & eandem substantiam; restat vt sint duæ substantiæ essentialiter distinctæ, quæ absq; dubio sententia Aristotelis fuit. Hoc autem si ita est, sequitur necessariò intellectum agẽtem esse formam immaterialem, & à materia prorsus abiunctam, quod facilè ostendo argumento sumpto ab intellectu patiente: is enim vel est forma separata à materia, nec dans esse homini, vt Auerroes existimauit, vel est forma materiam informans, & hominem constituens, vt Alexander, & Latini omnes arbitrantur: si est forma abiuncta à materia, multò magis oportet intellectum agentem esse à materia separa[illegible] sit nobilior patiente: si verò intel[illegible]a est forma constituens hominẽ,

A agens, qui patiente præstantior est, non potest esse forma informans materiam; quia si intellectus patibilis est forma specifica, qua homo est homo, ergo omne aliud superueniens in homine, & excellentius ipso, excepit humanam naturam, nec potest esse forma informãs, quia nulla forma informans nobilior, potest vltimæ ac specificæ differentiæ superuenire, sed ita superueniet, vt nauta superuenit naui iam constitutæ & formatæ: omnibus igitur

B modis fateri oportet intellectum agentẽ non esse alicuius corporis formam, sed esse substantiam penitùs immaterialem. Hoc etiam significârunt omnes conditiones intellectui agenti ab Aristot. attributæ in 3. lib. de Anima: nam in contex. 19. dixit ipsum esse separatum, & immistum, & impatibilem; & has conditiones probauit ex eo, quòd est secundùm suam substantiam actio, id est, quoniam per essentiam est sua operatio; hæc enim non est

Declaratio contex. 19. in 3. lib. de Anima.

C quarta conditio, vt multi Græcæ linguæ ignari arbitrantur, sed est probatio; & medius terminus, per quem tres illæ conditiones ostenduntur, vt in Græcis verbis manifestum est, quæ sunt hæc [*τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια*] hic enim loquendi modus apud Græcos probatiuus est, vt etiam notare possumus in contex. 14. lib. 4. Meteor. & pluribus alijs in locis, & significat, quum secundùm substantiam suam sit actio, *ἐνέργεια* enim est operatio, & in omnibus for-

D mis materialibus est distincta ab essentia, in formis verò à materia abiunctis est idẽ quod essentia, sicut in lib. de Mente humana declarauimus: quoniam igitur secundùm suam essentiam est sua operatio, Aristot. inde colligit eum esse à materia separatum, non cõmistum corpori modo vllo, & prorsus impatibilẽ; nam pati est propter materiam, quare omne carens materia expers est omnis passionis: quòd autem secundùm essentiam sit actio, satis habet

E ibi ostẽdere Aristoteles à posteriori, argumento sumpto ab intellectu patiente; nam ipse quoque, dum actu intelligit, fit idem quod res intellecta, & quod sua operatio: quum ergo hoc notet perfectionem, & competat intellectui patienti, debet etiam agenti competere, imò & modo præstantiore, quum agens sit patiente nobilius: quoniam igitur patienti intellectui competit vt sit sua operatio; quia aliquando solùm, non semper est sua operatio,

F nempe tunc, quãdo actu intelligit; sed ei competit per aliud, à quo perficitur, necesse est vt agenti competat per essentiam; id enim, per quod aliud tale est, per se tale esse debet: hæc est illius loci vera interpretatio, non quã multi putant, qui dicunt verba illa [*honorabilius est enim agens patiente*] & alia quæ sequuntur, dirigi ad probandum quòd intellectui agenti competant tres illæ conditiones, separatus, immistus, & impatibilis; probationem autem talem esse, competunt intellectui patienti, ergo etiam agenti, qui honorabilior est; sed de-

cipiuntur, quoniam verba illa pertinent ad probanda proximè præcedentia, non illa, quæ remotiora sunt; non enim probat Aristot. tres illas conditiones, sed probat medium, quo illas ostenderat, quemadmodũ series verborum manifestè demonstrat: imò neq; ostendere poterat illas tres conditiones agenti competere ex eo quòd competant patienti, sicut illi comminiscuntur; quia ratio esset fallax, & æquiuoca, quum illæ conditiones alio modo agenti competant, alio patienti, neq; de vtroq; in eadem significatione accipiantur: Nam in context. 7. Aristot. intellectum patientem vocauerat separatum, scilicet ab organo, vt præcedentia verba à contrario sensu demonstrant; at in 19. agentem vocat separatum penitùs à materia: & intellectum patientẽ vocauerat in contex. 4. non mistũ cum obiectis, & in 6. non mistum cum parte aliqua corporis in recipiendo species; at in 19. agentem vocat non mistum cum corpore, aut cum vlla alia re vllo modo, tam secundùm esse, quàm secundùm operari, quum in eo operatio ab essentia non distinguatur: & in contex. 3. intellectum patientem vocauerat ἀπαθῆ, hoc est, non affectum natura suorum obiectorum, eamq; conditionem absq; dubio adduxit, vt communem intellectui cum sensu: quoniam id, quod aliqua est recepturum, non debet illa habere actu in sua essentia, sed potestatem solùm recipiendi; at in 19. intellectum agentem vocat ἀπαθῆ, hoc est, impatibilem penitùs, patet enim Græcum nomen ἀπαθὴς æquè vtrunq; significare, & in contex. 3. non posse significare impatibile, sed affectione carens, in 19. autem sumi pro impatibili: nec mirum, si in alio, & alio sensu hæc illis attribuantur, quum ex diuersis medijs ab Aristot. colligantur, neq; eadem ratione vtrique intellectui competant: nam patienti competunt, quatenus est mera potestas, & inferuntur ex eo quòd patiendo intelligit; agenti autem competunt, quatenus est purus actus, & inferuntur ex eo quòd agit, & est per essentiam sua actio: quomodo igitur possunt hæ conditiones de vtroq; intellectu idem significare, si ex oppositis medijs de vtroq; colligantur? igitur de intellectu agente significant separationem à materia, quum ex hoc medio deducantur, quòd secũdùm essentiam est sua operatio, quæ conditio intellectui patienti non competit, saltem prout in humano corpore sumitur, siquidem non alio modo ab Aristot. vnquam consideratum fuisse manifestum est. Præterea in context. 20. inquit Arist. intellectum agentem esse semper intelligentem, & esse id quod est, hoc est, esse actum purum, & ipsammet entitatem, vt in sequentib. declarabimus: quæ omnia significant mẽtem à materia abiunctã per essentiam. Adde quòd si in context. 19. tria illa attributa adducerentur vt eadem, quæ prius intellectui patienti ascripta erant, debuissent Aristot. coniunctio-

A ne vti dicendo [*& hic quoque intellectus separatus, immistus, & impatibilis*] attamen inquit absolutè [*& hic intellectus*] qui loquendi modus denotat ea adduci vt propria agentis.

Quòd intellectus agens non possit esse vlla intelligentia, præter illas, quæ mouent cœlestes orbes. Cap. XII.

B QVum igitur intellectus agẽs sit substantia abiuncta à materia per essentiam, & nomine intelligentiæ appellanda, necesse est, vt vel sit aliqua ex intelligentijs superioribus, quæ cœlos mouent, vel aliqua alia illis inferior forma, quæ vel Angelus, vel Dæmon, vel Intelligẽtia appellanda esse dicatur, & sit hominis propria, & ad perficiendam humanam mentem peculiariter applicata, & illi copulabilis, vt forma iungitur materiæ, quæ fuit Auerrois, ac Themistij sententia, quam C etiam Marino Plotinus attribuit. Quodnam igitur horum asserendum sit, ratione duce inuestigemus. Imprimis id nobis firmum, & indubitatum fundamentum statuendum est, de substantijs per essentiam à materia abiunctis loqui, non esse munus Philosophi naturalis, sed solius metaphysici: testatur hoc Aristot. in 1. cap. 1. lib. de Partib. animal. dicens non esse officium Philosophi naturalis agere de intellectu, & hanc rationem adducens; quia ad Na- D turalem Philosophum non attinet loqui de rebus à materia abiunctis, intellectus autem à materia abiunctus est: Auerroistæ efficaciter tueri contendunt Aristot. ibi loqui de intellectu humano, quod quidem nos eis condonamus: quicquid igitur est in anima humana abiunctum à mate[...]a, siue sit patibilis intellectus, qui dicatur n[...]n esse forma corporis, siue intellectus agens, [...]ertum est illud non posse à Philosopho naturali secundùm essentiam co- E gnosci, sed solùm respectu humani corporis, quod quidem Auerroistę non negant, id enim est munus solius Metaphysici, vt asserit Aristot. eo in loco. Quoniam igitur intellectus agens est substantia separata, certum est declarationem essentiæ ipsius non ad Naturalem pertinere, sed ad Metaphysicum. Naturalis enim considerare ipsum non potest, nisi prout est agens respectu humani intellectus. At obijciet aliquis, quomodo igitur potuit Aristot. F in context. 19. & 20. lib. 3. de Anima, considerare eius conditiones ad essentiam ipsius absolutè sumptam pertinentes? ex huius dubij solutione artificium Aristotelis, & eius de intellectu agente sententia manifesta fiet: pertinebat quidem ad naturalem Philosophum sola consideratio officiorum intellectus agentis, quoniam hæc respectũ notat ad intellectum humanum: sed videns Aristot. nos in hac acquieturos non fuisse, & se animos nostros dubios, & suspensos reliquisse, nisi de ipso intellectu agente quidnam secundùm

Dubium

Solutio

ibi subiunxisset, ideò dicere aliqua breuiter voluit ad eius essentiam attinentia; sed ita breuiter, & obscurè, vt satis apertè significauerit se ea tangere tanquam aliena à naturali philosophia: solet enim vbiq; Aristot. quando ex professo alicuius rei definitionem, seu essentiales conditiones proponit, eas diligentissimè declarare, vt in plurimis locis quilq; notare potest, ibi tamen de præstantissima, atque ignotissima loquens quasdam essentiales eius conditiones in medium profert, absq; vlla earum declaratione; vt eas leuiter tangendo, nec declarando, significaret earum, & ipsius intellectus agētis considerationem ad eum locum non pertinere: ideò notare eo in loco, & in alijs quoq; possumus, non esse absurdum, si in disciplina aliqua quandoq; tangatur id, quod ad aliam disciplinam pertinet: imò illud interdum necessarium esse: quum enim res omnes magno inter se ordine, & nexu cõiunctæ sint, scientias quoque contemplatiuas ita inter se coniunctas esse oportuit, vt vna attingeret aliquãdo ea, quæ sunt alterius; hoc enim non est absurdum; si leuiter, & cum moderatione fiat, quemadmodum eo in loco facit Aristoteles: quod etiã aliâs notauimus de postremo cap. lib. 8. Physic. in quo agit de primi motoris impartibilitate, quæ ad Metaphysicum potiùs, q̃ ad Naturalem Philosophum pertinebat. Ex ea igitur obscura, & imperfecta consideratione conditionum intellectus agētis manifestè colligimus, ipsum tanquam substãtiam à materia abiunctam per essentiam non ad Naturalem Philosophum, sed ad Metaphysicum pertinere: idq; etiam alio Aristot. testimonio comprobatur; nam in 7. Metaphysic. context. 6. inquit esse posterius considerandum, an præter sensiles substantias aliqua alia detur abiuncta à materia, an non detur; idem etiam in contex. 29. lib. 12. inquirendum proponit, is enim proprius locus est, in quo Aristot. ex professo de talibus substãtijs accuratè pertractat: hoc igitur proponens in dictis locis Aristot. denotat nõ esse ante libros Metaphysicos nobis cognitam aliquam substãtiam à materia separatam. Videamus igitur, quas substantias à materia abiunctas consideret Aristot. in eo 12. lib. certè nullas alias considerat prçter illas, quæ Cœlos mouent; docet enim tot esse intelligẽtias, quot sunt orbes moti: nec dicere aliquis potest, intelligentiam humanam vnà cum cœlestibus ibi ab Aristotele sumi, & in orbibus motis numerari etiam sphæram humanam, vt aliqui dicere ausi sunt; nam legẽtibus context. 42. & 44. illius 12. lib. patet Aristot. dicere tot esse substantias à materia separatas, quot sunt orbes; quot autem sint orbes, sumendum esse ex Astrologia; atqui Astrologus non considerat orbem humanum, sed solos cœlestes; ergo Aristot. ibi nullam aliam intelligentiam considera[...] mouent orbes cœle[...]rtissimum est, ipsum

Fuga Auerroistarum.

Confutatio.

A nec dæmones cognouisse, neq; formam vllam à materia abiunctam inferiorem intelligẽtijs, quæ mouent cœlos: quare si intellectus agens est forma separata, non potest secundùm Aristot. esse dæmon aliquis, neq; intelligentia peculiariter homini applicata inferior cœlestibus, & superueniens formæ informanti, qua homo est homo. Restat igitur, vt non possit esse alia substantia abiuncta à materia, quàm vna ex eis, quæ mouent sphæras cœlestes, quũ B præter eas nullã aliam substantiam separatam Aristot. in libris Metaphysicis considerauerit. Aliqui tamen dicere ausi sunt, solas quidem cœlestes intelligentias expresè ibi ab Arist. nominatas fuisse, implicite tamen eadem tractatione comprehensam esse etiam humanam intelligentiam; quum enim eiusdem generis sint, id, quod de illis dicitur, de humana quoq; dictum intelligitur. Sed hoc vanum est; non enim obiectionẽ nostram effugiunt, quum A- C ristot. de solis illis intelligentijs, quæ mouent orbes, se agere affirmet: adde, quòd huic humanæ intelligẽtiæ non competunt conditiones ab Aristot. cœlestibus attributæ; eas enim primo loco inuenit ex çterno motu, & eas primùm cognouit vt semper mouentes vno continuo motu; humana verò, si datur, non semper orbem suum vno continuo motu mouet, quare sub eam tractationem reduci minimè potest; non est igitur verum id, quod illi di- D cunt, de intelligentia humana esse intelligenda illa omnia, quæ de cœlestibus ab Aristotele declarantur, proinde si de hac quoq; ibi agere voluisset, eam absque dubio nominare seorsum, & eius proprias conditiones, per quas à cœlestibus discrepat, expresè declarare debuisset. Manifestum igitur est, nullas alias substantias à materia abiunctas Aristoteli cognitas fuisse præter intelligentias cœlorum motrices, quas dari ex æterno motu demonstra- E uit; & hæc omnia ita firmis nituntur fundamentis, vt nullum certè subterfugiendi, aut cauillandi locum relinquant: igitur Themistij & Auerrois sententia de intellectu agente non est Aristotelis, neq; vlla ratione defendi potest.

Euasio Auerroistarum.

Confutatio.

Quòd intellectus agens non possit esse alia intelligentia, nisi omnium prima.

Cap. XIII.

F QVum igitur mens agens non possit esse nisi aliqua cœlestium mẽtium, quæ cœlos mouent, quænam ex eis erit intellectus agẽs? an suprema, quæ Deus est, an aliqua ex alijs quæ secundæ intelligentiæ appellantur? ratio nos cogit vt solam primam hoc munere fungi posse fateamur: etenim reliquæ omnes sunt virtutes particulares, & ad mouendos singulæ proprios orbes peculiariter applicatæ, neq; habent vim vniuersalem, quæ ad rerum omnium regimen extendatur,

cipiuntur, quoniam verba illa pertinent ad probanda proximè præcedentia, non illa, quæ remotiora sunt; non enim probat Aristot. tres illas conditiones, sed probat medium, quo illas ostenderat, quemadmodũ series verborum manifestè demonstrat: imò neq; ostendere poterat illas tres conditiones agenti competere ex eo quòd competant patienti, sicut illi comminiscuntur; quia ratio esset fallax, & æquiuoca, quum illæ conditiones alio modo agenti competant, alio patienti, neq; de vtroq; in eadem significatione accipiantur: nam in contex. 7. Aristot. intellectum patientem vocauerat separatum, scilicet ab organo, vt præcedentia verba à contrario sensu demonstrant; at in 19. agentem vocat separatum penitùs à materia: & intellectum patientẽ vocauerat in contex. 4. non mistũ cum obiectis, & in 6. non mistum cum parte aliqua corporia in recipiendo species; at in 19. agentem vocat non mistum cum corpore, aut cum vlla alia re vllo modo, tam secundùm esse, quàm secundùm operari, quum in eo operatio ab essentia non distinguatur: & in contex. 3. intellectum patientem vocauerat ἀπαθῆ, hoc est, non affectum natura suorum obiectorum, eamq; conditionem absq; dubio adduxit, vt communem intellectui cum sensu: quoniam id, quod aliqua est recepturum, non debet illa habere actu in sua essentia, sed potestatem solùm recipiendi; at in 19. intellectum agentem vocat ἀπαθῆ, hoc est, impatibilem penitùs, patet enim Græcum nomen ἀπαθὴς æquè vtrunq; significare, & in contex. 3. non posse significare impatibile, sed affectione carens, in 19. autem sumi pro impatibili: nec mirum, si in alio, & alio sensu hæc illis attribuantur, quum ex diuersis medijs ab Aristot. colligantur, neq; eadem ratione vtrique intellectui competant: nam patienti competunt, quatenus est mera potestas, & inferuntur ex eo quòd patiendo intelligit; agenti autem competunt, quatenus est purus actus, & inferuntur ex eo quòd agit, & est per essentiam sua actio: quomodo igitur possunt hæ conditiones de vtroq; intellectu idem significare, si ex oppositis medijs de vtroq; colligantur? igitur de intellectu agente significant separationem à materia, quum ex hoc medio deducantur, quòd secũdùm essentiam est sua operatio, quæ conditio intellectui patienti non competit, saltem prout in humano corpore sumitur, siquidem non alio modo ab Aristot. vnquam consideratum fuisse manifestum est. Præterea in context. 20. inquit Arist. intellectum agentem esse semper intelligentem, & esse id quod est, hoc est, esse actum purum, & ipsammet entitatem, vt in sequentib. declarabimus: quæ omnia significant mẽtem à materia abiũctã per essentiam. Adde quòd si in context. 19. tria illa attributa adducerentur vt eadem, quæ prius intellectui patienti ascripta erant, debuissent Aristot. coniunctione vel dicendo [*& hic quoque intellectus separatus, immistus, & impatibilis*] attamen inquit absolutè [*& hic intellectus*] qui loquendi modus denotat ea adduci vt propria agentis.

Quòd intellectus agens non possit esse vlla intelligentia, præter illas, quæ mouent cælestes orbes. Cap. XII.

Qvum igitur intellectus agẽs sit substantia abiuncta à materia per essentiam, & nomine intelligentiæ appellanda, necesse est, vt vel sit aliqua ex intelligentijs superioribus, quæ cælos mouent, vel aliqua alia illis inferior forma, quæ vel Angelus, vel Dæmon, vel Intelligẽtia appellanda esse dicatur, & sit hominis propria, & ad perficiendam humanam mentem peculiariter applicata, & illi copulabilis, vt forma iungitur materiæ, quæ fuit Auerrois, ac Themistij sententia, quam etiam Marino Plotinus attribuit. Quodnam igitur horum asserendum sit, ratione duce inuestigemus. Imprimis id nobis firmum, & indubitatum fundamentum statuendum est, de substantijs per essentiam à materia abiunctis loqui, non esse munus Philosophi naturalis, sed solius metaphysici: testatur hoc Aristot. in 1. cap. 1. lib. de Partib. animal. dicens non esse officium Philosophi naturalis agere de intellectu, & hanc rationem adducens; quia ad Naturalem Philosophum non attinet loqui de rebus à materia abiunctis, intellectus autem à materia abiunctus est: Auerroistæ efficaciter tueri contendunt Aristot. ibi loqui de intellectu humano, quod quidem nos eis condonamus: quicquid igitur est in anima humana abiunctum à materia, siue sit patibilis intellectus, qui dicatur non esse forma corporis, siue intellectus agens, certum est illud non posse à Philosopho naturali secundùm essentiam cognosci, sed solùm respectu humani corporis, quod quidem Auerroistę non negant, id enim est munus solius Metaphysici, vt asserit Aristot. eo in loco. Quoniam igitur intellectus agens est substantia separata, certum est declarationem essentiæ ipsius non ad Naturalem pertinere, sed ad Metaphysicum. Naturalis enim considerare ipsum non potest, nisi prout est agens respectu humani intellectus. At obijciet aliquis, quomodo igitur potuit Aristot. in context. 19. & 20. lib. 3. de Anima, considerare eius conditiones ad essentiam ipsius absolutè sumptam pertinentes? ex huius dubij solutione artificium Aristotelis, & eius de intellectu agente sententia manifesta fiet: pertinebat quidem ad naturalem Philosophum sola consideratio officiorum intellectus agentis, quoniam hæc respectũ notat ad intellectum humanum: sed videns Aristot. nos in hac acquieturos non fuisse, & se animos nostros dubios, & suspensos reliquisse, nisi de ipso intellectu agente quidnam secundùm

Dubium.

Solutio.

ibi subiunxisset, ideò dicere aliqua breuiter voluit ad eius essentiam attinentia; sed ita breuiter, & obscurè, vt satis apertè significauerit se ea tangere tanquam aliena à naturali philosophia: solet enim vbiq; Aristot. quando ex professo alicuius rei definitionem, seu essentiales conditiones proponit, eas diligentissimè declarare, vt in plurimis locis quisq; notare potest, ibi tamen de præstantissima, atque ignotissima loquens quasdam essentiales eius conditiones in medium profert, absq; vlla earum declaratione; vt eas leuiter tangendo, nec declarando, significaret earum, & ipsius intellectus agētis considerationem ad eum locum non pertinere: ideò notare eo in loco, & in alijs quoq; possumus, non esse absurdum, si in disciplina aliqua quandoq; tangatur id, quod ad aliam disciplinam pertinet: imò illud interdum necessarium esse: quum enim res omnes magno inter se ordine, & nexu cōiunctæ sint, scientias quoque contemplatiuas ita inter se coniunctas esse oportuit, vt vna attingeret aliquādo ea, quæ sunt alterius; hoc enim non est absurdum; si leuiter, & cum moderatione fiat, quemadmodum eo in loco facit Aristoteles: quod etiā aliàs notauimus de postremo cap. lib. 8. Physic. in quo agit de primi motoris impartibilitate, quæ ad Metaphysicum potiùs, q̃ ad Naturalem Philosophum pertinebat. Ex ea igitur obscura, & imperfecta consideratione conditionum intellectus agētis manifestè colligimus, ipsum tanquam substātiam à materia abiunctam per essentiam non ad Naturalem Philosophum, sed ad Metaphysicum pertinere: idq; etiam alio Aristot. testimonio comprobatur; nam in 7. Metaphysic. context. 6. inquit esse posterius considerandum, an præter sensiles substantias aliqua alia detur abiuncta à materia, an non detur; idem etiam in contex. 29. lib. 12. inquirendum proponit, is enim proprius locus est, in quo Aristot. ex professo de talibus substātijs accuratè pertractat: hoc igitur proponens in dictis locis Aristot. denotat nō esse ante libros Metaphysicos nobis cognitam aliquam substātiam à materia separatam. Videamus igitur, quas substantias à materia abiunctas consideret Aristot. in eo 12. lib. certè nullas alias considerat præter illas, quæ Cœlos mouent; docet enim tot esse intelligētias, quot sunt orbes moti: nec dicere aliquis potest, intelligentiam humanam vnà cum cœlestibus ibi ab Aristotele sumi, & in orbibus motis numerari etiam sphæram humanam, vt aliqui dicere ausi sunt: nam legētibus context. 43. & 44. illius 12. lib. patet Aristot. dicere tot esse substantias à materia separatas, quot sunt orbes; quot autem sint orbes, sumendum esse ex Astrologia; atqui Astrologus non considerat orbem humanum, sed solos cœlestes; ergo Aristot. ibi nullam aliam intelligentiam considerat [illegible] mouent orbes cœlestes [illegible] certissimum est, ipsum non dæmones cognouisse, neq; formam vllam à materia abiunctam inferiorem intelligētijs, quæ mouent cœlos: quare si intellectus agens est forma separata, non potest secundùm Aristot. esse dæmon aliquis, neq; intelligentia peculiariter homini applicata inferior cœlestibus, & superueniens formæ informanti, qua homo est homo. Restat igitur, vt non possit esse alia substantia abiuncta à materia, quàm vna ex eis, quæ mouent sphæras cœlestes, quū præter eas nullā aliam substantiam separatam Aristot. in libris Metaphysicis considerauerit. Aliqui tamen dicere ausi sunt, solas quidem cœlestes intelligentias expressè ibi ab Arist. nominatas fuisse, implicitè tamen eadem tractatione comprehensam esse etiam humanam intelligentiam; quum enim eiusdem generis sint, id, quod de illis dicitur, de humana quoq; dictum intelligitur. Sed hoc vanum est; non enim obiectionē nostram effugiunt, quum Aristot. de solis illis intelligentijs, quæ mouent orbes, se agere affirmet: adde, quòd huic humanæ intelligētiæ non competunt conditiones ab Aristot. cœlestibus attributæ; eas enim primo loco inuenit ex æterno motu, & eas primùm cognouit vt semper mouentes vno continuo motu; humana verò, si datur, non semper orbem suum vno continuo motu mouet, quare sub eam tractationem reduci minimè potest; non est igitur verum id, quod illi dicunt, de intelligentia humana esse intelligenda illa omnia, quæ de cœlestibus ab Aristotele declarantur, proinde si de hac quoq; ibi agere voluisset, eam absque dubio nominare seorsum, & eius proprias conditiones, per quas à cœlestibus discrepat, expressè declarare debuisset. Manifestum igitur est, nullas alias substantias à materia abiunctas Aristoteli cognitas fuisse præter intelligentias cœlorum motrices, quas dari ex æterno motu demonstrauit; & hæc omnia ita firmis nituntur fundamentis, vt nullum certè subterfugiendi, aut cauillandi locum relinquant: igitur Themistij & Auerrois sententia de intellectu agente non est Aristotelis, neq; vlla ratione defendi potest.

Fuga Auerroistarum.

Confutatio.

Euasio Auerroistarum.

Confutatio.

Quòd intellectus agens non possit esse alia intelligentia, nisi omnium prima.

Cap. XIII.

QVum igitur mens agens non possit esse nisi aliqua cœlestium mētium, quæ cœlos mouent, quænam ex eis erit intellectus agēs? an suprema, quæ Deus est, an aliqua ex alijs quæ secundæ intelligentiæ appellantur? ratio nos cogit vt solam primam hoc munere fungi posse fateamur: etenim reliquæ omnes sunt virtutes particulares, & ad mouendos singulæ proprios orbes peculiariter applicatæ, neq; habent vim vniuersalem, quæ ad rerum omnium regimen extendatur

sola prima est eiusmodi; quia non solùm primum orbẽ mouet, sed totum simul cœlestem globum, imò & mũdum vniuersum, & est prima omnium rerum causa, omnia gubernans, omnia perficiens, omnia conseruans virtute sua diffusa per omnia; hæc enim quamuis vbique sit, & omnibus rebus adsit, non omnibus tamẽ intelligendi facultatem præbet, sed homini soli: quod optimè declaratur ab Alexandro in 2. suo lib. de Anima, cap. 4. inquit enim humanum intellectum, qui possibilis dicitur, esse veluti instrumẽtum intellectus diuini ad intellectionem in homine producendam; solus enim humanus intellectus aptus est recipere lumen intellectus diuini, & fieri intelligens: res autem aliæ talem naturam non habent, vt possint instrumenta fieri diuini intellectus ad producendam intellectionem: sicut etiam videmus lumen Solis, quum idem sit, penetrare vitrum, at non parietem, propter diuersas horum corporum naturas; sic calor Solis lutum indurat, ceram verò non indurat, sed mollit; agẽs enim non agit, nisi in patiens idoneum ad recipiendum: in hoc igitur mundo inferiore nulla est natura susceptiua intellectionis, nisi natura intellectus nostri patibilis, qui forma hominis est; quò fit, vt eo intelligente homo dicatur intelligẽs. Ad hoc comprobandum habemus argumentum doctissimum, & verè peripateticum ab Alexandro adductum in 1. suo lib. de Anima, cap. de Intellectu agente: inquit ibi Alexander, in omni genere, in quo fit aliquid per se, ac primò tale, & aliqua secundariò talia, necessarium esse vt illa, quæ secundariò talia sunt, ab illo primo habeant vt sint talia, proinde sint talia propter illud: hoc possumus inductione in rebus omnibus comprobare; nam substantia est primum ẽns, & maximè ens, accidentia verò sunt secundariò entia; sic inter omnia visibilia primum visibile est lux, & maximè omnium visibile est Solis lux, ab hac igitur alia fiunt visibilia: sic etiam omnia bona dicuntur bona per primi boni participationem. Quum igitur res potestate intelligibiles debeant ab intellectu agente reddi actu intelligibiles, non potest intellectus agens esse aliud, quàm illud solùm, quod primum intelligibile, & maximè omnium intelligibile est; ab hoc enim, & à nullo alio possunt alia reddi intelligibilia; maximè autem omnium intelligibilia Deus est, & est primum in genere intelligibilium; ergo nil aliud statui potest intellectus agens, nisi solus Deus: hoc fuit argumentum efficacissimum Alexandri. Sed hoc idem argumentum ego apud Platonem notaui in fine 6. libri de Republica, & miror quòd alij hanc sententiam sequentes locum illum non animaduerterint: Plato ibi hanc sensuum differentiam considerat, quòd præter visum alij, vt sentiant, satis habent obiecto præsente; at visus, vt videat, non satis habet præsentia coloris, sed

Argumentũ Alexandri.

Plato.

A alio quodam eget diuerso & à colore, & à visu & ab oculo, idque est lumen; deinde quærens quam potissimùm assignare luminis originẽ debeamus, inquit eam esse illud, quod maximè omnium lucidum est; hic autem est Sol, qui neque est color, neque visus, neque oculus, sed diuersum quiddam, à quo habet color, & vt sit, & vt visibilis sit; & visus ab eodem habet vt sit, & vt videat; est enim Sol tanquam parens, & genitor omnium rerum corporalium, B à quo & visus, & color recipiunt esse, & ab eodem vt primo visibili visibilitatem adipiscuntur: deinde subiungit Plato Solem esse ipsius boni filium, nempe Dei, qui ipsum in mundo sensili principem statuit, vt in eo teneret eundem locum, quem ipse obtinet in mundo intelligibili: ipse namque est primum intelligibile, Sol verò est primum sensile: quò fit, vt quemadmodum in mundo intelligibili Deus ad intellectum, & ad intelligibilia se habet, C ita in mundo sensili se habeat Sol ad visum, & ad visibilia, hic enim est causa generationis visus, & rerum visibilium, & est causa vt visus videat, & vt visibilia sint visibilia, quum faciat ea & absolutè esse, & visibilia esse; ille verò est causa vt intellectus sit, & vt res omnes sint, & vt intellectus sit intelligens, & vt res omnes sint intelligibiles: manifestum igitur est Platonem existimasse Deum esse intellectum agentem, & eum cum lumine comparasse, ita D vt credi possit Aristotelem id à Platone accepisse: hoc de Platone testari videtur etiam Ioannes Grammaticus, qui interpretans primum contextum tertij libri de Anima, attribuit Plutarcho, quòd iuxta Platonis opinionem dixerit scientiam nostram esse reminiscentiam, & quòd dixerit intellectum agentem esse Deum: deinde inquit, Ammonium reprehendisse Plutarchum de reminiscentia, quòd Platonica dogmata Aristot. attribuerit: E videtur itaq; etiam in altero Plutarchus adhæsisse Platoni, nempe quòd Deus sit intellectus agens. Hæc absq; dubio sententia Arist. fuit; qui, etsi satis breuiter, & obscurè tetigit intellectus agentis naturam, tales tamen conditiones illi attribuit, ex quibus colligi possit, ipsum non esse nisi Deum; hoc enim denotat eius comparatio cum lumine, qua etiam Plato vsus est: nam si recta esse cõparatio debeat, oportet, sicut lumen est primum visibile, ita F intellectum agentem esse primum intelligibile, vt argumentum ab Alexandro, & à Platone adductum demonstrat: ita vt, sicut illuminatio colorum nil aliud est, quàm coniunctio rei secũdariò visibilis, & per participationem cum visibili per se, & primo visibili; colores enim sunt participata lumina, quia constant ex luminoso, & opaco, quare, vt visum moueant, iungi debent lumini puro, à quo perficiuntur & vim motricem recipiunt; ita & phantasmatum illuminatio nil [illegible] rei secundariò intell[illegible]

ligibili, & rei potestate intelligibilis est re per se intelligibili actu. Hoc idem significat id, quod de intellectu agente in context. 20. illius lib. Aristoteles dicit, nempe ipsum esse id quod est; sic enim denotat eum esse entitatem ipsam, & ipsummet esse; hæc autem est propria Dei conditio, vt D. Thomas ostendit in 1. part. Summ. quæst. 3. artic. 4. in omnibus enim alijs rebus esse distinguitur ab essentia, solius autem Dei est ipsummet suum esse.

Prædictæ sententiæ confirmatio testimonio D. Thomæ. Cap. XIV.

AD huius sententiæ confirmationem libet illa considerare, quæ à D. Thoma hac de re dicuntur, tum in 1. part. Summæ, quæst. 79. artic. 4. tum in quæstionib. disputatis de Spiritualibus creaturis, artic. 10. & de Anima, artic. 5. Ipse in dictis locis considerandam sumit illorum sententiam, qui dixerunt intellectum agentem esse substantiam aliquam separatam, quæ non sit forma hominis; sed eam diuidit in duas, & vtramque separatim impugnat: inquit enim aliquos dixisse intellectum agentem esse quandam substantiam a materia abiunctam inferiorem Deo, aliquos verò existimasse Deum ipsum esse intellectum agentem. Priorem sententiam inquit esse Catholicæ fidei repugnantem, & magnum eam sequi absurdum: quum enim cuiusq; rei perfectio in nobilissima eius operatione consistat; nobilissima autem nostra operatio sit coniunctio animæ nostræ cum illo, à quo lumen recipit, esset perfectio nostra constituta in côniunctione cum alio præter Deum, quod absurdum atq; impium est: in hoc igitur Thomas nobis consentit. Alteram verò sententiam, quòd Deus sit intellectus agens, non dicit esse Catholicæ fidei repugnantem, imò asserit quorundam Catholicorum sententiam fuisse; Catholicos enim certè nominaret, si impiam, & Catholicæ fidei aduersantem esse eorum opinionem arbitraretur. Thomæ autem verba sunt hæc [*quia fides Catholica Deum, non aliquam aliam substantiam separatam in natura, & animabus nostris operantem ponit, ideò quidam Catholici posuerunt Deum intellectum agentem, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundu*] imò tantum abest, vt opinionem hanc repugnantem Catholicæ fidei esse dicat, vt etiam aliqua ex parte eam approbet; inquit enim esse necessarium, vt supra humanam animam sit aliquid, à quo eius intellectio pendeat, & quum id non possit esse alia intelligentia præter Deum, omnino dicẽdum esse illud esse Deum: & ad hoc probandum vtitur argumento Alexandri, quod validissimum esse diximus, nempe quia id, quod est tale per participationem, necessariò pendet ab eo quod per se tale & [illegible] per illud. Sed in eo solùm ab illis Th[illegible] quòd negat Deum ob id [illegible] agentem, hac ratione; quia Deus est causa vniuersalis, non adæquata humanæ intellectioni, de qua loquitur; quocirca requiritur præter Deum alia causa particularis, quæ sit hominis propria, & pars, seu facultas quædam animæ humanæ, dicaturq; in homine intellectus agens: ad quod confirmandum vtitur Thomas exemplis naturalibus; Sol enim generat animal tanquam causa vniuersalis, sed non sine causa particulari, quæ est vis insita in semine illius animalis: accommodat etiam huic sententiæ comparationem, qua Aristot. vtitur, intellectus agentis cum lumine, & inquit lumen referri ad Solem, tanquam effectum ad causam, Aristot. autem comparare intellectum agentem, non cum Sole, sed cum lumine, ad denotandum ipsum esse aliquid à Deo creatum in homine, non esse Deum ipsum, quemadmodum lumen non est Sol ipse, sed effectus à Sole productus: ideò concludens dicit, illud, quod in nobis facit intelligibilia actu ad modum luminis creati, esse aliquid animæ nostræ, & esse multiplicatum iuxta numerũ animarum, & hominum, & vocatum esse ab Aristot. intellectum agentem; illud verò, quod facit intelligibilia ad modum Solis illuminantis, esse vnum tantùm, & separatum, quod est solus Deus, nec vocari intellectum agentem. Hæc sunt, quæ à Thoma dicuntur: in quibus eorum, quæ vera sunt, confessionem eius accipio, qua puto sententiam nostram maximè comprobari; in reliquis facilè ostendam eum à mente Aristotelis aberrasse. Imprimis ipse fatetur Deum tanquam causam primam facere omnia intelligibilia, quod quidem verum est, imò etiam necessarium; quum enim sit primum intelligibile, ab eo solo possunt alia reddi actu intelligibilia: concedit etiam in nostro intellectu præter vim passiuam etiam vim actiuam, tanquam eius facultatem, quam nos quoque diximus fateri necessarium esse, eamq; Alexandri fuisse sententiam. Sed in eo à nobis dissentit, quòd putat vim actiuam nostri intellectus esse intellectum agentem, & tanquam causam secundam à Deo creatam facere phantasmata actu intelligibilia; hoc enim nos negamus, & falsum esse iam ostendimus, quia facultas actiua humanę mentis non potest facere actu intelligibilia, proinde non eam vocauit Aristoteles intellectum agẽtem, neque cum lumine comparauit: hoc ostenditur argumentis superiùs adductis; primùm enim falsum est id, quod Thomas sumit, actionem intellectus agentis esse in phantasmata; iam enim ostendimus ipsum agere in intellectum patibilem, non in phantasmata, neq; est quòd in re manifesta eandẽ demonstrationem repetamus; hoc autem si verũ est, & intellectus agens iuxta ipsius Thomæ sententiam est facultas quædã animæ nostræ rationalis, neq; secundùm substantiam distinguitur ab intellectu patibili, quomodo potest idẽ

Quidam Catholici Deum posuerunt intellectum agentem.

Quid recti dixerit Thomas.

Quid non rectè dixerit Thomas.

agere in seipsum? quomodo potest idem esse lumine plenus,& illuminans, & simul omni lumine,omniq; cognitione carere,& illuminari à semetipso? at condonemus ipsum agere in phantasmata, licèt id omnino falsum, & ab Arist. alienum sit, idem tamen absurdum sequitur; quod vidit quidem Thomas, & nixus est explicare, sed frustra laborauit; nã debet intellectus noster pati à phantasmatibus, vt Arist. apertè dixit, quomodo igitur agere in eadem potest? sic enim esset simul agens, & patiens respectu eiusdem, & secundùm idem, quod est omnino absonum rationi; nam agens naturale in agendo repatitur quidem ab eodem in quod agit, non tamen secundùm eandem qualitatem, sed secundùm contrariam; calfaciens enim non calefit vicissim ab eodem, sed refrigeratur; at intellectus noster quatenus agens nil aliud iuxta Thomæ sententiam agit in phantasmatibus, nisi illuminationem, qua reddit ea intelligibilia, & ipse quoq; ab ijs ita illuminatis illuminationem recipit, qua redditur intelligens; at certè, si iam in seipso lumen habebat, non debuit illud tribuere phantasmatibus, vt idem ab eis postea reciperet. Præterea minimè conueniens est vlli præter Deum facultatem attribuere faciendi actu intelligibilia; solùm enim primum intelligibile id facere aptum est: & quemadmodum Deus cum nulla creatura vim suam creandi communicat, ita neq; vim illuminandi; sed ipse solus est lux vera, quæ, vt illi Catholici dicebant, omnem hominem illuminat. Argumentum autem Thomæ nullius esse efficacitatis, postea ostendemus, quum dubia & aliorum argumenta, quæ sententiæ nostræ officere videntur, soluemus; idem enim argumentum etiam à Ioan. Grammatico contra Alexandrum adductum est, ad ostendendum non esse Deum intellectum agentem.

Dubia, & aliorum argumenta, quæ prædictæ sententiæ videntur officere.

Cap. XV.

HAec sententia, quam hactenus & ratione, & Aristot. authoritate demonstrauimus, manifestior ac firmior reddetur, si dubia quædam, & argumenta, quibus eam demoliri alij contendunt, soluerimus. *Primum argumentum.* Primùm obijciunt: si intellectus agens Deus esset, intellectio non esset in nostra potestate; consequẽs falsum est, intelligimus enim quando volumus: cõsequentia probatur; quoniam illa actio in nostra potestate esse dicitur, quæ pendet à principio nostro formali, quæ verò pendet ab externo principio, ea in potestate nostra esse non potest; Deus autem est principium externum; igitur si ipse esset intellectus agens; intellectio nõ esset posita in nostra potestate, sed vel semper omnia intelligeremus, vel ea solùm, & tunc solùm, quæ, & quando

A Deus vult. *Secundum.* Secundò obijciunt, & est argumentum Thomæ prædictum: causa debet esse æqualis effectui, & illi ex æquo respondere, vt Aristot. docet in 2. Poster. & in 2. Physicor. effectus enim cõmunis causa debet esse cõmunis, & effectus particularis causa particularis; sed Deus est causa maximè vniuersalis, nostra autem intellectio est effectus particularis, quia est propria hominis operatio: ergo Deus non potest esse intellectus agens, sed requiritur a-
B gens particulare, & effectui adęquatum, quale significauit Aristot. in context. 17. lib. 3. de Anima, quando dixit cuilibet patienti respondere agens, à quo patiatur; significauit enim agens proprium cuilibet patienti. *Tertium.* Tertiò dicunt: Deus secũdùm Aristot. nihil agit immediatè in his inferioribus, sed omnia per motũ, & lumen cœlestium corporum, & per causas secundas; ergo non potest esse intellectus agens, quia hoc dato ageret in homine imme-
C diatè absq; vlla causa secunda: hoc quoq; argumento videtur vsus esse D. Thomas, vt prius diximus. *Quartum.* Quartò considerant verba Aristot. in context. 17. libri 3. de Anima, vbi intellectum patientem, & intellectum agentem vocauit animæ nostræ differentias, voluit ergo vtrunq; esse aliquid humanum, & animæ humanæ partem; at Deus non potest vocari differentia, vel pars animæ humanæ: idq; confirmant considerando verba Aristot. in 1. cõtex. eiusdem li-
D bri, vbi proponit agendum de parte animæ, qua cognoscit anima, & sapit; omnis igitur intellectus, qui in eo libro consideratur, pars animæ est. *Quintum.* Quintò argumẽtum sumunt ex verbis Aristot. in context. 18. eiusdem libri, vbi dixit intellectum agentem esse habitum quendam, & esse vt lumen: at Deus non potest habitus appellari; quoniam habitus dicitur id, quod est posterius essentia, & notat aptitudinẽ ad operandum, qualis habitus non est Deus:
E non potest etiam Deus cum lumine comparari, quia lumen non dat colorib. vt absolutè sint, sed solùm vt sint motiui; Deus autem absolutè res esse facit, quia omnia producit; quare est potiùs cum Sole comparandus, qui est fons, & causa luminis, quàm cum lumine ipso: hoc fuit argumentum Ioan. Grammatici aduersus Alexandrum, & eodem vsus est D. Thomas, vt antea diximus. *Sextum.* Sextò argumentantur ex ijs, quæ dicuntur ab Aristot. in context. 20.
F eius 3. libri, & est argumentum Themistij contra Alexandrum: Aristoteles ibi de agente intellectu loquens inquit, hunc solum esse immortalem, ergo non putat eum esse Deum; quia hoc posito dictum Aristotelis falsum esset, quum non solus Deus sit immortalis, sed etiam aliæ cœlestes mentes, imò & cœlestia corpora secundùm Aristotelem æterna sint. Tandem dicunt aliqui: si intellectus agens esset Deus, non opus erat Aristoteli eum in loco ostendere eum esse i[illegible] Deum esse immortalem

Dictorum argumentorum solutio. Cap. XVI.

Ad primum argumentum. HAec igitur argumenta soluere nitēdum nobis est. Ad primū dicimus fore quidem illud efficacissimum, si Deus aliquando nobis suam operā recusaret, nec semper ad nos effunderet lumen suum; sic enim nos non quando volumus intelligeremus, attamen non ita sese res habet, nam eius lumen semper nobis adest, immutabile, & nunquam deficiens; ideò intelligimus quādo volumus, dummodò habitum acquisiuerimus, nam ante acquisitionem habitus non est in nostro arbitrio constitutum intelligere quando volumus: quemadmodū enim si statueremus Solem à nostro hemisphærio nunquam recedere, semper lumen præsens haberemus, quare si colorem quoque haberemus præsentem, in nostro arbitrio esset inspicere quando volumus; sic de nostro intellectu dicendum est, habet enim semper præsens lumen agētis: quia, vt D. Thomas ostendit in 1. part. Sūmæ, quæst. 8. artic. 1. & 3. Deus est in omnibus & per potentiam suam, & per præsentiam, & per essentiam, non quidem per ipsarum rerum essentiam, ita vt ipse sit pars essentiæ illarum, sed p suammet essentiam eo modo, quo agens dicitur esse cum suo effectu: & hoc necessarium est, quia Deus ipse sibi hanc necessitatem iniunxit, quemadmodum etiam ex necessitate animam creat in quolibet humano corpore, quod ab agentibus naturalibus sit conuenienter præparatum; ipse enim libera sua voluntate statuit hoc esse necessarium: sic igitur nunquam per ipsum stat quin intellectus noster intelligere possit, stat quidem aliquando per defectum habitus ne valeat intelligere; quandoque etiam per defectum organi phantasiæ, quod in aliquibus est ita rude & ineptum, vt propter phantasmatis impuritatem, etiamsi adsit lumen intellectus agentis, nil tamen intelligere possint.

Ad secundū. Secundum argumentum validum quidem est in alijs agentibus. nam agēs vniuersale non agit nisi per agens particulare adæquatum effectui, sed in Deo nihil habet efficacitatis; potest enim immediatè hominem producere sine aliqua causa secunda, quē Sol sine altero homine agente producere non potest. Præterea dicimus magnum esse sensilium, & intelligibilium rerū discrimen: nam sensilia quidem efficit Deus vt causa vniuersalis, nec sine causis secundis quia ipsemet hanc rebus legem præscripsit; at in mundo intelligibili ipse absque causis secundis immediatè agit, possumusque hoc Thomæ argumentum aduersus ipsū insolubiliter retorquere: Deus animam humanam creat. & est agens vniuersale, & vniuersalis creator rerum omnium, [illegible] si; ergo requiritur alia media [illegible] adæquata, per quam [illegible] quoniam igitur Deus, etsi est creator vniuersalis, animam tamen humanam immediatè creat sine vlla causa media, sic immediatè eandē illuminat, nec requiritur alius illuminator creatus. dicere etiam possumus diuinum lumen per omnia diffusum esse quidem causam maximè vniuersalem; sed iunctum phantasmatibus, quæ sunt nostri intellectus obiectum proprium, restringi, & fieri proprium agens, & quodammodo obiecti proprij rationem subire: quod exemplo luminis Solis cōfirmari potest: nam Sol per lumen suum est omnium rerum sublunarium vniuersalis causa, attamen quatenus iungitur colori, qui est proprium obiectum visus, restringitur, & fit causa propria respectu visionis; subit enim rationem obiecti visibilis, qua ratione non respicit alium effectum, nisi solam visionem.

Ad tertium. Ad tertium responsio patet ex ijs, quæ ad primum dicta sunt; Deus enim per motum, & per lumen cœlestium corporum effectus materiales producit, sed in mundo intellectuali agit absque cœlorum lumine, & motu, atque omnino absque secundis causis.

Ad quartū. Ad quartum dicimus, non eam esse Aristot. sententiam, quam ipsi comminiscuntur; non enim dicit intellectum agentem, & intellectum patientem esse duas animæ nostræ differentias, sed solùm dicit, oportere in anima esse has differentias agentis & patientis, hoc est, dari agens & patiens: nam si Deus vbiq; est, & eius lumen phantasmatibus iungitur vt perfectio, est vtique in anima nostra; non tamen vt animæ nostræ pars, sed vt extrinsecus adueniens: hoc manifestum est cōsiderantibus argumentum, quo ibi Aristoteles vtitur; nam illa verba, quæ isti pro se adducūt, sunt conclusio syllogismi quo Aristoteles colligit esse in anima has differentias; is ergo est eius conclusionis sensus, qui eo syllogismo colligitur; is verò eorum verborū sensus esse non potest, qui ex illis propositionibus non infertur: est autem syllogismus Aristotelis talis: vbi datur patiens, ibi datur agens illi respondens, atqui datur in nobis intellectus patiens, ergo illi debet agens aliquod respondere; quærendum igitur ab aduersarijs est, quomodo sit maior propositio intelligenda; an ita, vt cuilibet patienti respondeat tale agens, quod sit eiusdem naturæ, & internum, an absolutè cuilibet patienti debeat agēs respondere, à quo ad perfectionem ducatur: certè prior sensus falsus, & absurdus esset; non enim cuilibet patienti respondet tale agens, quod sit eiusdem generis, vt exempla, quibus Aristot. id declarat, apertè demonstrant; ars enim respectu materiæ patientis est agens externum, & conditionis longè diuersæ; sic in natura elementa sunt materia respectu Cœli, quod in ea agit continuè; quomodo igitur potest in conclusione colligi sensus talis, qui non est acceptus in propositionibus, imò neque accipi potuit, quia falsus est? dicere etiam

possemus, Deum non esse quidem animæ nostræ partem, sed tamen quatenus est intellectus agens, fieri modo quodam partem animę nostræ, nēpe quatenus eius lumen animæ nostræ iungitur; quanquam ad hoc cōfugere minimè cogimur, quoniam prior solutio ita vera, & manifesta est, vt mirandum sit cur aduersarios non pudeat eo argumento vti. Ad verba Aristot. in t. context. illius lib. dicimus partem animæ ibi significare solum intellectum patientem, qui solus per se considerandus erat; de agente autem nihil proponi, quia non per se de ipso agendum erat, sed solùm quatenus conferit ad operationē intellectus patientis. sic in t. context. lib. 8. Physicor. Aristot. non proponit agendum de æterno motore, quia hunc non propter se, sed propter æternum motum erat consideraturus. Ad quintum dicimus intellectum agētem non propriè habitum appellari, prout sumitur habitus pro aptitudine ad operandum, quę ex multiplicata operatione acquiritur, & ponitur in prima specie qualitatis: sed sumi eo in loco ab Aristot. habitum pro forma, & perfectione, nam intellectus agens iungitur phātasmatibus vt perfectio constituens obiectum intelligibile, & hac tantùm ratione vocatur ab Aristot. habitus. Quod verò D. Thomas & Ioannes Grāmaticus dicunt Deum rectiùs cōparari cum Sole, quàm cum lumine, quum lumen sit effectus quidam à Sole productus, vanum est; decipiuntur enim, dum à rebus materialibus ad immateriales argumentantur: nam ipsemet Thomas asserit in rebus materialibus potentias esse res distinctas ab essentia, ita vt in anima quoq; humana, quum forma hominis sit, potentiæ ab ipsa animæ essentia distinguantur; at in separatis à materia secus est, potentia namque idem est quod essentia; nec dicendum est Deum per suam potentiam res creasse tanquam per rem aliquem, & per rem ab ipso diuersam, sed potius tanquam per semetipsum; nam potentia Dei Deus ipse est: sic igitur de lumine dicendum est, lumen à Sole prodiens (inquit Thomas) est quiddam à Sole diuersum, & ab eo productum, esto, at dicimus, non eiusmodi esse lumen Dei; non est enim aliquid creatum, sed est Deus ipse, qui sicuti quatenus intelligens, sapientia ipsa est, ita quatenus Intelligibilis, & summè intelligibilis, vocatur lumen, quo omnia redduntur intelligibilia: ob id videtur in hoc Aristot. satis propè ad Christianæ fidei veritatem accessisse, sed in aliquo tamen defecisse: quemadmodum enim nos per fidem asserimus mentem nostram à solo Deo, quem hac ratione Sanctum Spiritum vocamus, illuminari, ita Aristoteles dixit nos à Deo, quatenus est intellectus agens, & primum intelligibile, intellectionem recipere: sed veritatem non plenè assequutus est; putabat enim per solam phantasmatum illustrationem peruenire ad mentem nostram Diuinum

A lumen; nos verò ex diuina reuelatione accepimus posse Diuinum lumen non modò internè per phantasiam, sed etiam supernè absque illuminatione phātasmatum ad mentem nostram accedere, ita vt etiam absque phantasmatum vsu possit à Deo multarum rerum sciētia mentibus nostris infundi per Sancti Spiritus immissionem, quod Aristot. diuina reuelatione destitutus cognoscere minimè potuit. Adde quòd lumen, quod in aëre est, non

B à Sole, sed à Solis luce producitur, & modo quodam nō est diuersum aliquid à luce; quatenus enim est eius imago, & eam repræsentat, idem potiùs dicendum est, quia naturam lucis, quæ primum visibile est, nobis repræsentat. Dicendum igitur omnino est Aristot. non ea ratione intellectum agentem cum lumine comparare, quatenus lumen est effectus quidam lucis; vel enim non est effectus, vel non sumitur vt effectus, neque ea ratione si-

C milis ei est intellectus agens, quum aliud sit lumen sensile, aliud sit lumen intellectile; hoc enim non habet causam, sed est ipsummet primum intelligibile, à quo omnia redduntur intelligibilia: cum ipso autem Sole vt diuerso à lumine suo non rectè comparatus esset intellectus agens, quia ipsa Solis substantia non iungitur coloribus vt perfectio, sed eius lumen tantummodò; at intellectus agens est talis Sol, qui à suo lumine non distinguitur, si-

D quidem Dei lumen Deus ipse est: neque etiam necessarium est, vt propter comparationem Aristotelis lumen debeat etiam absolutè colores producere, quia non in hoc comparatio illa consistit, sed in eo solùm, quod tanquam forma constituit obiectum visibile, & similiter intellectus agens tanquam forma & perfectio constituit obiectum intelligibile.

Ad sextum. Sextum argumentum, quod Themistij erat

E contra Alexandrum, potest contra ipsum Themistium retorqueri, imò & contra omnes, qui dicant intellectum agentem esse partem animæ humanæ, vel aliquam aliam intelligentiam inferiorem primā; sequitur enim eam solam esse immortalē, reliqua verò omnia, quæ in mundo sunt, caduca esse, & Deum quoque ipsum esse mortalem: qua igitur responsione & Themistius, & alij omnes vti coguntur ad se tuendos, eadem nos quoque in præsentia vtemur: dicimus enim Aristotelem non con-

F siderare eo in loco Deum absolutè vt Deus est, sed solùm vt respicit hominem tanquam intellectus agens, à quo prouenit in homine intellectio: quando igitur dicit ipsum esse immortalem, considerat ipsum quatenus est factus quodammodo aliquid animæ nostræ, & sic eum comparat solummodò cum [illegible] animæ nostræ partibus: ita vt sensus sit, [illegible] in homine est immortale, nisi intellectus a-gens: si quis verò obi[illegible] teles intellectus patibilis [illegible] interpretes varijs m[illegible]

Ad quintū. (margin, left column, beside "Ad quintum dicimus")

variæ sunt eorum sententiæ de intellectu humano. Alexander quidem totum concederet, quoniam putauit humanum intellectum apud Aristotelem esse mortalem. Thomas verò dicit ea verba proferri non de solo agente, sed etiam de patiente, siquidem vna apud eum est eorum substantia, eaque immortalis: ea tamen interpretatio verbis Aristot. consentanea non est, vt considerantibus patet; Aristot. enim profert verba illa de solo agente; & nos superiùs demonstrauimus, non posse esse eandem substantiam intellectus patibilis & agentis. Probabilior est quorundam aliorum interpretatio, qui dicunt intellectum patientem mortalem esse, non quidem secundùm substantiam, sed tantùm ratione suæ imperfectionis, & patibilitatis; eatenus enim interire dicitur, quatenus desinit esse imperfectus, & recipere obiectum à phantasia. Vtcunque sit, de hoc enim, & de eius loci interpretatione nunc non disputo, satis est ostendisse argumentũ hoc Themistij secũdũm omnium sententias nullius esse efficacitatis. Postremũ quoq; argumentũ, quo aliqui recentiores vtuntur, vanissimum est: nam fortasse aliquid roboris haberet, si priùs manifestũ fuisset intellectũ agentem esse Deum, postea Aristot. docere voluisset ipsum esse immortalẽ; sed è contrario sese res habet, ignotum enim eo loco est, quisnam sit intellectus agens, idq; Aristot. voluit ex immortalitate, & alijs simul eius conditionibus esse colligendũ. Præterea etiamsi clarum fuisset eum esse Deum, reprehendi quidem Aristot. potuisset, si demonstratione aliqua ad Dei immortalitatem probãdam vsus esset: sed simpliciter & absque vlla probatione asserere Deum esse immortalem, quid absurdi sit, non video; quum in vsu sit apud omnes homines, etiam sapientes, vt Deũ vocent immortalem.

Ad septimũ.

IAC. ZABARELLAE PATAVINI, LIBER DE ORDINE INTELLIGENDI.

Ordinum distinctio, & dicendorum propositio. CAP. I.



ORDINEM, quo mens humana res intelligit, multiplicem esse constat; alius enim arbitrarius est, & ex nostra electione pendet; alius verò naturalis, & necessarius; alius demum neque ex electione, seu arbitrio nostro neque ex necessitate, sed omnino per accidens, vt si quis equum priùs nouerit, quàm asinum, quũ potuerit priùs asinum nosse, quàm equum: hic nulla consideratione dignus est, ideò dimittatur. Arbitrarius verò est ille doctrinæ ordo, de quo nos aliàs in libris Logicis plura scripsimus; eius enim consideratio ad Logicum pertinet, cum sit Logicum instrumentum, & ex arbitrio nostro fabricatum; quòd si esset naturalis, atque absolutè necessarius, non esset quòd Logicus de ipsius vsu præcepta tradere niteretur: dici tamen potest necessarius ex cõstitutione finis, quia si rei scientiam in suo genere perfectam acquisituri sumus, vel saltem faciliùs acquisituri, statuto quodam ordine vtamur necesse est. Alius autem ordo necessarius prorsus & naturalis est, ... ad Logicum, sed ad Naturalem Philosophũ attinet, quum eiusmodi ordo naturam mentis nostræ insequi necessariò videatur: ideò illud horum ordinum discrimẽ esse videtur, quod etiam habituum moralium, & facultatum animæ; quum enim habitus non sint menti nostræ naturales, sed ex nostro arbitrio pendeant, & ex arbitrarijs actionibus comparentur; solæ autem facultates, quibus eos acquirere apti sumus, naturales dici possint, de solis facultatibus agere debuit Philosophus Naturalis, de habitibus verò non ipse, sed alius, vt Moralis: sic doctrinæ ordo arbitrarius est, neque est menti nostræ naturalis, sola autem facultas procedendi ab hoc ad illud naturalis est; ideò de facultate disserit Philosophus Naturalis, de ipso autem ordine loquitur Logicus, à quo de eo tanquam de re arbitraria regulæ & præcepta traduntur: at si quis sit menti humanæ naturalis ordo, ita vt non ipsa tantùm facultas, ipsumq; vtendi arbitrium sit ei naturale, sed ipsemet ordo, cuius variãdi nullum nos arbitrium habeamus, de hoc agere naturalis Philosophi officium est, ad plenam cognitionem naturæ humani intellectus, & eorum, quæ illam necessariò consequuntur: talem autem ordinẽ potissimè in simplicium rudi, & confusa apprehensione existere manifestum est.

In duobus prioribus libris de Methodo, & in Apologia.

non ita in cognitione cõplexorum, neque in cognitione distincta, atque perfecta; componere enim & enuntiare hoc priùs quàm illud, arbitrij magis, quàm naturæ esse videtur, apprehendere autem in phantasmate rem hanc priùs, illam verò posteriù, si primam rudium habituum acquisitionem spectemus, non est arbitrij, sed naturæ: rudium autem dico, quia distinctæ cognitionis ordo in nostro arbitrio positus est, nec distinguitur ab illo doctrinæ ordine, quem à Logico considerandum esse diximus; at ordo notitiæ nostræ confusæ, quã à sensibus accipimus, aliquis prorsus naturalis, ac necessarius est, eumq; considerare ad Naturalem Philosophum attinet. Hic igitur est, de quo nunc sermonem facturi sumus, nempe naturalis ille, ac necessarius ordo, quo mens nostra simplices rerum conceptus induit, & confusè primùm apprehẽdit; duoq; sunt, quæ sub præsentem cõsiderationem cadunt, & de quibus est nobis proposita disputatio; vnum de ordine cognoscendi singulare, & vniuersale; alterum verò de ordine intelligendi ipsa vniuersalia; quoniam enim offertur menti nostræ phantasma rem singularem repræsentans, in qua inest etiam natura communis, & ipsum vniuersale, considerandum primo loco est, vtrum priùs à mente nostra cognoscatur, an singulare, an vniuersale; deinde verò inter vniuersalia an priùs apprehendantur vniuersaliora, quàm minùs vniuersalia, an è contra rio hæc priùs, quàm illa.

Opinio, & argumenta illorum, qui negant singulare ab intellectu cognosci. Cap. II.

De ordine intelligendi singulare & vniuersale disputari non potest, nisi priùs cõstet intellectum nostrum cognoscere singulare: hoc igitur, quum à multis negetur, est à nobis ante omnia considerandum. Illi, qui singulare ab intellectu cognosci posse inficiantur, his potissimùm argumentis vt solent. Primùm argumentantur plures Auerroistæ ex abiunctione intellectus à materia: intellectus non est forma corporis, sed est forma separata à materia, forma autem separata non potest intelligere singulare; intellectus igitur singularia non cognoscit: minorem veram statuunt, iuxta Auerrois sentẽtiam, quam sequũtur; maiorem ita probant; quicquid recipitur in aliquo, recipitur ad modũ recipientis, ergo forma immaterialis immaterialiter tantùm apta est recipere; singulare autem est materiale, & conditionibus materialibus alligatum, quia est forma commista materiæ, vt ait Arist. in contextu 92. libr. 1. de Cœlo, igitur forma immaterialis non potest cognoscere singularia. *Primum argumentum.* Secundò, dimissa etiam illa Auerrois opinione, putant ex sola intellectus abiunctione ab organo idem demonstrari: quum enim intellectus in operando non vtatur organo corporeo, sicut omnes concedunt, est saltem in sua operatione immaterialis, ergo ob eandem rationem non potest intelligere singularia. *Secundum.* Præterea si intellectus singularia intelligeret, non distingueretur à sensu, qui solum singulare cognoscit; quoniam igitur oportet intellectũ à sensu distingui, & id, quod ab vno cognoscitur, ab altero non cognosci, dicendum est propriũ esse intellectus cognoscere vniuersale, sensus autem cognoscere singulare. *Tertium.* Confirmant authoritate Aristot. in primo Physic. context. 49. & 2. de Anima 60. & 1. Poster. 134. & 2. Posteriorum, cap. vlt. vbi per hoc distinguit intellectum à sensu, quòd intellectus vniuersalia cognoscit, sensus verò singularia; negat igitur intellectum singularia cognoscere, quũ dicat sensum per eorum cognitionem distingui ab intellectu. *Quartum.* Præterea Arist. in contextu 15. & 16. lib. 3. de Anima inquit, omne actu intelligibile esse sine materia, materiale verò non esse actu intelligibile, sed potestate solùm; singulare igitur, quum sit materiale, nõ est apud Arist. intelligibile actu, sed solum vniuersale, quod à singularibus & à materia abstrahitur, est actu intelligibile. *Quintum.* In contextu quoque 37. eiusdem libri Aristoteles diuidit ea, quæ sunt insensibilia, & intelligibilia: igitur non vult sensibilia esse intelligibilia; at si singularia essent intelligibilia, omnia entia essent intelligibilia, nec darentur sensibilia distincta ab intelligibilibus. *Sextum.*

Dicta sententia confutatio. Cap. III.

Ego cum alijs pluribus arbitror intellectum nostrum etiam singularia cognoscere, & hoc potissimùm argumento ad hoc asserendum ducor, quòd in facultatibus animæ subordinatis necesse est, vt quicquid cognoscit facultas inferior, cognoscat etiam superior, & vt vbi inferior facultas desinit, illic superior incipiat; hoc enim negato, tolleretur ordo partium in animali, & ipsius animalis vnitas: hoc autem manifestum est in phantasia respectu sensuum externorũ; ipsa enim potest illa omnia imaginari, quæ possunt illi sentire; differunt autem, quia sensus externi non sentiunt obiectũ absens, sed solùm præsens, phãtasia verò imaginatur etiam absentia: hæc tamen differentia non ita accipiẽda est, vt dicamus, sensus sentire sola præsentia, phantasiam verò sola absentia, falsum enim est, sed vt sensus sentiat sola præsentia, phantasia verò & præsentia, & absentia: sic em̃ distinguenda est facultas animæ superior ab inferiore, vt possit omnia cognoscere, quæ cognoscit inferior, & alia præterea. *Quicquid facultas inferior cognoscit, id cognoscit & superior.* Quoniam igitur vt se[...]d phantasiam, ita phãtasia ad intelle[...] [...]igitur, eiusmodi debet esse discri[...] [...] intellectur, & phantasiæ, & sensuum om[...] [...] intellectus cogn[...]ere illa omnia [...] phantasia, & [...]s cognoscunt.

præter illa. quoniam igitur phantasia & sensus cognoscũt singularia, debet intellectus quoq; singularia cognoscere, & præterea vniuersalia, quæ nec phãtasia, nec sensus cognoscit. Significauit hoc Aristot. in context. 3. & 4. lib. 3. de Anima: nam in context. 3. dixit similem esse intellectum sensui, quatenus nõ est mistus cũ suis obiectis; sed statim in context. 4. differentiam subiunxit, dicens intellectum esse absolutè & prorsus immistum respectu rerum omnium propterea quòd omnia cognoscit; dicẽs enim omnia, nihil exclusit, & per hoc separauit intellectum à sensu: sensus enim quum sit alligatus organo, nõ potest omnia cognoscere, proinde non est prorsus immistus; at intellectus quum nulli organo sit addictus, est absolutè immistus, & potest omnia cognoscere: sic igitur ex organi defectu, ex quo aduersarij argumentum sumpserunt, nos contrarium ostendimus; facultas enim organica, quum sit organo addicta, quod est determinatæ naturæ, non potest omnia cognoscere; facultas verò non organica cognoscere omnia potest, nullo excepto, quia nõ habet organum, à quo ad determinatã aliquam naturam restringatũ. Confirmatur hæc sententia ex ratiocinio, & discursu in particularibus, fiunt enim multi syllogismi particulare colligentes in omnibus figuris; ratiocinari autem, & discurrere est proprium intellectus, vt ait Aristot. clarè in tertio libro de Anima; ideò vana, & ab Aristot. aliena est defensio, qua aduersarij vtũtur, dum ad phantasiam confugiunt, & eam dicunt ratiocinari in particularibus. Adde quòd non fit syllogismus nisi ex altera saltem propositione vniuersali, quam cognoscere phãtasia nõ potest, quod Auerroistę aliqui animaduertentes dixerunt in syllogismo particulari propositionem vniuersalem ab intellectu cognosci, alteram verò particularem à phantasia, & ab eadem colligi cõclusionem; sed hoc ridiculum est; oportet enim ab vna & eadem animæ parte eundem discursum fieri, quum distinctarũ partium distinctæ operationes sint, & videre nõ sit audire, neque imaginari sit intelligere; quomodo enim phãtasia colligere potest cõclusionem, si propositionẽ vniuersalem ignorat? ab intellectu igitur, non à phãtasia, cognoscitur propositio particularis, quũ præsertim solus intellectus apud Aristotel. affirmare, ac negare possit: adde quòd in minore syllogismi particularis prædicatur vniuersale de particulari, idq; ab Aristot. in primo capite primi Posteriorũ vocatur inducere, seu inferere particulare suo vniuersali: quomodo igitur phantasia, quæ vniuersale nõ cognoscit, potest particulare inferere vniuersali? vana igitur & prorsus abijcienda eorum responsio est. Possumus præterea sic argumẽtari: intellectus suam in- ... noscit, omnis aũt intellectio ... cognoscit se nũc ... intellectionẽ

Discurrere est proprium solius intellectus.

A particularem: at secũdùm aduersarios nõ posset ab vlla animæ facultate cognosci hæc intellectio particularis; non enim ab intellectu, quum ipsi negent intellectum singularia cognoscere; nõ a phantasia, neq; ab vlla alia animæ sensibilis facultate, quia sensus non potest cognoscere intellectionem. Præterea est rationi cõsentaneũ, immò necessarium, vt si intellectus cognoscit vniuersale per abstractionem à suppositis, cognoscat etiam singularia supposita, à quibus abstrahit: quomodo enim

B cognoscere potest vniuersale, & eius vniuersalitatem, nisi cognoscat singularia, de quibus prædicatur? quomodo potest comparare vniuersale cum singulari, & eorum conuenientiã ac differentiam cognoscere, nisi vtrunq; seorsum cognoscat? necessarium enim est, vt qui duo inter se cõparat, vtrunq; cognoscat. Quomodo potest cognoscere quidditatẽ, nisi cognoscat id, cuius est quidditas? quidditates aũt sunt rerum singularium, quæ extra animã

C existũt, quare necessarium est, vt cognoscat singularia: solus etiam intellectus cognoscit singularitatẽ, quum sit quidditas rei singularis, quatenus est singularis, ergo cognoscit etiam singulare; quî enim fieri potest, vt singularitatẽ cognoscat, si omnia prorsus singularia ignoret? Authoritate quoq; Aristot. manifesta hæc sententia cõprobatur, qui in 3. lib. de Anima context. 9. & 10. inquit intellectũ cognoscere & carnẽ, & carnis esse, nil aliud no-

D mine carnis significans, quàm singulare, sicuti esse carnis ibi significat essentiã & vniuersale, quemadmodũ ipsemet Arist. ibidem declarat, dicens carnem esse cum materia, essentiã verò carnis esse sine materia; etenim in cõtex. 92. lib. 1. de Cœlo, dixerat vniuersale esse formã, singulare aũt esse formam cũ materia mistam: reliqua etiam, quæ in eo cõtex. 10. ab Aristot. ad id declarandum dicuntur, hoc magis cõfirmant; docens enim modum, quo intel-

E lectus & carnẽ, & carnis essentiam cognoscit, inquit ipsum cognoscere carnem ope solius sensus, nẽpe phãtasiæ, quæ est facultas animæ sensibilis; essentiã verò carnis non ipsius sensus ope, sed alterius separati, seu etiam ipsius quidem sensus, aliter tamẽ sese habẽtis; denotare per hæc volens mẽtem nostram ad singulare cognoscẽdum nõ egere intellectu agente, sed solo phantasiæ ministerio illud cognoscere, tãquam totum quoddam rude, atq; con-

F fusum, hoc enim ab intellectu comprehenditur etiam sine ope intellectus agentis; sed ad intelligẽdam rei essentiam indigere alio, scilicet intellectu agente cõfusum illud illuminare; seu (quod idem est) eodem sensu aliter se habente, hoc est, phantasia ab intellectu agente illuminata, nam phãtasma ab agente illustratũ imprimit in intellectu etiam speciem vniuersalis, & essentiæ rei: ideò rectè comparat Aristot. cognitionem singularis cum linea recta, vniuersalis autem & essentiæ cum linea

Declaratio context. 9. & 10. in 3. libro de Anima.

A flexa, seu fracta; nam singulare à phantasia ad intellectum tanquam per rectam lineam protenditur, vniuersale verò, & essentia rei tanquam per flexam; quia lumen agentis primò ad phantasiā porrigitur, deinde ab ea ad intellectū reflectitur: hæc est illius loci vera interpretatio, ex qua apertè sumitur Arist. censuisse intellectum nostrū cognoscere singularia; inde etiam sumitur phātasmata à mente agēte illuminari in phantasis, non vt in intellectu recepta, sit enim lumē agentis frangitur quo- B dammodo in phātasia, quod nullo modo frangi diceretur, si rectà ad intellectum nostrum mitteretur. Præterea in contextu vigesimosecundo, & trigesimotertio eiusdem 3. libri Aristotel. asserit intellectum cognoscere partes temporis, præteritam, & futuram; & res, quæ in eis fiunt, simul cum tempore, in quo fiunt; & ita deliberare conferendo præterita cum præsentibus: vult igitur intellectum cognoscere singularia; quia illa, quæ in statutis, C ac distinctis tēporib. fiunt, singularia tantùm sunt; nā vniuersalia semp sunt, nec magis præterito tēpore, quàm futuro; quasi e solis singularibus cōpetit appellatio præteriti, & futuri; nostrum igitur intellectum singularia cognoscere secundùm Aristot. negari non potest.

Contrariorum argumentorum solutio. Cap. IIII.

Qvoniam igitur considerantibus satis D manifesta hæc res est, nitendum est argumenta soluere, quæ veritati tenebras offundere videbantur. *Ad primum argumentum.* Primum erat: forma abiuncta à materia non intelligit singularia, intellectus est forma abiuncta à materia, igitur singularia nō intelligit: vanissimū certè argumētum, cuius vtraq; propositio falsa est: falsam quidem esse maiorē, certissimum est; nam quicquid senserit Aristotel. credere nos, & constanter affirmare Christianæ fidei veri- E tate compellimur, Deum habere prouidentiam singularium, & illa cognóscere, proinde formam à materia abiūctam cognoscere singularia; cur igitur humana mens cognoscere singularia non potest? sed dimissa propositione maiore satis in præsentia est negare minorem: aliàs enim ostendimus mentem humanam in homine non esse formā à materia abiunctam, vt illi sumunt abiunctum à materia, prout opponitur informāti; sed esse formam, F qua homo est homo, & in spetie constituitur; quare etiamsi concederemus formam à materia separatam non posse singularia intelligere, argumentum tamen nobis non obesset; quia mens humana in homine non est talis forma, proinde hac ratione singularia cognoscere non prohibetur; quare nullius roboris argumentum est. *Ad secundū.* Validius esse videtur secundum, quod sumebatur ex abiunctione ab organo: abiunctus enim est intellectus in sua operatione ab organo corporeo, quare non videtur posse singularia, quæ materialia sunt, intelligere; quicquid enim recipitur in aliquo, ad modum recipientis recipitur. Ad hoc dicimus negandam esse consequētiam: quod verò ad probationem attinet, digna quidem consideratione est propositio illa, quicquid recipitur in aliquo, recipitur ad modum recipientis, multi namq; ea ad cauillandum abuti consueuerunt; sed vtcunq; intelligatur, nobis non obest: singulare enim, quod extra animā existit, materiale est, neq; recipi in intellectu potest, imò neque in sensu, quum Arist. dicat sensorium recipere species sine materia; species autem ipsius singularis nō est materialis, sed spiritalis; nihil igitur prohibet, quin eiusmodi species in intellectu recipi possit, sic enī dicitur recipi ad modum recipiētis, quoniam intellectus habet aptitudinem naturalem recipiendi omnia spiritaliter, etiam speciē singularis, & quum ipse in operādo sit immaterialis, quatenus non vtitur organo ad recipiendum; speciem quoque sine materia recipit: nam si organum sensus, quod corporeum est, recipit formas sine materia, multò magis de intellectu id asserere debemus; immò credendum est speciem in phantasis esse spiritaliorem, quàm in sensu, in intellectu autē esse adhuc spiritaliorem, quàm in phantasia; neq; nobis officit quòd sit species rei materialis, nam etiam quidditas est quidditas rei materialis; & licèt per repræsentationem sit materialis, quia rem materialem repræsentat, tamē ipsa secundùm se species formaliter sumpta spiritalis est, potest igitur in intellectu recipi: si verò dicant speciem singularis confusi esse quidem abiunctam à materia, at non à conditionibus materiæ, verissimū hoc quidem est, at vndenam acceperint, nō posse intellectum nostrum cognoscere etiam cōditiones materiales? nos enim dicimus intellectum posse omnia intelligere, etiam conditiones materiales, & rem cum conditionib. materialibus; semper tamē per receptionem speciei formaliter immaterialis, licèt rem materialem, vel materiales conditiones repræsentantis: ideo sano modo intelligenda est differentia illa, q̄ multi statuūt inter has animæ facultates subordinatas, dicūt enim sensum cognoscere abstrahendo à materia, sed non à conditionibus materiæ, neq; à præsentia materiæ; phantasiā verò abstrahendo & à materia, & à præsentia materiæ, sed non à conditionib. materiæ, quæ sunt accidentia (vt vocant) indiuiduantia; at intellectum abstrahere & à materia, & à præsentia materiæ, & à conditionib. materię: hoc enim, vt à plerisq; intelligitur, falsum est, nēpe vt necessarium sit intellectum ab his omnib. [illegible] abstrahere, sed verum est, si ita intelligatur, vt [illegible] & intellectus, & phātasia, & sensus necessariò [illegible] abstrahāt à reali materia; se[illegible] materiæ, tum à [illegible] intellectus & [illegible]

vt etiam sine his duabus abstractionib⁹ possit intelligere, sic enim etiam phantasia imaginari potest & cum abstractione à præsentia materiæ, & absq; hac abstractione, est enim rationi consentaneum vt intellectus possit id, quod inferiores facultates possint, & aliquid præterea, ita vt & rem præsentē, & materiales conditiones cognoscere possit, quòd etiā aliæ facultates possunt, sed ab his etiā omnibus vniuersale, & quidditatē abstrahere, quod aliæ nō possunt, ex qua operatione nominatur intellect⁹ speculatiuus, quia propriè speculari est rerum essentias cognoscere. Sed dubitare hîc aliquis nō absq; ratione potest de cognitione primæ materiæ. si namq; necessariū est vt oēs facultates animæ abstrahāt formam à materia, videtur primā materiam non posse modo vllo cognosci, quū non possit abstrahi à seipsa. Ad hoc dicēdū est abstractionē à materia hic non intelligi à prima materia, sed à materia singulari sensili, quæ extra animā existit; hanc enim vocamus sensilē, quia est obiectū potens mouere sensum, & sensus recipit eius speciem nō recipiēdo ipsammet realem materiā, & ita dicitur abstrahere à materia; sic etiam phātasia, & intellectus: ideo etiam prima materia, quū nec sensum, nec phātasiā mouere possit, à solo intellectu cognoscitur, & per abstractionē à materia, nō quidē à seipsa, sed à materia sensili, in qua abscondita est, imò magna etiā abstractione indiget, vt intelligi possit: quum enī sit minimæ entitatis, instar tenuissimæ lineæ, quæ vix discerni potest, maximè omniū eget lumine intellectus agentis, vt à nostro intellectu eius natura inspici queat, & maxima etiā nostri intellectus acumine, & exercitatione in rebus cōtemplandis, & maxima phantasmatū puritate.

Quomodo prima materia cognoscatur per abstractionem.

Ad tertium. Ad tertium argumentū sumenda est responsio ex ijs, quæ modò dicta sunt: non enim per hoc distinguitur intellectus à sensu, quòd non possit intelligere singulare, sed per cognitionē vniuersalis; non est enim necessarium, vt ea, quæ inter se differunt, in omnibus differant: conueniunt igitur sensus & intellectus in cognitione singularis, sed distinguuntur per cognitionē vniuersalis, quæ solius intellectus propria est.

Ad quartū. Similiter ad quartum dicimus Arist. in ijs omnib. locis tribuere intellectui cognitionē vniuersalis, quia est eius propria, sed nunquā dicere intellectū cognoscere solum vniuersale: adde quòd præcipua operatio intellectus est cognitio vniuersaliū, & ad hanc tanquā ad finem dirigitur cognitio singularium, quia non posset intelligere vniuersale, nisi etiā singulare cognosceret; rectè igitur cōstituitur operatio intellectus in cognitione vniuersalium, quia hæc est præcipua, & finalis eius operatio, quū cognitio singulariū sit potius medium quoddam necessarium, sine quo ad vniuersalium cognitionem peruenire nō posset. Sic etiam ad postremū dicendū est; quādo enim Arist. inquit, omne ha-

A bens materiam esse potestate intelligibile, carens autē materia esse actu intelligibile, si per carens materia significet omne abiunctum à reali materia, ergo species coloris recepta in oculo erit actu intelligibilis, quū sit forma abiuncta à sua reali materia; hoc tamen dicendū nō est, quoniam Aristot. dicens actu intelligibile, significare vult aliquod à solo intellectu cognoscibile; quare per carens materia ibi significat solum vniuersale, & quidditatem, ca-
B ret enim materia penit⁹, quatenus est sine cōditionibus materiæ, cuiusmodi nō est species in sensu, neq; phantasma in phantasia: singulare autem vt abiunctum à reali materia non minùs est sensibile, quàm intelligibile, & partim est sine materia, quaten⁹ est sine reali materia, partim cum materia, quatenus est cum cōditionibus materiæ: respiciens igitur Aristot. vniuersale, quod est verè, & propriè intelligibile, & cuius cognitio est propria intelle-
C ctus, & finalis, ac præcipua eius operatio, hoc solū vocauit actu intelligibile; quanuis enim intelligat etiam singulare, hoc tamen ei datū est tanquam præparatio quædam necessaria ad cognoscendum vniuersale, non vt in ipso singulari quiescat, ideò singulare ibi non vocatur actu intelligibile: hoc significat in eo cō text. 15. Aristot. quādo dicit [*scientia speculatiua, & scibile idem est*] speculatio enim non vocatur nisi vniuersalium cognitio, & contem-
D platio quidditatum; quare de hac sola ibi Aristot. loquitur, quia hęc sola est propria operatio intellectus.

Ad sextum. Sic ad postremum argumentum dicendum est. Distinguens enim Aristot. intelligibilia à sensilib⁹, præcipuū, & propriū intellectus obiectū respexit, hoc enim à sensu nō percipitur, sed à solo intellectu, proinde vocatur propriè intelligibile: singularia verò, quæ sub sensum cadunt, licet cognoscantur etiam ab intellectu, maluit tamen appellare sensilia,
E quàm intelligibilia; quia in his propriè versatur sensus, intellectus verò propriè in illis, quę non percipiuntur à sensu: perinde ergo est ac si Aristot. diceret, eorū quæ sunt, alia sub sensum cadunt, alia nō cadunt, & hæc intellectus cognoscit: poterat quidem dicere omnia esse intelligibilia, sed melius esse iudicauit vt singularia sensibilia sensui attribueret, quàm intellectui, reliqua verò intellectui, quæ sensu percipi nequeūt. Adde quod, etsi singularia sunt
F & sensilia, & intelligibilia, nō tamē ea ratione sunt sensilia, qua sunt intelligibilia; mouēt enim sensum vt iuncta reali materię, intellectū verò vt facta spiritalia in phantasia, ab ipso enim reali obiecto nō pateretur intellectus; sic igitur sensilia vt sensilia, nō sunt intelligibilia.

Quòd singulare ab intellectu priùs cognoscatur, quàm vniuersale. Cap. V.

QVum igitur intellectus non solùm vniuersale intelligat, sed etiam singulare, sequitur vt consider[illegible] sius vtrum priùs

Thomistarum opinio.

A intelligat. Putant aliqui prius intelligi vniuersale, deinde singulare: dicũt enim intellectum oblato phantasmate primùm intelligere vniuersale, quod propitum ipsius obiectum est, deinde reflecti ad phantasma cõsiderandum, & animaduertere illud esse productum à re singulari, & ita secundariò cognoscere etiam singulare; hæc fuit D. Thomæ opinio, quam tuetur efficaciter Iauellus in 7. Metaphysic. quæst. 16.

Iauellus.

Primum argumentum.

& vtitur primùm hoc argumento: illud quo primò distinguitur intellectus à sensu, est primò intelligibile ab intellectu; at in B hoc distinguitur intellectus à sensu, quòd sensus primò apprehẽdit singulare, ergo intellectus non debet primò apprehendere singulare, sed vniuersale.

Secũdum argumentum.

Præterea si intellectus primò singulare intelligeret, species sensilis posset actuare, ac perficere intellectũ, quũ sit repræsentatiua rei singularis; at hoc falsum est, quia hoc dato non esset necessarium ponere intellectũ agentem; singulare igitur est qui- C dem primò sensibile, at non est primò intelligibile.

Tertium argumentum.

Confirmãt auctoritate Aristot. in contex. 10. lib. 3. de Anima, vbi dicit intellectũ cognoscere vniuersale tanquã per rectam lineã, quum ad ipsum tanquam ad proprium obiectum feratur directè, singulare autem tanquã per lineam flexã, sicut paulò antè dicebamus; ergo vult primò intelligi vniuersale, deinde singulare: hæc est D. Thomæ interpretatio, vt ibi videre est.

Scoti, & Gregorij opinio vera.

Mihi tamen verior videtur Sco- D ti, & Gregorij Ariminensis opinio, quòd singulare sit primò cognitũ, & ad eam probandã hoc primùm argumẽto vtor:

Primum argumentum.

Vniuersale non cognoscitur, nisi per abstractionem à singulari, ergo necesse est priùs cognosci singulare; quia nõ potest cognosci abstractũ, nisi cognoscatur illud, è quo abstrahitur, quum præsertim aduersarij fateantur vtrumq; esse ab intellectu cognoscibile.

Secũdum argumentum.

Præterea docet Aristot. in posterioribus Analyticis, præsertim in vltimo E cap. libri 2. omnem demõstratiuam scientiam pendere ex cognitione primorum principiorum; ipsa autem prima principia cognita nobis esse ex singularibus per inductionem, qua in pueritia vtimur, licet id non animaduertamus; ergo id, quod primùm ab intellectu cognoscitur, est singulare, ab eadem enim animæ nostræ facultate totum inductionis progressum fieri oportet; quoniam ergo intellectus solus vniuersale colligere potest, ab eodem fit F primùm assumptio singularium.

Tertium argumentum.

Præterea illud primùm cognoscitur, quod faciliùs apprehenditur; at singulare faciliùs apprehendit, quàm vniuersale, quia singulare respectu vniuersalis est quoddam confusum, in quo sub specie accidentium fertur etiam inuoluta substantia & ad sensum, & ad intellectum; omne autẽ confusum faciliùs apprehẽditur, quam distinctũ; priùs ergo cognoscitur singulare tanquã quoddam cõfusum, hoc enim primùm offertur intellectui, deinde intellectus in eo naturam cõ-

A munem contemplatur.

Quartum argumentum.

Hoc etiam significauit Aristot. in illo decimo contextu tertij libri de Anima, si bene locum illum intelligamus, dum dixit intellectum cognoscere carnem, & singulare per solam motionem à sensu factã, quidditatem verò & vniuersale, non nisi ope intellectus agentis phantasma illustrantis; denotare per hoc volens intellectionem singularis nõ esse magnum aliquid, sed facile fieri ex sola motione facta à phantasmate, vniuersale B verò non cognosci, nisi ope intellectus agentis, proinde difficiliùs cognosci: & huic sententiæ attestatur id, quod statim subiungit de linea recta, & fracta; nam eum locum legentibus manifestũ est cognitionem singularis cõparari cum linea recta, vniuersalis verò cũ linea flexa & fracta, non è contrario, vt aduersarij interpretantur; singulare namq; recta fertur à phantasia ad intellectum, proinde absq; magna difficultate, vniuersale verò non recta, C sed per reflexionem luminis intellectus agentis à phãtasia ad intellectum; sic enim pulcherrima est Aristot. comparatio cum lumine, quod dici solet reflecti, & refrangi ab eo, in quod primùm proijcitur.

Declaratio contex 10 in 3 lib. de Anima.

Quintum argumentum.

Hoc etiam ostenditur ex ordine facultatum animæ: necesse est enim vt vbi desinit inferior, ibi incipiat superior; quũ igitur sensus desinit in singulari præsente, necesse est phãtasiam primò imaginari singulare præsens, deinde verò etiam absens; sic igitur D quoniam intellectus mouetur à phantasia actu imaginante singulare, necesse est vt prima operatio intellectus sit apprehensio singularis.

Iauelli responsio.

Iauellus tamen putauit argumentum hoc inefficax esse: quod enim nos dicimus, quicquid potest facultas superior, id potest etiam inferior, ipse dicit verum quidem esse, at non eodem modo, proinde argumentum esse fallax, quum mutet quid in quale, neq; ostẽdere quòd ab eodem incipiat facultas superior, in E quo desinit inferior; nam inquit singulare esse intelligibile, quatenus est singulare, at non quatenus est materiale, ideò egere opera intellectus agentis, à quo reddatur immateriale.

Responsionis impugnatio.

Ego tamẽ puto ipsum esse deceptum, & in ambiguitatem lapsum, argumentum autem nostrum validum esse; modus enim duplex in præsentia considerari potest, modus cognoscentis, & modus rei cognitæ: de modo quidẽ cognoscentis verum est id, quod Iauellus di- F cit, nam alio modo intellectus recipit singulare, alio modo sensus; intellectus enim sine vsu organi recipit, & à phantasia, non ab ipsomet obiecto materiali, proinde speciem singularis recipit spiritaliùs, quàm recipiat sensus, & phantasia: at de modo ipsius rei falsum dicit; nã si modus quoq; est ens quoddam, & omne ens, quatenus est ens, est etiam intelligibile, vt ipse ibidẽ sit, necesse est vt singulare sit ab intellectu intelligibile secũdùm omnes modos, etiam secundùm cõditiones singularitatis, quæ sunt hic, & nunc; non enim

omnia cognosceret intellectus, si modū singularis, quo singulare à sensu cognoscit, ipse non intelligeret. Est præterea in dictis Ianelli repugnātia manifesta: nam in quæst.15. quinti Metaphys. ipse opinionem D. Thomæ sequēs de principio singularitatis asserit ipsum esse materiam; ergo secundùm hanc eius sententiam dicere quatenus singulare est dicere quaten⁹ materiale, nam dictio illa, quatenus, notat rationem formalem; singulare igitur, si est intelligibile quatenus singulare, est intelligibile quatenus materiale; quomodo ergo asserit esse intelligibile vt singulare, & negat esse intelligibile vt materiale? Argumenta quoq; ipsius facilè soluuntur. Ad primū negamus vtrāq; propositionem; minor quidem manifestè falsa est, & petit id, quod probādum erat, nempe sensum ab intellectu differre per hoc quòd primò cognoscit singulare; dicimus enim non per id sensum differre ab intellectu, sed per hoc, quòd sensus in singulari gradum sistit, & ipsum solum cognoscit, intellectus verò in eo non sistit, sed progreditur ad vniuersale tanquam ad præcipuū, & finale obiectū: sic enim nec phantasia per hoc differt à sensu, quòd non incipiat ab imaginatione rei præsentis, à qua sensus incipit, sed incipit ipsa quoq; à cognitione rei præsentis, & differt à sensu non per hoc, sed quia imaginari potest etiam rem absentem: quod verò ad maiorem attinet, quando dicit, illud est primò intelligibile ab intellectu, quo primo distinguitur intellectus à sensu, quum bis ponat eam dictionem, primò, cōsiderādum est quomodo eam sumat; vel enim vtrobiq; intelligit primitate originis, vt intelligere debet, quia de hac tantùm loquimur, & hac ratione maior est falsa; nō enim intellect⁹ differt à sensu per id, quod primò intelligit primitate originis, imò in hoc conuenit cum sensu; si verò vtrobiq; accipiat primitatē principalitatis, vera est maior, sed ad rem nō facit, differre namq; intellectū à sensu concedimus per cognitionē vniuersalis, quod primò, id est, præcipuè ab eo intelligitur: quòd si dicens, quo primo differt intellectus à sensu, intelligat quo præcipuo, dicens autem, illud est primò intelligibile, intelligat secundùm originem, falsa sic quoq; est maior, nam præcipuè distinguitur intellectus à sensu per cognitionē vniuersalis, nō tamen hoc primùm cognoscit secundùm originem; quum enim hæc sit præcipua, & finalis operatio, debet esse posterior cognitione singularis, quoniam illa, quæ ad finem diriguntur, debēt ipsi fini anteire. Ad secundum possumus negare consequētiam, quia perfectio, & actuatio intellectus non consistit in cognitione singularis; quòd si quis etiam concēdat hanc esse actuationem aliquam, possumus totum cōcedere: ad probationem autē falsitatis dicimus intellectum ad cognoscendum singulare non [illegible] intellectu agente, sed propter ab-

Contradictio in dictis Ianelli.

Ad primum Thomistarum.

Ad secundū.

A stractionem vniuersalis; quoniam igitur cognitio vniuersalium est præcipua, & propria operatio intellectus, fuit ei necessaria opera intellectus agentis, & hoc pronuntiatur clarè ab Aristotele in eo contex. 10. lib. 3. de Anima: ideo argumentum quoque, quod inde Ianellus sumit, vanum est, & nititur prauæ eius loci interpretationi; Aristotel. enim cognitionem singularis ibi comparat cum linea recta, non cum obliqua, proinde vult singulare primò intelligi, non vniuersale. Plura hac
B de re legi possunt apud Gregorium Ariminensem 1. Sentent. distinctione 3. quæstione 3.

Declaratio quæstionis de ordine intelligendi vniuersalia. Cap. VI.

HAec de intellectione singularium dicta sint. Multò maior nos de vniuersalibus difficultas manet: quū enim alia magis, alia minùs vniuersalia sint, dubiū est vtrū priùs ab intellectu cognoscatur, an magis vni-
C uersale, an minùs; vt an priùs in mente nostra imprimatur conceptus corporis, deinde conceptus viuentis, deinde animalis, deinde hominis, & equi, & aliarum specierū, an è cōtrario, primùm cognoscatur species, dein genus propinquius, deinde alia remotiora, & postremò omnium id, quod supremū est: loquimur aūt de tēporis tantum, atq; originis ordine, & de sola cognitione confusa, hoc est de prima rudi horū simplicium conceptuū impressio-
D ne in nobis; etenim distinctæ cognitionis ordinem arbitrarium esse iam diximus, ideoq; de ipso præcepta à Logico tradi; nec vllus vnquàm dubitauit, quin in adipiscēda distincta rerum notitia necessarium sit priùs vniuersaliora cognoscere, quàm minùs vniuersalia, qa nequeunt hæc perfectè cognosci, nisi illa sint perfectè cognita; est enī genus de essentia speciei, proinde nō potest perfectè cognosci species ignorato genere; igitur necesse est priùs
E naturam corporis intelligere, quàm naturam viuentis, & hanc priùs, quàm naturā animalis, & hanc priùs, quàm naturas proprias specierum: hoc ordine traditā ab Arist. esse naturalē philosophiam nos in libr. nostro de Naturalis scientiæ cōstitutione demonstrauimus, eūq; ordinem in 4 contex. lib. 1. Phys. auscultat. ab Arist. propositū esse arbitramur. De hoc igitur distinctæ cognitionis ordine, nos in præsentia non loquimur, sed de ordine cognitio-
F nis confusæ, quē cognoscere potiùs nos oportet vt rem naturalem, & mētis nostræ proprietatem quandam cognitu dignam, quàm vlla de hoc præcepta tradere; quandoquidem illa, quæ non in nostro arbitrio posita, sed naturalia, & necessaria sunt, sub sciētiā potiùs, quàm sub præceptiones nostras cadere vidētur. Præterea neque confusæ notitiæ nostræ cum distincta comparationem vllam in præsentia facturi sumus, quum id quoque certum sit, confusam cuiusq; rei notitiam præcedere distin-

ra cognitioni eiusdem rei: dimissa igitur pe- A nitus cognitione distincta, solam confusam consideraturi sumus, & ratione duce inuestigaturi, an cognitione confusa prius origine, ac tempore cognoscatur à nostro intellectu magis vniuersale, an minùs vniuersale.

Scoti opinio & argumenta. Cap. VII.

Variæ hac de re opiniones extiterūt, quarum duæ extremæ, & cōtrariæ sunt, vna Thomæ, altera Scoti, aliæ verò mediæ. Scotus in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 2. asserit B minùs vniuersale, hoc est vltimā speciem, esse primū cognitū ab intellectu nostro cognitione cōfusa, & ad id probādum tribus argumentis vtitur. *Primum argumentum.* Primum, quod à Scotistis validissimum esse censetur, tale est: agens naturale satis propinquum patienti sufficienter præparato, atque idoneo ad recipiendum, secluso omni impedimēto, producit effectum perfectissimū, quem producere potest; proponatur igitur cognoscendus homo in distātia debita C cōstitutus, qui possit mouere, & cognosci & vt corpus, & vt animal, & vt homo, obiectum hoc est agēs naturale cōuenienter propinquū, nec impeditum, intellectus autē noster est naturaliter aptus, ac præparatus ad omnem conceptum recipiendum, ergo prius imprimetur in intellectu cōcept⁹ hominis, qui aliorū perfectissimus est; potentia namque imprimendi cōceptum hominis tāquam validior præualebit alijs, scilicet potentiæ imprimendi conce- D ptum corporis, & cōceptum animalis; itaque prius cognoscetur homo, quàm animal, & corpus. *Secundum argumentum.* Secundò ita argumentatur Scotus: si primum cognitum esset magis vniuersale, diuina scientia esset omnium prima secūdùm ordinem nostrum cognoscendi; cōsequens falsum est, vt eius inscriptio declarat, inscribitur enim μετὰ τὰ φυσικά, hoc est, post naturalem scientiam addiscenda: patet cōsequentia; quia subiectum Metaphysicæ est ens prout ens est, E quod est omnium amplissimum, quare esset etiam nobis omnium notissimum. *Tertium argumentum.* Tertiò sic: si primum cognitum esset magis vniuersale, maximum tēpus interponeretur antequam à summo genere ad speciem infimā perueniremus, quia transeundum est per omnia genera media, quorum aliqua sunt ignota, vt ait Aristot. in context. 28. septimi Metaphysicorum, vbi dicit ignorari proximum genus asini, & equi. *Quartum argumentum.* Quartò idem sic confirmare possumus: F ita se habet species ad genus, vt singulare ad speciem; vt enim singulare sub specie est, & ea de ipso prædicatur in quid, ita species est sub genere, quod de ea in quid prædicatur; atqui indiuiduum cognoscitur ab intellectu prius quàm species, sicut antè ostensum est; ergo etiam species prius, quàm genus. *Quintum argumentum.* Præterea res iudicantur magis, vel minus tales ex maiore, vel minore propinquitate ad primum tale; atqui id, quod primum omnium intelligitur, est singulare, & illi propinquior est species, quàm genus; ergo prius ab intellectu cognoscitur species, quàm genus.

Thomæ opinio & argumenta. Cap. IIX.

Thomas verò in proœmio 1. Physic. & in 1 part Sum. quæst. 85. cōtrariam sententiam tuetur, primum cognitum cognitione confusa esse magis vniuersale; eamque probat auctoritate Aristot. in proœmio 1. Physic. qui eam manifestè pronūtiare videtur, dicens à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progrediendum esse tanquam à notioribus nobis: *Primum argumentum.* probat etiam hoc Aristot. ibidem hoc pacto: omne totum cognoscitur prius, quàm partes, tum à sensu, tum ab intellectu; at magis vniuersale respectu minus vniuersalis est totum quoddam, quod etiam Porphyrius asserit in capite de Specie; ergo prius ab intellectu cognoscitur id, quod magis vniuersale est, quàm id, quod minùs. Vtitur præter ea Thomas tali argumento, quo huiusce rei *Secundum argumentum.* rationem, & causam adducere videtur: mens nostra, quando nascimur, est sicuti tabella abrasa, in qua nihil descriptū est; non potest igitur à perfecta ignorantia ad perfectam scientiam trāsire, nisi per media; atqui perfecta cognitio est cognitio infimæ speciei, cognitio verò vniuersalium est confusa, & potentialis, quia cognitio animalis est hominis cognitio potestate, & confusè: debet igitur auspicari ab vniuersalioribus, quorum cognitio confusior atque imperfectior est, deinde per differentias descendere, donec plenam, & perfectam vltimarum specierum cognitionem adipiscatur, harum enim perfecta cognitio est finis nostræ contemplationis. Experientia quoque hoc cō- *Tertium argumentum.* probatur: nam multorum animalium, ac multarum stirpium speciem, & naturam propriā ignoramus, genus tamen cognoscimus, & inter genera illud magis cognoscim⁹, quod cōmunius est: cuius nulla alia esse videtur ratio, quàm quod facilius cognitu est genus, quàm species. proinde etiam prius cognoscitur; nam id, quod facilius cognitu est, prius tempore cognoscitur, quum cognitio nostra à facilioribus incipiat. Præterea idem cōfirmatur exem- *Quartum argumentum.* plo illo vulgato animalis à remoto loco venientis: primùm enim non cognoscitur, nisi vt corpus, quia discernere adhuc non possumus an sit animal, an corpus aliquod inanimatum; postea verò propinquius factum cognoscitur esse animal, at non discernitur an sit homo, an equus, an asinus; postea verò cognoscitur etiam vt homo: quoniam igitur ex sensione intellectio fit, eodem ordine debet intellectus vniuersalia intelligere, quo à sensu singularia sentiuntur; à sensu aūt illud cognoscitur primùm vt hoc corpus, deinde vt hoc animal, tandem verò vt hic homo; simili- ter ergo ab intellectu debet primùm con- corpus, [illegible] animal, tandem verò h-

Horum autem argumentorum vis, & effica- A citas postea quũ huiusce rei veritatem declarabimus, diligentiùs expendetur.

Genua opinio, & prædictarum opinionum conciliatio. Cap. IX.

HAs duas cõtrarias Thomæ, & Scoti sententias M. Antonius Genua præceptor meus putauit media quadã opinione posse cõciliari. dixit enim distinguendam esse cognitionem, duplex enim est; vna actualis, B altera habitualis; actualis cognitio est qualibet prima cuiusque rei apprehensio ex phantasmate oblato intellectui, & ipsum mouente actu; habitualis verò est quædam naturalis aptitudo, & propensio tum rerum cognoscibilium, vt ordine quodam ab intellectu recipiantur, tum ipsius intellectus ad eas ordinatim recipiendas: hac distinctione constituta dicebat Thomam & Scotum concordes esse, quũ ambo dixerint cognitione confusa actuali pri C mum cognitum esse speciem infimam, cognitione autem confusa habituali primum cognitum esse id, quod est maximè vniuersale: hanc Scoti sententiam fuisse facilè ostendebat considerando ea, quæ à Scoto dicuntur in prædicta sua quæstione; ibi namq; Scotus dicit, si consideremus aptitudinem seu habilitatem intellectus vt ab obiectis perficiatur, & ipsarum quoque rerum aptitudinem vt ipsum perficiant ordine quodam, is ordo talis est, vt D priùs communiores conceptus sint imprimendi, quàm minùs communes, natura enim in omnibus progreditur ab imperfecto ad perfectum: at quando accedit intellectus ad actũ ipsum apprehendendi, & cognoscendi, perturbatur hic ordo, & impeditur à facultate motrice infimæ speciei, quæ validior est, quũ eius singularia validius moueat sensum; proinde facit vt priùs in intellectu imprimatur species quàm genus: quare dubitandum non est E vtrunq; dictum manifestè à Scoto fuisse prolatum. Quòd verò etiam Thomas vtrunque protulerit, ostendere nitebatur considerando ea, quæ ab ipso dicuntur in prædicto proœmio 1. Physic. nam ibi in cont. 5. Thomas asserit hoc nomẽ, homo, notius nobis esse quàm partes definitionis, animal, & rationale; quare concedit hominem esse nobis notiorẽ cognitione confusa, quàm animal, respicit enim actualem cognitionem, quam etiam Scotus F respexit: quando autem dicit vniuersalius esse nobis notius, respicit habitualem cognitionem, non amplius actualem, vt eius verba declarant; inquit enim intellectum tendentem ad perfectionem adipiscendam auspicari primùm à cognitione rerum vniuersaliorũ, quæ imperfectiores sunt, & ab ijs ad minùs vniuersales transire, donec ad infimam speciem quę perfectissima est, perueniat: sic autem Thomas denotat cognitionem habitualem, quũ consideret naturalem illam intellectus habilitatem vt ordine quodam diuersos habitus adipiscatur, quæ consentanea etiam est ipsi naturæ, quæ in operando procedere semper solet ab imperfectioribus ad perfectiora. Sed hæc dicens Genua videtur potius in omnibus ad vnguem sequi opinionem Scoti, & niti ad eam trahere verba Thomæ, quàm aliquid medium, quo illi concilientur, adducere: Scotus enim in illa sua quæstione tum vtitur illa ipsa distinctione notitię actualis, & habitualis, tum hæc tria dicta probat; cognitione actuali confusa primum cognitum esse minus vniuersale; cognitione actuali distincta primũ cognitũ esse magis vniuersale; cognitione habituali primum cognitũ esse magis vniuersale; quæ omnia sequens Genua nititur ea Thomæ attribuere. Attamen primũ dictum à sententia Thomę alienissimum est, qui absq; dubio putauit cognitione actuali confusa primum cognitũ esse magis vniuersale: dicens enim mentem nostrã oriri vt tabellam abrasam, in qua nihil scriptũ est, & auspicari à conceptib⁹ imperfectioribus, non solam aptitudinem respicit, sed actum ipsum apprehendendi, hunc enim vult esse aptitudini consentaneum, ita vt, quo ordine aptus est intellectus res apprehendere, & quo ipsæ sunt aptæ apprehẽdi, eo ipso apprehendantur ab intellectu neq; vllam impedimẽti mentionem facit: contrà verò Scotus inquit actũ aptitudini contrarium esse propter impedimentum illatum à magna vi motrice speciei, quod quidem neq; à Thoma dicitur, neq; videtur esse cõsentaneum rationi, quia natura nihil frustra facit; quare non debuit menti nostræ tribuere hanc naturalem aptitudinem vt certo ordine res cognoscat, si nunquam seruandus hic ordo erat, sed potiùs contrarius; sic enim propensio illa naturalis nunquam duceretur ad actum, quod dicendum esse non videtur. Neq; verba Thomæ in contex. 5. primi Physic. id, quod Genua existimauit, significare possunt: ibi nanq; & Thomas, & Aristot. speciem considerant tanquam totũ definibile, quod dicunt notius esse partibus definitionis, hoc autem dicere nihil aliud est, quàm dicere speciem priùs cognosci cõfusè, quàm distinctè, quod quidem clarum est, & à nemine vnquã negatũ: ideo animaduertendum est animal respectu hominis posse duobus modis considerari; vno modo vt eius pars essentialis, qua ratione homo vt totum confusum notius est animali vt parte, idq; ibi significare Thomas voluit, vt legentibus manifestum est: altero autem modo vt totum potentiale continens hominem vt partẽ. in quo sensu ibi non accipitur: sed putauit Thomas genus ita acceptum vt totum quoddam confusum esse prius cognitum cognitione confusa, quàm speciem, quod tamen Scotus negauit; hoc autem est, de quo nunc est nobis proposita disputatio: quare Thomas, & Scotus hac in re concordes non sunt.

Quid sit cognitio actualis, & quid habitualis secundum alios.

Cõciliationis confutatio.

Animal respectu hominis est & totum, & pars.

Zimaræ, & Achillini opinio.
Cap. X.

MArcus Antonius Zimara, & Alexander Achillinus prædictis argumentis moti in mediam quandam sententiā inciderunt, quam tutissimam esse existimarunt: dixerunt enim & Thomæ, & Scoti opinionem vniuersè sumptam vtranque falsam esse, veram tamē esse vtranq; vt particularem, quia in quibusdam notum priùs est magis vniuersale, in quibusdam verò minùs vniuersale, proinde nullam certam vniuersalem regulam de primo cognito tradi posse: ideoq; errasse Thomam dicētem in omnibus primum cognitum esse magis vniuersale, errasse etiam Scotum putātem minùs vniuersale in omnibus esse primū cognitū; quanquā (dicāt) minùs errauit Thomas, quia sæpius euenit vt magis vniuersale sit primum cognitum, quàm vt minùs vniuersale. Quòd autem vtrunque contingat, probant sic: multi cognoscunt id, quod offertur, esse herbam, sed quęnam herbæ species sit ignorant; & cognoscunt aliquod esse animal, quæ verò animalis species, ignorant; tunc igitur est illis priùs cognitum magis vniuersale, quàm minùs vniuersale, quandoq; tamen contrarium contingit; nam Aristot. 7. Metaphys. context. 28. inquit aliqua genera media ignorari, vt proximum genus equi, & asini; tunc igitur notior est species, quàm genus, quum species equi, & asini cognoscantur, proximum autem eorum genus ignoretur. Huius diuersitatis causam refert Zimara in sensum: omnis enim intellectualis cognitio à sensu pendet, sensilia verò, quæ per se, & propriè sentiuntur, accidentia sunt, ideo ex horū varietate prouenit in intellectu hæc diuersitas; quando enim accidentia generis sunt magis sensilia, quàm accidētia speciei, tunc priùs cognoscitur ab intellectu gen^s, quàm species; quando autem magis sensilia sunt accidentia speciei, quàm accidētia generis, priùs cognoscitur ab intellectu species, quàm genus; magis enim sensilia sunt accidē.ia propria equi, & asini, quam accidentia proximi eorum generis, ideo priùs cognitæ sunt intellectui hæ species, quàm illud genus. Hæc fuit horum sententia, quæ quātum in se veritatis habeat, postea re cognita intelligetur.

Nostræ cognitionis distinctio.
Cap. XI.

IN hac difficultate, & sententiarum varietate vt veritas manifesta fiat, & aliorum errores cognoscantur, necessarium ante omnia est rectè distinguere, ne in ambiguitatem, in quā plures inciderunt, nos quoq; labamur; etenim in hoc plures defecisse arbitror, quòd non bene distinxerunt, illa nanque, qua multi vsi sunt, cognitionis nostræ distinctio in actualem ... reprehensione non vacat:

quanquam enim nominum impositiones, & appellationes arbitrariæ esse videntur, conuenit tamē à proprijs vocabulorum significationibus nō recedere, quod illi fecerūt, dum cognitionem habitualem impropriè appellarunt, ab eis acceptam ab actuali distinxerūt: quemadmodū enim potentia acquirendi habitum nō rectè habitus nominatur, ita neq; aptitudo intellectus ad habitus ordinatim comparādos rectè appellatur cognitio habitualis, quū neque adhuc cognitio sit, neq; habitus vllus in intellectu insit, sed rectiùs potētialis appellaretur, sic enim opponi posset cognitioni actuali quoniam actui non habitus opponitur, sed potentia: quæ aūt propriè sit vocāda habitualis cognitio, postea considerabimus: nunc dicimus nil aliud sua illa distinctione eos significasse, quàm nostram cognitionem vel actualem esse, vel potentialē, constat enim eos pro potētiali habitualē accepisse: vnde aliū ipsorū errorē colligimus, q́ de vtraq; hac cognitione duo contraria dicta protulerunt, quum tamen idem de vtraq; asserendū sit; quoniam, vt paulò antè dicebamus, nulla naturalis aptitudo potest esse frustra, aptitudo aūt nostri intellectus ad res certo ordine intelligendas nō potest esse potentia Logica, quum insit intellectui etiam nobis non cogitantib^s proinde ad actum ducēda est, ita vt cognitio actualis eodem ordine acquiratur, quo naturaliter apta est acquiri, & debita seruetur consonantia in rebus naturæ; idem ergo esse debet ordo cognitionis actualis, & cognitionis potentialis, quam illi satis impropriè habitualē appellarunt: propterea nos dimissa potentiali solam actualem considerabimus, quū de vtriusq; ordine idem sentiendū sit, & hanc oportunioie partitione ita diuidemus: omnis nostra actualis cognitio vel confusa est, vel distincta; quæ aūt vtraq; sit, docet Aristot. in initio lib. 2. Poster. Analyt. nam rei simplicis cognitionē habemus confusam, quādo cognoscimus ipsam esse, & ignoramus quid sit; distinctam verò quādo etiam quid sit cognoscimus; rem autē complexam confusè cognoscere est ignorata causa nosse solum quòd sit, distinctè verò est cognoscere propter quid: vtraq; hæc adhuc duplex est, & hac distinctione omnē tolli difficultatē arbitror: sed etiā in sola cōfusa notitia cōsiderare satis est, quū de hac sola sit nobis proposita disputatio; eandem enim distinctionē etiam distinctæ cognitioni accōmodare quisq; facilè poterit: certū est actualem nostram cōfusam rei simplicis notitiam duplicē esse, vel enim est prima rei apprehensio, quā antea nunquam cognouimus, vel est actualis cognitio rei etiam priùs cognitæ, quando enim mathematicus à somno excitatus incipit cōtemplari aliquod theorema mathematicū, est quidem illa actualis cognitio illius rei, non est tamen prima eius apprehensio, quia ille iampridē theorema illud apprehendit, & cam ...

Distinctio cognitionis nostra.

sem sæpius aliàs intellexit: prima autem conceptuum impressio magna ex parte in pueritia fit; ordinatim enim res, quæ à sensibus intellectui offeruntur, apprehēdere incipimus, quas priùs non cognoueramus, licet eum cognoscendi ordinem in illa ætate non animaduertamus; in singulo enim nostrûm necesse est aliquando primùm fuisse impressum conceptum animalis, conceptum equi, conceptū bouis, & alios omnes, idq; vt plurimū in pueritia factum est; euenit tamē vt etiam adultis, ac senibus offerãtur res aliquę eis antea prorsus incognitæ, proinde confusi earum conceptus tunc primùm in illorum animis imprimantur, quum priùs nullā prorsus earum notitiam habuerint. Quum ergo ita rem sese habere manifestum sit, liceat nobis hanc distinctionem proponere tum rei, tum vocabulorum significationi maximè consentaneam: cognitio nostra actualis confusa duplex est, vna originalis, altera verò habitualis; rectiùs enim habitualis appellatur illa, quæ fit ex habitu iampridem acquisito, vt quando ego equum actu intelligo, cùius notitiam iampridem in pueritia acquisiui, quam mera aptitudo ad habitus comparādos; intellectus enim postquam contraxit habitus, potest res actu contemplari, quando vult; ideo eam actualem cognitionem, quæ fit ex habitu, voco in præsentia cognitionem habitualem: sed quando primùm concepi animo equum, illa fuit prima origo impressionis illius conceptus, eamq; in præsentia appello cognitionem originalem: quare actualem non accipio vt ab habituali distinctam, sicut eam Scotus, & alij acceperunt, sed vt cōmunem originali, & habituali, quum vtranq; actualem esse manifestum sit; nec dubito quin omnes iudiciosi viri nostram hanc & habitualis, & actualis notitiæ acceptionem tãquam maximè propriam, & rei, ac vocibus ipsis conuenientem approbaturi sint.

Cognitio nostra vel est originalis, vel habitualis.

A–C (margin letters)

Quodnam sit primum cognitum cognitione actuali originali confusa.

Cap. XII.

HAc distinctione constituta puto totam huiusce rei veritatem tribus assertionibus contineri, quarum prima de cognitione originali talis est: primū cognitione actuali originali confusa est maximè vniuersale, vt rectè sensit D Thomas, & cum eo Auerroes, & Græci omnes, quam sententiā defendit etiam Ioānes Gandauensis aduersus Scotum in sua quæstione in procemio 1. Physic. Probatur assertio hæc multifariam: primùm quidem auctoritate, & ratione Arıstot. in eo procemio, quam superiùs quoq; considerauimus; sed ea nunc accuratiùs est perpendenda: Arist. enim eo in loco inquit à magis vniuersalibus ad minùs vniuersalia progrediendum esse tanquam à notioribus nobis, & rationē

Prima conclusio.

Primum argumentum.

A adducit, quoniā omne totū, & confusum notius nobis est, quàm partes. Non latuit Scotistas locus ille, qui respondetūt Aristot. ibi loqui de ordine cognitionis distinctæ; quā in ea scientia traditurus erat, proinde locū illū Scoto non obesse, quū etiam Scotus fateatur cognitione distincta priùs esse cognitum magis vniuersale, quàm minùs vniuersale; sed de cognitione confusa nihil ex eo loco colligi, quū de ea ibi Aristot. nō loquatur. At hoc dicentes
B significant se Arist. & eius artificiū non intelligere, quod breuiter declaro. Aristot ibi in 4. cōtex. proponens ab vniuersalibus ad particularia progrediendū esse, vtiq; significat ordinem cognitionis distinctę: proposuit enim ordinē seruandum in tractādis reb. naturalibus, quarū cognitionem tradēdam sibi proposuit non confusam, sed distinctam; hanc enim nos adhuc nō habemus, sed eam ex lectione librorū Aristot. adipiscimur. Postea verò probās A-
C ristot. illam cōclusionē assumpsit eam minorē, vniuersalius est nobis notius, quam tribus argumentis cōfirmauit, nec potuit intelligere alio modo notius, quàm cognitione confusa, quod manifestū est in tribus illis argumētis: totū enim est notius sensui, quàm partes cognitione cōfusa: nomē est nobis notius, quàm definitio, cognitione cōfusa, vt etiam exprēssè ibi Aristot. testatur, dū inquit nomen significare totū quoddam confusè: prima quoque
D puerorum cognitio quādo omnem virum vocāt patrem, & omnem fœminam matrem, est cognitio cōfusa: itaq; si conueniens, & valida esse debeat illa triplex minoris propositionis probatio, non potest minor illa intelligi, nisi de cognitione cōfusa: præterea dicen. ibi Arist. in context. 4. vniuersale esse totum quoddam, & multa cōtinere vt partes, cōfusam cognitionem denotat; id enim quod accipitur vt totū confusum, & priùs notū, quàm partes,
E non est nisi confusè cognitum, quum adhuc ignorentur partes: in ordine aūt cognitionis distinctę animal genus non modò vt totū cognoscitur priùs, quàm species, verùm etiam vt singularū specierū pars essentialis; quod quidem Aristot. ibi nō considerat, quia sumit totum commune vt confusè tantùm cognitum. Patet igitur Aristot. probantem ex ea minore conclusionem positam in initio illius 4. contextus, argumentari à confusa nostra cogni-
F tione ad distinctam, quam in ea scientia tradere vult; ordinem enim seruādum in tradenda perfecta scientia rerum naturalium confirmat ex ordine cognitionis nostræ confusæ, tanquam ex ordine nostro addiscendi naturali probans ordinē artificiosum: nam, quemadmodum initio dicebamus, ordo, quo distinctam rerum notitiam comparamus, artificiosus, atq; arbitrarius est, ordo autem, quo à pueritia per sensus cognitionem rerum confusam acquirimus, naturalis [illegible] nam [illegible] tur hic cōfusæ cognition[illegible]

Scotistarum responsio.

Confutatio.

Declaratio contex 4. in 1. lib. Physic.

vt priùs cognoscamus ea, quæ magis vniuersalia sunt, postea verò illa, quæ sunt minùs vniuersalia; ex hoc infert Aristot. talem esse debere etiã ordinem distinctæ cognitionis, qué in ea scientia seruaturus erat: voluit autem ea ratione significare, artem debere in hoc naturam imitari, nempe vt ordo artificiosus, quo ad rerum scientiam adipiscendam vtamur, sequatur mentis nostræ propensionem naturalem; ita vt eo ordine ad rerum scientiam capessendam progrediamur, quo ipsa naturaliter, ac sine artificio nostro res apprehendit: sic enim ordinem doctrinæ sequi ordinem rerũ naturalium docuimus aliàs in libris de Methodis: quod autem Aristot. ab ordine cognitionis confusæ ad ordinem distinctæ cognitionis argumentetur, ex eo etiam patet, quòd distincta cognitione & magis vniuersalia, & minùs vniuersalia eo in loco incognita esse statuuntur: quando ergo inquit Aristot. vniuersaliora esse nobis notiora, non potest intelligere nisi cognitione confusa. Alio quoq; argumento hæc prima nostra assertio confirmari potest, quod à Scoto adducitur in sua quæstione prædicta ad suam tuendam opinionem, nec vidit Scotus illud cõtra ipsum facere, & D. Thomæ opinioni suffragari; imò ego arbitror hoc esse validissimum omnium argumẽtorum, quæ aduersus Scotum pro sententia nostra adduci possint, etenim verã huius nostrę assertionis ratio, & æquata causa eo argumento adducitur; Scotus ita argumẽtatur: illud est facilioris intellectionis, quod est facilioris abstractionis; species est facilioris abstractionis, quàm genus; ergo species est facilioris intellectionis, proinde est priùs cognita, quàm genus; in eo enim consentire omnes videntur, ꝙ ea quæ faciliora cognitu sunt, priùs etiam cognoscantur, idq; verissimũ est, vt postea dicemus; maior ꝓpositio clara est eo fundamento cõstituto, quòd vniuersaliũ intellectio est abstractio quædam, vel nõ fit sine abstractione; minorem ita probat: illud faciliùs abstrahitur, quod à paucioribus separatur; at species à paucioribus separatur, genus verò à pluribus; ergo species faciliùs abstrahitur, quàm genus: maior manifesta esse videtur, minor probatur; quia species abiungitur mente à solis accidentibus indiuiduantibus, genus verò separatur & ab eisdem, & ab ipsa quoq; speciei natura, & quãtò superius in categoria genus fuerit, tantò à pluribus separabitur, nẽpe ab omnibus eo inferioribus; corpus igitur est difficillimæ abstractionis, homo verò, & equus facillimæ. Hoc Scoti argumentum manifestè ipsi aduersatur, & miror quòd multi eius fallaciã non animaduerterint; nam in specie sunt aggregatæ plures cõditiones, & coniunctæ plures differentiæ, quàm in genere, omnes enim cõditiones, quæ actu sunt in animali, sunt etiam in homine, & aliæ præter eas; ... mine abstrahere velimus,

Lib. 1. c. 10.

Secundum argumentum.

Nota cur magis fit speciei abstractio, quàm generis, proinde ... ior.

A oportet vt cõditiones hominis proprias relinquamus, reliquas verò cõmuniores accipiamus; quare species maiorem habet cõpositionem, quàm genus, & genus est simplicius specie: quoniam igitur abstrahere est aliqua accipere dimissis alijs, certum est difficultaté abstractionis cõsistere in accipiẽdo plura, relinquendo pauca, non in accipiendo pauca, relinquendo plura: proinde in abstractione speciei vltimæ verum est id, quod Scotus dicit, pauca
B relinqui; sed hoc non facit abstractionem faciliorem, vt ipse sumit, sed potiùs difficiliorẽ, nam si pauca relinquuntur, plura sumuntur; quoniam igitur in infima specie sunt coniunctæ plurimæ differentiæ, & cõditiones, in supremo autem genere paucæ, ideo difficillima est abstractio infimæ speciei, summi verò generis facillima: in eo igitur deceptus est Scotus, quòd ex paucitate iudicans abstractionis facilitaté, paucitatem accepit eorum, quæ re-
C linquuntur, quum eorum, quæ sumuntur, accipere debuerit; si namq; aceruus lignorum proponatur, ex quo sint aliqua accipienda, & aliqua relinquenda, certum est facilitatem auferendi cõsistere in paucitate eorum, quæ accipiuntur, non eorũ, quæ relinquuntur; nam facilius est pauca ligna auferre relinquendo multa, quàm auferre multa, relinquẽdo pauca. Videtur autem Scotus hoc argumento vtens statuisse fundamentum hoc, quòd intel-
D lectus abstrahẽs hoc ab alijs debet cognoscere illa alia, á quib⁹ abstrahit; sic enim videtur abstractionis difficultas cõsistere in multitudine eorũ, quæ relinquuntur: sed id minimè verũ est, & aduersatur propriæ naturæ abstractionis, & significationi huius vocis, abstrahere; nil enim aliud est abstrahere, nisi apprehendere vnum non apprehensis alijs, vt abstrahere animal ab homine nil aliud est, quàm solam animalis naturam in homine contẽplari, pro-
E pria hominis natura non consideratā; est igitur necessaria abstractionis cõditio, vt in ipso abstrahendi actu reliqua non cognoscantur, & id solum, quod apprehenditur, intelligatur; quia si in illo actu alia quoque cognoscantur, nulla fit abstractio. Ideo si accepta maiore propositione argumenti Scoti, minorem illi veriorem subiungamus, fiet argumentum efficacissimum ad eius sententiã oppugnandã, nostram verò, ac D. Thomæ demonstrandam:
F illud est facilioris intellectionis, quod est facilioris abstractionis; at genus est facilioris abstractionis, quàm species; ergo est facilioris intellectionis, proinde priùs cognoscitur, quàm species. Videtur etiam sententia hæc consona esse opinioni omnium antiquorum philosophorũ, omnes enim putarunt facillimum esse rerum conuenientiam cognoscere, differentias autem difficillimum; qui enim omnes rerum differentias, quibus inter se discrepant, cognoscat, is rerum omnium sciẽtiam habet; faciliùs ergo vniuersalia cognoscim⁹, in quo

Tertium argumentum.

bus res conueniunt, quàm propria, quibus differunt: idque etiam quotidie experimur, nam ego aliquando vidi piscem quendam, quem putaui esse auratum piscem, tamen piscatores dixerunt non esse piscem auratum, sed aliam quandam speciem; ego igitur solam conuenientiam illius piscis cum aurato animaduerti, differentiam autem non animaduerti: sic pueri conuenientiam asini cum equo, & mulo cognoscunt, sed eorum differentias non discernunt: nos quoq; adulti cognoscimus ex loco valde remoto conuenientiam equi, & asini, & muli, differentiam verò conspicere non possumus, nisi propinquiores simus; faciliùs igitur conuenientia cognoscitur, quàm differentia. Possumus præterea argumentū sumere ab ordine sentiendi; quoniam enim omnis nostra intellectio à sensu originem sumit; necesse est vt qualis est sentiendi ordo, talis sit etiam ordo intelligendi, præsertim cognitione confusa, de qua nunc loquimur: sciendū itaq; est illa, quæ propriè, ac per se sentiuntur, accidentia esse, substantiam autē non sentiri per se, sed per accidens, vt ait Aristot. in 2. lib. de Anima; existunt autē accidentia omnia in substantijs indiuiduis, & quia in eisdem latent etiā naturæ omnes cōmunes, ideo accidentium quoque hoc est discrimen, quòd alia insequuntur naturam communiorem, alia naturam minùs communem: nutriri enim & augeri competit omni viuenti, proinde huic homini competit quatenus habet in se naturam viuentis; sentire autem omni animali, & huic homini quatenus habet animalis naturam; loqui verò homini tantùm, & huic homini quatenus est homo: conceptus igitur confusus rei vniuersalis in intellectu non fit nisi ex sensione accidentium illius vniuersalis à sensu facta: videtur autem omnis natura communis in singularibus latens habere necessariò aliqua accidentia sensilia eam insequentia; neq; dicendum est dari genus aliquod, cuius nullum sit in singularibus sensile accidens, vt significat Aristot. in lib. 2. Priorum Analyt cap. vlt. ibi nanque videtur innuere naturam omnem relinquere aliquod in corpore vestigium sui, per quod cognoscatur; esset enim reprehendenda natura, si aliquam communem naturam in rebus sensilibus posuisset, quæ nullam haberet sensilem affectionem, per quā confusè saltem cognosci possit: argumento esse potest anima nostra rationalis, quæ maximè omnium formarum materiam informantium elata est supra materiam, sensiles tamen habet operationes, per quas in homine cognoscitur, vt docere, & loqui, & manibus ad plurima opera vti; sunt enim manus organum intellectus, non quidē ad cognoscendum, sed ad agēdum: ipsa quoque prima materia, quamuis à sensibus remotissima, ijsque maximè abscondita, habet tamen in corporibus aliqua sensilia accidentia,

Quartum argumentum.

Omnis natura communis habet in individuis accidentia ipsam insequentia.

A vt quantitatem, & mutabilitatem, per quam ab Aristot. demonstrata fuit: hinc colligimus singularia non solius infimæ speciei singularia esse, sed omnium quoque superiorum generum; Socrates enim non solùm est hic homo, verùm etiam hoc animal, & hoc viuens, & hoc corpus; omnia igitur singularis, quæ in aliqua natura communi cōueniant, necesse est vt aliquibus etiam cōmunibus accidentibus participent, quæ illam insequantur, & sint tanquam sensilia illius signa, atque vestigia. Hæc

B quum ita sese habeant, rationi cōsonum, imò etiam necessarium est, vt accidentia vniuersaliorū faciliùs sentiantur, proinde etiam priùs, quàm accidentia minùs vniuersalium; quo fit vt etiam intellectui priùs offerantur magis vniuersalia quàm minus vniuersalia: hoc autē probatur tum extensionem, tum intēsionem motionis considerando: extensionem quidē, quia illud magis mouet, quod sæpius mouet;

C atqui accidentia corporis sæpius offeruntur sensui, quàm accidentia animalis, & accidentia animalis sæpius quàm accidētia equi: nam accidentia corporis offeruntur sensui in omnibus corporibus tam animatis, quàm inanimatis, accidētia verò animalis in solis animalibus, sed non minùs in equo, quàm in cane, & in leone, & in alijs, accidentia verò equi in solo equo; patet autem in omnibus ex iterata, & multiplicata actione prodire aliquid, quod

D ex vnico actu prouenire nō potest, nam multæ guttæ cauant lapidem, quem neq; vna, neque pauciores cauarent; itaque accidentia rerum communiorum magis agunt in sensum actione extensiua, quàm accidentia rerum minùs communium; proinde conceptus vniuersaliores sæpius offeruntur intellectui, & magis ipsum mouent, quàm conceptus minùs communes; quamobrem si tot actuales motiones ad imprimendum conceptum requi-

E runtur, quibus pauciores non imprimerent, necesse est vt priùs conceptus communiores quàm minùs communes in intellectu imprimantur. Dico præterea accidentia rerum cōmuniorum magis agere in sensum intensione actionis, quàm accidentium minùs communium; propterea quòd accidentia vniuersaliorum simpliciora sunt, & pauciores differentias continent; accidentia verò minùs communium plures differentias comprehendunt,

F etenim ex necessitate continent omnes differentias vniuersaliorum; nam differētia, qua distinguitur animal à planta, comprehenditur ab ea differentia, qua distinguitur equus ab asino: ideo qui cognoscit accidentia, quibus differt equus ab asino, necesse est vt simul cognoscat accidentia, quibus differt animal à planta; non tamen è contrario, quia potest in equo discerni differētia, qua differt à planta, & illa ignorari, qua differt ab asino: quod idē intellectui contingere necessarium est: nam conceptus animalis sin-

ceptus equi, & esse potest sine illo; at conceptus equi maiorem habet compositionem, quum necessariò contineat actu conceptum animalis; siquidem equus est essentialiter animal; ideo conceptus inferiorū in categoria, vt etiam Scotus asserit, in superiorum conceptus resoluuntur: quoniam igitur faciliùs apprehenditur vnum, quàm duo simul, necesse est vt faciliùs cognoscatur animal, quàm equus; animal enim est animal, & nō est equus, equus verò est actu & equus, & animal: hoc autem experientia manifestè comprobatur; nam pueri primùm non distinguunt equum ab asino, neque à boue; sed eos omnes eodem nomine boues vocant, quia rudem illam animalis figuram, & motū cōspicantur, videntq; illud commune accidens, quod hi omnes curtum trahunt; at particularia lineamenta figuræ singulorum, & particulares morum conditiones nondum discernunt, hæ namq; differentiæ continent illas, quare maiorem iudicandi vim in sensu requirunt, vt videantur. Hinc sumi potest ratio erroris Scoti; ipse enim iudicabat agens validius ad agendum ex maiore eius perfectione quod quidem verum non est; sed agens validius esse iudicatur ex maiore eius proportione cum patiente, hoc est, ex maiore conuenientia potentiæ actiuæ cum potentia passiua patientis; in initio autem totius nostræ cognitionis omnes animi nostri facultates rudes, & potentiales sunt; ideo illa, quæ sunt rudia, & potentialia, faciliùs in animo imprimuntur, quia maiorem habent proportionem, & conuenietiam cum facultate recipientis, & quia facilius est vnum imprimere, quàm plura; sic enim videmus etiam ignem calidissimum agentem in aquam non statim imprimere omnes simul gradus caloris, sed vnum, deinde alium, donec imprimat omnes: huius autem difficultatis ratio sumitur ex iis, quæ aliàs de intellectu, ac de sensu diximus; cognoscunt enim non solùm patiendo, sed etiam agendo, hoc est, receptam speciem iudicando: vis autem iudicatrix in principio debilis est, nec potest illa statim iudicare, quæ plures differentias continent, sed priùs iudicat singulas differentias, & per gradus peruenit ad cognitionem perfectam, qua omnes simul differentias comprehendit; nihil enim aliud est cognoscere primò corpus, deinde viuens, deinde animal, deinde equum nisi ordine quodam vti in his omnibus conceptibus, qui in equo sunt, apprehendendis, donec omnes sint apprehensi; nam apprehendere vt corpus, est apprehendere solum conceptum corporis abiunctum ab aliis, apprehendere autem animal est apprehendere simul corpus, & animal, & hæc abstrahere à natura equi; sed apprehendere vt equum est omnes simul apprehendere, quoniam equus est actualiter & corpus & animal. Demonstrare rei veritas argumen-

Agens iudicatur validius non ex maiore perfectione, sed maiore proportione cum patiente.

Argumentū ab animali procul veniente.

A to illo vulgato, nec tamen à plerisq; satis intellecto, quod sumitur ab homine procul veniente; primùm enim cognoscitur vt hoc corpus, deinde vt hoc animal, tandem verò vt hic homo; seorsus ergo priùs discernit accidentia communiorum, deinde accidētia minùs communium, quare mens quoq; in intelligendo eundem ordinem seruat. Multi tamen putant argumentum hoc debile esse, & facilè solui decendo, sensum ob nimiam distātiam tunc de-

B cipi, ideoque non esse sumendum argumentum ab hoc exemplo, in quo anima in iudicando decipitur, sed ponendum esse obiectum in distantia conueniente, vbi non decipiatur; quia tunc manifestum erit illud idem mouere primùm vt huoc hominem, non vt hoc corpus. Sed qui hoc dicunt, huius argumenti vim non percipiunt, quod si bene intelligatur, insolubile est, & est demonstratio à posteriori: ipsi autem decipiuntur, dum dicunt in

C prædicto exemplo seosum decipi; decipitur enim quando existimatur esse aliquid, quod non est; in hoc autem exemplo quādo res illa primùm iudicatur vt corpus, sic creditur esse id, quod est; non est ergo deceptio, sed est imperfecta, & confusa cognitio: vt autem huius argumenti efficacitas intelligatur, ita argumētor: id quod validiùs mouet sensum, priùs etiam ipsum mouet; atqui accidentia corporis validiùs sensum mouent, quàm accidentia

D animalis, & hominis, ergo accidentia corporis priùs sentiuntur: maiorem negare nemo potest, Scotus quoq; hac eadem vtitur: minorem ita probo: quando pluribus agentibus idem offertur impedimentum, à quo vnum ex eis nō prohibetur ne agat, cætera verò prohibentur, id, quod prohiberi non potest, validiùs agit, etenim superat vim impedimenti, quàm superare alia non possunt; ille autem homo mouere sensum potest & vt hoc cor-

E pus, & vt hoc animal, & vt hic homo, nimia autem illa distantia est vnū & idem impedimentum his omnibus oblatum, ab eo tamen non potest impediri quin moueat vt corpus, impeditur autem ne moueat vt animal, & vt homo; ergo validiùs agit vt corpus, quàm vt animal, vel vt homo; & huius ratio iam declarata est superiùs: argumentum igitur efficacissimum est, & solui non potest.

Solutio aliquorum.

Impugnatio solutionum.

F De primo cognito cognitione habituali confusa. Cap. XIII.

De illa verò actuali cognitione, quæ sit ex habitu priùs acquisito, aliud est asserendū, hæc autem fieri duobus modis potest: quū enim in intellectu nullus maneat impressus conceptus, sicut alibi demonstrauimus, non potest intellectus intelligere actu, nisi à phantasmate moueatur; phātasma autem vel est productum ab obiecto externo præsente, vel ab imagine priùs impressa in memoria absq; præsentia externi obiecti: ita

quæ si externum obiectum absens esse statuatur, & intellectus iam habens habitum intelligat ex motione facta à phantasmate iam seruato in memoria, profero hanc assertionem,

Secunda conclusio.

quæ ex tribus propositis ordine secunda est: de hac habituali cognitione nihil certi pronunciari potest, sed tum magis vniuersale, tum minùs vniuersale potest esse primum cognitum: huius ratio in promptu est, quia intellectus iam statuitur contraxisse omnes habitus, tam communiores, quàm minùs communes, & potest eos contemplari quãdo vult, & eo ordine, quo vult; ideo vir sapiens postquam à somno excitatus est, potest statim naturam corporis contemplari, vel naturam animalis, vel naturam equi, & aliam quamlibet, cuius contemplandę habitum iam acquisiuerit.

Tertia conclusio.

Tertia demum assertio est: cognitione habituali, quę fiat ex oblatione obiecti materialis externi, primum cognitum est minùs vniuersale, cuius accidentia mouere sensum possint; vt si statuatur me iampridem cognouisse & corpus, & animal, & hominem, & mihi in distantia conueniente offeratur homo, ita vt sensum mouere possit & vt corpus, & vt animal, & vt homo, mouebit primùm vt homo, quod est dicere, mouebit secundũ hæc omnia simul: quòd si distantia tanta sit, vt mouere possit vt corpus, & vt animal, non tamẽ vt homo, mouebit primùm vt animal; & ita quodlibet externum obiectum, quod sensui offeratur, semper mouebit primò sensum, & per sensum etiam intellectum secũdum conceptum minùs communẽ inter illos, secundùm quos mouere possit. Ad hanc demonstrandam non potest efficacius argumentum adduci, quàm illud, quod primùm à Scoto allatũ est; id enim se vera nullam habet efficacitatem de prima actuali cognitione, quam nos originalem appellamus, sed de habituali, prout nos in præsentia habitualem sumimus, est efficacissimũ, & tale est: Agens naturale applicatum patiẽti bene præparato, secluso omni impedimento, producit effectum perfectissimum, quem ꝑducere potest; agit enim secundùm omnes suas vires, & patiens iam est ita præparatum, vt tantundem statim recipere aptum sit, quãtum agens agere potest: igitur si obiectum potest illicò mouere & vt corpus, & vt animal, & vt homo, mouebit statim vt homo, quia conceptus hominis perfectissimus est, & alios omnes continet; ipse autem intellectus est optimè præparatus, quia iam priùs contraxit habitum & corporis contemplandi, & animalis, & hominis; homine igitur oblato omnes simul apprehendit, dum apprehendit vt hominem: & hoc experientiã manifestè comprobatur; cuilibet enim cognoscenti corpus, & animal, & equum si offeratur equus, statim dicet esse equum: ideò Scotistæ dum huiusmodi exemplo, & argumento prædicto vtuntur, non animaduertunt se decipi, quum putent

A se probare de prima nostra originali cognitione, probetur tamen non de originali, sed solùm de illa, quæ fit ex habitu antea contracto: etenim de prima originali cognitione secus est, tunc enim intellectus noster rudis, & ineptus est, nec potest simul totam rei perfectionem apprehendere, sed per gradus, & paulatim eam apprehendit; quare incipit à communioribus conceptibus rei oblatæ, quemadmodum antea declarauimus.

Aliorum error.

Errarunt etiam ob eiusmodi exempla alij nonnulli, qui B propriam de primo cognito sententiam proferentes dixerunt, cognitione actuali confusa magis vniuersale vel priùs cognosci, quam minùs vniuersale, vel simul cũ illo, posteriùs autem nunquam, propterea quòd cum conceptu rei minùs vniuersalis coniuncti sunt alij omnes conceptus communiores. Sed isti non animaduerterunt, eam non esse primam actualem cognitionem, sed esse habitualem: C quando enim simul omnes cognoscũtur, ea non est prima origo cognitionis nostræ, sed est cognitio ex habitu, quæ originalem præsupponit; in ipsa autem originali necesse est eum ordinem esse seruatum, quem diximus, vt priùs acquisiti fuerint conceptus communiores, quàm minùs communes, idque fit potissimum in pueritia, & nobis nõ animaduertentibus. Notandum autem est, posse in homine adulto contingere, vt, licèt non omnes D habitus acquisiuerit, sed solos communiores, si illi offeratur aliqua noua species non ei cognita priùs, statim imprimatur eius conceptus confusus in intellectu; hoc enim fiet ꝓpter præparationem factam à conceptibus communioribus, qui iam sunt impressi: nam si mihi offeratur aliquod animal nouũ, quod nunquam ampliùs viderim, possum primo aspectu non discernere adhuc proprias differẽtias, quib. differt ab alijs, sed solùm inspicere E communia quædã accidentia, in quibus conuenit cũ aliquo alio animali; quod nobis frequenter euenit in auibus, & piscibus; & tunc nõ cognoscimus illam speciem secũdùm propriam rationem, sed solùm sub ratione generis nobis antea cogniti: possum etiam primo aspectu notare propria illius animalis accidẽtia, quibus distinguitur ab alijs, quæ nũquam in alio vidi, & statim dicere hanc esse nouam speciem animalis mihi antea non cognitam; F tunc aũt imprimitur in animo meo cõceptus confusus illius speciei, etiamsi nomen ignorẽ; neq; ob id sequitur speciem primò cognosci cognitione originali, etenim genera iampridem cognoui in alijs animalibus, si non in illo, hanc autem speciem nunc primùm; non enim tunc imprimeretur conceptus illius speciei, nisi haberem priùs contractos habitus generũ superiorũ, qui intellectum præparârunt, & ad huius speciei cognitionem aptum reddiderunt: illa igitur eius speciei cognitio erit secundùm se prima originalis [illegible] tio quam

præcesserit tempore cognitiones originales generum superiorum; ratione aūt conceptuum cōmuniorum potest illa eadem cognitio vocari habitualis, quoniam ex possessione habituum vniuersaliorum potuit statim conceptus illius speciei confusus in intellectu imprimi. Hæc, quæ de habituali cognitione diximus, à sententia Thomæ aliena nō sunt, neque illi aduersantur: ipse enim dicens esse primò cognitum magis vniuersale, solam originalem cognitionem respexit; quare id, quod de habituali diximus, ipse non negaret, vt cuilibet eius verba consideranti manifestum esse potest. Sed aduersus Scotum de cognitione originali confusa puto esse demonstratum, magis vniuersale semper esse primum cognitum; similiter cōtra Zimaram, & Achillinum, qui dixerunt primum cognitum esse quandoque magis vniuersale, quandoq; minùs vniuersale. Sed veritas manifestissima redderur, si solutis omnibus istorum argumentis omnem hac in re difficultatem sustulerimus.

Contrariorum argumentorum solutio. Cap. XIV.

SOluenda sunt argumenta, quæ & Scoti & recentiorum opinioni suffragari videbantur. Primum Scoti quantum roboris habeat, iam diximus: validum enim est de cognitione habituali, at non de originali, in qua mens nostra patiens non est adhuc bene præparata, vt recipere possit totam actionem agentis: quod verò Scotus dicit, eam habere æquam potentiam recipiendi omnes conceptus, verū aliquo modo est, sed aliquo etiam modo non verum; nam etiam prima materia potentiam habet æquè omnes formas recipiendi, non tamen eas recipit, nisi conuenienter præparetur; & ad alias recipiendas maiorē præparationem postulat, ad alias verò minorem; & aliquæ sunt formæ, quarum tanta est perfectio vt recipi in materia non possint, nisi priùs aliæ imperfectiores receptæ sint: quod ergo dicitur, materiam habere æquam potentiam recipiendi omnes formas, verum est respiciendo solam priuatiuam præparationem, sed non est verum de positiua; priuatiua materiæ præparatio est, vt æquè omnibus formis careat, sic enim æquè omnium est receptiua; at positiua præparatio non æqua ad omnes formas requiritur, sed ad alias maior, ad alias minor, neq; præparationem hanc habet materia ex sua natura, sed eam recipit ab alio: idē prorsus de mente nostra recipiente dicendum est; rudis enim nascitur, & æquè omnibus conceptibus carens, proinde æquè omnium receptiua: sed præter hanc priuatiuam præparationem requirit etiam aliam positiuam, quæ non æqua respectu omnium cōceptuum est; quare sine hac non potest statim quemlibet concep- [illegible] ere: ratio autem huius est, quam antea tetigimus, quia natura (vt dici tur) non facit saltum à pura potentia, & summa imperfectione ad supremam perfectionē, sed per media transit, donec ad vltimam perfectionem perueniat. Hæc autem tum per se manifesta sunt, tum manifestiora redduntur, si argumentum hoc Scoti contra ipsum retorqueamus: nam si agens naturale non impeditum producit statim effectum perfectissimū, quem producere potest, ergo oblata intellectui species aliqua vltima, vt equus, deberet statim producere conceptum suum distinctū, quia distincta cognitio est perfectior, quàm confusa; consequens tamen ipsi quoq; Scoto aduersatur, qui putat primum cognitum cognitione distincta esse magis vniuersale. Scotistæ tamen aliqui hoc animaduertentes Scotum tueri nituntur eius verba perpendendo: quum enim ipse dicat agens naturale producere statim effectum perfectissimum, quem primò potest, perpendunt ipsi eam dictionem, primò, & dicunt speciem vltimam non posse primo producere conceptum distinctum, sed totum confusum; quia distinctus maiorem laborē ac discursum requirit, nec primò imprimi potest. Sed per hoc Scotus non defenditur: hoc enim dicentes fatentur non esse vniuersè veram illam Scoti propositionem, agens naturale producit statim effectum perfectissimum, quem producere potest, sed debitam patientis præparationem requiri. Quòd si dicendo, quem primò potest, respicimus præparationem patientis, vt respicere debemus, vera est propositio: sed vltima species non potest producere primò, nisi conceptū vniuersalem, quoniam ad alios particulares recipiendos nondum est mens nostra bene præparata. Secundum Scoti argumentum erat: si primum cognitum cognitione confusa esset magis vniuersale, sequeretur Metaphysicam inter omnes scientias esse primam respectu nostræ cognitionis. Hoc quoque contra Scotum retorqueo: quæro an scientiæ sint disponendæ inter se iuxta ordinē cognitionis nostræ distinctæ, an confusæ: si distinctæ, ergo similiter metaphysica quo ad nos est prima, quia etiam apud Scotum magis vniuersale est primo cognitum cognitione distincta, quare argumentum etiam cōtra ipsum facit: si verò confusæ, ergo libri de Cœlo, & libri de Animalibus sunt anteponendi libris Physicæ auscultationis, si minùs vniuersale est nobis primò notum cognitione confusa, vt Scotus putat; nam subiectum librorum Physicæ auscultationis vniuersalius est, quàm proprium dictorum librorum subiectum. Ad argumentum autem multæ solent afferri responsiones, sed alijs dimissis hāc ego tutissimam, & optimam esse puto: metaphysica non alia ratione dicitur vltima quo ad nos, & post naturalem scientiam attingenda, nisi ratione partis in ea maximè præcipuæ, in qua

Ad primum Scoti argumentum.

Præparatio materiæ alia est priuatiua, alia positiua.

Ad septimum

in qua agitur de substantijs à materia abiunctis per essentiam, quæ quum sint à sensibus nostris remotissimæ, & maximè vniuersales in causando, sunt etiam nobis ignotissimæ, nec possunt cognosci, nisi priùs cognita sint quædam, quæ declarantur in naturali philosophia: Metaphysica igitur post naturalem scientiam addiscenda est, quia ordo melioris nostræ cognitionis hoc requirit. Sed aduersus hanc responsionem argumentabatur dupliciter M. Antonius Genua. Primò, quia pars Metaphysicæ, quæ est de abiunctis à materia per essentiam, parua, & minima est respectu illius partis, quæ est de ente, prout ens est, & de illis, quæ vocari solent abstracta per indifferentiam, hæc enim maxima est: quum igitur scientia à parte maiore sit nominanda, viget argumentum Scoti, Metaphysica enim prima quoad nos erit, non vltima. Secundò, quia sequeretur secandam esse Metaphysicam in duas partes; quarum altera, quæ est de ente, prout ens est, ante naturalem legenda esset, vt argumentum Scoti demonstrat: altera verò, quæ est de substantijs à materia separatis, legenda esset post naturalem. Hæ tamen obiectiones contra nostram responsionē non sunt alicuius momenti. Non prior, quia pars illa Metaphysic. quæ est de diuinis, quamuis mole parua sit, tamen præstantia, ac dignitate est maxima, nam multò pluris æstimanda est leuis, ac breuis tractatio de rebus nobilissimis, quàm diligens, & prolixa de rebus ignobilioribus, vt ait Aristoteles in 1. lib. de Partib. animal. cap. vltimo. Confirmatur hoc ex cōmuni illius disciplinæ appellatione; solet enim vocari scientia diuina; neque ob aliam causam, nisi, quia præcipuum eius subiectum est Deus, & res diuinæ: ergo si à parte minima nominatur diuina, quoniam ea pars nobilissima, ac maximè præcipua est, potest etiam appellari ob eandem rationem μετὰ τὰ φυσικά, propter eandem præstantissimam partem. Videmus præterea Aristotelem in Procemio Metaphysicæ summis laudibus eam scientiam extollere, & verè sapientiam appellare, neq; ob aliam rationem, nisi quòd primas causas considerat; etenim ratione entis, prout ens est, diceretur potiùs ignobilissima, quoniam ens communissimum omnium est, & quantò aliquod est in prædicando communius, tantò est ignobilius. Altera quoque obiectio friuola est, nec sequitur secandam esse Metaphysicam in duas partes; quia si ipsam rerum naturam spectemus, quatenus nobis considerandæ, & cognoscendæ proponuntur, oportuit de abiunctis à materia per essentiam, & de abiunctis per indifferentiam, non duas esse disciplinas, sed vnam, & eandem: ea autem tota legenda à no[...] [e]st post naturalem philosophiam, sumentes ordinis rationem à parte eius præci[pua, quæ] non solùm ignotissima nobis est, sed [...] tantò requirit, vt priùs cognita sit.

Argumentum Genuæ primū contra solutionem.

Secūdum argumentum.

Solutio prima.

Solutio secunda.

A scientia naturalis: itaque naturalis ordine doctrinæ præcedit Metaphysicam, quia sine eius cognitione pars Metaphysicæ præcipua intelligi à nobis non posset. Tertium argumētum Scoti erat: Si magis vniuersale esset primò cognitum, maximum tempus interponeretur, antequam à summo genere ad infimas species perueniremus, quia plura intermedia genera vltimis speciebus proxima ignorantur. Hoc quoq; contra Scotum conuerti potest: B similiter enim dicam, si vltima species esset primum cognitum, maximum tempus interponeretur, antequam ab ea ad supremum genus perueniremus; quoniam illa media genera, per quæ transeundum est, sunt incognita. Si verò dicat Scotus, non esse necessarium vt à specie ad superiora ascendentes transeamus per omnia media, ita nos quoque soluere eius argumentum possumus dicendo verum quidem de cognitione distincta esse id, quod C Scotus ait, sed falsum esse de confusa; nam distincta cognitione à superioribus ad inferiora descendentes necesse est, vt omnia media cognoscamus, omnia namq; de speciebus infimis essentialiter prædicātur, quare nullum eorum ignorandum est, si specierū distincta, & perfecta cognitio habenda sit; sed in ordine cognitionis confusæ non est necessarium, vt omnia media cognoscamus, quia potest species cōfusè cognosci ignorato penitùs aliquo D eius attributo essentiali; sic ambulantem per totam fori longitudinem necesse est ab vna extremitate ad alteram peruenire, at non est necessarium vt pedibus tangat omnes intermedios lapides: neque ob id fit, vt sententia nostra de primo cognito sit vera solùm vt particularis; quod existimauit Zimara, est enim vniuersè vera; quia in omnibus cognitio nostra confusa incipit à maximè vniuersalibus, nunquam ab infima specie: nunquā enim non E cognoscitur genus proximū asini & equi, tamen satis est si ante cognitionem equi fuerint cognita ex necessitate plura superiora genera, vt corpus, & viuens, & animal, ab his enim incepit cognitio nostra, non à proprio speciei conceptu: sic igitur in omnib. primum cognitum est maximè vniuersale, nunquam species vltima. Quòd autem argumentum Scoti debilissimum sit, ex eo patet, quòd, quēadmodum ipse dixit aliqua genera ignorari, quum F species cognoscantur, ita nos obijcere illi possumus, multas species vltimas ignorari, quum plura earum genera, ea præsertim, quæ amplissima sunt, cognoscantur. sic enim ostenditur, vel non esse infimam speciem primum cognitum, vel saltem non in omnibus, proinde sententiam Scoti non esse vniuersè veram: at sententiam nostram vniuersè veram esse ex eo ostenditur, quòd semper ante cognitionem speciei cognoscuntur [...] aliqua proxima igno[...] soluere hoc [...]

Ad tertium.

Ad Zimaram.

dendo verba Aristot. in eo context. 28 libri 7. Metaphysicorum: ibi namq; non dicit genus proximum equi & asini esse penitùs incognitum, sed esse innominatum, non est autem illatio efficax, nomine caret, ergo est penitùs incognitum; potest enim res cognosci confusè, etiamsi nomen ignoretur; vt patet in mutis & surdis, & in infantibus, qui absq; vlla nominum intelligentia confusè res animo concipiunt per accidentia earum sensilia, quæ à sensibus intellectui offeruntur: id enim quod dici solet, cognitionem nominis esse principium omnis nostræ cognitionis, verum est de illa notitia, quàm addiscendo acquirimus, nempe vel aliquem audiendo, vel alicuius scripta legendo; nisi enim nomina intelligamus, nihil discere possumus: at non est verū de cognitione in nobis naturaliter acquisita per sensus, sic enim possumus etiam nominibus ignoratis res in animo confusè cōcipere; imò primi homines priùs confusè res cognoverunt, postea illis nomina imposuerunt; dico igitur proximū genus asini, & equi, quamuis nomen non habeat, notius tamen esse asino, & equo; cōmunia namq; accidentia, in quibus conueniunt, faciliora cognitu sunt, quàm propria, per quæ distinguuntur; hæc enim & in sensu, & in intellectu maiorem iudicandi vim requirunt, quod patet in ijs animalibus, quando procul aspiciuntur: quum enim videamus animal hominem portare, vel currum vehere, & communem quandam figuram inspiciamus, cognoscimus esse necessarium vt sit vel equus, vel mulus, vel asinus, sed quodnam horum sit adhuc ignoramus: tunc igitur cognoscimus accidentia illius generis innominati, propria verò illorum animalium accidentia non inspicimus. Id autem, quod diximus, confirmatur per illa, quæ dicuntur ab Aristotele in libro Categoriarum, in capite de Relatiuis, vbi ad rectè faciendam reciprocam relatiuorum relationem præcipit vt alteri, quod nomine careat, nomen imponamus, & dicamus caput esse capitati caput: significat ergo nomen solùm esse ignotum, non ipsam rem: quia si rem quoque ignoraremus, non possemus illi nouum nomen imponere: idque in eo exemplo manifestum est, quia antequam capitati nomen fingamus, cognoscimus quid sit habere caput, ideò nomen illi imponere possumus. Hanc igitur responsionem si sequamur, dicemus ante speciei cognitionem cognita esse confusè omnia superiora genera, licèt eorum aliqua nomine careant. Vtramq; solutionem ego ad diluendum Scoti argumentum optimam esse censeo: prior enim ad hominem sufficientissima est, hæc autē posterior, vt ego puto, verissima: qua etiam vtebatur M. Antonius Genua, qui licèt Scoti

Non omne innominatum est incognitum.

A sententiam sequeretur; tamen confessus est, nullam habere efficacitatē argumentum hoc, quod sumitur ex context. 28. lib 7. Metaphys. quem locum eo modo, quem nunc diximus, interpretatus est. Corruit etiam hac solutio ne argumentum Zimaræ, quod ex eo loco sumebatur, ad probādum non esse vniuersè veram sententiam nostram, sed solùm in parte: nos enim ostendimus primum cognitū semper esse id, quod vniuersalius est, & nunquam

Ad Zimar.

B esse infimam speciem. Quartum argumentum erat, vt se habet singulare ad speciem, ita se habet species ad genus: nos verò hoc negamus; quamuis enim aliqua adsit similitudo, habent tamen etiam magnam differentiam, quæ in præsentia magni momenti est: dum enim à singulari ad speciem ascendimus, transimus ab ordine ad alium ordinē, nempe à re sensili ad rem intellectilem; at dum à specie ad genus transimus, non variamus rerum

Ad quart.

C ordinem, quia ambo sunt intelligibilia; hinc fit, vt singulare, quum sensile sit, & à sensu primùm oblatū, sit necessariò primò cognitum; de specie autē hoc dicere non possumus, quia hęc non potest nisi per abstractionem cognosci, quemadmodum etiam genus; ideò quum genus sit facilioris abstractionis, quàm species, priùs etiam cognoscitur, quàm species; singulare verò tali abstractione non eget, quare est absolutè primū cognitum. Ad vltimum

Ad quint.

D argumentum, quando dicebatur speciem esse indiuiduis propinquiorem, quàm genus, dicimus verum quidem hoc esse secundùm ordinationem Categoriæ à Logico factam, at secundùm rei veritatem non ita sese rem habere; qua non minùs genera, quàm species, habent sua indiuidua; nam hic homo est etiam hoc animal, & hoc corpus, & ita propinquum est corpus huic corpori, vt homo huic homini. Vti præterea possumus eadem responsione,

E qua præcedens quoq; argumentum soluimus; nam propinquitas indiuiduorum nullius momenti est, dum rerum ordo variatur: si enim de his, quæ eiusdem ordinis sunt, loqueretur, vtiq; efficax argumentū esset, oporteret enim id, quod primo cognito propinquius est, priùs cognosci: at dum ordinem rerum variamus, & à sensilibus ad intelligibilia transimus, propinquitas hæc, quæ à rei communitate sumitur, nullius momenti est, immò ex ea contra-

F rium colligitur; species enim ea ratione propinquior est indiuiduo, quàm genus, quia plures differentias continens contractior est, & totam indiuidui substantiam complectitur, genus verò eam non totam, sed partem; facilius autem cognoscitur pars rei aliqua, quam omnes partes simul, ob rationem satis à nobis in præcedentibus declaratam.

FINIS.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM OMNIVM NOTATV DIGNARVM,

quæ in hoc VOLVMINE continentur.

Index.

Index.

F

H

L

Index.

Index.

Index.

Index.

T





